SOLD BY
THOMAS BAKER

The Institute of Mediaeval Studies
LIBRARY
Toronto, Ontario

SUMMA PHILOSOPHIÆ

E

D. THOMÆ AQUINATIS

DOCTRINA

TOM. II. SECT. III. — PHYSICÆ PARS SECUNDA.

IMPRIMATUR

Fr. Raphael PIEROTTI, O. P.

S. P. A. Magister.

CONSPECTUS

TOTIUS OPERIS

TOMI TRES, IN SEX SECTIONES DIVISI

TOMUS I	SECTIO I. — Logica SECTIO II. — Physica, pars prima
TOMUS II	SECTIO III. — Physica, pars secunda SECTIO IV. — Physica, pars tertia
TOMUS III	SECTIO V. — Ethica SECTIO VI. — Metaphysica

BIBLIOTHECA THEOLOGIÆ ET PHILOSOPHIÆ SCHOLASTICÆ
SELECTA ATQUE COMPOSITA
A FRANCISCO EHRLE, S. J.

SUMMA PHILOSOPHIÆ

EX VARIIS LIBRIS

D. THOMÆ AQUINATIS DOCTORIS ANGELICI

IN ORDINEM

CURSUS PHILOSOPHICI

ACCOMMODATA

A COSMO ALAMANNO, S. J.

EDITIO JUXTA ALTERAM PARISIENSEM VULGATAM A CANONICIS REGULARIBUS ORD. S. AUG. CONGREGATIONIS GALLICANÆ

ADORNATA

A FRANCISCO BERINGER, SOC. JES. PRESB.

TOMUS II — SECTIO III — PHYSICÆ PARS SECUNDA

PARISIIS, MDCCCXC
SUMPTIBUS P. LETHIELLEUX, BIBLIOP.-EDITORIS
10, VIA DICTA « CASSETTE », 10
ET APUD FRED. PUSTET, S. SEDIS APOSTOL. TYP., RATISBONÆ ET NEO-EBORACI.

THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
ST. MICHAEL'S COLLEGE
LIBRARY

JUN 16 1933

5892

EXCELLENTISSIMO ET ILLUSTRISSIMO

CAROLO AURIACO

DUCI TURSI, ORDINIS ALCANTARÆ EQUITI, ETC.

COSMUS ALAMANNUS MEDIOLANENSIS, SOCIETATIS JESU THEOLOGUS

Quæstiones in summi Philosophi *libros de Cœlo et Generatione* ad sensum mentemque Doctoris Angelici tibi, Princeps Excellentissime, dico. Sed cur dicem, ne tibi veniat in mentem mirari. Hujusce rei, nisi quid me fallit ratiocinantem, facilis est et prompta responsio. Ratiocinor enim sic, et per hos quasi gradus ascendo. Cujus nomini par est illud opus dicatum in lucem emittere, in quo de siderum ortu agitur et occasu, de cœlestium orbium natura et motibus tam variis atque perpetuis? Cujus itidem id ut optimi perfectique patroni titulo est honestandum, quod rerum mobilium et caducarum tam generationis quam corruptionis rationem aperit universam? Peritissimi nobilissimique nautæ suspicientis cœlum, stellas servantis, vocantis, numerantis; summi optimique gubernatoris bene navigandi artis scientissimi, immensa vastissimaque maria innumeris fœta piscibus et monstruosis belluis celeberrima, plenis, ut aiunt, velis et secundissime percurrentis. Quis rerum nauticarum cœli stellarumque scientia adeo excellit et eminet universis, ut quas naves gubernat, non ad syrtes et scopulos allisas, non flatu reflatuque ventorum dissolutas et dissipatas, sed emersas e vadis et e fluctibus, procellis, maximisque periculis eximiæ cum artis ope, tum ingenii dexteritate mirabili, extractas felici navigatione salvas et incolumes in portu collocet? Tibi uni, Dux Excellentissime, rei nauticæ peritissimi, eximias hasce laudes incredibili omnium consensione tribuunt; Te unum hac summa et singulari commendatione æternaque gloria dignissimum judicant, cum te invictæ classis gubernatorem, procellosi domitorem maris alterumque Neptunum et contra turbines, tempestates victorem felicissimum appellant. Ergo jure tibi tuo meum hoc de cœlo rerumque natura conflantium generatione libellum vindicas et tanquam debitum merito exigis. Verum, ne tibi ullus omnino admirandi relinquatur locus, et a me non imprudenter factum fatearis, quod laborum et vigiliarum mearum fructum tam illustri et glorioso tui nominis titulo deco-

rarim; obsecro te, refer paulisper animum ad ea, quæ de quo agitur longe plurimi facienda existimo. Quod libri propositis quæstionibus iisque solutis explicati sint magni Philosophi, num magnum quoque Principem tui similem patronum requirebant? Quod ipse Angelici Doctoris sensa doctrinamque sectatus sim, alione auspice par erat illa proferre et divulgare, quam te Principe cœlestia animo agitante cœlestesque mentes moribus exprimente? Non uno igitur vel altero, sed multis nominibus opus tibi debitum merito et jure optimo dico. Sed addo longe præstantius haud temere ac fortuito, sed prudenti consilio extremo servatum loco. Tuis quam plurimis meritis nostram Societatem arctissime districtam et obligatam tenes. Ingratus sim, nisi ea perexiguo hoc munere tuæ administrationi non incongruo memor agnoscam, et nos tibi addictos, deditos obstrictosque profitear. Accipe ergo pignus devinctæ et obstrictæ voluntatis, et qua præditus es benignitate, hoc qualecumque opus tuo nomine illustra ac tuere. Vale.

AD BENEVOLUM LECTOREM

Habes in hoc tertio libro, Lector benevole, quæ de cœlestium orbium natura, motibus, affectionibus, et quæ de mutua rerum natura constantium generatione et corruptione sanctissimus præceptor, Doctor Angelicus, excellenti cum doctrina tum eruditione disputavit. Cœlestium corporum admirabilis ac plane divina cognitio te ad præpotentis et sapientissimi architecti notitiam suavissime invitabit. Fluxarum vero rerum et caducarum sub luna contentarum ambitu ad easdem omnino flocci faciendas habendasque contemptui tua te sponte incitatum impellet et attrahet vel invitum. Jam vero illud tibi reliquum esset, ut te tui animi rationis compotis intelligentia, qua de agitur in libro propediem in lucem edendo ad sacrosancti divinique numinis cognitionem et amorem jam excitatum incenderet et inflammaret. Interim igitur ita te ad utriusque generis rerum inter se plane dissimilium, ne dicam oppositarum, confer et converte contemplationem, ut veræ solidæque tui ipsius cognitionis accessione tanti operis fabricatorem, totius universitatis parentem ardentissimo amore complectaris, illumque tibi ad imitandum in animi corporisque functionibus universis tanquam excellentissimum virtutum omnium exemplar ante oculos ponas : ut quem ad finem omnes sanctissimi Angelicique Doctoris conatus, et qualescumque nostri perpetui labores ejus potissimum exemplo relati fuerunt, ad eumdem tuum itidem in hac Philosophica Summa e D. Thomæ doctrina diligenter evolvenda studium omnino referatur. Vale.

Attestatio Rever. P. Fr. Francisci Ghetii de Como Sacræ Theologiæ Lectoris primi in conventu S. Thomæ de Papia, Ordinis Prædicatorum.

Insigne opus continens libros *de Cœlo et Mundo* et *de Generatione et Corruptione* a præstantissimo viro Pátre Cosmo Alamannio Societatis JESU ingenti labore, summa diligentia ex

doctrina D. Thomæ Aquinatis confectum, jussu Admodum Rever. Patris Inquisitoris vidi, legi et consideravi, nihilque quod fidei, legum et morum integritati ac regulis novi Indicis Librorum repugnet in eo animadverti, quin potius opus Thomisticæ Doctrinæ professoribus perutile, ac omnibus veræ Philosophiæ sinceritatem et puritatem desiderantibus maxime proficuum fore judicavi. Datum Papiæ die 4.Julii 1622.

Ita est. — Ego Fr.Franciscus Ghetius de Como
Sacræ Theologiæ Lector Ordinis Prædicatorum.

Die 4. Iulii 1622. Imprimatur.

Fr. Deodatus Seghitius De Lauda, Inquisitor Papiæ.

Cujus nomini assurgit Saccus; et adnexum opus Senatus Excellentissimi nomine approbavit et excudendi potestatem facit.

Io. Baptista Saccus, etc., a secretis ejusdem Ordinis, etc.

EX EDITIONE HUJUS OPERIS PRIMA. PAPIÆ 1622

Rever. P. Fr. Francisci Ghetii de Como Lectoris Primi in conventu S. Thomæ de Papia Ordinis Prædicatorum.

EPIGRAMMA IN LAUDEM AUCTORIS

Ad Lectorem.

Dum sapiens Cosmus de *cælo* est alta locutus
Ad mentem Angelici, nomen ad astra tulit.
Quis magni potuit *mundi* memoranda referre ?
Hic certe Cosmus ; perlege, doctus eris.
Ortum ac interitum rerum dum pandere scriptis
Nititur, illius maxima fama volat.
Miraris si de rebus sit talia fatus ?
Angelico est Cosmus præditus ingenio.

EJUSDEM ALIUD EPIGRAMMA

Ad Lectorem.

Non tanto splendens ornatur lumine Phœbus,
Nec tot sideribus fulget in orbe polus ;
Tot violæ in pratis, flores, tot lilia non sunt,
Nec risus tantus tempore veris adest ;
Nec Crœsus gazas tot possidet ille superbus ,
Non tot opes gaudens possidet ille Mida :
Quod bona de Cosmi generoso pectore manant :
Hunc probitas, pietas relligioque beat ;
Hunc specimen virtutis cuncti ad sidera tollunt ;
Relligiosus amat, docta Minerva colit.
Maximus iste Sophos, hic maximus atque Thomista.
Hunc celebrem efficiunt, nomen ad astra ferunt.

BQ
6832

BREVIS CONSPECTUS

SCRIPTORUM S. THOMÆ

QUÆ IN EDITIONE ROMÆ AN. 1570 VULGATA

CONTINENTUR

Summa Theologiæ; 1a (scil. prima pars), 1a 2æ (scil. prima pars secundæ partis), 2a 2æ (scil. secunda pars secundæ partis), 3a (scil. tertia pars).

Summa contra Gentiles; ll. 4 c. Gent.

Quæstiones disputatæ de potentia Dei, de malo, de spiritualibus creaturis, de anima, de unione Verbi, de virtutibus in communi, de caritate, de correctione fraterna, de spe, de virtutibus cardinalibus, de veritate (1).

Quodlibeta 12.

Scriptum in 4 libros Sententiarum.

Commentarii in 2 lib. Perihermenias, in 2 lib. Posteriorum Analyticorum, in 8 lib. Physicorum, in 4 lib. de Cælo et Mundo, in 2 lib. de Generatione et Corruptione, in 4 lib. Meteorum, in 3 lib. de Anima, in lib. de Sensu et Sensato, de Memoria et Reminiscentia, de Somno et Vigilia *, de Somniis *, de Divinatione per Somnum *, in 12 lib Metaphysicorum (de Causis.), in 10 lib. Ethicorum, in 8 lib. Politicorum (2).

Opuscula : 1. Contra errores Græcorum. — 2. Compendium theologiæ. — 3. Declaratio quorundam articulorum contra Græcos, Armenos et Saracenos. — 4. De duobus præceptis caritatis. — 5. De articulis fidei et sacramentis ecclesiæ. — 6. Expositio super symbolum Apostolorum. — 7. Expositio orationis dominicæ. — 8. Expositio salutationis angelicæ. — 9. Responsio de 108 articulis *. — 10. Responsio de 42 articulis. — 11. Responsio de 36 articulis. — 12. Responsio de 6 articulis ad lectorem Bisuntin. — 13. De differentia divini verbi et humani. — 14. De natura verbi intellectus. — 15. De substantiis separatis. — 16. De unitate intellectus contra Averroistas. — 17. Contra retrahentes a religionis ingressu. — 18. De perfectione vitæ spiritualis. — 19. Contra impugnantes Dei cultum et religionem. — 20. De regimine principum. — 21. De regimine Judæorum. — 22. De forma absolutionis. — 23. Expositio primæ decretalis. — 24. Expositio super secundam decretalem. — 25. De sortibus. — 26. De judiciis astrorum. — 27. De æternitate mundi. — 28. De fato. — 29. De principio individuationis. — 30. De ente et essentia. — 31. De principiis naturæ. — 32. De natura materiæ et dimensionibus interminatis. — 33. De mixtione elementorum. — 34. De occultis operibus naturæ. — 35. De motu cordis. — 36. De instantibus. — 37. De quatuor oppositis. — 38. De demonstratione. — 39. De fallaciis. — 40. De propositionibus modalibus. — 41. De natura accidentis. — 42. De natura generis *. — 43. De potentiis animæ *. — 44. De tempore. — 45. De pluralitate formarum *. — 46. De dimensionibus interminatis. Cf. n. 32. — 47. De natura syllogismorum *. — 48. Summa totius Logicæ Aristot. *. — 49. De sensu resp. singularium et intellectu resp. universalium *. — 50. De inventione medii *. — 51. De natura luminis *. — 52. De natura loci *. — 53. De intellectu et intelligibili *. — 54. De quo est et quod est *. — 55 et 56. De universalibus *. — 57. Officium de festo corp. Chr. — 58. De sacramento altaris *. — 59. De sacramento eucharistiæ *. — 60. De humanitate J. Chr. *. — 61. De dilectione Chr. et proximi *. — 62. De divinis moribus *. — 63. De beatitudine *. — 64. De modo confitendi *. — 65. De officio sacerdotis *. — 66. Expositio missæ *. — 67. De emptione et venditione ad tempus *. — 68 Epistola de modo acquirendi scientiam *. — 69. Expositio in lib. Boethii de hebdomadibus. — 70. Quæstiones in lib. Boethii de Trinitate. — 71. De vitiis et virtutibus *. — 72. De concordantiis *. — 73. De usuris *.

Expositio : in Job, in Psalmos, in Cantica Canticorum, in Isaiam, in Jeremiam, in Threnos [in Matthæum et Joannem]; Catena aurea in quatuor evangelia; expositio in epist. S. Pauli, in Genesim *, in Danielem *, in lib. Machabæorum *, in epist. canonicas *.

(1) Compluries allegatur quæstio *de Motoribus Corporum Cælestium*; cf. quæ pag. 59 annotavimus.

(2) De aliis quibusdam commentationibus quæ nonnunquam in hac *Summa Philosophica* citantur, vide annotata in præfatione hujus editionis, tom. I, pp. VI-IX; et in notis, tom. III, p. 180; tom. IV, p. 228.

SUMME

PHILOSOPHICÆ

E DIVI THOMÆ DOCTORIS ANGELICI

DOCTRINA

SECUNDA SECUNDÆ

IN LIBROS

DE CŒLO ET MUNDO

Post considerationem corporis mobilis in quantum est mobile, reliquum est hujusmodi communia applicare ad propria subjecta. Subjectum autem motus est magnitudo et corpus, quia nihil movetur nisi quantum. In corporibus autem prius est considerare totum ipsum universum quam partes, quæ secundum situm illud constituunt. (Cf. Procem. S. Thomæ in lib. *de Cœlo.*) Et ideo *primum* agemus de universo; *deinde* de partibus illius, nimirum de corporibus simplicibus; nam cum corporibus mixtis non determinetur situs secundum se, sed secundum simplicia corpora, hæc sola, quia primo et per se habent situm in universo, censentur esse partes illius constitutivæ, scilicet secundum ordinem situs (*de Pot.* q. 5, a. 7 et 9, c.). Inter hæc autem prius agemus de corpore cœlesti, quia per ipsum alia corpora firmantur, tum de aliis, quod est agere de corpore mobili secundum situm vel locum, quod inter subjecta partialia priorem locum habet, sicut et inter motus localis prior est omnibus, ut docet Philosophus 8. *Phys.* (*text.* 55; c. 7; — S. Thomas 8. *Phys.* l. 14). Consideratio vero universi tripartita erit; nam *primum* agemus de existentia mundi sive universi, *secundo* de modo productionis ejusdem, *tertio* de proprietatibus illius; hæc enim tria peculiarem habent in hac tractatione difficultatem.

QUÆSTIO XXVI

DE EXISTENTIA MUNDI.

CIRCA MUNDI EXISTENTIAM

QUÆRUNTUR DUO:

1. An mundus semper fuerit.
2. An mundum incepisse sit articulus fidei.

ARTICULUS I

UTRUM MUNDUS SEMPER FUERIT.

Videtur quod mundus semper fuerit; et ad hoc possunt adduci rationes sumptæ ex triplici capite, nimirum ex parte Dei, ex parte creaturarum, et ex modo factionis rerum.

1. *Ex parte Dei* sic: Omne agens, quod non semper agit, movetur vel per se vel per accidens; sed Deus neque movetur per se neque per accidens: ergo Deus semper eodem modo agit; ex sua autem actione mundus in esse consistit; semper igitur mundus fuit. — 2. *c. Gent.* c. 32, n. 1.

2. Præterea, Deus produxit mundum secundum suum esse et non per aliquod aliud additum; sed esse Dei est æternum: ergo cum effectus sit similis suo principio activo, mundus debet semper fuisse. — 1. *de Cœlo* l. 6.

3. Præterea, bonitas Dei est causa rerum; sed bonitas Dei otiosa et vacans esse non potest: ergo cum talis fuisset, antequam mundus esset, si ex aliquo determinato principio temporis incepit, debet semper fuisse. —*Ibid.*

4. Præterea, posita causa sufficienti ponitur effectus; nam causa ad quam non sequitur effectus, est causa imperfecta, indigens alio ad hoc, quod effectus sequatur; sed Deus est sufficiens causa mundi, et finalis ratione suæ bonitatis, et exemplaris ratione suæ sapientiæ, et effectiva ratione suæ potentiæ: cum ergo Deus sit ab æterno, et mundus fuit ab æterno. — 2. *c. Gent.* c. 32, n. 3; 1a, q. 46, a. 1, arg. 9.

5. Præterea, agens per voluntatem non retardat exsequi propositum de aliquo faciendo, nisi propter aliquid in futurum exspectatum, quod nondum adest, sive illud sit in agente, ut cum exspectatur perfectio virtutis ad agendum aut sublatio alicujus impedientis virtutem; sive sit extra agentem, ut cum exspectatur vel præsentia alicujus, coram quo fiat actio, vel præsentia alicujus temporis opportuni, quod nondum adest; sed quidquid Deus vult quod nunc sit, ab æterno voluit quod sit, quia nec novus motus voluntatis advenire potest nec ullum impedimentum ejus potentiæ, nec aliquid aliud exspectari potuit ad mundi productionem; ergo mundus ab æterno productus fuit. — 2. *c. Gent.* l. c. n. 4; 1a, l. c. arg. 6.

6. Præterea, voluntas divina æqualiter se habet ad producendam creaturam per totam æternitatem; nam cum in nihilo non possint assignari differentiæ aliquæ momentorum, ut in uno magis oporteat aliquid fieri quam in alio; nec similiter in æternitate, quæ tota est uniformis, potest præelectio fieri unius ad alterum; aut ergo divina voluntas est de hoc, quod nunquam mundus sub æternitate ejus constituitur, aut quod semper; sed constat, quod non est voluntas ejus de hoc, quod nunquam sub æternitate ejus constituatur: ergo necesse est quod mundus semper fuerit. — 2. *c. Gent.* l. c. n. 5.

7. Præterea, idem potest ostendi *ex parte creaturarum* sic: Quæ non habent potentiam ad non esse, impossibile est ea non esse; sed quædam creaturæ non habent potentiam ad non esse, quia nimirum *vel* carent materia, quæ est potentia ad esse (quod est per formam) et ad non esse (quod est per privationem), ut substantiæ intellectuales; *vel* non habent materiam contrarietati subjectam (unde etiam oritur potentia ad non esse), ut corpora cœlestia, quod eorum motus ostendit, qui contrarietatem non habet: — ergo quasdam creaturas impossibile est non esse; ergo eas semper esse necesse est, et per consequens mundus ratione ha-

rum erit æternus, — 2. *c. Gent.* c. 33, n. 1; 1a, q. 46, a. 1, arg. 1.

8. Præterea, nihil quod habet virtutem ut semper sit, quandoque est et quandoque non est, quia ad quantum se extendit virtus alicujus rei, tamdiu est. Sed omne incorruptibile habet virtutem ut sit semper; non enim virtutem habet ad determinatum durationis tempus. Nihil ergo incorruptibile quandoque est et quandoque non est. Sed omne, quod incepit esse, quandoque est et quandoque non est; nullum ergo incorruptibile incepit esse. Sed multa sunt in mundo incorruptibilia, ut cœlum et intelligentiæ; ergo mundus non incepit esse. — 1a, l. c. arg. 2.

9. Præterea, quandocumque aliquid de novo incipit moveri, oportet quod movens vel motum vel utrumque aliter se habeat nunc, quando est motus, quam prius, quando non erat motus; est enim relatio quædam moventis ad motum, secundum quod est movens actu; sed relatio nova non incipit sine mutatione utriusque vel alterius extremorum. Quod autem aliter se habet nunc quam prius, movetur; ergo oportet ante motum, qui de novo incipit, alium motum præcedere in mobili vel movente; oportet ergo quod quilibet motus vel sit æternus vel habeat alium motum ante se; motus ergo semper fuit; ergo et mobilia, et sic mundus semper fuit; Deus enim omnino immobilis est, ut dictum est (supra q. 25, a. 3, ad primam quæst.). — 1a, l. c. arg. 5; 2. *c. Gent.* c. 33, n. 3.

10. Præterea, idem potest argui *ex parte factionis*. Cum enim communis opinio omnium philosophorum sit, ex nihilo nihil fieri, oportet esse verum; nam quod communiter ab omnibus dicitur, impossibile est totaliter esse falsum; nam falsa opinio infirmitas quædam intellectus est et defectus; defectus autem quia per accidens est et præter naturæ intentionem, non potest esse semper et in omnibus. Si igitur aliquid est factum, oportet ex aliquo esse factum, quod si etiam factum sit, oportet etiam hoc ex alio fieri; non potest autem hoc in infinitum procedere, quia sic nulla generatio compleretur, cum non sit possibile infinita transire. Oportet ergo devenire ad aliquod primum, quod non sit factum. Omne autem ens, quod non semper fuit, oportet esse factum; ergo oportet illud, ex quo omnia fiunt, esse sempiternum. Hoc autem non est Deus, quia ipse non potest esse materia alicujus rei; ergo relinquitur, quod aliquid extra Deum sit æternum, puta materia prima, et consequenter mundus ratione materiæ. — 2. *c. Gent.* c. 34, n. 1.

11. Præterea, omne quod de novo incipit esse, antequam esset, possibile erat ipsum esse; si enim possibile non erat ipsum esse, necesse erat non esse, et sic semper fuisset non ens, et nunquam esse incepisset; sed quod est possibile esse, est subjectum potentia ens; oportet igitur ante quodlibet de novo incipiens præexistere subjectum potentia ens; et cum hoc in infinitum procedere non possit, oportet ponere aliquod primum subjectum, quod non inceperit de novo esse. — *Ibid.* n. 3.

12. Præterea, nulla substantia permanens est, dum fit; et universaliter, quod fit, dum fit, non est, sed quando jam factum est, tunc primo est, ut dicitur 5. *Phys. text.* 13; c. 2. Et ratio est, quia ad hoc res fit, ut sit; non enim fieret, si jam esset; sed dum fit, oportet aliquid esse, quod sit factionis subjectum; non enim factio, cum sit accidens, sine subjecto esse potest. Omne igitur, quod fit, habet aliquod subjectum præexistens; et cum hoc in infinitum ire non possit, sequitur primum subjectum non esse factum, sed sempiternum esse; ex quo ulterius sequitur, aliquid præter Deum esse æternum, cum ipse subjectum factionis esse non possit. — 2. *c. Gent.* c. 34, n. 4; 5. *Phys.* l. 3 (2); *de Pot.* q. 3, a. 13, arg. 3 et ad 3; 2. *Sent.* dist. 1, q. 1, a. 2, arg. 3; 2. *de Generat.* l. 10.

13. Præterea, omne illud, cujus motus quandoque est et quandoque quiescit, reducitur ad aliquem motum continuum, qui semper est; quia ejus successionis, quæ est ex vicissitudine motus et quietis, non potest esse causa aliquid eodem modo se habens, quia idem eodem modo se habens

semper facit idem; ergo oportet quod causa hujus vicissitudinis sit aliquis motus, qui non est semper, et sic oportet quod habeat aliquem motum præcedentem; et cum non sit abire in infinitum, oportet devenire ad aliquem motum, qui semper est, et per consequens ratione talis motus et ejus mobilis, mundus erit æternus. — 2. *Sent.* dist. 1, q. 1, a. 5, arg. 9.

Sed contra est, quod dicitur *Joan.* 17, 5: « Clarifica me tu, Pater, apud temetipsum claritate, quam habui, priusquam mundus fieret », et *Prov.* 8, 22: « Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret ». — 1a, q. 46, a. 1, arg. *Sed contra.*

Respondeo dicendum, quod hac de re veteres philosophi varie locuti sunt, licet in eo consentiant, quod non solus Deus est æternus, sed etiam aliæ res. Nam *quidam* ante Aristotelem posuerunt, quod mundus est generabilis et corruptibilis, et quod ita est de toto universo, sicut de toto aliquo particulari alicujus speciei, cujus unum individuum corrumpitur et aliud generatur; et hæc fuit opinio Empedoclis. *Alii* dixerunt, quod res ab æterno movebantur motu inordinato, et postea reductæ sunt ad ordinem *vel* casu, sicut ponit Democritus, quod corpora indivisibilia ex se mobilia casu adunata sunt ad invicem, *vel* a creatore, et hoc ponit Plato, ut dicitur in 3. *de Cœlo. Alii* dixerunt, quod res fuerunt ab æterno secundum illum ordinem, quo modo sunt; et ista est opinio Aristotelis et omnium philosophorum sequentium ipsum, et hæc opinio inter prædictas probabilior est; omnes tamen sunt falsæ et hæreticæ. — 2. *Sent.* dist. 1, q. 1, a. 5, c.

Dicendum enim est, quod nihil potest præter Deum ab æterno fuisse, et quod hoc ponere non est impossibile. Cujus ratio est, quia cum voluntas Dei sit causa rerum (non enim agit Deus per necessitatem naturæ, sed per voluntatem, ut patet *tum* ex ordine causarum agentium; nam præstituit naturæ finem, propter quem operetur; *tum* ex ratione agentis naturalis; non enim est ad unum effectum producendum determinatus, sicut natura), sic aliqua necesse est esse, sicut necesse est Deum velle illa, cum necessitas effectus ex necessitate causæ dependeat, ut dicitur 5. *Metaphys. text.* 6; l. 4, c. 5. Absolute autem loquendo, non est necesse Deum velle aliquid nisi seipsum suamque bonitatem; nam ad hanc habet Deus necessariam habitudinem; secus autem ad res extra ipsum, cum Dei bonitas sit perfecta et esse possit sine illis, cum nihil ei perfectionis accrescat ex aliis. Non est ergo necessarium Deum velle, quod mundus fuerit semper; sed eatenus mundus est, quatenus Deus vult illum esse, cum esse mundi ex voluntate Dei dependeat sicut ex causa. Non est igitur necessarium mundum semper esse, et per consequens nec demonstratione probari potest; nec rationes, quas ad hoc Aristoteles inducit, sunt demonstrativæ simpliciter, sed secundum quid, scilicet ad contradicendum rationibus antiquorum ponentium, mundum incipere secundum quosdam modos in veritate impossibiles. — Et hoc apparet ex tribus: *primo* quidem, quia tam in 8. *Phys.* (initio) quam in 1. *de Cœlo* (*text.* 101 sqq.; c. 10) præmittit quasdam opiniones, ut Anaxagorae et Empedoclis et Platonis, contra quos rationes contradictorias inducit. *Secundo,* quia ubicunque de hac materia loquitur, inducit testimonia antiquorum, quod non est demonstratoris, sed probabiliter persuadentis. *Tertio*, quia expresse dicit (1. *Top.* c. 9; c. 11), quod quædam sunt problemata dialectica, de quibus rationes non habemus, ut utrum mundus sit æternus; quamquam ipse firmiter opinatus est necessarium fore, quod cœli motus sit sempiternus, similiter et tempus et per consequens et ipsum cœlum. Nam super sempiternitate motus et temporis et cœli fundavit intentionem suam de inquisitione substantiarum immaterialium. — 1a, q. 46, a. 1, c.; 12. *Metaphys.* l. 6 (4).

Ad primum ergo dicendum, quod non oportet quod vel per se vel per accidens Deus moveatur, si effectus eius de novo incipit esse. Novitas enim effectus indicare potest mutationem agentis, in quantum demonstrat novitatem actionis; non enim potest esse

quod in agente sit nova actio, nisi aliquo modo moveatur, saltem de otio in actum. Novitas autem divini effectus non demonstrat novitatem actionis in Deo, cum actio sua sit sua essentia; unde neque novitas effectus mutationem Dei agentis demonstrare potest. — 2. *c. Gent.* c. 35, n. 1.

Ad secundum dicendum, quod verum quidem est, quod Deus agit per suum esse et non per aliquid superadditum, sed etiam esse suum non est distinctum a suo intelligere, sicut in nobis, nec etiam a suo velle; unde produxit res secundum intelligere et velle suum. In his autem, quæ producuntur ab aliquo agente in quantum est intelligens et volens, oportet esse id, quod producitur, hoc modo, sicut est intellectum a producente, non autem eo modo, quo est ipse producens secundum suum esse. Unde sicut non oportet quod id, quod est productum a Deo producente secundum suum esse, sit in aliis conditionibus tale, quale est esse divinum, sed quale est determinatum per ejus intelligere; ita non est necessarium quod id, quod est productum a Deo, sit tam diuturnum, quantum Deus, sed quantum est determinatum per intellectum ipsius. — 1. *de Cœlo* l. 6.

Et similiter non oportet quod, si primi agentis actio sit æterna, ejus effectus sit æternus; nam Deus agit voluntarie in rerum productione, non autem ita, quod sit aliqua actio media ipsius, sicut in nobis actio virtutis motivæ est media inter actum voluntatis et effectum; sed suum intelligere et velle est suum facere; effectus autem ab intellectu et voluntate sequitur secundum determinationen intellectus et imperium voluntatis, ut dictum est. Sicut autem per intellectum determinatur rei factio et quæcumque alia conditio, ita et præscribitur ei tempus, ut nimirum sit, quando Deus voluerit illam esse, ex vi nimirum antiquæ voluntatis efficacis, nulla actione de novo existente. — 2. *c. Gent.* c. 35, n. 2.

Ad tertium dicendum, quod otiosum dicitur, quod non consequitur finem, ad quem est; bonitas autem divina non est propter creaturas; unde creaturæ essent otiosæ, si non consequerentur divinam bonitatem; divina autem bonitas non esset otiosa, etiam si nullam creaturam unquam produxisset. — 1. *de Cœlo* l. 6.

Ad quartum dicendum, quod etsi Deus sit sufficiens causa productionis rerum in esse, non tamen oportet quod ejus effectus æternus ponatur, eo existente æterno; nam posita causa sufficiente ponitur ejus effectus; non autem effectus extraneus a causa; hoc enim esset ex insufficientia causæ, ac si calidum non calefaceret. Proprius autem effectus voluntatis est, ut sit hoc, quod voluntas vult; si autem aliquid aliud esset, quam voluntas velit, non poneretur proprius effectus causæ, sed alienus ab ea. Voluntas autem sicut vult hoc esse tale, ita vult hoc esse tunc; unde oportet ad hoc, quod voluntas sit sufficiens causa, quod effectus sit, quando voluntas est ut sit, et quando voluntas effectum esse disposuit. In his autem, quæ a causa naturaliter agente procedunt, secus est, quia actio naturæ est secundum quod ipsa est; unde ad esse causæ sequi oportet effectum. Voluntas autem non agit secundum modum sui esse, sed secundum modum sui propositi; et ideo sicut effectus naturalis agentis sequitur esse agentis, si sit sufficiens, ita effectus agentis per voluntatem sequitur modum propositi. — 2. *c. Gent.* c. 35, n. 3.

Ad quintum dicendum, quod divinæ voluntatis non retardatur effectus, quamvis non semper fuerit, voluntate de eo existente; nam sub voluntate divina cadit non solum quod ejus effectus sit, sed quod *tunc* sit; hoc igitur volitum, quod est *tunc* creaturam esse, non retardatur, quia tunc incepit creatura esse, quando ab æterno Deus disposuit. — *Ibid.* n. 4.

Ad sextum dicendum, quod ante totius creaturæ inchoationem non est accipere diversitatem aliquam partium alicujus durationis, quia nihil mensuram non habet nec durationem; Dei autem duratio, quæ est æternitas, non habet partes, sed est simplex omnino, non habens prius et posterius, cum Deus sit immobilis. Unde non est comparare inchoationem totius creaturæ ad aliqua

diversa signata in aliqua mensura præexistente, ad quæ infinita creaturarum similiter et dissimiliter se possit habere, ut oporteat rationem esse apud agentem, quare in hoc signato illius durationis creaturam in esse produxerit, et non in alio præcedenti vel sequenti; quæ quidem ratio requireretur, si aliqua duratio in partes divisibilis esset præter totam creaturam productam, sicut accidit in particularibus agentibus, a quibus producitur effectus in tempore, non autem ipsum tempus. Deus autem simul in esse produxit et creaturam et tempus. Non est igitur ratio, quare nunc et non prius, in hoc consideranda, sed solum quare non semper; sicut per simile in loco apparet. Particularia enim corpora sicut in tempore determinato, ita etiam in loco determinato producuntur; et quia habent extra se tempus et locum, a quibus continentur, oportet esse rationem, quare magis in hoc loco et in hoc tempore producuntur quam in alio. In toto autem cœlo, extra quod non est locus, et cum quo universalis locus omnium producitur, non est ratio consideranda, quare hic et non ibi est constitutum. — 2. *c. Gent.* c. 35, n. 5.

Propterea vero non semper fuit mundus, quia cum in his, quæ voluntarie aguntur, solus finis possit inducere necessitatem, et hujusmodi finis respectu divinæ voluntatis sit eius bonitas, hæc nullam necessitatem potuit Deo imponere faciendi creaturam ullam ab æterno, ita ut semper fuerit; quia Deus non agit propter suam bonitatem vel producendam in esse vel meliorandam vel sibi acquirendam, sed ut alia illam suo modo participent et ad illam ordinentur. Convenientius autem ordinantur ad illam, si producuntur in tempore, quam ab æterno; nam eo modo magis repræsentant divinam bonitatem. Cum enim illam repræsentare non possint per æqualitatem, ut contingit in effectis univocis, debent illam repræsentare eo modo, quo excedens repræsentatur ab eo, quod exceditur; excessus autem divinæ bonitatis supra creaturam per hoc maxime exprimitur, quod creaturæ non semper fuerunt. Ex hoc enim apparet expresse, quod omnia alia præter ipsum eum habent sui esse auctorem, et quod virtus ejus non obligatur ad hujusmodi effectus producendos, sicut natura ad effectus naturales. — *Ibid.* n. 6 et 7.

Ad septimum dicendum, quod necessitas essendi, quæ in creaturis invenitur, est necessitas ordinis; necessitas autem ordinis non cogit ipsum, cui talis necessitas inest, semper fuisse. Licet enim substantia cœli per hoc, quod caret potentia ad non esse, habeat necessitatem ad esse, non tamen necessitas sequitur ejus substantiam; unde substantia eius iam in esse instituta, talis necessitas impotentialitatem non essendi inducit, non autem facit esse impossibile cœlum non esse in consideratione, qua agitur de productione substantiæ ipsius. — 2. *c. Gent.* c. 36, n. 1.

Ad octavum dicendum, quod illud, quod habet virtutem ut sit semper, ex quo habet illam virtutem, non quandoque est et quandoque non est; sed antequam haberet illam virtutem, non fuit; et ideo ex virtute essendi semper, non sumitur argumentum sufficiens ad probandam productionem æternam. Unde hæc ratio, quæ ponitur a Philosopho (1. *de Cœlo text.* 120; c. 12), non concludit simpliciter, quod incorruptibilia, ut cœlum et intelligentiæ, non inceperunt esse, sed quod non inceperunt esse per modum naturalem, quo generabilia et corruptibilia incipiunt esse. — 1a, q. 46, a. 1, ad 2; 2. *c. Gent.* c. 36, n. 2.

Ad nonum dicendum, quod primus motor semper eodem modo se habuit; primum autem mobile non semper eodem modo se habuit, quia incepit esse, cum prius non fuisset; sed hoc non fuit per mutationem, sed per creationem, quæ non est mutatio. Unde patet, quod hæc ratio, quam ponit Aristoteles (8. *Phys.*), procedit contra eos, qui ponebant mobilia æterna, sed motum non æternum, ut patet ex opinionibus Anaxagoræ et Empedoclis. Nos autem ponimus, ex quo mobilia inceperunt, semper fuisse motum. — 1a, q. 46, a. 1, ad 5.

Ad decimum dicendum, quod ex nihilo nihil fieri habet veritatem in factione particulari, quam philosophi considerabant, non

autem in productione totius entis, de qua nos loquimur; præterquam quod nomen factionis proprie isti universali rerum productioni non convenit, cum tale nomen motum vel mutationem importet, licet per quandam similitudinem a nobis ad illam originem transferatur, ut dicamus ea facta, quorum natura ab aliis originem trahit. — 2. *c. Gent.* c. 37, n. 1.

Ad undecimum dicendum, quod non oportet aliquam potentiam passivam præcedere esse totius entis creati. Hoc enim est necessarium in illis, quæ per motum essendi principium sumunt, eo quod motus est actus existentis in potentia. Possibile autem fuit ens creatum esse, antequam esset, per potentiam agentis, per quam et esse incepit, vel propter habitudinem terminorum, in quibus nulla repugnantia invenitur; quod quidem possibile secundum nullam potentiam dicitur, ut patet per Philosophum (5. *Metaphys. text.* 17; l. 4, c. 12); hoc enim prædicatum, quod est esse, non repugnat huic subjecto, quod est mundus vel homo, sicut commensurabile repugnat diametro. Et sic sequitur quod non sit impossibile esse, et per consequens quod sit possibile esse, antequam esset, etiam nulla potentia existente. In his autem, quæ per motum fiunt, oportet prius fuisse possibile esse, antequam esset, etiam nulla potentia existente, per aliquam potentiam passivam; in quibus Philosophus (7. *Metaphys. text.* 22; l. 6, c. 7) hac utitur ratione. — 2. *c. Gent.* c. 37, n. 3.

Ad duodecimum dicendum, quod fieri non simul est cum esse rei in his, quæ per motum fiunt, in quorum fieri successio invenitur. In his autem, quæ non fiunt per motum, non prius est fieri quam esse; sic igitur evidenter apparet, quod nihil prohibet ponere, mundum non semper fuisse, quod fides catholica ponit (*Gen.* 1, 1.): *In principio creavit Deus cœlum et terram.* — *Ibid.* n. 4.

Ad decimum tertium dicendum, quod hujusmodi vicissitudinis, quod quandoque mundus non fuit et postea fuit, non est causa efficiens aliquis motus, sed aliqua res semper eodem modo se habens, id est voluntas divina, quæ ab æterno fuit de hoc, quod mundus in esse post non esse exiret. Et si dicatur, quod idem semper facit idem, dico, quod verum est, si accipiatur agens secundum propriam rationem, quia producit determinate hunc effectum. Sicut autem agens naturale determinatur per propriam formam, ut nunquam sequatur actio nisi secundum convenientiam ad illam formam, ita agens voluntarium determinatur ad actionem per propositum voluntatis; unde si voluntas non sit impedibilis nec mobilis, non sequitur effectus nisi secundum hoc, quod voluntas proposuit. Et hoc est verum, quod voluntas divina in hoc quod semper est eadem, semper facit illud, quod ab æterno voluit, quia nunquam causatur; non tamen facit, ut sua volita semper sint, quia hoc ipsa non vult; unde si hoc faceret, quia faceret illud, quod ipsa non vult, esset simile, ac si calor faceret frigus. — 2. *Sent.* dist. 1, q. 1, a. 5, ad 9.

ARTICULUS II

UTRUM MUNDUM INCEPISSE SIT ARTICULUS FIDEI AN VERO SIT CONCLUSIO DEMONSTRATA, ITA UT MUNDUM SEMPER FUISSE SIT IMPOSSIBILE.

Videtur quod mundum incepisse sit conclusio demonstrata, ita ut impossibile sit mundum semper fuisse vel ab æterno fuisse productum.

1. Omne enim factum habet principium suæ durationis, ac proinde est posterius duratione sua causa efficiente; sed demonstrative probari potest, quod Deus sit causa effectiva mundi: ergo demonstrative probari potest, quod mundus incepit et quod ab æterno produci non potuit. — 2. *c. Gent.* c. 38, n. 1; 1a, q. 46, a. 2, arg. 1.

2. Præterea, cum totum ens sit a Deo creatum, non potest dici factum ex aliquo ente, et sic relinquitur, quod sit factum ex nihilo; sed quod est factum ex nihilo, habet esse post non esse, ac proinde esse incepit; dicit enim Joan. Damascenus (*de Fide orthod.* l. 1, c. 8; — Migne P P. Gr. 1.

94, col. 814) : « quod ex non ente ad esse deducitur, non est aptum natum esse coæternum ei, quod sine principio et semper est » : ergo mundus non semper fuit. — 2. *c. Gent.* c. 38, n. 2; 1a, q. 46, a. 2, arg. 2; *de Pot.* q. 3, a. 14, arg. 2 *Sed contra;* 2. *Sent.* dist. 1, q. 1, a. 5, arg. 2 *Sed contra.*

3. Præterea, manifeste apparet, artes aliquas et habitationes regionum ex determinatis temporibus incepisse; sed hoc non esset, si mundus semper fuisset : mundum igitur non semper fuisse manifestum est. — 1a, q. 46, a. 2, arg. 4.

4. Præterea, certum est, nihil Deo æquari posse; sed si mundus semper fuisset, æquipararetur Deo in duratione : ergo certum est, mundum non semper fuisse. — *Ibid.* arg. 5.

5. Præterea, si mundus semper fuit, infiniti dies præcesserunt diem istum et consequenter pertransierunt; sed infinita non est pertransire : ergo nunquam fuisset perventum ad hunc diem, quod est manifeste falsum. — 1a, q. 46, a. 2, arg. 6; 2. *c. Gent.* c. 38, n. 3.

6. Præterea, si mundus potuit esse ab æterno, sequitur quod infinito possit fieri additio; nam ad dies et circulationes præteritas, quæ essent infinitæ, quotidie de novo adderetur, quod tamen est falsum : ergo mundus non potuit esse æternus. — 2. *c. Gent.* l. c. n. 4; 2. *Sent.* dist. 1, q. 1, a. 5, arg. 4 *Sed contra.*

7. Præterea, si mundus fuit æternus, et generatio fuit ab æterno; ergo unus homo genitus esset ab alio, et ille ab alio in infinitum; sed pater est causa efficiens filii, ut dicitur 2. *Phys. text.* 29 (c. 3) : ergo in causis efficientibus esset procedere in infinitum, quod improbatur in 2. *Metaphys. text.* 5; l. 1 min., c. 2. — 1a, q. 46, a. 2, arg. 7; 2. *c. Gent.* c. 38, n. 5; 2. *Sent.* dist. 1, q. 1, a. 5, arg. 5 *Sed contra.*

8. Præterea, si mundus et generatio semper fuit, infiniti homines præcesserunt; sed anima hominis est immortalis : ergo infinitæ animæ humanæ nunc essent actu, quod est impossibile. — 1a, l. c. arg. 8; 2. *c. Gent.* l. c. n. 6; 2. *Sent.* dist. 1, q. 1, a. 5, arg. 6 *Sed contra; Opusc.* 27.

9. Præterea, nullus dubitat, quin Deus natura præcedat mundum; sed in Deo idem est natura et duratio sua : ergo duratione debet Deus præcedere mundum, et sic mundus non potuit esse ab æterno. — 2. *Sent.* l. c. arg. 9 *Sed contra.*

10. Præterea, de ratione æterni est non habere principium; sed de ratione creaturæ est habere principium : ergo creatura seu mundus non potest esse ab æterno. — *de Pot.* q. 3, a. 14, arg. 8 *Sed contra.*

Sed contra : 1. fidei articuli demonstrative probari non possunt, quia fides est de non apparentibus, ut dicitur *Hebr.* 11, 1; sed Deum esse creatorem mundi sic, quod mundus inceperit esse, est articulus fidei; dicimus enim : *Credo in unum Deum*, etc. — 1a, q. 46, a. 2, arg. *Sed contra.*

2. Præterea, si novitas mundi demonstrari potest, *vel* id est ex parte mundi, *vel* ex parte causæ agentis. *Primum* dici non potest, quia demonstrationis ex parte mundi sumptæ principium est *quod quid est;* unumquodque autem secundum rationem suæ speciei abstrahit ab *hic* et *nunc*, propter quod dicitur, quod universalia sunt ubique et semper; unde demonstrari non potest, quod homo aut cœlum aut lapis non semper fuit. Neque etiam *secundum* dici potest, quia causa efficiens mundi est voluntas Dei; hæc autem ratione investigari non potest nisi circa ea, quæ absolute necesse est Deum velle; talia autem non sunt, quæ circa creaturas vult, cum ad hæc non necessariam habitudinem dicat, quia non sunt proprium et principale objectum ipsius, ut sit de ratione divinæ voluntatis ut in illa tendat; potest autem voluntas divina homini manifestari per revelationem, cui fides innititur : ergo mundum incepisse est credibile, non autem demonstrabile vel scibile. — 1a, q. 46, a. 2, c. et q. 19, a. 3, c.

RESPONDEO DICENDUM, quod hac de re duæ sunt positiones philosophorum : *una* est dicentium, quod mundus incepit esse, postquam non fuerit, et quod Deus non po-

tuit mundum ab æterno facere ,non ex impotentia ejus, sed quia mundus ab æterno fieri non potuit, cum sit creatus; unde etiam dicunt, quod mundum incepisse non solum fide tenetur, sed etiam demonstrative probatur. *Altera* positio est dicentium, quod mundus ita incepit esse in tempore, ut ab æterno produci a Deo potuerit, et per consequens mundum incepisse non posse demonstrari, sed tantum per revelationem divinam esse habitum et fide creditum; quæ positio mihi placet. — *de Pot.* q. 3, a. 14, c. ; 2. *Sent.* dist. 1, q. 1, a. 5, c. ; 1a. q. 46, a. 2, c.

Ad cujus manifestationem sciendum, quod tota quæstio in hoc consistit, utrum esse creatum a Deo secundum totam substantiam, et non habere durationis principium repugnent ad invicem, vel non. Nam si repugnant, mundum incepisse erit demonstrabile et non tantum fide creditum; si vero non repugnat, erit tunc fide creditum, quod mundus inceperit, cum potuerit ab æterno esse, si Deus voluisset. — Quod ergo non repugnent illa duo, sic ostenditur. Si enim repugnant, hoc non est nisi propter alterum duorum, vel propter utrumque, nimirum *aut* quia oportet ut causa agens præcedat duratione effectum, *aut* quia oportet quod non esse effectus præcedat esse duratione ; sed neutrum impedire potest. — Quod enim necesse non sit ut causa agens, scilicet Deus, præcedat duratione suum causatum, si ipse voluisset, probatur *primo* sic : Nulla causa producens effectum suum subito, necessario præcedit effectum suum duratione; sed Deus est causa producens effectum suum non per motum, sed subito : ergo non est necessarium, quod præcedat effectum suum duratione. *Major* patet tum inductione in omnibus mutationibus subitis, sicut est illuminatio et hujusmodi; tum ratione sic : In quocumque instanti ponitur res esse, potest poni principium actionis ejus, ut patet in omnibus generabilibus, quia in illo instanti, in quo incipit ignis esse ignis, incipit esse calefactio; sed in operatione subita similiter, imo idem est principium et finis ejus, sicut in omnibus indivisibilibus; ergo in quocunque instanti ponitur agens producens effectum suum subito, potest poni terminus actionis ipsius; sed terminus actionis est simul cum ipso facto : ergo non repugnat intellectui, si ponatur causa producens effectum suum subito, non præcedere duratione causatum suum. Repugnaret autem in causis producentibus effectus suos per motum, quia oportet quod principium motus præcedat finem ejus; et quia homines consueti sunt considerare hujusmodi factiones, quæ sunt per motum, ideo non facile capiunt, quod causa agens duratione effectum suum non præcedat. — Nec potest huic rationi obviari, quia Deus est causa agens per voluntatem ; quia non est necessarium, quod voluntas duratione præcedat effectum suum, nec agens per voluntatem, nisi per hoc, quod agit ex deliberatione, quod absit ut in Deo ponamus. — *Opusc.* 27 ; *de Pot.* et 2. *Sent.* ll. supra cit. ; 1a, q. 46, a. 2, c. et ad 1, 2, 3.

Præterea, causa producens totam substantiam rei non minus potest in producendo totam substantiam, quam causa producens formam in productione formæ, imo multo magis, quia non producit educendo de potentia materiæ, sicut est in eo, qui producit formam ; sed aliquod agens, quod producit formam tantum, potest in hoc, ut forma ab eo producta sit, quandocunque ipsum est, ut patet in sole illuminante : ergo fortius Deus, qui producit totam substantiam rei, potest facere, ut causatum suum sit quandocunque ipse est. — *Præterea*, si aliqua sit causa, qua posita in aliquo instanti non possit poni effectus ejus ab ea procedens in eodem instanti, hoc non est nisi quia illi causæ deest aliquid de complemento; causa enim completa et causatum sunt simul; sed Deo nunquam deficit aliquid de complemento : ergo causatum ejus semper poni potest eo posito, et ita non est necessarium quod duratione præcedat. — Unde patet, quod non repugnat intellectui, quod causa agens non præcedat duratione effectum suum, quia in illis, quæ repugnant intellectui, Deus non potest facere, ut illud sit. — ll. cit.

Quod vero nec repugnet intellectui aliquod productum a Deo diversum, cujusmodi est mundus, semper fuisse propter hoc, quod necessarium sit *non esse* ejus *esse* duratione præcedere, propter hoc, quod dicitur ex nihilo factum esse, ostenditur *primum* per dictum Anselmi in *Monolog.* (c. 8 ; — Migne PP. L. t. 158, col. 156), ubi docet, creaturam dici posse factam ex nihilo, quamvis ab æterno facta esset, quia non est aliquid, unde sit facta, quomodo dicimus hominem contristatum sine causa, contristatum de nihilo. — *Præterea,* licet supponatur, quod ordo ad nihil in propositione importatus remaneat affirmatus, ut sit sensus : « mundus factus est ex nihilo, id est post nihil » ; adhuc sequitur rem posse fieri ex nihilo et ab æterno. Nam hæc dictio *post* ordinem importat absolute ; sed ordo multiplex est, scilicet durationis et naturæ. Si igitur ex communi et universali non sequitur proprium et particulare, non erit necessarium ut propter hoc, quod creatura esse post nihil dicitur, prius duratione fuerit nihil et postea fuerit aliquid ; sed sufficit, si prius natura sit nihil quam ens. Prius enim inest unicuique naturaliter, quod convenit sibi in se, quam quod solum ex alio habet ; esse autem non habet creatura nisi ab alio ; sibi autem relicta in se considerata nihil est ; unde prius naturaliter inest sibi nihil quam esse. Nec oportet quod propter hoc sit simul nihil et ens, quia duratione non præcessit ; non enim ponitur, si creatura semper fuit, ut in aliquo tempore nihil sit ; sed ponitur, quod natura ejus est talis, quod esset nihil, si sibi relinqueretur ; — ut si dicamus, aerem semper illuminatum fuisse a sole, oportebit dicere, quod est factus lucidus a sole ; et quia omne, quod fit, ex incontingenti fit, id est ex eo, quod non contingit simul esse cum eo, quod dicitur fieri, oportebit dicere, quod sit factus lucidus ex non lucido vel tenebroso : non ita, quod unquam fuerit non lucidus vel tenebrosus, sed quia esset talis, si sibi soli relinqueretur, ut expressius patet in stellis et orbibus, qui semper illuminantur a sole. — *Opusc.* 27 ; *de Pot.* q. 3, a. 14, ad 7 secundæ partis.

Demum si aliqua esset repugnantia, mirum est, quod S. Augustinus eam non vidit, quia hæc efficacissima via esset ad improbandam æternitatem mundi, quam ille multis rationibus improbat (*de Civ. Dei* l. 11 et 12 ; — Migne PP. L. t. 41, col. 315 sqq.) ; et hanc viam omnino prætermittit ; quin etiam videtur indicare, nullam esse repugnantiam intellectuum. Nam lib. 10 *de Civ. Dei* c. 31 (Migne l. c. col. 311) non improbat modum, quo platonici probant mundum æternum et tamen factum exemplo vestigii pedis æterni, quod esset factum, a pede et tamen ab æterno esset simul cum pede ; et ibid. l. 11, c. 4 (Migne l. c. col. 319) eos, qui ponunt mundum a Deo factum, sed ab æterno, dicit aliquid dicere, nec unquam hoc dictum arguit ullius repugnantiæ et impossibilitatis. Quin ex prædicto exemplo potest sumi hæc ratio ad idem probandum : si repugnat rei productæ, ut producta est, quod sit ab æterno, *vel* repugnat illi quatenus est ab alio, *vel* quatenus est diversum ab alio, a quo productum est ; *non primum*, quia in divinis Filius est ab alio, puta a Patre, et tamen est ab æterno ; *neque secundum,* quia si pes esset ab æterno, etiam vestigium pedis, quod est quid diversum a pede, esset ab æterno, ut fatetur S. Augustinus. — Ergo dicendum est, quod non repugnat mundum esse productum et tamen esse ab æterno. — *Opusc.* 27 ; 1a, q. 46, a. 2, ad 1.

Ad primum ergo dicendum, quod illud, quod est factum per motum, habet principium durationis et est posterius duratione suo agente ; nam effectus motus non est nisi in termino motus. Agens autem per motum necesse est quod sit etiam quando motus incipit ; secus vero si sit factum ab agente in instanti operante ; sicut similiter dum est sol in orientis puncto, illuminat nostrum hemisphærium. — *Ibid.* ; 2. *c. Gent.* c. 38, ad primam rationem.

Ad secundum dicendum, quod si mundus ab æterno crearetur, diceretur fieri ex nihilo, quia fieret ex non subjecto, vel post nihil, natura præcedens esse, non tempore, ut dictum est (in c.). — V. resp. ad II. cit. in arg.

Ad tertium dicendum, quod si poneretur mundus ab æterno, diceretur, quod aliqua regio infinities esset mutata de inhabitabili in habitabilem et e converso; et similiter quod artes propter diversas corruptiones et accidentia infinities fuerint inventæ et iterum corruptæ. Unde Philosophus dicit (1. *Meteorol.c.* 14), quod ridiculum est ex huiusmodi mutationibus opinionem accipere de novitate mundi totius. — 1a, q. 46, a. 2, ad 4.

Ad quartum dicendum, quod secundum Bœthium (*de Consol. Philosophiæ* l. 5, pros. 6; — Migne PP. L. t. 63, col. 859) etiam si mundus semper fuisset, non parificaretur Deo in æternitate seu non esset Deo coæternus; nam ejus duratio non esset tota simul, quod ad æternitatis rationem requiritur; est enim æternitas interminabilis vitæ tota simul et perfecta possessio, ut ibidem dicitur. — 1a, q. 46, a. 2, ad 5; *Opusc.* 27; *de Pot.* q. 3, a. 14, ad 1 secundæ part.

Ad quintum dicendum, quod transitus semper intelligitur a termino in terminum; quæcunque autem præterita dies signetur, ab illa usque ad istam sunt finiti dies, qui pertransiri poterunt; objectio autem procedit ac si positis extremis, puta a parte ante et a parte post, sint infinita media, quod tamen non est concedendum. Nam si mundus semper fuisset, quilibet dies præcedentium pertransiri potuit, quia finitus fuit; in omnibus autem simul non esset accipere primum et ita nec transitum, qui semper exigit duo extrema. — 1a, l. c. ad 6; 2. *c. Gent.* c. 38, ad 3.

Ad sextum dicendum, quod nihil prohibet infinito ex ea parte additionem fieri, qua est finitum; ex hoc autem, quod ponitur tempus æternum, sequitur quod sit infinitum ex parte ante, sed finitum ex parte post; nam præsens est terminus præteriti. — 2. *c. Gent.* c. 38, ad 4; 2. *Sent.* dist. 1, q. 1, a. 5, ad 4 secundæ part.

Ad septimum dicendum, quod in causis efficientibus impossibile est procedere in infinitum per se, puta si causæ, quæ per se et simul requiruntur ad aliquem effectum, multiplicarentur in infinitum, sicut si lapis moveretur a baculo, et baculus a manu, et hoc in infinitum; quia oportet effectum dependere ex actionibus infinitis simul existentibus; hujusmodi enim causæ sunt causæ per se infinitæ, quia earum infinitas ad causatum requiritur. In causis autem non simul agentibus et per accidens infinitis, non est impossibile procedere et multiplicari in infinitum; nam cum non teneant ordinem nisi unius causæ, eorum multiplicatio fit per accidens, et per accidens accidit illis infinitas. Unde sicut accidit huic martello, quod agat post actionem alterius martelli, quando artifex agit multis martellis per accidens, quia unus post alium frangitur; ita accidit huic homini, in quantum generat, quod sit generatus ab alio; generat enim in quantum homo, non in quantum filius alterius hominis. Omnes enim homines generantes habent gradum unum in causis efficientibus, scilicet gradum particularis generantis; unde non est impossibile, quod homo generetur ab homine in infinitum; esset autem impossibile, si generatio hujus hominis dependeret ab hoc homine, et a corpore elementi, et a sole, et sic in infinitum. — 2. *c. Gent.* c. 38, ad 5; 1 a, q. 46, a. 2, ad 7.

Ad octavum dicendum, quod hanc rationem ponentes æternitatem mundi multipliciter effugiunt; nam quidam non reputant impossibile esse infinitas animas actu, ut patet in *Metaphys.* Algazelis dicentis, hoc esse infinitum per accidens. Alii, ut dicit Augustinus (*de Hæres.* c. 46; — Migne P P. L. t. 42, col. 37), posuerunt propter hoc circuitum animarum, ut scilicet animæ separatæ a corporibus post determinata temporum curricula iterum redirent ad corpora. Nos vero dicimus, hanc rationem esse particularem; nam posset dicere aliquis, quod mundus fuit æternus vel saltem aliqua creatura, ut angelus, non autem homo, vel etiam homo, sed non plures; hic autem quærimus universaliter, an aliqua creatura fuerit vel potuerit esse ab æterno. — 1a, l. c. ad 8; 2. *c. Gent.* l. c. ad 6; *Opusc.* 27.

Ad nonum dicendum, quod duratio Dei,

quæ æternitas ejus est, et natura ipsius sunt una res et tamen distinguuntur ratione et modo significandi; quia natura significat quandam causalitatem, prout dicitur natura principium motus; duratio autem significat quandam permanentiam; et ideo, si accipiatur præeminentia naturæ divinæ et durationis ad creaturam, secundum quod utrumque est res quædam, invenietur eadem præeminentia; sicut enim natura divina præcedit creaturam dignitate et causalitate, ita et duratio divina eisdem modis creaturam præcedit. Non tamen oportet, si Deus præcedit mundum per modum naturæ, ut significatur cum dicitur: « naturaliter præcedit mundum », quod etiam mundum præcedat per modum durationis, ut significatur, cum dicitur: « Deus duratione præcedit mundum »; cum non sit idem modus significandi naturæ et durationis. — Et similiter solvuntur multæ aliæ similes objectiones. — 2. *Sent.* dist. 1, q. 1, a. 5, ad 9 secundæ part.

Ad decimum dicendum, quod de ratione æterni est non habere durationis principium, de ratione vero creationis est habere principium originis, non autem durationis, nisi accipiendo creationem ut accipit fides. — *de Pot.* q. 3, a. 14, ad 8 secundæ part.

QUÆSTIO XXVII

DE PRODUCTIONE MUNDI.

Deinde considerandum est de productione mundi.

CIRCA QUAM QUÆRUNTUR NOVEM:

1. Utrum creare sit ex nihilo facere.
2. Utrum creatio sit mutatio.
3. Utrum creatio sit aliquid realiter in creatura.
4. Utrum Deus possit aliquid creare.
5. Utrum solius Dei sit creare.
6. Utrum creari sit proprium compositorum et subsistentium.
7. Utrum necesse sit omne ens atque adeo mundum esse creatum a Deo.
8. Utrum materia prima sit creata a Deo.
9. Utrum mundus seu res omnes processerint a Deo per necessitatem naturæ an vero per arbitrium voluntatis.

ARTICULUS I

UTRUM CREARE SIT EX NIHILO FACERE.

Videtur quod creare non sit ex nihilo aliquid facere.

1. Dicit enim Augustinus (*contra Adversarium Legis* l. 1, c. 23, n. 48; — Migne P P. L. t. 42, col. 633): quod facere est quod omnino non erat; creare vero est ex eo, quod jam erat, educendo aliquid constituere. — 1a, q. 45, a. 1, arg. 1.

2. Præterea, nobilitas actionis et motus ex terminis consideratur; nobilior igitur est actio, quæ ex bono in bonum est et ex ente in ens, quam quæ ex nihilo in aliquid; sed creatio videtur esse nobilissima actio et prima inter omnes actiones: ergo non est ex nihilo in aliquid, sed magis ex ente in ens. — *Ibid.* arg. 2.

3. Præterea, hæc præpositio *ex* importat habitudinem alicujus causæ, et maxime materialis, sicut cum dicimus, quod statua fit ex ære; sed *nihil* non est materia entis nec aliquo modo causa entis: ergo creare non est ex nihilo aliquid facere. — *Ibid.* arg. 3.

Sed contra est: 1. Quod creare dicimus producere rem secundum totam substantiam; sed quod ita producitur, necessario debet ex nihilo produci: ergo creare est ex nihilo aliquid facere.

2. Præterea, super illud *Gen.* 1, 1: « In principio creavit Deus cœlum et terram » dicit Glossa Bedæ, quod creare est ex nihilo aliquid facere. — 1a, q. 45, a. 1 *Sed contra.*

Respondeo dicendum, quod non solum oportet considerare emanationem alicuius entis particularis ab aliquo particulari agente, sed etiam emanationem totius entis a causa universali, quæ est Deus; et hanc quidem emanationem designamus nomine creationis. Quod autem procedit secundum emanationem particularem, non præsupponitur emanationi; sicut si generatur homo, non fuit prius homo, sed homo fit ex non homine et album ex non albo. Unde si consideretur

emanatio totius entis universalis a primo principio, impossibile est quod aliquod ens præsupponatur huic emanationi. Idem autem est nihil, quod nullum ens. Sicut igitur generatio hominis est ex non ente, quod est non homo, ita creatio, quæ est emanatio totius esse, est ex non ente, quod est nihil. — 1a, q. 45, a. 1, c.

Ad primum ergo dicendum, quod Augustinus æquivoce utitur nomine creationis, secundum quod creari dicuntur ea, quæ in melius reformantur, ut cum dicitur aliquis creari in episcopum; sic autem non loquimur hic de creatione, sed sicut dictum est. — *Ibid.* ad 1.

Ad secundum dicendum, quod mutationes accipiunt speciem et dignitatem non a termino a quo, sed a termino ad quem. Tanto ergo perfectior et prior est aliqua mutatio, quanto terminus ad quem illius mutationis est nobilior et prior, licet terminus a quo, qui opponitur termino ad quem, sit imperfectior; sicut generatio simpliciter est nobilior et prior quam alteratio propter hoc, quod forma substantialis est nobilior quam forma accidentalis; tamen privatio formæ substantialis, quæ est terminus a quo in generatione, est imperfectior quam contrarium, quod est terminus a quo in alteratione. Et similiter creatio est perfectior et prior quam generatio et alteratio, quia terminus ad quem est tota substantia rei; id autem, quod intelligitur ut terminus a quo, est simpliciter non ens. — 1a, q. 45, a. 1, ad 2.

Ad tertium dicendum, quod cum dicitur aliquid ex nihilo fieri, hæc præpositio *ex* non designat causam materialem, sed ordinem tantum, sicut cum dicitur ex mane fit meridies, id est post mane fit meridies. Sed intelligendum est, quod hæc propositio *ex* potest includere negationem importatam in hoc, quod dico *nihil*, vel includi in ea. Si primo modo, tunc ordo remanet affirmatus, et ostenditur ordo ejus, quod est, ad non esse præcedens; si vero negatio includat præpositionem, tunc ordo negatur, et est sensus: fit ex nihilo, id est, non fit ex aliquo, sicut si dicatur: iste loquitur de nihilo, quia non loquitur de aliquo. Et utroque modo verificatur, cum dicitur ex nihilo aliquid fieri; sed primo modo hæc præpositio importat ordinem, ut dictum est. Secundo modo importat habitudinem causæ materialis, quæ negatur. — *Ibid.* ad 3.

ARTICULUS II

UTRUM CREATIO SIT MUTATIO.

Videtur quod creatio sit mutatio.

1. Ut enim dictum est, creare est aliquid ex nihilo facere; ergo creari est aliquid fieri; sed omne fieri est mutari: ergo creatio est mutatio. — 1a, q. 45, a. 2, arg. 2.

2. Præterea, mutatio secundum suum nomen designat hoc esse post hoc, ut patet 5. *Phys.* (*text.* 7; c. 1); sed per creationem fit esse post non esse: ergo creatio est mutatio. — *de Pot.* q. 3, a. 2, arg. 1.

3. Præterea, omne quod fit, fit aliquo modo ex non ente, quia quod est, non fit; sicut ergo se habet generatio, secundum quam fit res secundum partem substantiæ suæ, ad privationem formæ, quæ est non esse secundum quid, ita se habet creatio, per quam fit res secundum totam suam substantiam, ad non esse simpliciter; sed privatio proprie loquendo est terminus generationis: ergo et non esse simpliciter est terminus creationis, et sic sicut generatio est mutatio, ita creatio proprie loquendo erit mutatio. — *Ibid.* arg. 2.

4. Præterea, quod non similiter se habet nunc et prius, mutatur vel movetur; sed quod creatur, non similiter se habet nunc et prius, quia prius erat simpliciter non ens, et postea fit ens: ergo quod creatur, movetur vel mutatur. — *Ibid.* arg. 4.

5. Præterea, quanto est major distantia inter terminos, tanto major est mutatio; major enim est mutatio de albo in nigrum, quam de albo in pallidum; sed plus distat non ens simpliciter ab ente, quam contrarium a contrario vel non ens secundum quid ab ente: ergo cum transitus de contrario in contrarium, vel de non ente secundum quid in ens, sit mutatio, multo magis transitus de non ente simpliciter in ens,

quod est creatio, erit mutatio. — *de Pot.* q. 3, a. 2, arg. 3.

6. Præterea, quod creatur, exit de potentia in actum, quia ante creationem erat tantum in potentia facientis, postea autem est in actu; ergo quod creatur, movetur vel mutatur; ergo creatio est mutatio. — *Ibid.* arg. 5.

Sed contra: 1. Species motus vel mutationis sunt sex, secundum Philosophum (*Prædicam.*) c. 15; c. 14); nulla autem earum est creatio, ut patet per singula inducenti: ergo creatio non est motus neque mutatio. — *Ibid.* arg. *Sed contra.*

2. Præterea, motus omnis vel mutatio est actus existentis in potentia secundum quod hujusmodi; sed in creatione non præexistit aliquid in potentia, quod suscipiat actionem: ergo creatio non est motus neque mutatio. — 2. *c. Gent.* c. 17, n. 1.

3. Præterea, extrema motus cadunt in eundem ordinem, *vel* quia sunt sub uno genere, sicut contraria, ut patet in motu augmenti, alterationis et secundum locum lationis; *vel* quia communicant in una potentia materiæ, ut privatio et forma in generatione et corruptione. Neutrum autem potest dici in creatione; neque enim ibi est potentia neque aliquid ejusdem generis, quod præsupponatur creationi. Ergo non est ibi motus neque mutatio. — *Ibid.* n. 2.

Respondeo dicendum, quod in qualibet mutatione requiritur, quod sit aliquid idem commune utrique mutationis termino; si enim termini mutationis oppositi in nullo eodem convenirent, non posset vocari transitus de uno in alterum. Nomine enim mutationis et transitus designatur aliquid idem aliter se habere nunc et prius; et etiam ipsi mutationis termini non sunt incontingentes, quod requiritur ad hoc, ut sint mutationis termini, nisi in quantum referuntur ad idem. Nam duo contraria si referantur ad idem subjectum, contingit simul esse. Quandoque ergo contingit, quod utrique mutationis termino est unum subjectum commune actu existens; et tunc proprie est motus, sicut accidit in alteratione, augmento et decremento, et loci mutatione; nam in omnibus his motibus subjectum unum et idem existens actu de opposito in oppositum mutatur. Quandoque vero est idem commune subjectum utrique termino, non quidem ens actu, sed ens in potentia tantum, sicut accidit in generatione et corruptione simpliciter; formæ enim substantialis et privationis subjectum est materia prima, quæ non est ens actu; unde nec generatio nec corruptio proprie dicuntur motus, sed mutationes quædam. Quandoque vero non est aliquod subjectum commune, neque actu neque potentia existens, sed est idem tempus continuum, in cujus prima parte est unum oppositum et in secunda aliud; ut cum dicimus, hoc fieri ex hoc, id est post hoc, sicut ex mane fit meridies; sed hæc non proprie vocatur mutatio, sed per similitudinem, prout ipsum tempus imaginamur quasi subjectum eorum, quæ in tempore aguntur. In creatione autem non est aliquid commune aliquo prædictorum modorum. Neque enim est aliquod commune subjectum actu existens neque potentia. Tempus etiam non est idem, si loquamur de creatione universi; nam ante mundum tempus non erat. — *de Pot.* q. 3, a. 2, c.

Invenitur tamen dupliciter aliquod commune subjectum esse secundum imaginationem tantum et secundum nostrum modum intelligendi: *primo* quidem, quatenus imaginamur unum tempus commune, dum mundus non erat, et postquam mundus in esse productus est. Sicut enim extra universum non est aliqua realis magnitudo, possumus tamen eam imaginari; ita et ante principium mundi non fuit aliquod tempus, quamvis sit possibile ipsum imaginari; et quantum ad hoc creatio, secundum veritatem et proprie loquendo, non habet rationem mutationis, sed solum secundum imaginationem quandam, non proprie, sed similitudinarie. *Secundo* vero, quatenus in creatione, per quam producitur tota substantia rei, licet non possit accipi aliquid idem aliter se habens nunc et prius, per intellectum tamen id intelligitur prius non fuisse totaliter et postea esse; et hoc etiam modo creatio dicitur mutatio et nomine mutationis signifi-

catur. — *Ibid.*; 1a, q. 45, a. 2, ad 2; 2. *c. Gent.* c. 17 et 18.

Ad primum ergo dicendum, quod quia modus significandi sequitur modum intelligendi, creatio significatur per modum mutationis, et propter hoc dicitur, quod creare est ex nihilo facere aliquid; quamvis facere et fieri magis in hoc conveniant quam mutare et mutari, quia facere et fieri important habitudinem causæ ad effectum et effectus ad causam, sed mutationem ex consequenti. — 1a, l. c. ad 2.

Ad secundum dicendum, quod mutatio secundum suum nomen designat hoc esse post hoc circa aliquod idem; nam est de ratione mutationis, ut dictum est, quod aliquid idem se habeat aliter nunc et prius, sive illud sit idem ens actualiter se habens nunc et prius, ut est in motibus secundum quantitatem et qualitatem, sive sit idem ens in potentia tantum, ut est in mutatione secundum substantiam, quorum neutrum est in creatione, ut dictum est (in c.). — *de Pot.* q. 3, a. 2, ad 1; 1a, q. 45, a. 2, ad 2.

Ad tertium dicendum, quod in generatione, secundum quam fit aliquid secundum partem substantiæ suæ, est aliquid commune subjectum privationi et formæ, et non est in actu existens; et ideo sicut proprie ibi accipitur terminus, sic etiam et proprie ibi accipitur transitus; quod in creatione non est, ut dictum est (in c.). — *de Pot.* l. c. ad 2.

Ad quartum dicendum, quod id, quod non similiter se habet nunc et prius, mutatur supposita consistentia subjecti; alias non ens simpliciter mutaretur; quia non ens simpliciter, non similiter se habet nunc et prius neque dissimiliter, nisi secundum modum intelligendi tantum, ut dictum est; oportet autem ad hoc quod sit mutatio, quod sit realiter aliquid idem dissimiliter se habens nunc et prius, ut dictum est (in c. et ad 1 et 2). — *de Pot.* q. 3, a. 2, ad 4.

Ad quintum dicendum, quod ubi est major distantia terminorum, est major mutatio, supposita identitate subjecti. — *Ibid.* ad 3.

Ad sextum dicendum, quod potentia passiva est subjectum mutationis, non autem activa; et ideo quod exit de potentia passiva in actum, mutatur, non autem quod exit de potentia activa; et ideo non valet objectio. — *Ibid.* ad 5.

ARTICULUS III

UTRUM CREATIO SIT ALIQUID IN CREATURA; ET SI EST, QUID SIT.

Videtur quod creatio non sit aliquid reale in creatura.

1. Ut enim dicitur in lib. *de Causis* (propos. 10), omne quod recipitur in aliquo, est in eo per modum recipientis; sed actio Dei creantis recipitur simpliciter in non ente, quia Deus creando ex nihilo aliquid facit: ergo creatio nihil ponit reale in creatura. — *de Pot.* q. 3. a. 3, arg. 1.

2. Præterea, omne quod est in rerum natura, aut est creator aut creatura; sed creatio non est creator, quia sic esset ab æterno, nec etiam creatura, quia aliqua creatione crearetur, quæ etiam creatio aliqua creatione indigeret creari, et sic in infinitum, quod est impossibile, ut patet ex 5. *Phys.* (*text.* 10; c. 2), ubi dicitur, quod actionis non est actio in infinitum: ergo creatio non est aliquid reale in rerum natura. — *Ibid.* arg. 2; 1a, q. 45, a. 3, arg. 2; 2. *Sent.* dist. 1, q. 1, a. 2, arg. 5.

3. Præterea, sicut creatio passive accepta attribuitur creaturæ, ita creatio active accepta tribuitur creatori; sed creatio active accepta non est aliquid in creatore, quia si sic, sequeretur quod in Deo esset aliquid temporale: ergo creatio passive accepta non est aliquid in creatura. — 1a, q. 45, a. 3, arg. 1.

4. Præterea, omne quod est, vel est substantia vel accidens; sed creatio non est substantia, cum neque sit materia neque forma neque compositum, ut de facili patere potest. Nec etiam accidens; nam cum omne accidens sit in subjecto, res creata esset subjectum creationis, et sic idem esset subjectum creationis et terminus, quod

est impossibile, quia subjectum est prius accidente et conservat accidens; terminus autem est posterior actione et passione, cujus est terminus, et eo existente cessat actio et passio; creatio vero est naturaliter prior re creata: ergo creatio non est aliquid in rerum natura. — *Ibid.* arg. 3; *de Pot.* q. 3, a. 3, arg. 3; 2. *Sent.* dist. 1, q, 1, a. 2, arg. 4.

5. Præterea, sicut se habet generatio ad rem generatam, ita se habet creatio ad rem creatam; sed generationis subjectum non est res generata, sed magis terminus; subjectum vero ejus est materia prima, ut dicitur 1. *de Generat.* (*text.* 1; c. 1): ergo nec subjectum creationis est res creata. Nec potest dici, quod subjectum ejus sit materia aliqua; quia res creata non creatur ex aliqua materia. Ergo creatio non habet subjectum aliquod, et ita non est accidens. Constat autem, quod non est substantia: ergo non est aliquid in rerum natura. — *de Pot.* l. c. arg. 4.

6. Præterea, si creatio est aliquid in rerum natura, cum non sit mutatio, ut dictum est, maxime videtur esse relatio; nam cum actio et passio conveniant in substantia motus, et differant solum secundum habitudines diversas, ut dicitur 3. *Phys. text.* 20 et 21 (c. 3), oportet quod subtracto motu non remaneant nisi diversæ habitudines in creante et creato. Sed creatio non est relatio, cum in nulla specie relationis contineri possit; simpliciter enim non enti, ex quo est creatio, ens simpliciter neque supponitur neque æquatur. Ergo creatio non est aliquid in rerum natura. — *de Pot.* q. 3, a. 3, arg. 5; 1a, q. 45, a. 3, arg. 3.

7. Præterea, si creatio importat relationem entis creati ad Deum, a quo esse habet, cum ista relatio semper maneat in creatura, non solum quando incipit esse, sed quamdiu res est, continue aliquid crearetur; quod videtur absurdum; ergo creatio non est relatio, et sic idem quod prius. — *de Pot.* l. c. arg. 6.

8. Præterea, omnis relatio realiter in rebus existens acquiritur ex aliquo, quod est diversum ab ipsa relatione, sicut æqualitas a quantitate et similitudo a qualitate. Si ergo creatio sit aliqua relatio in creatura realiter existens, oportet quod differat ab eo, ex quo acquiritur relatio; hoc autem est quod per creationem accipitur: ergo sequitur quod ipsa creatio non sit per creationem accepta, et ita sequitur quod sit aliquid increatum, quod est impossibile. — l. c. arg. 7.

9. Præterea, omnis mutatio reducitur ad illud genus, ad quod terminatur, sicut alteratio ad qualitatem, et augmentum ad quantitatem; et ideo dicitur 3. *Phys.* (*text.* 5; c. 1), quod quot sunt species entis, tot sunt species motus; sed creatio terminatur ad substantiam, nec tamen potest dici, quod sit in genere substantiæ, ut supra dictum est: ergo non videtur quod sit aliquid secundum rem. — l. c. arg. 8.

Sed contra: majus est fieri aliquid secundum totam substantiam, quam secundum formam substantialem vel accidentalem; sed generatio simpliciter vel secundum quid, qua fit aliquid secundum formam substantialem vel accidentalem, est aliquid in generato: ergo multo magis creatio, qua fit aliquid secundum totam substantiam, est aliquid in creato. — 1a, q. 45, a. 3 *Sed contra.*

Respondeo dicendum, quod *quidam* dixerunt, creationem aliquid esse in rerum natura medium inter creatorem et creaturam; et quia medium neutrum extremorum est, ideo sequebatur quod creatio neque esset creator neque creatura. Sed hoc a magistris reputatum est erroneum, cum omnis res quocumque modo existens non habeat esse nisi a Deo, et sic est creatura. Et ideo *alii* dixerunt, quod ipsa creatio non ponit aliquid in creatura realiter. Sed hoc etiam videtur inconveniens. Nam in omnibus, quæ secundum respectum ad invicem referuntur, quorum unum ab altero dependet, et non e converso, in eo, quod ab altero dependet, relatio realiter invenitur, in altero vero secundum rationem tantum, sicut patet in scientia et scibili, ut dicit Philosophus (5. *Metaphys. text.* 20; l. 4, c. 15). Creatura autem secundum nomen refertur ad creatorem. Dependet autem creatura a cre-

atore et non e converso; unde oportet quod relatio, qua creatura ad creatorem refertur, sit realis; sed in Deo est relatio secundum rationem tantum. — *de Pot.* q. 3, a. 3, c.

Et ideo dicendum est, quod creatio potest sumi active et passive. Si sumatur *active*, sic designat Dei actionem, quæ est ejus essentia, cum relatione ad creaturam; quæ non est realis relatio, sed secundum rationem tantum. Deus enim non agit actione media inter ipsum et effectum, sed ejus actio, considerata ex parte Dei, una est et realiter eadem cum ejus potentia et essentia (ad distinctionem actionis creaturæ, quæ realiter differt ab ipsa), licet sit multiplex considerata ex parte effectus, ex parte cujus etiam dicitur, quod Deus intensius vel minus intense operatur. — *Ibid.*; *Tabula Aurea* voce «actio» n. 1, 3, 4, 7; *de Pot.* q. 1, a. 2, c. et q. 7, a. 1, ad 4.

Si autem accipiatur *passive*, creatio ponit aliquid in creato secundum relationem tantum, quia quod creatur, non fit per motum vel mutationem; quod enim fit per motum vel mutationem, fit ex aliquo præexistente, ut contingit in productionibus particularibus aliquorum entium, non autem in productione totius esse a causa universali omnium entium, quæ est Deus. Deus enim creando produxit res sine motu; subtracto autem motu ab actione et passione, nihil remanet nisi relatio, ut dictum est. Unde relinquitur, quod creatio in creatura non sit nisi relatio quædam ad creatorem ut ad principium sui esse, sicut in passione, quæ est cum motu, importatur relatio ad principium motus. — 1a, q. 45, a. 3, c.

Ad primum ergo dicendum, quod in creatione non ens non se habet sicut accipiens divinam actionem, sed id, quod creatum est. — *de Pot.* q. 3, a. 3, ad 1.

Ad secundum dicendum, quod creatio *active* accepta significat divinam actionem, quæ est ejus essentia, cum quadam relatione in ea intellecta ad creaturam, quæ est rationis, et sic est quid increatum; accepta vero *passive*, sicut dictum est, realiter relatio quædam est significata per modum mutationis, ratione novitatis vel inceptionis importatæ. — *Ibid.* ad 2; 1a, q. 45, a. 3, ad 1 et 2.

Quod præter dicta sic etiam patet. Nam in omni vera mutatione et motu invenitur duplex processus: *unus* ab uno termino motus in alium, sicut ab albedine in nigredinem; *alius* ab agente in patiens, sicut a faciente in factum. Sed hi processus non similiter se habent in ipso moveri et in termino motus. Nam in ipso moveri id, quop movetur, recedit ab uno termino motus et accedit ad alterum; quod non est in termino motus, ut patet in eo, quod movetur de albedine in nigredinem, quia in ipso termino motus jam non accedit ad nigredinem, sed incipit esse nigrum. Similiter dum est in ipso moveri patiens vel factum, transmutatur ab agente; cum autem est in termino motus, non ulterius transmutatur ab agente, sed consequitur factum quandam relationem ad agentem, prout habet esse ab ipso, et prout est ei simile quoquo modo; sicut in termino generationis humanæ consequitur natus filiationem. Creatio autem, sicut dictum est, non potest accipi ut moveri, quod est ante terminum motus, sed accipitur ut in facto esse; unde in ipsa creatione non importatur aliquis accessus ad esse, nec transmutatio a creante, sed solummodo inceptio essendi et relatio ad creatorem, a quo esse habet. Et sic creatio nihil aliud est realiter quam relatio realis ad Deum, cum novitate essendi, quæ relatio creatura quædam est, accepto communiter nomine creaturæ pro omni eo, quod est a Deo. — Neque oportet procedere in infinitum, quia creationis relatio non refertur ad Deum alia relatione reali, sed se ipsa; nihil enim quod est per essentiam relatio, seu nulla relatio realis, cum hoc ipso quod est, ad aliquid dicatur, refertur per aliquam relationem realem, sed per se ipsam, vel certe per relationem rationis, quam non est absurdum vel impossibile multiplicari in infinitum. — Si vero nomen creaturæ accipiamus magis stricte pro eo tantum, quod subsistit (quod proprie fit et creatur, sicut proprie habet esse), tunc relatio prædicta non

est quoddam creatum, sed concreatum, sicut nec est ens proprie loquendo, sed inhærens; et simile est de omnibus accidentibus. — *de Pot.* q. 3, a. 3, c. et ad 2; 2. *Sent.* dist. 1, q. 1, a. 2, ad 5.

Ad tertium dicendum, quod creatio active significata, ut dictum est (ad secundum), significat actionem divinam, quæ est ejus essentia, cum relatione rationis ad creaturam; nam relatio creaturæ ad Deum est relatio realis. — 1a, q. 45, a. 3, ad 1.

Ad quartum dicendum, quod illa relatio, quæ est creatio passiva, est accidens, et secundum suum esse considerata, prout inhæret subjecto, posterius est quam res creata, sicut accidens subjecto intellectu et natura posterius est; quamvis non sit tale accidens, quod causatur ex principiis subjecti. Si vero consideretur secundum suam rationem, prout ex actione agentis innascitur prædicta relatio, sic est quodammodo prior subjecto, sicut et ipsa divina actio, quæ est ejus causa proxima, quamque ipsa immediate sequitur. — *de Pot.* q. 3, a. 3, ad 3; 2. *Sent.* dist. 1, q. 1, a. 2, ad 4.

Vel dic, quod creationis, secundum quod significatur ut mutatio, creatura est terminus; sed secundum quod vere est relatio, creatura est ejus subjectum et prius ea in esse, sicut subjectum accidente; sed habet quandam rationem prioritatis ex parte objecti, ad quod dicitur, quod est principium creaturæ. — 1a, q. 45, a. 3, ad 3.

Ad quintum dicendum, quod in generatione et est mutatio et relatio, qua refertur genitum ad generans; ratione ergo mutationis non habet pro subjecto ipsum generatum, sed ejus materiam; sed ratione relationis habet subjectum ipsum generatum. In creatione vero est relatio, sed non mutatio proprie, ut dictum est (art. præced.), et ideo non est simile. — *de Pot.* q. 3, a. 3, ad 4.

Ad sextum dicendum, quod relatio prædicta non est intelligenda entis ad non ens, quia talis relatio non potest esse realis, ut Avicenna dicit (*Metaphys.* l. 3, c. 10), sed est entis creati ad creatorem; unde patet, quod est relatio suppositionis. — *Ibid.* ad 5.

Ad septimum dicendum, quod creatio passive accepta importat relationem et habitudinem creaturæ ad creatorem cum quadam novitate essendi seu inceptione; unde non oportet quod res, quandocumque est, creetur, licet semper referatur ad Deum. Quamvis non esset inconveniens dicere, quod sicut aer, quamdiu lucet, illuminatur a sole, ita creatura, quamdiu habet esse, fiat a Deo, ut etiam Augustinus dicit (*de Genes. ad Litt.* l. 8, c. 12; — Migne PP. L. t. 34, col. 383); sed in hoc non est diversitas nisi secundum nomen, prout nomen creationis potest accipi cum novitate vel sine novitate essendi. — *Ibid.* ad 6; 1a, q. 45, a. 3, ad 3.

Ad octavum dicendum, quod id, ex quo acquiritur relatio creationis, principaliter est res subsistens, a qua differt ipsa creationis relatio, quæ et ipsa creatura est, et non principaliter, sed quasi secundario, sicut quid concreatum. — *de Pot.* q. 3, a. 3, ad 7.

Ad nonum dicendum, quod motus reducitur ad genus sui termini, in quantum proceditur de potentia in actum; nam in ipso motu terminus motus est in potentia, et potentia et actus reducuntur ad idem genus. In creatione autem non est exitus de potentia in actum, et ideo non est simile. — l. c. ad 8.

ARTICULUS IV

UTRUM DEUS POSSIT ALIQUID CREARE.

Videtur quod Deus non possit aliquid creare: —

1. quia secundum Philosophum (1. *Phys. text.* 34; c. 4) antiqui philosophi acceperunt ut communem conceptionem animi, ex nihilo nihil fieri; sed potentia Dei non se extendit ad contraria primorum principiorum, utpote quod Deus faciat, quod totum non sit majus sua parte, vel quod affirmatio et negatio sint simul vera: ergo Deus non potest aliquid ex nihilo facere vel creare. — 1a, q. 45, a. 2, arg. 1; *de Pot.* q. 3, a. 1, arg. 1.

2. Præterea, quod factum est, necesse est

aliquando fieri; sed non potest dici, quod illud, quod creatur, simul fiat et factum sit, quia in permanentibus quod fit, non est; quod autem factum est, jam est; simul ergo aliquid esset et non esset; ergo si aliquid fit, fieri ejus præcedit factum esse; sed hoc non potest esse, nisi prius existat subjectum, in quo sustentetur ipsum fieri: ergo impossibile est aliquid fieri a Deo ex nihilo et consequenter creari. — 1a, l. c. arg. 3; *de Pot.* l. c. arg. 11; 2. *Sent.* dist. 1, q. 1, a. 2, arg. 3.

3. Præterea, infinitam distantiam non est pertransire; sed inter ens et nihil est infinita distantia, quod ex hoc patet, quia quanto potentia est minus disposita ad actum, tanto magis ab actu distat; unde si omnino potentia subtrahatur, erit infinita distantia: ergo impossibile est quod aliquid transeat de simpliciter non ente ad ens, et per consequens aliquid ex nihilo fieri. — 1a, l. c. arg. 4; *de Pot.* l. c. arg. 3.

4. Præterea, omne quod fit, possibile erat prius fieri, quia si non possibile erat fieri, erat necesse non fieri ab æquipollenti, et ita factum non esset; sed quidquid possibile est fieri vel moveri, est possibile per potentiam passivam, quæ cum non sit ens per se existens, oportet quod sit in aliquo ente quod est in potentia; sed nihil est ens in potentia ad aliquid, quin etiam ad aliquid sit in actu: ergo omne quod fit, fit ex aliquo ente in actu præexistente; sed nullum tale creatur, quia creare est ex nihilo aliquid facere, ut dictum est: ergo nihil a Deo creari potest. — 2. *Sent.* dist. 1, q. 1, a. 2, arg. 1.

5. Præterea, in rebus invenitur diversitas, prout una res est alia perfectior; hujus autem diversitatis causa non est ex parte Dei, qui est unus et simplex: ergo oportet hujus diversitatis causam assignare ex parte materiæ; ergo oportet ponere res factas ex materia et non ex nihilo. — *de Pot.* q. 3, a. 1, arg. 9.

6. Præterea, non potest esse idem perfectionis et imperfectionis principium; in rebus autem imperfectio invenitur, cum rerum quædam aliis potiores sint, quod contingere non potest nisi per internam imperfectionem; cum ergo perfectionis principium sit Deus, oportebit imperfectionem in aliud principium referre; sed non nisi in materiam: ergo oportet res ex aliqua materia esse factas et non ex nihilo. — l. c. arg. 14.

7. Præterea ei, quod fit, faciens dat esse; si ergo Deus facit aliquid ex nihilo, Deus alicui dat esse. Aut ergo est aliquid recipiens esse, aut nihil. Si nihil, ergo nihil constituitur in esse per illam actionem, et sic non fit aliquid. Si autem est aliquid recipiens esse, hoc erit aliud ab eo, quod est Deus, quia non est idem recipiens et receptum: ergo Deus facit ex aliquo præexistente, et ita non ex nihilo. — l. c. arg. 17.

Sed contra est: 1. quod unaquæque materia per formam superinductam contrahitur ad aliquam speciem; unde operari ex materia præjacente, superinducendo formam quocunque modo, est agentis ad aliquam determinatam speciem. Tale autem agens est agens particulare; causæ enim causatis proportionales sunt. Ergo agens requirens ex necessitate materiam præjacentem, ex qua operatur, est agens particulare; sed Deus est agens sicut causa universalis essendi: ergo ipse in sua actione materiam præjacentem non requirit, et sic poterit creare. — 2. *c. Gent.* c. 16, n. 2.

2. Præterea, quanto aliquis effectus est universalior, tanto habet propriam causam altiorem, quia quanto causa est altior, tanto ad plura virtus ejus extenditur. Esse autem est universalius quam moveri; sunt enim quædam entium immobilia, ut etiam philosophi tradunt, ut lapides et hujusmodi. Oportet ergo quod supra causam quæ non agit nisi movendo et transmutando, sit illa causa quæ est primum essendi principium, puta Deus; ergo Deus non agit tantum movendo et transmutando; sed omne quod non potest producere res in esse nisi ex materia præjacente, agit solum movendo et transmutando: ergo cum Deus non tantum agat movendo, poterit producere res sine materia præjacente et sic creare. — l. c. n. 3.

3. Præterea, agere tantum per motum et mutationem non competit universali causæ ejus, quod est esse; non enim per motum et mutationem fit ens ex non ente simpliciter, sed ens *hoc* ex non ente *hoc*; sed Deus est universale essendi principium: ergo non ei competit tantum agere per motum et mutationem; ergo neque etiam illi competet indigere præjacenti materia ad aliquid agendum; unde poterit creare. — l. c. n. 4.

4. Præterea, quicunque facit aliquid ex aliquo, illud, ex quo facit, præsupponitur ejus actioni et non producitur per ipsam actionem; sicut artifex operatur ex ligno et ære, quæ per artis actionem non causantur, sed per actionem naturæ; quin et ipsa natura causat res naturales quantum ad formam, sed præsupponit materiam. Si ergo Deus non ageret nisi ex aliquo præsupposito, sequeretur quod illud præsuppositum non esset causatum ab ipso; sed nihil potest esse in entibus, quod non sit a Deo, qui est causa universalis totius esse: ergo necesse est dicere, quod Deus potest aliquid ex nihilo facere atque adeo creare. — 1a, q. 45, a. 2, c.

Respondeo dicendum, quod Deum posse aliquid creare non solum fides docet, juxta illud *Gen.* 1, 1: *In principio creavit Deus cœlum et terram,* sed etiam ratio demonstrat. — Ad cujus evidentiam sciendum est, quod omne agens agit secundum quod est actu; unde oportet quod per illum modum actio alicui agenti attribuatur, quo convenit ei esse in actu. Res autem particularis est particulariter in actu, et hoc dupliciter: *primo* ex comparatione sui, quia non tota sua substantia est actus, cum hujusmodi res sint compositæ ex materia et forma; et inde est quod res naturalis non agit secundum se totam, sed agit per formam suam, per quam est in actu. *Secundo* in comparatione ad ea, quæ sunt in actu; nam in nulla re naturali includuntur actus et perfectiones omnium eorum, quæ sunt in actu; sed quælibet illarum habet actum determinatum ad unum genus et ad unam speciem. Et inde est quod nulla earum est activa entis, secundum quod est ens, sed *hujus* entis, secundum quod est *hoc* ens determinatum in hac vel illa specie; nam agens agit sibi simile. Et ideo agens naturale non producit simpliciter ens, sed ens præexistens et determinatum ad hoc vel ad illud, puta ad speciem ignis vel ad albedinem vel ad aliquid hujusmodi; et propter hoc agens naturale agit movendo, et ideo requirit materiam, quæ sit subjectum mutationis vel motus; et propter hoc non potest aliquid ex nihilo facere. Deus autem e contrario est totaliter actus: *et* in comparatione sui, quia est actus purus non habens potentiam permixtam, *et* in comparatione rerum, quæ sunt in actu, quia in eo est omnium entium origo; unde per suam actionem producit totum ens subsistens, nullo præsupposito, utpote quia est totius esse principium, et secundum se totum. Et propter hoc ex nihilo aliquid facere potest, et hæc ejus actio vocatur creatio. Et inde est quod in lib. *de Causis* (propos. 18) dicitur, quod esse entis est per creationem, vivere vero et cetera hujusmodi per informationem. Causalitates enim entis absolute reducuntur in primam causam universalem; causalitas vero aliorum, quæ ad esse superadduntur, vel quibus esse specificatur, pertinet ad causas secundas, quæ agunt per informationem, quasi supposito effectu causæ universalis. Et inde etiam est quod nulla res dat esse, nisi in quantum est in ea participatio divinæ virtutis; propter quod etiam dicitur in lib. *de Causis* (propos. 3), quod anima nobilis habet operationem divinam, in quantum dat esse. — *de Pot.* q. 3, a. 1, c.

Ad primum ergo dicendum, quod antiqui philosophi non consideraverunt nisi emanationem effectuum particularium a causis particularibus, quas necesse est præsupponere aliquid in sua actione; nam cum agant per motum, oportet esse aliquod subjectum mutationis vel motus, et secundum hoc erat eorum communis opinio, ex nihilo nihil fieri; sed tamen hoc locum non habet in prima emanatione ab universali rerum principio et in agente supernaturali. — 1a,

q. 45, a. 2, ad 1; *de Pot.* q. 3, a. 1, ad 1.

Ad secundum dicendum, quod in his, quæ fiunt cum motu, prius est fieri quam factum esse; in his vero, quæ fiunt sine motu, simul est fieri et factum esse, sive talis factio sit terminus motus, sicut illuminatio (nam simul aliquid illuminatur et illuminatum est), sive non sit terminus motus, sicut simul formatur verbum in corde et formatum est. Et in his quod fit, est, cum dicitur fieri, sed significatur ab alio esse et prius non fuisse. Unde cum creatio sit sine motu, simul aliquid creatur et creatum est. — 1a, l. c. ad 3; 2. *Sent.* dist. 1, q. 1, a. 2, ad 3; *de Pot.* l. c. ad 11.

Vel dic, quod id, quod fit ex nihilo, dicitur fieri, quando factum est non secundum motum, qui est ab uno termino in alterum, sed secundum effluxum ab agente in factum; hæc enim duo in generatione naturali inveniuntur, scilicet transitus de uno termino in alterum, sed secundum effluxum ab agente in factum. — *de Pot.* l. c. ad 11.

Ad tertium dicendum, quod objectio illa procedit ex falsa imaginatione, ac si sit aliquod infinitum medium inter nihilum et ens, quod patet esse falsum; procedit autem hæc falsa imaginatio ex eo, quod creatio significatur ut quædam mutatio inter duos terminos. — 1a, q. 45, a. 2, ad 4.

Ad quartum dicendum, quod secundum Avicennam (*Metaphys.* l. 6, c. 1) duplex est agens: quoddam *naturale,* quod est agens per motum, et quoddam *divinum,* quod est dans esse, ut dictum est. Et similiter oportet accipere duplex actum vel factum: *quoddam* per motum agentis naturalis; et omne tale fieri oportet quod præcedat tempore potentia non tantum activa, sed etiam passiva, quia motus est actus existentis in potentia. *Quoddam* vero est factum, in quantum recipit esse ab agente divino sine motu; et si istud factum sit novum, oportet quod præcedat esse ejus natura et duratione potentia activa et non passiva; et ab activa potentia tale factum dicitur possibile fieri; si autem non sit novum, tunc potentia activa non præcedit duratione, sed natura. — 2. *Sent.* dist. 1, q. 1, a. 2, ad 1.

Ad quintum dicendum, quod Deus non producit res ex necessitate naturæ, sed ex ordine suæ sapientiæ; et ideo diversitas rerum non oportet quod sit ex materia, sed ex ordine divinæ sapientiæ, quæ ad complementum universi diversas naturas instituit. — *de Pot.* q. 3, a. 1, ad 9.

Ad sextum dicendum, quod non oportet, si duarum creaturarum est aliqua dignior, quod minus digna habeat aliquam imperfectionem; nam imperfectio designat carentiam alicujus, quod natum est haberi vel debet haberi; unde et in gloria quamvis unus sanctorum alium excedat, nullus tamen imperfectus erit. Si tamen aliqua imperfectio in creaturis sit, non oportet quod sit ex Deo neque ex materia, sed in quantum creatum est ex nihilo. — l. c. ad 14.

Ad septimum dicendum, quod Deus simul dans esse producit id, quod esse recipit, et sic non oportet quod agat ex aliquo præexistente. — l. c. ad 17.

ARTICULUS V

UTRUM SOLIUS DEI SIT CREARE.

Videtur quod non solius Dei sit creare: —

1. quia secundum Philosophum (2. *de Anima text.* 34; c. 4) perfectum est, quod potest sibi simile facere; sed creaturæ immateriales sunt perfectiores creaturis materialibus, quæ faciunt sibi similia; ignis enim generat ignem et homo hominem: ergo substantia immaterialis potest facere substantiam sibi similem; sed substantia immaterialis non potest fieri nisi per creationem, cum non habeat materiam, ex qua fiat: ergo aliqua creatura potest creare. — 1a, q. 45, a. 5, arg. 1.

2. Præterea, quanto major est resistentia ex parte facti, tanto major virtus requiritur in faciente; sed plus resistit contrarium quam nihil: ergo majoris virtutis est aliquid facere ex contrario, quod tamen creatura facit, quam aliquid facere ex nihilo; multo magis igitur creatura hoc facere potest. — l. c. arg. 2.

3. Præterea, virtus facientis consideratur secundum mensuram ejus quod fit; sed ens creatum est finitum, ut supra probatum est: ergo ad producendum per creationem aliquid non requiritur nisi virtus finita; sed habere virtutem finitam non est contra rationem creaturæ: ergo non est impossibile creaturam creare. — l. c. arg. 3.

4. Præterea, in causatum causæ secundæ nunquam agit causa prima, nisi secundum quod agit in ipsa causa secunda agente; sed Deus, qui est causa prima omnium rerum, cujuslibet rei creator est: ergo et quælibet causa secunda, in qua Deus operando creat, creatrix dici debet, et sic creare non tantum conveniet Deo. — 2. *Sent.* dist. 1, q. 1, a. 3, arg. 5.

5. Præterea, plus Deus potest facere, quam homo possit intelligere, quia non est impossibile apud Deum omne verbum, ut dicitur *Luc.* 1, 37; sed quidam philosophi posuerunt in aliquibus creaturis potentiam creandi, sicut Avicenna, qui dicit, quod intelligentia prima producit secundam et sic deinceps: ergo posset Deus hoc creaturæ communicare. — 4. *Sent.* dist. 5, q. 1, a. 3, quæstiunc. 3, arg. 1.

6. Præterea, nihil potentiæ divinæ absolute acceptæ subtrahendum est, quod in se contradictionem non implicat vel defectum; sed quod aliqua creatura possit creare, nullam contradictionem implicat, ut videtur, neque in aliquem defectum sonat, imo magis in perfectionem divinam: ergo. — l. c. arg. 2.

7. Præterea, cum formæ substantiales non generentur, eo quod solum compositum generatur, ut probat Philosphus (7. *Metaphys.text.* 26; l. 6, c. 8), non possunt deduci in esse nisi per creationem; sed natura creata disponit materiam ad formam: ergo ministerio aliquid operatur ad creationem, et sic communicari a Deo potest creaturæ, quod possit creare saltem instrumentaliter et ministerialiter. — *de Pot.* q. 3, a. 4, arg. 7.

8. Præterea, Sacramenta sunt physica causa instrumentalis gratiæ; sed gratia creatur, cum a solo Deo produci possit, et ex quo est qualitas supernaturalis, excedat virtutem causæ naturalis: ergo saltem instrumentaliter potest creatura aliquid creare. — 3a, q. 62, a. 1 et 4.

Sed contra: 1. Nihil agit, nisi secundum quod est actu; sed creaturæ communicari non potest, quod sit actus purus: ergo non potest illi communicari, quod agat se tota; ergo neque quod agat totum, quod est in re, quod est creare. — 4. *Sent.* dist. 5, q. 1, a. 3, quæstiunc. 3, arg. 7, al. arg. 3 *Sed contra.*

2. Præterea, si creatura potest aliquid creare, vel illud facit virtute propria vel virtute Dei ut ejus instrumentum; sed neutrum dici potest. Non *primum,* quia productio universalissimi effectus debet tribui universalissimæ causæ; sed universalissimus effectus est ipsum esse absolute, non hoc vel illud, et universalissima causa est Deus: ergo productio ipsius esse absolute, quæ est creatio, est solius Dei. Neque *secundum,* quia causa secunda instrumentalis non participat actionem causæ primæ superioris, nisi in quantum per aliquid sibi proprium dispositive operatur ad effectum principalis agentis; quia alioqui, si nihil ageret secundum sibi proprium, frustra adhiberetur ad agendum, et non oporteret esse determinata instrumenta determinatarum actionum; et patet inductione, quia securis scindendo lignum, quod habet ex proprietate suæ formæ, producit scamni formam, quæ est effectus proprius principalis agentis. Sed nullum agens secundum potest aliquid dispositive operari ad effectum Dei creantis, quia esse absolute, quod est proprius effectus creantis, omnibus aliis præsupponitur, et quia creatio cum non sit ex aliquo, excludit omne disponibile: ergo nulla creatura potest esse causa instrumentalis ad creandum. — 1a, q. 45, a. 5, c.

Respondeo dicendum, quod cum de ratione creationis sit, ut non præexistat aliquid sibi, ad minus secundum naturæ ordinem, hoc potest dupliciter contingere: *uno modo* ita, quod excludatur omne præexistens tum ex parte agentis tum ex parte facti, ut scilicet creatio dicatur, quando

nec agens agit virtute alicujus prioris agentis, quia nimirum ejus actio non firmatur super actione alicujus causæ præcedentis; nec factum est ex aliqua præexistente materia, quomodo creatio proprie sumitur; et hoc modo nulli creaturæ potest communicari quod possit creare, quia talis creatio est actio tantum causæ primæ. Unde sicut non potest communicari alicui creaturæ quod sit causa prima, ita non potest illi communicari quod sit creans. Et similiter potentia sic creandi spectat ad potentiam auctoritatis in creando, quæ solius Dei est propria. — *Alio modo,* quod excludat præexistens ex parte facti, sed non ex parte agentis, ut scilicet dicatur creatio minus proprie, quando aliquod agens virtute prioris agentis atque adeo ut ejus instrumentum, vel ex non præsupposita materia aliquem effectum vel certe aliquid producere, cui non præexistit aliquid in re, quod est esse. Ut enim dictum est ex lib. *de Causis* (propos. 4), prima rerum creatarum est esse, et ibidem (propos. 18) dicitur, quod esse est per creationem, et aliæ perfectiones superadditæ sunt per informationem, et in compositis præcipue illud esse, quod est primæ partis, scilicet materiæ. Et hoc modo accipiendo creationem neque etiam potest communicari creaturæ posse instrumentaliter creare, si instrumentum proprie sumatur, cujusmodi communiter est instrumentum naturale et artificiale, quæ habent actionem præviam ad effectum principalis agentis, et supposito modo operandi Dei secundum suavem providentiam accommodantem se modo agendi causæ naturalis. Potest autem instrumentaliter creare aliquem effectum vel aliquod esse simplex vel materiam, si sumatur instrumentum absolute et simpliciter, et si consideretur absoluta potentia Dei. — 2. *Sent.* dist. 1, q. 1, a. 3, c.; 1a, q. 45, a. 5, c.

Ad cujus manifestationem sciendum, quod dupliciter sumi potest instrumentum: *uno modo* proprie, cujusmodi communiter est instrumentum naturale et artificiale, quæ communiter secundum propriam actionem præviam ad effectum principalis agentis habent aliquam similitudinem et proportionem naturalem cum illo, propter quam Deus hoc potius instrumentum assumit quam aliud. Cum enim Deus secundum suavem suam providentiam accommodet se modo agendi causæ naturalis, regulariter assumit instrumenta, quæ habent talem actionem præviam, ut videre est in Sacramentis. Utitur enim in Baptismo ablutione aquæ ad gratiam producendam, quia habet similitudinem cum effectu gratiæ Baptismi; et sic de aliis Sacramentis, quorum modus concurrendi ad producendam gratiam optime explicatur ex similitudine instrumenti naturalis et artificialis. Unde Augustinus dicit, quod aqua Baptismi corpus tangit et cor abluit; et alibi ex ejus doctrina colligitur, quod si Sacramenta non haberent secundum proprias actiones naturales proportionem naturalem cum effectu gratiæ, non essent Sacramenta. Et si hoc modo accipiatur instrumentum, non potest creatura etiam instrumentaliter creare ad modum instrumenti naturalis et artificialis, et supposito modo operandi Dei secundum suavem providentiam accomodantem se communi modo agendi naturali; hæc enim instrumenta, cum inclinent ad determinatos et particulares effectus, non frustra adhibentur ad effectus producendos; et cum habeant proprias actiones, exigunt aliquod subjectum præexistens, in quod illas exerceant, quod in creatione non requiritur. — 3a, q. 62, a. 1, c. et ad 2 et q. 60, a. 1; 4. *Sent.* dist. 1, q. 1, a. 4, sol. 1; 1a, q. 45, a. 5, c.

Alio modo potest accipi instrumentum minus proprie pro omni eo, quo Deus uti potest secundum potentiam obedientialem, quæ illi inest vel ad aliquid recipiendum vel ad aliquid agendum. Sicut enim nulla creatura potest agere ea, quæ sunt supra naturam, quasi principale agens, ita potest agere ut agens instrumentale a virtute increata motum; quia sicut creaturæ inest obedientiæ potentia, ut ea fiat quidquid creator disposuerit, ita etiam ut ea mediante fiat, quod est ratio instrumenti; quo modo verba consecrationis ut instrumenta

Dei convertunt substantiam panis in Corpus Christi. Similiter dæmones ut instrumenta Dei potuissent convertere uxorem Loth in statuam salis, et omnes spiritus angelici boni seu creatura spiritualis potest non solum precibus impetrando vel applicando activa passivis, atque adeo sua naturali virtute materiam disponendo, sed etiam instrumentaliter et potestative coagendo mirabiles effectus producere ac miracula facere, ut docet S. Gregorius (*Dialog.* l. 2, c. 30; — Migne PP. L. t. 66, col. 188). Quod mirum non est; nam si corporali creatura utitur instrumentaliter Deus ad spirituum justificationem, ut in Sacramentis patet, similiter poterit uti spirituali creatura instrumentaliter ad faciendum mirabiles effectus in natura corporali. — 4. *Sent.* dist. 8, q. 2, a. 3, ad 4 et in c.; 3a, q. 78, a. 4; *de Malo* q. 16, a. 9, ad 3; *de Pot.* q. 6, a. 4, c.

Quamquam si sumatur etiam instrumentum naturale absolute et simpliciter, non necessario requirit actionem propriam præviam effectui principalis agentis, licet, ut dictum est, communiter illam habeat: quia phantasma est instrumentum naturale animæ et intellectus agentis in productione speciei intelligibilis, et tamen non habet actionem præviam ad talem productionem; et potentia generativa est instrumentum animæ ad productionem formæ viventis, et tamen non habet actionem ullam præviam ad illam, ut manifeste patet. Unde simpliciter et absolute, sicut solius Dei proprium est auctoritative creare, ita simpliciter et absolute dici potest, quod creaturæ communicari potest, quod instrumentaliter creet. Solvenda tamen sunt argumenta utriusque partis; nam priora videntur probare, non esse solius Dei autoritative atque adeo proprie creare; posteriora vero, non posse creaturam quomodocunque creare, etiam instrumentaliter. — *Opusc.* c. 43, 6; *Quodl.* 8, a. 3; *de Verit.* q. 10, a. 6, ad 1, 7 et 8.

Ad primum ergo dicendum, quod aliquod perfectum participans aliquam naturam facit sibi simile, non quidem producendo absolute illam naturam, sed applicando eam ad aliquid. Non enim hic homo potest esse causa naturæ humanæ absolute, quia sic esset causa sui ipsius; sed est causa, quod natura humana sit in hoc homine generato; et sic præsupponit in sua actione determinatam materiam, per quam est hic homo. Sed sicut hic homo participat humanam naturam, ita quodcunque ens creatum participat, ut ita dixerim, naturam essendi, quia solus Deus est suum esse, ut dictum est. Nullum igitur ens creatum potest producere aliquod ens absolute, nisi in quantum esse causat in hoc; et sic oportet quod præintelligatur id, per quod aliquid est hoc, actioni, qua fecit sibi simile. In substantia autem immateriali non potest præintelligi aliquid, per quod sit *hæc,* quia est hæc per suam formam, per quam habet esse, cum sit forma subsistens. Igitur substantia immaterialis non potest producere aliam substantiam immaterialem sibi similem, quantum ad esse ejus, sed quantum ad perfectionem aliquam superadditam, sicut si dicamus, quod superior angelus illuminat inferiorem, ut Dionysius (*de Cœl. Hierarchia* c. 4, § 3 et c. 10, § 2; — Migne PP. Gr. t. 3, col. 182 et 274) dicit; secundum quem modum etiam in cœlestibus est paternitas, ut ex verbis Apostoli patet (*ad Ephes.* 3, 15): « Ex quo omnis paternitas in cœlo et in terra nominatur ». Et ex hoc etiam evidenter apparet, quod nullum creatum potest causare aliquid nisi præsupposito aliquo; quod repugnat rationi creationis. — 1a, q. 45, a. 5, ad 1.

Ad secundum dicendum, quod ex contrariis fit aliquid per accidens, ut dicitur 1. *Phys.* (*text.* 43; c. 5); per se autem fit aliquid ex subjecto, quod est in potentia. Contrarium igitur resistit agenti, in quantum impedit potentiam ab actu, in quem agens intendit reducere materiam; sicut ignis intendit reducere aquam in actum sibi similem, sed impeditur per formam et dispositiones contrarias, quibus quasi ligatur potentia, ne reducatur in actum; et quanto magis fuerit potentia ligata, tanto requiritur major virtus in agente ad reducendam ma-

teriam in actum. Unde multo major potentia requiritur in agente, si nulla potentia præexistat. Sic ergo patet, quod multo majoris virtutis est facere aliquid ex nihilo quam ex contrario. — 1a, q. 45, a. 5, ad 2.

Ad tertium dicendum, quod virtus facientis non solum consideratur ex substantia facti, sed etiam ex modo faciendi; major enim calor non solum magis, sed etiam citius calefacit. Quamvis igitur creare aliquem effectum finitum non demonstret potentiam infinitam, tamen creare ipsum ex nihilo demonstrat potentiam infinitam, quod ex prædictis patet. Si enim tanto major virtus requiritur in agente, quanto potentia est magis remota ab actu, oportet quod virtus agentis ex nulla præsupposita potentia, quale agens est creans, sit infinita, quia nulla proportio est nullius potentiæ ad aliquam potentiam, quam præsupponit virtus agentis naturalis, sicut non entis ad ens; et quia nulla creatura habet simpliciter potentiam infinitam, sicut neque esse infinitum, relinquitur quod nulla creatura possit per propriam virtutem creare. — 1a, q. 45, a. 5, ad 3.

Ad quartum dicendum, quod agens proximum, ut generans, non operatur in hac re generata, nisi educendo de potentia materiæ formam; sed operatio causæ primæ est etiam in creando ipsam materiam; et ideo agens naturale proximum est tantum generans hanc rem, sed agens divinum est creans. Et ex hoc patet, quod sicut operatio artis fundatur super operationem naturæ, in quantum natura præparat arti materiam, ita et operatio naturæ fundatur supra creationem, in quantum ministrat naturæ materiam. — 2. *Sent.* dist. 1, q. 1, a. 3, ad 5.

Ad quintum dicendum, quod illi philosophi, qui hoc posuerunt, non intellexerunt plene rationem creationis, et quomodo requirit potentiam infinitam agentem; et ideo non intellexerunt incompossibilitatem suæ positionis. — 4. *Sent.* dist. 5, q. 1, a. 3, sol. 3, ad 1.

Ad sextum dicendum, quod hoc etiam implicat contradictionem, in quantum ponitur creaturam habere essentiam infinitam, et per consequens non esse creaturam; et sonat in defectum divinæ majestatis, cui ponitur aliquid in essentiæ infinitate posse æquari. Non enim oportet ut, quod est perfectionis apud nos, scilicet posse facere aliquid æquale sibi, sit perfectionis apud Deum, ut scilicet possit facere aliquid æquale sibi. — 4. *Sent.* l. c. ad 2.

Ad septimum dicendum, quod forma potest considerari dupliciter: *uno modo*, secundum quod est in potentia, et sic a Deo materiæ concreatur, nulla disponentis naturæ actione interveniente; *alio modo*, secundum quod est in actu, et sic non creatur, sed de potentia materiæ educitur per agens naturale. Unde non oportet quod natura aliquid agat dispositive ad hoc quod aliquid creetur. Quia tamen aliqua forma naturalis est, quæ per creationem in esse producitur, scilicet anima rationalis, cujus materiam natura disponit; ideo sciendum est, quod quia creationis opus materiam tollit, dupliciter aliquid creari dicitur. Nam *quædam* creantur nulla materia præsupposita, nec ex qua nec in qua, sicut angeli et corpora cœlestia; et ad horum creationem natura nihil operari potest dispositive. *Quædam* vero creantur, etsi non ex præsupposita materia ex qua sint, præsupposita tamen materia in qua sint, ut animæ humanæ. Ex parte ergo illa, qua habent materiam in qua, natura potest dispositive operari; non tamen quod ex ipsa ad substantiam creati naturæ actio se extendat. — *de Pot.* q. 3, a. 4, ad 7.

Ad octavum dicendum, quod gratia non creatur, sed educitur de potentia obedientiali animæ rationalis a Deo. — *de Virt. in com.* a. 10, ad 13; *de Verit.* q. 27, a. 3, ad 8, 9, 10; *de Pot.* q. 3, a. 8, ad 3; 1a 2æ, q. 110, a. 2.

Ad primum secundæ partis dicendum, quod creatura non potest virtute propria pertransire distantiam, quæ est inter ens et non ens, ut dictum est (in c.).

Ad secundum dicendum, quod quamvis nulla creatura sit, in qua non sit aliquid de potentia, ad minus secundum quod ejus

natura se habet ad esse, quod recipit a Deo, sicut potentia ad actum; tamen aliqua creatura est, in qua nihil de potentia remanet, quæ non sit completa per actum, sicut est angelus; et ideo talis creatura se tota potest agere, quamvis primum principium suæ actionis sit aliquid aliud ab ipsa, scilicet Deus, qui est primum agens. — 4. *Sent. dist.* 5, q. 1, a. 3. sol. 3, ad 7.

ARTICULUS VI

UTRUM CREARI SIT PROPRIUM COMPOSITORUM ET SUBSISTENTIUM.

Videtur quod creari non sit proprium compositorum et subsistentium.

1. Dicitur enim in lib. *de Causis* (propos. 4), quod prima rerum creatarum est esse; sed esse rei creatæ non est subsistens: ergo creatio proprie non est subsistentis et compositi. — 1a, q. 45, a. 4, arg. 1.

2. Præterea, quod creatur, est ex nihilo; composita autem non sunt ex nihilo, sed ex suis componentibus; ergo compositis non convenit creari. — *Ibid.* arg. 2.

3. Præterea, illud proprie producitur per primam emanationem, quod supponitur in secunda; sicut res naturalis producitur per generationem naturalem, quæ supponitur in operatione artis; sed illud, quod supponitur in generatione naturali, est materia: ergo materia est, quæ proprie creatur, et non compositum. — *Ibid.* arg. 3.

4. Præterea, omne cui proprie convenit fieri, vel fit ex nihilo vel fit ex aliquo; sed multa sunt, quæ non sunt composita, quibus convenit proprie fieri, ut anima vegetabilis et sensibilis: ergo cum non fiant ex aliquo, et quia non habent materiam partem sui, relinquitur quod fiant ex nihilo, et per consequens quod creentur. — *Minor* probatur, quia omne, quod proprie habet esse, si non semper fuit, proprie dicitur fieri; sed prædictæ animæ proprie et vere habent esse, cum sint substantiæ operantes; movent enim corpus; nihil autem habet propriam operationem, nisi quod habet proprium esse; ergo cum illæ non semper fuerint, proprie illis competit fieri et sic creari. — *Quodl.* 9, a. 11, arg. 2.

Sed contra est, quod dicitur *Gen.* 1, 1: « In principio creavit Deus cœlum et terram »; sed cœlum et terra sunt res compositæ subsistentes: ergo horum proprie est creatio. — 1a, q. 45, a. 4, arg. *Sed contra.*

Respondeo dicendum, quod creari est quoddam fieri; fieri autem ordinatur ad esse rei; unde illis proprie convenit fieri et creari, quibus convenit esse; quod quidem convenit proprie subsistentibus, sive sint simplicia, sicut substantiæ separatæ, sive sint composita, sicut substantiæ materiales. Illi enim proprie convenit esse, quod habet esse et quod est subsistens in suo esse; formæ autem et accidentia et alia hujusmodi non dicuntur entia, quasi ipsa sint, sed quia eis aliquid est, ut albedo ea ratione dicitur ens, quia ejus subjectum est album; unde secundum Philosophum (7. *Metaphys. text.* 2; l. 6, c. 1) accidens magis proprie dicitur entis quam ens. Sicut igitur accidentia et formæ et hujusmodi, quæ non subsistunt, magis sunt coexistentia quam entia, ita magis debent dici concreata quam creata; proprie vero creata sunt subsistentia. — 1 a, q. 45, a. 4, c.

Ad primun ergo dicendum, quod cum dicitur: prima rerum creatarum est esse, ly *esse* non importat substantiam creatam, sed importat propriam rationem objecti creationis; nam ex eo dicitur aliquid creatum quod est ens, non ex eo quod est hoc ens, cum creatio sit emanatio totius esse ab ente universali, ut dictum est. Et est similis modus loquendi, sicut si diceretur, quod primum visibile est color, quamvis illud, quod videtur proprie, sit coloratum. — *Ibid.* ad 1.

Ad secundum dicendum, quod creatio non dicit constitutionem rei compositæ ex principiis præexistentibus; sed compositum sic dicitur creari, quod simul cum omnibus suis principiis in esse producitur. — *Ibid.* ad 2.

Ad tertium dicendum, quod ratio illa non probat, quod sola materia creatur, sed

quod materia non sit nisi ex creatione; nam creatio est productio totius esse et non solum materiæ. — *Ibid.* ad 3.

Ad quartum dicendum, quod omnes formæ materiales esse dicuntur non ut subsistentes, sed ut quibus composita sunt; unde et fieri dicuntur non propria factione, sed per factionem suppositorum, quæ transmutantur transmutatione materiæ de potentia in actum; unde sicut composita fiunt per agentia naturalia, ita etiam formæ, quæ non sunt subsistentes. Quia ergo animæ vegetabiles et sensibiles non sunt formæ subsistentes (alias remanerent post corpora), oportet quod fiant a generante per actionem compositorum, sicut et ceteræ formæ materiales; et ideo non convenit illis per se esse nec fieri nec operari; nulla enim est actio talium animarum, in qua corpus non communicet. Est enim duplex potentia motiva animæ sensitivæ: *una* imperans, scilicet appetitiva; *altera* exsequens, quæ affixa musculis et nervis, est principium mobilitatis in eis; sed ipsa distinctio partium corporalium facit, quod una pars animalis est movens et alia mota, et ita possunt moveri ex se. — *Quodl.* 9, a. 11, c. et ad 2.

ARTICULUS VII

UTRUM NECESSE SIT OMNE ENS ATQUE ADEO MUNDUM ESSE CREATUM A DEO.

Videtur quod non sit necessarium omne ens esse creatum a Deo.

1. Nihil enim prohibet inveniri rem sine eo, quod non est de ratione rei, sicut hominem sine albedine; sed habitudo causati ad causam non videtur esse de ratione entium, quia sine hac possunt aliqua entia intelligi: ergo sine hac possunt esse; ergo nihil prohibet esse aliqua entia non creata a Deo. — 1a, q. 44, a. 1, arg. 1.

2. Præterea, ad hoc indiget aliquid causa efficiente, ut sit; ergo quod non potest non esse, non indiget causa efficiente; sed nullum necessarium potest non esse, quia quod necesse est esse, non potest non esse; cum igitur multa sint necessaria in rebus, videtur quod non omnia entia sint a Deo. — l. c. arg. 2:

3. Præterea, quorumcumque est aliqua causa, in his potest fieri demonstratio per causam illam; sed in mathematicis non fit demonstratio per causam agentem, ut per Philosophum patet (3. *Metaphys. text.* 3; l. 2, c. 2): non igitur omnia entia sunt a Deo ut a causa agente. — l. c. arg. 3.

4. Præterea, omnia quæ a Deo sunt facta, dicuntur esse Dei creaturæ; creatio autem terminatur ad esse; prima enim rerum creatarum est esse, ut dictum est ex lib. *de Causis* (propos. 4). Cum ergo quidditas rei sit præter esse ipsius, videtur quod quidditas rei non sit a Deo. — *de Pot.* q. 3, a. 5, arg. 2.

Sed contra est: 1. quod dicitur *ad Rom.* 11, 36: «Ex ipso et per ipsum et in ipso sunt omnia»; et *Joan.* 1, 3: «Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil»; et *Ps.* 145, 6: «Qui fecit cœlum et terram, mare et omnia, quæ in eis sunt». — 1a, l. c. arg. *Sed contra;* 2. *c. Gent.* c. 15, n. 7.

2. Præterea, dicit Philosophus (2. *Metaphys. text.* 4; l. 1 min., c. 1), quod id quod est maxime ens et maxime verum, est causa omnis entis et omnis veri, sicut id, quod maxime calidum est, est causa omnis caliditatis; Deus autem solus est id, quod est maxime ens et maxime verum, ut manifestum est: ergo necesse est omne ens esse a Deo. — 1a, q. 44, a. 1, c.

Respondeo dicendum, quod necesse est dicere, omne quod quocunque modo est, a Deo esse. Quod multipliciter demonstrari potest. Et *primo* quidem sic: Omne quod alicui convenit non secundum quod ipsum, per aliquam causam convenit ei, sicut album homini; nam quod causam non habet, primum et immediatum est; unde necesse est quod sit per se et secundum quod ipsum. Impossibile est autem aliquod unum duobus convenire, et utrique secundum quod ipsum; quod enim de aliquo secundum quod ipsum dicitur, ipsum non excedit; sicut habere tres angulos duobus rectis æquales non excedit triangulum, de quo prædicatur, sed est eidem convertibiliter.

Si igitur aliquid duobus conveniat, non convenit utrique secundum quod ipsum est. Impossibile est igitur aliquod unum de duobus prædicari, ita quod de neutro per causam dicatur; sed oportet vel unum esse alterius causam, sicut ignis est causa caloris corpori mixto, cum tamen utrumque calidum dicatur; vel oportet quod aliquod tertium sit causa utrique, sicut duabus candelis ignis est causa lucendi. Esse autem dicitur de omni eo quod est; impossibile est igitur esse aliqua duo, quorum neutrum habeat causam essendi, sed oportet utrumque acceptorum esse per causam, vel alterum alteri esse causam essendi. Oportet igitur quod ab illo, cui nihil est causa essendi, sit omne illud, quod quocunque modo est; sed Deus est hujusmodi ens, cui nihil est causa essendi: ergo ab eo est omne quod quocumque modo est. — 2. c. *Gent.* c. 15, n. 1.

Secundo sic: Secundum ordinem effectuum oportet esse ordinem causarum, eo quod effectus causis suis proportionati sint; unde oportet quod sicut effectus proprii reducuntur in causas proprias, ita id, quod commune est in effectibus propriis, reducatur in aliquam causam communem; sed omnibus commune est esse: ergo oportet quod supra omnes causas sit aliqua causa, cujus sit dare esse. Prima autem causa Deus est, ut manifestum est; ergo necesse est omnia, quæ sunt, a Deo esse. — *Tertio*, quod per essentiam dicitur, est causa omnium, quæ per participationem dicuntur, sicut ignis est causa omnium ignitorum in quantum hujusmodi; sed Deus est ens per essentiam suam, quia est ipsum esse; omne autem aliud ens est ens per participationem, quia ens quod est suum esse, non potest esse nisi unum: ergo Deus est causa essendi omnibus aliis. — *Quarto*, omne quod est possibile esse et non esse, habet aliquam causam, quia in se consideratum ad utrumlibet se habet, et sic oportet esse aliquod aliud, quod ipsum ad unum determinet; unde cum in infinitum procedi non possit, oportet quod sit aliquod necessarium, quod sit causa omnium possibilium esse et non esse. Necessarium autem quoddam est habens causam suæ necessitatis, in quo etiam in infinitum procedi non potest; et sic est devenire ad aliquid, quod est per se necesse esse; hoc autem non potest esse nisi unum, et hoc est Deus: ergo oportet omne aliud ab ipso reduci in ipsum, sicut in causam essendi. Unde manifestum est, quod ommia, quæ sunt, necesse est a Deo esse. — 2. *c. Gent.* c. 15. n. 3, 4, 5; 1a, q. 44, a. 1, c; *de Pot.* q. 3, a. 5, c.

Ad primum ergo dicendum, quod licet habitudo ad causam non intret definitionem entis, quod est causatum, tamen sequitur ad ea, quæ sunt de ejus ratione; quia ex hoc, quod aliquid per participationem est ens, sequitur quod sit causatum ab alio; unde hujusmodi ens non potest esse quin sit causatum, sicut nec homo quin sit risibilis; sed quia esse causatum non est de ratione entis simpliciter, propter hoc invenitur aliquod ens non causatum. — 1a, l. c. ad 1; *de Pot.* l. c. ad 1; *Quodl.* 7, a. 10, ad 4.

Ad secundum dicendum, quod ex hac ratione quidam moti fuerunt ad ponendum, quod ens necessarium non habeat causam, ut dicitur 8. *Phys. text.* 46; c. 6. Sed hoc manifeste falsum apparet in scientiis demonstrativis, in quibus principia necessaria sunt causæ conclusionum necessariarum; et ideo dicit Aristoteles (5. *Metaphys. text.* 6; l. 4, c. 5), quod sunt quædam necessaria, quæ habent causam suæ necessitatis. Non ergo propter hoc solum requiritur causa agens, quia effectus potest non esse, sed quia effectus non esset, si causa non esset; hæc enim conditionalis est vera, sive antecedens sive consequens sint possibilia sive impossibilia. — 1a, l. c. ad 2.

Ad tertium dicendum, quod mathematica accipiuntur ut abstracta secundum rationem, cum tamen non sint abstracta secundum esse. Unicuique autem competit habere causam agentem, secundum quod habet esse. Licet igitur ea, quæ sunt mathematica, habeant causam agentem: non tamen secundum habitudinem, quam habent ad causam agentem, sunt sub consideratione mathematici; et ideo in scientiis mathema-

ticis non demonstratur aliquid per causam agentem. — 1a, q. 44, a. 1, ad 3.

Ad quartum dicendum, quod ex hoc ipso, quod quidditati esse attribuitur, non solum esse, sed ipsa quidditas creari dicitur, quia antequam esse habeat, nihil est nisi forte in intellectu creantis, ubi non est creatura, sed creatrix essentia. — *de Pot.* q. 3. a. 5, ad 2, et a. 1, ad 17.

ARTICULUS VIII

UTRUM MATERIA PRIMA SIT CREATA A DEO.

Videtur quod materia prima non sit creata a Deo.

1. Omne enim quod fit, componitur ex subjecto et aliquo alio, ut dicitur 1. *Phys. text.* 62; c. 7; sed materiæ primæ non est aliquod subjectum: ergo materia prima non potest esse facta a Deo. — 1a, q. 44, a. 2, arg. 1.

2. Præterea, actio et passio dividuntur contra se invicem; sed sicut primum principium activum est Deus, ita primum principium passivum est materia: ergo Deus et materia prima sunt duo principia contra se invicem divisa, quorum neutrum est ab alio. — l. c. arg. 2.

3. Præterea, omne agens agit sibi simile, et sic, cum omne agens agat in quantum est actu, sequitur quod omne factum aliquo modo sit in actu, seu quod omnis actio terminetur ab aliquem actum, sicut et procedit ab aliquo actu; sed materia prima est tantum in potentia, in quantum hujusmodi: ergo contra rationem materiæ primæ est, quod sit facta. — l. c. arg. 3; *de Pot.* q. 3, a. 5, arg. 3.

4. Præterea, omne quod procedit in esse a Deo per creationem, habet ideam; sed materia prima non habet ideam. Quod patet, *tum* quia idea est forma et secundum illam aliquid formatur; sed materia prima neque ullam habet formam neque potest formari, ita ut forma sit de ejus essentia; *tum* quia materia non est nisi ens in potentia nec per se separata existit nec potest existere; at nulla idea in Deo est ens in potentia, proportionaliter respondens materiæ, cum in Deum nulla potentialitas cadat, et omnis idea est eorum, quæ per se sunt vel esse possunt: ergo materia non est creata a Deo. — *de Verit.* q. 3, a. 5, arg. 1 *Sed contra*, et arg. 1, 2, 3 et 4.

5. Præterea, cum scientia Dei sit causa omnium quæ sunt, quod a Deo est per creationem debet a Deo cognosci; sed materia prima non est cognoscibilis a Deo, quia cognitio omnis fit per aliquam similitudinem, quæ nulla esse potest in Deo respectu materiæ primæ, quia cum hæc sit ens in potentia tantum, omnino est dissimilis Deo, qui est actus purus: ergo materia prima non est a Deo creata. — 1a, q. 14, a. 8, c., et a. 11, arg. 3.

Sed contra est: 1. quia materia prima aliquo modo est, quia est ens in potentia; sed Deus est causa omnium quæ sunt, ut supra ostensum est: ergo Deus est causa materiæ primæ, cui nulla præexistit; et sic est causa illius per creationem, illam producendo. — 2. *c. Gent.* c. 16, n. 11.

2. Præterea, dicit Philosophus (2. *Metaphys. text.* 4; l. 1 min., c. 1), quod id quod est maxime verum et maxime ens, est causa essendi omnibus existentibus; sed hoc ipsum esse in potentia, quod habet materia prima, est aliquod ens: ergo debet esse derivatum a primo essendi principio, quod est maxime ens, et consequenter a Deo productum. — 8. *Phys.* l. 2.

Respondeo dicendum, quod antiqui philosophi paulatim et quasi pedetentim intraverunt in cognitionem veritatis. A principio enim quasi grossiores existentes non existimabant esse entia nisi corpora sensibilia; quorum qui ponebant in eis motum, non considerabant motum nisi secundum aliqua accidentia, ut puta secundum raritatem et densitatem, per congregationem et segregationem; et supponentes ipsam substantiam corporum increatam, assignabant aliquas causas hujusmodi accidentalium transmutationum, ut puta amicitiam, litem, intellectum aut aliquid hujusmodi. Ulterius vero procedentes distinxerunt per intellectum inter formam substantialem et materiam,

quam ponebant increatam, et perceperunt fieri transmutationem in corporibus secundum formas essentiales; quarum transmutationum quasdam causas universaliores ponebant, ut obliquum circulum secundum Aristotelem (2. *de Generat. text.* 56; c. 10), vel ideas secundum Platonem. Sed considerandum est, quod materia per formam contrahitur ad determinatam speciem, sicut substantia alicujus speciei per accidens ei adveniens contrahitur ad determinatum modum essendi, ut homo contrahitur per album. Utrique igitur consideraverunt ens particulari quadam consideratione, vel in quantum est hoc ens, vel in quantum est tale ens, et sic rebus causas agentes particulares assignaverunt. Et ulterius aliqui erexerunt se ad considerandum ens in quantum est ens, et consideraverunt causam rerum, non solum secundum quod sunt hæc vel talia, sed secundum quod sunt entia. — 1a, q. 44, a. 2, c.

Hoc igitur, quod est causa rerum, in quantum sunt entia, oportet esse causam rerum non solum secundum quod sunt talia per formas accidentales, nec secundum quod sunt hæc per formas substantiales, sed etiam secundum omne illud, quod pertinet ad esse illorum quocunque modo. Et sic oportet ponere etiam materiam primam creatam ab universali causa entium. — *Ibid.*; 2. *c. Gent.* c. 16.

Ad primum ergo dicendum, quod Philosophus (l. c. in arg.) loquitur de *fieri* particulari, quod est de forma in formam sive accidentalem sive substantialem; nunc autem loquimur de rebus secundum emanationem earum ab universali principio essendi, a qua quidem emanatione nec materia excluditur, licet a primo modo factionis excludatur. — 1a, q. 44, a. 2, ad 1.

Ad secundum dicendum, quod passio est effectus actionis; unde et rationabile est quod primum principium passivum sit effectus primi principii activi. Nam omne imperfectum causatur a perfecto; oportet enim primum principium esse perfectissimum, ut dicit Aristoteles (12. *Metaphys. text.* 51; l. 11, c. 9). — *Ibid.* ad 2.

Ad tertium dicendum, quod ratio illa non ostendit, quod materia non sit creata, sed quod non sit creata sine forma; licet enim omne creatum sit in actu, non tamen est actus purus. Unde oportet quod etiam illud, quod se habet ex parte potentiæ, sit creatum, si totum, quod ad esse ipsius pertinet, creatum est; et sic materia, quia est ens potentia, non per se creatur, sed creatur sub forma, quia sic habet esse in actu. — l. c. ad 3; *de Pot.* q. 3, a. 5, ad 3.

Ad quartum dicendum, quod eo ipso, quod ponimus materiam causatam esse a Deo, necesse est ponere quod aliquo modo sit ejus idea in Deo, cum quidquid ab ipso causatur, similitudinem ipsius utcumque retineat. Sed tamen si de propria idea loquamur, non potest poni quod materia prima per se habeat ideam in Deo distinctam ab idea formæ vel compositi; quia idea proprie dicta, secundum quam scilicet aliquid formatur (quæ est idea practica actu vel virtute), respicit rem secundum quod est producibilis in esse; materia autem non potest exire in esse sine forma, nec e converso. Unde propria idea non respondet materiæ tantum nec formæ tantum; sed composito toti respondet una idea, quæ est factiva totius et quantum ad formam et quantum ad materiam. Si autem large accipiatur idea pro similitudine vel ratione, tunc illa possunt per se distinctam habere ideam, quæ possunt distincte considerari, quamvis separatim esse non possint; et sic nihil prohibet materiæ primæ etiam secundum se ideam esse. — Unde ad *primam rationem in contrarium* dicendum, quod quamvis materia prima sit informis, tamen inest ei imitatio primæ formæ; quantumcunque enim debile esse habeat, illud tamen est imitatio primi entis, et secundum hoc potest habere similitudinem in Deo. — Ad *secundum* vero dicendum, quod idea et ideatum non oportet esse similia secundum conformitatem naturæ, sed secundum repræsentationem tantum; unde et rerum compositarum est simplex idea, et similiter existentis in potentia est idealis similitudo

etiam in actu. — *de Verit.* q. 3, a. 5, c. et ad argumenta.

Ad quintum dicendum, quod materia licet recedat a Dei similitudine secundum suam potentialitatem, tamen in quantum vel sic esse habet, similitudinem quandam retinet divini esse. — 1a, q. 14, a. 11, ad 3.

Vel dic, quod quamvis in Deo non sit aliquid materiale et potentiale, sed essentia ejus sit actus tantum, tamen ille actus est causa omnium, quæ sunt in re, et materialium et formalium, quem actum imitatur, quantum potest, omnis res et quidquid in re est; et ideo essentia divina est similitudo non tantum formalium, sed etiam materialium rei. Et ideo per ipsum potest cognosci materia prima. — 1. *Sent.* dist. 36, q. 1, a. 1, ad 3.

ARTICULUS IX

UTRUM MUNDUS SEU RES OMNES PROCESSERINT A DEO PER NECESSITATEM NATURÆ AN VERO PER ARBITRIUM VOLUNTATIS.

Videtur quod res omnes processerint a Deo per necessitatem naturæ, non autem per arbitrium voluntatis.

1. Id enim, quod est per essentiam, est primum in quolibet ordine, sicut in ordine ignitorum est primum, quod est ignis per essentiam; sed Deus est primum agens: ergo est agens per essentiam suam, quæ est natura ejus; ergo agit per naturam et non per voluntatem. — 1a, q. 19, a. 4, arg. 2.

2. Præterea, quidquid est causa alicujus per hoc quod est tale, est causa per naturam et non per voluntatem (ignis enim est causa calefactionis, quia est calidus; sed artifex est causa domus, quia vult eam facere); sed quia Deus est bonus, nos sumus, et in quantum est, operatur, ut dicit Augustinus (*de Doctrina Christiana* l. 1, c. 32; — Migne P P. L. t. 34, col. 32): ergo Deus per suam naturam est causa rerum et non per voluntatem. — l. c. arg. 3; *de Pot.* q. 3, a. 15, arg. 5 et 10.

3. Præterea, omnis perfectio inferioris naturæ a perfectione divinæ naturæ derivatur; sed ad perfectionem naturæ inferioris pertinet, quod sua virtute aliquid simile sibi faciat producendo effectum: ergo multo fortius Deus similitudinem suæ bonitatis creaturis communicat naturaliter et non voluntarie. — *de Pot.* q. 3, a. 15, arg. 2.

4. Præterea, similitudo naturæ communicari non potest nisi virtute naturæ; sed virtus naturæ in nulla re subjacet voluntati; unde et in Deo generatio Filii a Patre, quæ est naturalis, non fit per imperium voluntatis; nec etiam in hominibus vires animæ vegetabiles, quæ naturales dicuntur, voluntati subduntur: ergo voluntate divina non communicatur similitudo naturæ, sed per virtutem naturæ, atque adeo naturaliter et non voluntarie. — l. c. arg. 4.

5. Præterea, necessitas naturæ provenit ex hoc, quod natura immobiliter operatur idem, nisi impedimentum eveniat; sed major est immutabilitas Dei quam naturæ inferioris: ergo magis ex necessitate Deus producit effectum suum quam natura inferior. — l. c. arg. 7.

6. Præterea, operatio Dei est ejus essentia; sed essentia sua est ei naturalis: ergo naturaliter operatur, quidquid operatur. — *de Pot.* q. 3, a. 15, arg. 8.

7. Præterea, dicit Dionysius (*de Div. Nom.* c. 4, § 1; — Migne P P. Gr. t. 3, col. 694), quod sicut noster sol non ratiocinans aut præeligens, sed per ipsum suum esse omnia lumen ejus participare valentia illuminat, ita divina bonitas per essentiam suam omnibus existentibus proportionaliter radios bonitatis immittit; sed sol sine ratione et electione illuminans hoc agit ex necessitate naturæ: ergo et Deus creaturas producit, suam bonitatem communicando per necessitatem naturæ. — l. c. arg. 1; 1a, q. 19, a. 4, arg. 1.

Sed contra est, quod dicitur *Sap.* 11, 26: « Quomodo posset aliquid permanere, nisi tu voluisses? » et *ad Ephes.* 1, 11: « Qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ »; quod autem operatur ex consilio voluntatis, non operatur ex necessitate: ergo res a Deo non processerunt ex neces-

sitate naturæ, sed per arbitrium voluntatis. — 1a, q. 19, a. 4, et 3, arg. *Sed contra.*

Respondeo dicendum, quod necesse est dicere Deum agere per voluntatem, et non per necessitatem naturæ, ut quidam existimaverunt. Quod quidem apparere potest tripliciter : *primo* quidem ex ipso ordine causarum agentium. Cum enim propter finem agat intellectus et natura, ut probatur 2. *Phys. text.* 49 (c. 5), necesse est ut agenti per naturam prædeterminentur finis et media necessaria ad finem ab aliquo superiore intellectu, sicut sagittæ prædeterminatur finis et certus modus a sagittante. Unde necesse est quod agens per intellectum et voluntatem sit prius agente per naturam. Unde cum primum in ordine agentium sit Deus, necesse est quod per intellectum et voluntatem agat. — *Secundo*, ex ratione naturalis agentis, ad quod pertinet, ut unum effectum producat ; quia natura uno et eodem modo operatur, nisi impediatur ; et hoc ideo, quia secundum quod est tale, agit ; unde quamdiu est tale, non facit nisi tale ; omne enim agens per naturam habet esse determinatum. Cum igitur esse divinum non sit determinatum, sed contineat in se totam perfectionem essendi, non potest esse quod agat per necessitatem naturæ, sed effectus determinati ab infinita ipsius perfectione procedunt secundum determinationem voluntatis et intellectus ipsius. — *Tertio*, ex habitudine effectuum ad causam. Secundum hoc enim effectus procedunt a causa agente, secundum quod præexistunt in ea, quia omne agens agit sibi simile ; præexistunt autem effectus in causa secundum modum causæ. Unde cum esse divinum sit ipsum ejus intelligere, præexistunt in eo effectus ejus secundum modum intelligibilem, et per modum intelligibilem procedunt ab eo, et per consequens per modum voluntatis ; nam inclinatio ejus ad agendum, quod intellectu conceptum est, pertinet ad voluntatem. Deus igitur est causa rerum per arbitrium suæ voluntatis et non ex necessitate naturæ. — 1a, q. 19, a. 4, c.

Ad primum ergo dicendum, quod quia essentia Dei est ejus intelligere et velle, ex hoc ipso, quod per essentiam suam agit, sequitur quod agat per modum intellectus et voluntatis. — 1a, l. c. ad 2.

Ad secundum dicendum, quod bonum est objectum voluntatis. Pro tanto ergo dicitur « quia Deus bonus est, sumus », in quantum bonitas Dei ab ipso amata et volita est ei ratio volendi omnia alia, et consequenter est, mediante voluntate, creaturæ causa. — l. c. ad 3 ; *de Pot.* q. 3, a. 15, ad 5.

Ad tertium dicendum, quod ex perfectione divinæ naturæ est, quod virtute naturæ divinæ ipsius naturæ similitudo creaturis communicetur ; non tamen hæc communicatio fit per necessitatem naturæ, sed per voluntatem. — *de Pot.* l. c. ad 2.

Ad quartum dicendum, quod natura non subjacet voluntati in his, quæ sunt intima rei ; sed quantum ad ea, quæ sunt extra rem, nihil prohibet naturam subjici voluntati. Unde et in motu locali in animalibus natura musculorum et nervorum subjacet appetitui imperanti. Unde nec est inconveniens, si virtute naturæ divinæ creaturæ producuntur in esse secundum arbitrium divinæ voluntatis. — l. c. ad 4.

Ad quintum dicendum, quod non est ex immobilitate naturæ solum, quod aliquid ex necessitate producit, sed ex ejus determinatione ad unum, quæ non competit divinæ voluntati, licet in ea sit immutabilitas summa. — l. c. ad 7.

Ad sextum dicendum, quod licet operatio Dei naturaliter ei competat, cum sit ejus natura vel essentia ; effectus tamen creaturæ operationem consequitur, quæ per modum intelligendi consideratur ut principium voluntatis, sicut et effectus calefactionis sequitur secundum modum caloris. — l. c. ad 8.

Ad septimum dicendum, quod Dionysius per verba illa non intendit excludere electionem a Deo simpliciter, sed secundum quid, in quantum scilicet non quibusdam solum bonitatem suam communicat, sed omnibus, prout scilicet electio discretionem quandam importat. — *Vel dic*, quod similitudo Dionysii est intelligenda quan-

tum ad universalitatem diffusionis (sol enim in omnia corpora radios effundit, non discernendo unum ab alio ; et similiter divina bonitas) ; non autem intelligitur quantum ad privationem voluntatis. — 1a, q. 19, a. 4, ad 1; *de Pot.* l. c. ad 1.

QUÆSTIO XXVIII

DE PROPRIETATIBUS MUNDI.

Deinde considerandum est de proprietatibus mundi.

CIRCA QUAS QUÆRUNTUR TRIA :

1. Utrum mundus sit tantum unus vel plures.
2. Utrum mundus sit perfectus.
3. Utrum potuerit Deus facere mundum meliorem et perfectiorem, quam fecerit.

ARTICULUS I

UTRUM MUNDUS SIT TANTUM UNUS AN PLURES.

Videtur quod mundus non sit unus, sed sint plures : —

1. quia inconveniens est dicere, quod Deus sine ratione res creaverit, ut dicit Augustinus (libro LXXXIII Quæstionum, q. 46 ; — Migne PP. L. t. 40, col. 30) ; sed ea ratione, qua creavit unum, potuit creare multos, cum ejus potentia non sit limitata ad unius mundi creationem, sed sit infinita : ergo Deus plures mundos produxit. — 1a, q. 47, a. 3, arg. 1 ; 1. *de Cœlo* l. 19.

2. Præterea, natura facit quod melius est, et multo magis Deus ; sed melius esset esse plures mundos quam unum ; quia plura bona paucioribus meliora sunt : ergo plures mundi facti sunt a Deo. — 1a, l. c. arg. 2 ; 1. *de Cœlo* l. 19.

3. Præterea, omne quod habet formam in materia, potest multiplicari secundum numerum, manente eadem specie, quia multiplicatio secundum numerum est ex materia ; sed mundus habet formam in materia. Sicut enim cum dico *homo,* significo formam ; cum autem dico *hic homo,* significo formam in materia ; ita cum dicitur *mundus,* significatur forma ; cum autem dicitur *hic mundus,* significatur forma in materia : ergo nihil prohibet esse plures mundos. — 1a, l. c. arg. 3.

4. Præterea, quanto aliquid est nobilius, tanto ejus species est magis virtuosa ; mundus autem est nobilior qualibet re naturali hic existente : igitur cum species rei naturalis hic existentis, puta equi aut bovis, possit perficere plura individua, multo magis species totius mundi potest plura individua perficere, et sic erunt plures mundi. — 1. *de Cœlo* l. 19.

Sed contra est : 1. Quod dicitur *Joan.* 1, 10 : *Mundus per ipsum factus est ;* ubi singulariter mundus nominatur, quasi uno solo mundo existente. — 1a, l. c. arg. *Sed contra.*

2. Præterea, Philosophus (1. *de Cœlo* a *text.* 76 ; c. 8 ; et a *text.* 93 ; c. 9) probat unicum esse mundum, non autem plures ; idemque ostendit (12. *Metaphys. text.* 49 ; l. 11, c. 8), ex immaterialitate primi motoris arguens ejus unitatem et ex hac unitatem mundi. — 1. *de Cœlo* l. 16 et 19 ; 12. *Metaphys.* l. 10 (7).

RESPONDEO DICENDUM, quod ipse ordo in rebus sic a Deo creatis existens unitatem mundi manifestat. Mundus enim iste unus dicitur unitate ordinis, secundum quod quædam ad alia ordinantur ; quæcumque autem sunt a Deo, ordinem habent ad invicem et ad ipsum Deum. Quædam enim quibusdam deserviunt ; quæ autem diversa sunt, in unum ordinem non convenirent, nisi ab aliquo uno ordinarentur. Melius enim multa reducuntur in unum ordinem per unum quam per multos, quia per se unius unum est causa, et multa non sunt causa unius nisi per accidens, in quantum scilicet sunt aliquo modo unum. Unde cum illud, quod est primum, sit perfectissimum et per se, non per accidens, oportet quod primum reducens omnia in unum ordinem sit unum tantum, et hoc est Deus ; et ita necesse est quod omnia ad unum mundum pertineant. Et ideo illi potuerunt po-

nere plures mundos, qui causam mundi non posuerunt aliquam sapientiam ordinantem, sed casum, ut Democritus, qui dixit ex concursu atomorum factum esse hunc mundum et alios infinitos. — 1a, q. 47, a. 3, c., et q. 11, a. 3, c.

Ad primum ergo dicendum, quod hæc est ratio, quare mundus est unus, quia debent omnia esse ordinata uno ordine et ad unum; propter quod Aristoteles (12. *Metaphys.* a *text.* 52; l. 11, c. 10) ex unitate ordinis in rebus existentis concludit unitatem Dei gubernantis; et Plato in *Timæo* ex unitate exemplaris probat unitatem mundi quasi exemplati. — 1a, q. 47, a. 3, ad 1.

Vel dicendum, quod si Deus faceret alios mundos, aut faceret eos similes huic mundo aut dissimiles; si omnino similes, essent frustra, quod non competit sapientiæ ipsius; si autem dissimiles, nullus eorum comprehenderet in se omnem naturam corporis sensibilis, et ita nullus eorum esset perfectus, sed ex omnibus constitueretur unus mundus perfectus. — 1. *de Cœlo* l. 19.

Ad secundum dicendum, quod nullum agens intendit pluralitatem materialem ut finem, quia materialis multitudo non habet certum terminum, sed de se tendit in infinitum; infinitum autem repugnat rationi finis. Cum autem dicitur, plures mundos esse meliores quam unum, hoc dicitur secundum multitudinem materialem. Tale autem melius non est de intentione Dei agentis, quia eadem ratione dici posset, quod si fecisset duos, melius esset quod essent tres, et sic in infinitum. — 1a, q. 47, a. 3, ad 2.

Vel dic, quod hoc ipsum pertinet ad bonitatem mundi, quod sit unus, quia unum habet rationem boni; videmus enim, quod per divisionem aliqua decidunt a bonitate propria. — 1. *de Cœlo* l. 19.

Ad tertium dicendum, quod mundus constat ex tota sua materia; non enim est possibile, esse aliam terram quam istam, quia omnis terra ferretur naturaliter ad hoc medium, ubicunque esset. Et eadem ratio est de aliis corporibus, quæ sunt partes mundi. — 1a, l. c. ad 3; 1. *de Cœlo* l. 16.

Ad quartum dicendum, quod majoris virtutis est facere unum perfectum quam facere multa imperfecta; singula autem individua rerum naturalium, quæ sunt hic, sunt imperfecta, quia nullum eorum comprehendit in se totum quod pertinet ad suam speciem. Sed mundus hoc modo perfectus est; unde ex hoc ipso ejus species ostenditur magis virtuosa. — 1. *de Cœlo* l. 19.

ARTICULUS II

UTRUM MUNDUS SIT PERFECTUS.

Videtur quod mundus non sit perfectus.

1. Perfectum enim est illud, cui nihil deest, ut dicit Philosophus (5. *Metaphys. text.* 21; l. 4, c. 16); sed mundi perfectio essentialis consistit in speciebus; non sunt autem in illo omnes species rerum a Deo producibiles, cum quibuscumque datis possit Deus producere plures et nobiliores in infinitum: ergo mundus non est perfectus. — 5. *Metaphys.* l. 18 (21); 1a, q. 25, a. 6; *de Verit.* q. 20, a. 4, c.; 1. *Sent.* dist. 44, q. 1, a. 3; 2. *c. Gent.* c. 27 et 46.

2. Præterea, non dicitur aliquid esse perfectum et completum, cui multa superadduntur, nisi sint illa superflua; sed post septimum diem, quo dicitur Deus quievisse a productione universi, multa sunt facta, puta nova individua, et novæ quædam species animalium frequenter apparent, quæ prius nunquam apparebant, ut patet in illis quæ ex putrefactione generantur, ut dicit Philosophus (*de Animalibus* l. 17 seu *de Generat. Animal.* l. 3, c. 11). Quædam etiam sunt, in quibus sola divina virtus operatur, quæ post illum septimum diem apparuerunt, ut animarum creatio, gratiæ infusio, miraculorum operatio, opus Incarnationis et gloria beatorum quoad animas et corpora futura post resurrectionem. Ergo mundus non fuit factus perfectus. — 1a, q. 73, a. 1, arg. 3; 2. *Sent.* dist. 15, q. 3, a. 1, arg. 7 et 8.

3. Præterea, quamdiu artifex ab opere

suo non cessat, opus suum non perficit; sed Deus nunquam ab operatione sua cessat, cum operatio sit sua essentia, quæ æterna est; ergo Deus non fecit mundum perfectum. — 2. *Sent.* l. c. arg. 3.

4. Præterea, secundum Avicennam (*de Intelligentiis* c. 1 et sqq.) omne agens, quod non agit per motum, non habet actionem in effectu solum quamdiu fit, sed quamdiu in eo perdurat, cum non tantum sit causa fieri, sed essendi; sed Deus est causa agens rei non per motum, cum non requirat materiam ex qua agat, quam oportet esse subjectum motus: ergo videtur quod ipse, quamdiu mundus durat, sua actione esse mundo influat, et ita videtur quod, quando Deus fecit mundum, non fecerit illum perfectum. — *Ibid.* arg. 4.

Sed contra: 1. consummatio et completio rei est quædam illius perfectio; sed *Gen.* 2, 2 dicitur, quod Deus die septimo consummavit opus, quod fecerat, puta totum universum: ergo mundus est a Deo factus perfectus. — 1a, l. c. et 2. *Sent.* l. c. arg. *Sed contra.*

2. Præterea, *Deuter.* 32, 4 dicitur, quod Dei perfecta sunt opera, et *Gen.* 1 singula, quæ Deus creavit, dicuntur bona; omnia autem simul dicuntur valde bona, ad indicandam mundi perfectionem: ergo mundus a Deo factus est perfectus. — *de Spirit. Creat.* a. 5, c.

3. Præterea, omne agens agit sibi simile, secundum quod possibile est; sed Deus est perfectissimum agens: ergo debet mundum a se factum produxisse perfectum. — *Opusc.* 2, c. 72.

Respondeo dicendum, quod mundus a Deo productus est perfectus. Quod manifeste patet, *primo*, quia secundum hoc dicitur aliquid esse perfectum, secundum quod nihil illi deest secundum modum suæ perfectionis. Duplex autem est perfectio rei: *una* totalitatis, quam res habet ex hoc, quod ex omnibus partibus suis integralibus constat; et hanc habet mundus, ut inquit Philosophus (1. *de Cœlo text.* 4 et 5; c. 1). Nam partes integrales universi sunt tantum corpora cœlestia et elementa, quibus manifeste patet illud constare; nam animalia et plantæ et alia hujusmodi sunt secundariæ partes ejus, quæ magis pertinent ad bene esse ipsius quam ad primam institutionem; quia constituitur universum corporeum ex suis partibus secundum ordinem situs; quæ autem primo et per se habent ordinem situs in universo, sunt corpora simplicia, puta cœlum et elementa; nam aliis partibus universi, puta lapidibus, plantis et animalibus, non determinatur situs secundum se, sed secundum simplicia corpora. *Altera* pefectio est finis; finis autem vel est operatio, sicut finis cytharistæ est cytharizare; vel est aliquid ad quod per operationem pervenitur, sicut finis ædificatoris est domus, quam ædificando facit. Et hæc etiam inest universo. Nam corpora cœlestia influunt in sublunaria, hæc autem in se agunt et patiuntur, ut dicemus. — 1a, q. 4, a. 1, c. et q. 73. a. 1, c.; 1. *de Cœlo* l. 3 et Proœm.; *Tabula Aurea* voce « cœlum » n. 50, 69, 70, 158.

Secundo, perfectio universi essentialis non attenditur in individuis, quorum multiplicatio ordinatur ad perfectionem speciei, sed in speciebus per se; sed in universo omnes naturæ possibiles inveniuntur, puta omnes modi generales essendi et omnes gradus perfectionis. Nam capacitas potentiæ naturalis tota impleta est quoad genera singulorum, non quoad singula generum, ad differentiam potentiæ obedientialis, quæ neutro modo impleri potest. Cujus ratio est, quia Deus unicuique rei dat secundum capacitatem naturalium; ad ipsum enim, qui infinito amore diligit ea, quæ sunt, pertinet ut nullum bonum creaturæ deneget, atque adeo ipsi universo, cujus ipsum sit naturaliter capax. Unde manifestum est, quod mundus est perfectus. — *Tabula Aurea* voce « perfectio » n. 9 et 25; 2. *c. Gent.* c. 91, n. 5, et c. 46; vide Francisc. Silvestrum (Ferrariensem) in h. loc., et Cajetanum in 1am, q. 51, a. 1; — *de Verit.* q. 29, a. 3, ad 3; 3a, q. 1, a. 3, ad 3; 3. *Sent.* dist. 1, q. 1, a. 3, ad 4.

Ad primum ergo dicendum, quod de perfectione essentiali universi non sunt

modi particulares et specifici essendi (nam cum hi sint infiniti, non possunt simul omnes poni), sed tantum modi generales essendi, qui sunt finiti, puta tres: insensibilium, sensibilium et intellectualium. — 2. c. *Gent.* c. 46; v. Ferrariensem in h. loc.

Ad secundum dicendum, quod nihil post mundum conditum a Deo factum est novum totaliter, quin aliquo modo in ipso contineatur. Quando enim in mundo creato tantum erat Adam, nondum creata Eva, hæc materialiter præexstitit in costa Adæ. Similiter individua, quæ de novo in mundo producuntur, causaliter præcesserunt in primis individuis suarum specierum. Species etiam novæ, si quæ generantur, præexstiterunt virtualiter in productis a Deo. Sic animalia ex putrefactione generata producuntur ex virtutibus stellarum et elementorum, quas in mundi conditione acceperunt, etiamsi novæ species talium animalium producantur. Animalia etiam quædam secundum novam speciem aliquando oriuntur ex commixtione animalium diversorum secundum speciem, sicut cum ex asino et equa generatur mulus; et hæc etiam causaliter præcesserunt in primis individuis a Deo conditis. — Quædam denique præcesserunt secundum similitudinem, sicut animæ, quæ nunc creantur; et similiter Incarnationis opus, quia, ut dicitur *ad Phil.* 2, 7: « Filius Dei in similitudinem hominum factus ». Nisi dicas quoad creationem animarum, quod essentialis universi perfectio consistit in speciebus, accidentalis vero in individuis; et propterea quia multiplicatio animarum non est secundum diversam speciem, sed secundum numerum tantum, ex hoc quod multæ animæ quotidie creantur, nihil ad essentialem universi perfectionem adjungitur, sed ad accidentalem tantum, quod non est inconveniens. Gloria vero spiritualis secundum similitudinem præcessit in angelis, corporalis vero in cœlo, præcipue empyreo. Unde dicitur *Eccle.* 1, 10: « Nihil sub sole novum . . . . . Jam enim præcessit in sæculis, quæ fuerunt ante nos. » — 1a, q. 73, a. 1, ad 3; 2. *Sent.* dist. 15, q. 3, a. 1, ad 7 et 8, et dist. 17, q. 2, a. 2, ad 6.

Vel dic, quod nihil facit Deus in creatura, quod aliquo modo in primis diebus non præcesserit, sed diversimode. Quædam enim fuerunt in operibus sex dierum ut in principiis activis et materialibus et secundum similitudinem speciei, ut ea, quæ generantur ex sibi similibus in natura. Quædam vero sicut in principiis activis et materialibus, sed non secundum similitudinem speciei, sicut quædam animalia ex putrefactione genita; cum enim hæc producantur ex virtute cœlesti, quæ tenet in eorum generatione locum virtutis formativæ, fuerunt producta in operibus sex dierum in suis principiis, scilicet materia, et in rationibus seminalibus, sicut etiam alia, quæ per operationem naturæ producuntur. Quædam vero fuerunt in prædictis operibus sicut in principiis disponentibus et non activis, et secundum similitudinem speciei, sicut anima rationalis. Quædam denique ut in potentia obedientiæ tantum, sicut ea, quæ per miraculum fiunt et quæ ad gratiam pertinent. — 2. *Sent.* dist. 15, q. 3, a. 1, ad 7 et 8.

Ad tertium dicendum, quod Deus non dicitur cessare ab operatione nisi ex parte effectus consequentis; ipse enim non agit aliqua operatione media vel intrinseca vel extrinseca, quæ non sit sua essentia, quia suum velle est suum facere, et suum velle est suum esse; nec tamen ab æterna operatione sequitur effectus nisi secundum determinationem voluntatis. Unde dicitur incipere operari vel ab operatione cessare ex parte effectus. — l. c. ad 3.

Ad quartum dicendum, quod sicut influentia solis per irradiationem est semper, quamdiu aer illuminatur, ut possit dici: semper sol facit lumen in aere; ita divina bonitas semper esse rebus influit, non aliud et aliud, sed unum et idem. Nec tamen res dicuntur semper fieri vel creari vel institui apud nos, sed tunc, cum primo esse acceperunt. Et ideo dicitur, quod cessat creare vel facere mundum. — l. c. ad 4.

ARTICULUS III

UTRUM DEUS POTUERIT FACERE UNIVERSUM PERFECTIUS.

Videtur quod Deus non potuerit facere universum perfectius.

1. Quidquid enim Deus facit, potentissime et sapientissime facit; sed tanto fit aliquid melius, quanto fit potentius et sapientius : ergo Deus non potest facere universum melius. — 1a, q. 25, a. 6, arg. 1 ; 1. *Sent.* dist. 44, q. 1, a. 1, arg. 3.

2. Præterea, Augustinus (*contra Maximinum* l. 2, c. 7 ; — Migne PP. L. t. 42, col. 762) sic argumentatur: Si Deus potuit et noluit gignere Filium sibi æqualem, invidus fuit ; eadem ratione, si Deus potuit universum facere melius et perfectius quam fecerit, et noluit, invidus fuit ; sed invidia est omnino releganda a Deo : ergo Deus universum fecit optimum; non ergo potuit illud facere perfectius quam fecit. — 1a, l. c. arg. 2.

3. Præterea, id quod est maxime et valde bonum, non potest melius fieri, quia maximo nihil est majus; sed, sicut dicitur *Gen.* 1, 31, vidit Deus cuncta quæ fecerat, et erant valde bona : ergo bonum universi non potest a Deo fieri melius. — 1a, l. c. arg. 3.

4. Præterea, omne quod est communicabile creaturæ, est ei communicatum ; cum enim bonitas Dei infinita sit, ad eum pertinet, ut communicet se quantum potest ; sed ex hoc universum est bonum, quod consistit ex creaturis divinam bonitatem participantibus : ergo universum melius esse non potest. — Hannibaldus in 1. *Sent.* dist. 44, q. 1, a. 1, arg. 2; 1. *Sent.* dist. 44, q. 1, a. 2, arg. 3.

5. Præterea, omni agenti propter finem finis est ratio faciendi et non faciendi ; sed Deus agit propter finem, qui est sua bonitas, quæ non potest esse ratio non faciendi universum in meliori bonitate, si melius esse posset : ergo Deus non potest universum facere melius. — Hannibaldus in 1. *Sent.* l. c. arg. 3.

6. Præterea, secundum Dionysium (*de Div. Nom.* c. 4 ; — Migne PP. Gr. t. 3, col. 694) et Platonem (in *Convivio* c. 4) optimi est optima adducere ; sed optimo nihil est melius : ergo universo, quod Deus fecit, qui optimus est, nihil melius esse potest. — 1. *Sent.* l. c. a. 1, arg. 1.

7. Præterea, una res non deficit a bonitate alterius nisi per hoc quod deficit a participatione divinæ bonitatis; sed iste defectus non est ex parte Dei, quia æqualiter se habet, ut ait Dionysius (l. c. c. 2, § 5 et 6; — Migne PP. Gr. t. 3, col. 643), ad omnes creaturas ; sed ex parte ipsius rei, quæ magis vel minus bonitatis divinæ capax est : ergo videtur quod Deus rem quamlibet et consequenter ipsum universum melius facere non possit. — l. c. arg. 4.

Sed contra, omni finito Deus potest facere majus, cum sua potentia sit infinita ; sed bonitas universi est finita, alias æquaretur bonitati factoris, quod est impossibile : ergo Deus potest facere bonitatem majorem et perfectiorem, quam sit bonitas universi. — Hannibaldus in 1. *Sent.* dist. 44, q. 1, a. 1, arg. 1 *Sed contra.*

Respondeo dicendum, quod secundum Philosophum (12. *Metaphys. text.* 52 ; l. 11, c. 10) bonum universi consistit in duplici ordine, nimirum in ordine partium universi ad invicem, et in ordine totius universi ad finem, qui est ipse Deus ; sicut etiam in exercitu est ordo partium exercitus ad invicem secundum diversa officia, et est ordo ad bonum ducis, quod est victoria, et hic ordo est præcipuus, propter quem est primus ordo. — Accipiendo ergo bonum ordinis, qui est in partibus universi ad invicem, tale bonum considerari potest *vel* quantum ad partes ipsas ordinatas *vel* quantum ad ordinem partium. Si quantum ad *partes ipsas,* tunc potest intelligi universum fieri melius et perfectius *vel* per additionem plurium partium, si nimirum multæ aliæ species creentur, et impleantur multi gradus bonitatis, qui possunt esse, cum etiam inter summam creaturam et Deum sit infinita distantia ; et sic Deus melius et perfectius universum facere potuisset et posset. Sed

illud universum se haberet ad hoc sicut totum ad partem, et sic nec penitus esset idem nec penitus esset diversum; et hæc additio bonitatis esset per modum quantitatis discretæ. — *Vel* potest intelligi fieri melius quasi intensive, quasi mutatis omnibus partibus ejus in melius; quia si aliquæ partes meliorarentur aliis non melioratis, non esset tanta bonitas ordinis; sicut patet in cythara, cujus si omnes chordæ meliorantur, fit dulcior harmonia, sed quibusdam tantum melioratis fit dissonantia. Hæc autem melioratio omnium partium vel potest intelligi secundum bonitatem accidentalem, et sic posset Deus facere universum melius et perfectius quam sit, manentibus iisdem partibus et eodem universo; vel secundum bonitatem essentialem, et sic non potest Deus facere universum melius quam ipsum sit, sicut nec rem meliorem quam ipsa sit, licet possit aliquod aliud universum facere eo melius, alias species creando, ut dictum est: sicut etiam non potest facere quaternarium majorem, quia si esset major, jam non esset quaternarius, sed alius numerus; sic enim se habet additio differentiæ substantialis in definitionibus, sicut additio unitatis in numeris, ut dicitur 8. *Metaphys.* (*text.* 10; l. 7, c. 3). — 1. *Sent.* dist. 44, q. 1, a. 1 et 2; Hannibaldus *Ibid.*; 1a, q. 25, a. 6, c.

Si autem accipiatur ipse *ordo partium*, sic non potest universum esse melius per modum quantitatis discretæ, nisi fiat additio in partibus universi, quia in universo nihil est inordinatum. Sed intensive posset esse melius, manentibus iisdem partibus, quantum ad ordinem qui sequitur bonitatem accidentalem; quanto enim aliquid in majus bonum redundat, tanto ordo melior est. Sed ordo qui sequitur bonitatem essentialem, non potest esse melior, nisi fiant aliæ partes et aliud universum.

Similiter *ordo* qui est *ad finem* potest considerari *vel* ex parte ipsius finis; et sic non potest esse melior, ut scilicet in meliorem finem universum ordinetur, sicut Deo nihil melius esse potest; — *vel* quantum ad ipsum ordinem; et sic secundum quod cresceret bonitas partium universi et ordo earum ad invicem, posset meliorari ordo in finem ex eo quod propinquius ad finem se haberent, quanto similitudinem divinæ bonitatis magis consequerentur, quæ est omnium finis. — *Ibid.*

Ad primum ergo dicendum, quod cum dicimus Deum posse aliquid facere melius, quam fecit, si ly *melius* sit nomen, verum est; qualibet enim re potest facere aliam meliorem. Eandem vero potest facere meliorem quodammodo, et quodammodo non, sicut dictum est; et idem dico de universo. — Si vero ly *melius* sit adverbium et importet modum ex parte facientis, Deus non potest facere melius quam sicut facit, quia non potest facere ex majori bonitate et sapientia. Si autem importet modum ex parte facti, sic potest facere melius, quia potest dare rebus a se factis meliorem modum essendi quantum ad accidentalia, licet non quantum ad essentialia. — 1a, q. 25, a. 6, ad 1.

Vel dic, quod licet Deus produxerit universum et producat unamquamque rem tota sua potentia infinita, non tamen sequitur quantitas bonitatis in effectu nisi secundum voluntatem opificis, quæ se habet ut imperans ad opus, quod potentia exsequendo educit. — 1. *Sent.* dist. 44, q. 1, a. 1, ad 3.

Ad secundum dicendum, quod de ratione Filii est quod æquetur Patri; non est autem de ratione creaturæ, quod sit melior quam a Deo facta est (1a, l. c. ad 2). — *Vel dic,* quod quamvis accipere a Patre sit commune Filio cum omni creatura communitate analogiæ, tamen habere per naturam est sibi proprium, sicut ipsemet dicit. Et ideo æqualitas paterna debetur sibi per naturam; unde si non æqualem genuisset, cum potuisset, Deus Pater invidus fuisset, quia subtraxisset dignitatem Filio, quam deberet et posset habere. Sed creatura nunquam potest pertingere ad æqualitatem Dei, nec alia mensura bonitatis illi debetur quam secundum determinationem divinæ voluntatis; et ideo nulla invidia in Deo resultat, si universum melius facere potuit quam

fecit. Et hoc est, quod Hilarius dicit (*de Synodis* c. 24, n. 58; — Migne P P. L. t. 10, col. 520), quod omnibus creaturis substantiam Dei voluntas attulit, sed Filio natura dedit. — 1. *Sent.* l. c. ad 2.

Ad tertium dicendum, quod universum suppositis istis rebus non potest esse melius propter decentissimum ordinem his rebus attributum a Deo, in quo bonum universi consistit; quorum si unum aliquod esset melius, corrumperetur proportio ordinis; sicut si una chorda plus debito intenderetur, corrumperetur citharæ melodia. Posset tamen Deus alias res atque adeo aliud universum facere vel alias res addere istis rebus factis, et sic esset illud universum melius. — 1a, q. 25, a. 6, ad 3.

Ad quartum dicendum, quod multa sunt communicabilia creaturæ, quæ non sunt communicata, et tamen Deus infinita bonitate creaturis communicat bona sua; communicat enim eis secundum quod ratio sapientiæ exigit secundum respectum ad modum, quem divina bonitas præfixit. — Hannibald. in 1. *Sent.* dist. 44, q. 1, a. 1, ad 2.

Ad quintum dicendum, quod licet absolute loquendo divina voluntas non possit esse ratio, quare universum non fiat melius, tamen potest esse ratio ejus, si præsupponatur modus a voluntate divina præfixus; hoc enim divinæ competit voluntati, ut illud sit in rebus, quod divina sapientia et voluntas determinavit. — *Ibid.* ad 3.

Ad sextum dicendum, quod quælibet res in se considerata non est optima, nisi forte in quantum attingit omnem bonitatem suam essentialem, sicut si dicatur ternarius esse maximus, quia attingit quantitatem suæ speciei; sed in ordine ad universum est optima, sicut Augustinus dicit (*Enchirid.* c. 10; — Migne P P. L. t. 40, col. 236). — 1. *Sent.* dist. 44, q. 1, a. 1, ad 1.

Ad septimum dicendum, quod diversitas graduum in entibus non tantum est ex parte rerum, quarum capacitates ad invicem distant, sed etiam ex ordine sapientiæ disponentis, quæ diversas capacitates rebus tribuit, quibus postmodum secundum providentiam suam dona sua largitur, quæ pro diversitate capacitatum a Deo ordinatarum, diversimode a diversis participantur. — l. c. ad 4.

QUÆSTIO XXIX

DE NATURA CŒLI.

Deinde considerandum est de cœlo, de quo quinque investiganda sunt: natura, unitas, motus, actio et accidentia.

CIRCA PRIMUM QUÆRUNTUR QUATUOR:

1. Utrum cœlum habeat materiam vel illa careat, seu utrum sit compositum ex materia et forma.
2. Utrum cœlum habeat materiam diversæ rationis a materia sublunarium, an vero ejusdem, ita ut sit una materia omnium corporalium.
3. Utrum cœlum sit animatum.
4. Utrum cœlum sit ingenerabile et incorruptibile.

ARTICULUS I

UTRUM CŒLUM HABEAT MATERIAM VEL ILLA CAREAT, SEU UTRUM SIT COMPOSITUM EX MATERIA ET FORMA.

Videtur quod cœlum careat materia ac proinde non sit compositum ex materia et forma.

1. Dicit enim Philosophus (8. *Metaphys. text.* 12; l. 7, c. 4; et 12. *Metaphys. text.* 10; l. 11, c. 2), quod naturales et sempiternæ substantiæ, ut cœli, vel non habent materiam, vel si habent, habent tantum mobilem secundum locum; ergo cœlum non habet materiam. — 8. *Metaphys.* l. 4 (3); 12. *Metaphys.* l. 2 (1).

2. Præterea, dicit Philosophus (8. *Metaphys. text.* 14; l. 7, c. 5), quod non cujuslibet rei materia est pars, sed tantum rei generabilis et corruptibilis; sed cœlum, ex Philosopho (1. *de Cœlo text.* 20; c. 3), est ingenerabile et incorruptibile: ergo cœlum non habet materiam. — 8. *Metaphys.* l. 4 (3); 1. *de Cœlo* l. 6.

3. Præterea, materia, ut dicit Philosophus (1. *Phys. text.* 82; c. 9), est subjectum, ex quo fit aliquid, cum insit; sed cœlum, ut dicitur 2. *de Cœlo* (*text.* 1; c. 1), non est factum: ergo non est compositum ex materia et forma. — 1. *Phys.* l. 15 (14); 2. *de Cœlo* l. 1.

4. Præterea, ea quæ habent materiam, necessario habent contraria, ut dicitur 1. *de Cœlo* (*text.* 20; c. 3) et *de Longitudine et Brevitate Vitæ* (c. 2); unde dicit Philosophus (1. *Phys. text.* 68; c. 7), quod materia est subjectum contrariorum; sed cœlum non habet contrarium, quia est incorruptibile, ut dicitur 1. *de Cœlo* (l. c.): ergo cœlum non habet materiam. — 1. *de Cœlo* l. 6; 1. *Phys.* l. 13 (12).

5. Præterea, dicit Philosophus (9. *Metaphys. text.* 17; l. 7, c. 8), quod nullum æternum habet potentiam passivam, eo quod omnis potentia passiva est potentia contradictionis; sed cœlum secundum Philosophum est æternum, ut dictum est (supra arg. 1): ergo cœlum non est compositum ex materia. — 9. *Metaphys.* l. 9 (4).

6. Præterea, dicit Philosophus (1. *de Generat. text.* 54; c. 7), quod illa activa sunt impassibilia, quæ non habent formam in materia, illa vero sunt passibilia, quæ habent formam in materia; sed cœlum est activum impassibile: ergo caret materia. — 1. *de Generat.* l. 20.

7. Præterea, Philosophus (12. *Metaphys. text.* 30; l. 11, c. 6) ex eo quod intelligentiæ sunt substantiæ sempiternæ, arguit, quod debeant carere materia; sed cœlum secundum Philosophum (2. *de Cœlo text.* 1; c. 1) est æternum: ergo cœlum non est compositum ex materia. — 12. *Metaphys.* l. 5 (4); 2. *de Cœlo* l. 1.

8. Præterea, ut colligitur ex Philosopho (8. *Metaphys. text.* 4; l. 7, c. 1), sola generatio et corruptio sunt principium veniendi in cognitionem materiæ primæ; sed in cœlo non est generatio neque corruptio, cum sit ingenerabile et incorruptibile, ut dicitur 1. *de Cœlo* (*text.* 20; c. 3): ergo in cœlo non est materia. — 8. *Metaphys.* l. 1; 1. *de Cœlo* l. 6.

Sed contra est: 1. cœlum est corpus naturale, ut dicit Philosophus 1. *de Cœlo* (*text.* 1; c. 1) et 8. *Metaphys.* (*text.* 1; l. 7, c. 1); sed omnis substantia naturalis, ut dicit Philosophus 2. *Phys.* (*text.* 4; c. 1), est composita ex materia et forma: ergo. — 1. *de Cœlo* l. 1; 8. *Metaphys.* l. 1; 2. *Phys.* l. 1.

2. Præterea, dicitur 2. *de Generat.* (*text.* 51; c. 9), quod eadem genere et numero æqualia sunt principia in sempiternis atque in generabilibus; sed hujusmodi principia sunt materia et forma, ut ibidem dicitur: ergo cœlum est compositum ex materia et forma. — 2. *de Generat.* l. 9.

3. Præterea, omnis substantia, ut dicit Philosophus 2. *de Anima* (*text.* 2; c. 1) et 7. *Metaphys.* (*text.* 7; l. 6, c. 3) et 8. *Metaphys.* (*text.* 3; l. 7, c. 1) vel est materia vel forma vel compositum ex illis; sed cœlum non est sola forma; nam forma materiam respicit, cum sit actus ipsius; neque est sola materia, tum quia materia est propter formam, tum quia motus localis, qui convenit cœlo, habet pro subjecto compositum ex materia et forma, ut dicitur 1. *de Generat.* (*text.* 23 et 24; c. 4): ergo cœlum est compositum ex materia et forma. — 2. *de Anima text.* l. 1; 7. *Metaphys.* l. 2; 8. *Metaphys.* l. 1; *Tabula Aurea* voce « forma » n. 84 et 79.

4. Præterea, dicit Philosophus (8. *Metaphys. text.* 4; l. 7, c. 1), quod in omni mutatione est accipere materiam, sicut in omni mutatione est aliquis modus fiendi vel simpliciter vel secundum quid; sed in cœlo est mutatio aliqua et aliquod fieri secundum quid; est enim mutatio localis et aliqua alteratio secundum illuminationem et obscurationem: ergo in cœlo etiam est materia. — 8. *Metaphys.* l. 1.

Respondeo dicendum, quod Averroes (*de Substantia Orbis* c. 2) dicit, quod corpus cœleste non est compositum ex materia et forma quasi ex potentia et actu, sed dicit ipsum esse materiam actu existentem, et formam ejus dicit animam ipsius, ita tamen, quod non constituatur in esse per formam, sed solum in moveri; et sic dicit

in eo esse non potentiam ad esse, sed solum ad ubi, sicut dicit Philosophus (12. *Metaphys. text.* 10; l. 11, c. 2). Sed hæc positio et veritati repugnat et intentioni Aristotelis. Veritati quidem repugnat, quia manifestum est, quod corpus cœleste est aliquod ens actu; alioqui non ageret in hæc inferiora, nec moveretur, quia quod est in potentia tantum, non est subjectum motus, ut dicitur in 6. *Phys.*, et quia unumquodque agit in quantum est actu (*Tabula Aurea* voce « agens » n. 108). Oportet autem omne quod est actu ens, vel esse formam subsistentem, sicut sunt subtantiæ separatæ, vel habere formam in alio, quod quidem se habet ad formam sicut materia, et sicut potentia ad actum. Non autem potest dici, quod corpus cœleste sit forma subsistens, quia sic esset intellectum in actu, non cadens sub sensum neque sub quantitatem. Relinquitur ergo, quod est compositum ex materia et forma, et potentia et actu, et per consequens in illo est subjectum actualitatis ipsius. — *de Cœlo* l. 6; 8. *Phys.* l. 21; 1a, q. 66, a. 2.

Verum est tamen, quod non oportet quod istud subjectum vel materia habeat privationem, quia privatio nihil aliud est quam absentia formæ quæ est nata inesse. Huic autem materiæ vel subjecto non est nata inesse alia forma, sed forma ipsius replet totam potentialitatem materiæ, cum sit quædam totalis et universalis perfectio. Quod patet ex hoc, quod virtus activa ejus est universalis, non particularis, sicut virtus inferiorum corporum, quorum formæ tamquam particulares existentes non possunt replere totam potentialitatem materiæ; unde simul cum una forma remanet in materia privatio formæ alterius, quæ est apta nata inesse. Et hinc patet error Averrois; deceptus enim fuit per æquivocationem potentiæ. Nam potentia quandoque se habet ad opposita; et hæc excluditur a corpore cœlesti et a substantiis simplicibus separatis, quia non est in eis potentia ad non esse secundum intentionem Aristotelis: eo quod substantiæ simplices sunt formæ tantum; formæ autem convenit esse. Materia autem corporis cœlestis non est in potentia ad aliam formam. Sicut enim corpus cœleste comparatur ad suam figuram, cujus est subjectum, ut potentia ad actum, et tamen non potest non habere talem figuram: ita materia corporis cœlestis comparatur ad talem formam ut potentia ad actum, et non est in potentia ad privationem hujus formæ vel ad non esse. Non enim omnis potentia est oppositorum; alioquin possibile non sequeretur ad necesse, sicut dicitur in 2. *Periherm.* c. 3 (al. *de Interpret.* c. 13). Est etiam ejus positio contra Philosophum, qui 1. *de Cœlo* in quadam demonstratione dicit, quod corpus cœleste habet potentiam vel virtutem ad hoc quod sit semper; ergo secundum Philosophum cœlum habet potentiam ad esse. — 1. *de Cœlo* l. 6; 8. *Phys.* l. 21; 1a, q. 66, a. 2.

Quod confirmari potest etiam dato quod corpus cœleste non sit compositum ex materia et forma: quia necesse est quod omnis substantia simplex subsistens vel ipsa sit suum esse, vel participet esse. Substantia autem simplex, quæ est ipsum esse subsistens, non potest esse nisi una, sicut neque albedo, si esset subsistens, posset esse nisi una; omnis ergo substantia, quæ est post primam substantiam simplicem, participat esse. Omne autem participans componitur ex participante et participato, et participans est in potentia ad participatum; ergo substantia quantumcunque simplex post primam substantiam simplicem est potentia essendi. Unde relinquitur quod in corpore cœlesti est potentia ad esse, non tamen ad privationem illius, quia non est in illo potentia ad aliam formam; et præterea, quia est compositum ex materia et forma, licet in ejus materia non sit privatio alicujus formæ, sed tantum alicujus *ubi;* unde consequenter non est mutabile secundum formam per generationem et corruptionem, sed solum secundum ubi. — 8. *Phys.* l. 21.

Ad primum ergo dicendum, quod sensus Philosophi (12. *Metaphys.* l. c.) est, quod quæcunque transmutantur oportet quod habeant materiam, sed aliam et aliam.

Ea enim quæ transmutantur secundum substantiam seu quæ generantur et corrumpuntur, habent materiam, quæ est subjectum generationis et corruptionis, quæ scilicet de se est in potentia ad formas et privationes; sed corpora cœlestia, quæ sunt sempiterna et ingenerabilia, sed mobilia secundum locum, habent quidem materiam, sed non quæ est subjectum generationis, aut quæ sit in potentia ad formam et privationem, sed quæ est in potentia ad terminos motus localis, qui sunt, unde incipit motus, et quo motus tendit. — 12. *Metaphys.* l. 2 (1).

Sensus vero 8. *Metaphys.* (l. c.), ubi dicitur, quod forsan cœlestia corpora non habent materiam, vel si habent, non talem qualem habent generabilia et corruptibilia, sed solum secundum potentiam quæ est in motu locali, hic est. Cum enim, ut colligitur ex Philosopho (8. *Metaphys. text.* 4; l. 7, c. 1), in rebus generabilibus et corruptibilibus generatio et corruptio inducant in cognitionem materiæ, quia in generatione et corruptione oportet esse unum subjectum commune ad privationem et formam, sequitur quod, quia in corpore cœlesti non est potentia ad privationem formæ, sed solum ad diversa loca, cœlum non habet materiam, quæ sit in potentia ad formam et privationem, sed quæ est in potentia ad diversa loca. Corpus autem comparatur ad locum non sicut materia ad formam, sed magis sicut subjectum ad accidens; et licet comparatio subjecti ad accidens sit quodammodo ut materiæ ad formam, non tamen subjectum est omnino materia. Et sic corpus cœleste universaliter nullo modo habet materiam si subjectum materiam non dicit, vel habet materiam ad *ubi* si sujectum dicitur materia. — 8. *Metaphys.* l. 4 (3).

Ad secundum dicendum, quod Philosophus ibi comparat compositum generabile et corruptibile ad ejus partem, puta formam, et dicit, quod sicut solum compositum dicitur proprie et per se generari et corrumpi, non autem ejus pars, puta forma, nisi per accidens, ita solius compositi, quod per se generatur, est ex materia fieri et constare, non autem formæ. — *Ibid.*

Ad tertium dicendum, quod Philosophus loquitur de materia sublunarium, quæ proprie dicuntur fieri et generari, ut dictum est (ad primum); cœlum enim non est factum per generationem, sed a Deo simul forma cœli cum ejus materia productæ sunt per creationem. — 2. *de Cœlo* l. 1; 2. *Sent.* dist. 15, q. 1, a. 1, ad 1; *Opusc.* 42, c. 15 (6).

Ad quartum dicendum, quod quia in omni motu est aliqua contrarietas, ideo etiam in motu cœli est talis contrarietas. Cum enim, ut dictum est (ad primum), in cœlo sit alteratio et motus localis, est contrarietas formæ accidentalis et privationis talis formæ. — 1. *de Cœlo* l. 8.

Ad quintum dicendum, quod Philosophus loquitur de potentia passiva seu de materia ut dicit ordinem ad esse simpliciter, ut patet ex 1. *de Cœlo* (*text.* 136; c. 12), ubi ait, quod ea, quæ generantur et corrumpuntur, a natura habent quod quandoque sint vel non sint, et quod eorum, quæ sunt hujusmodi, est eadem potentia contradictionis, scilicet ad esse et non esse: quia quod quandoque sint, quandoque non sint, habent ex materia, quæ subjicitur privationi vel formæ. — 1. *de Cœlo* l. 29.

Vel dic, quod nullum æternum habet potentiam passivam contradictionis ad esse et non esse simpliciter, habet tamen ad esse et non esse secundum quid aut secundum quale aut ubi, ut luna est in potentia ut sit illustrata a sole, et sol est in potentia, cum est in oriente, quod sit in occidente. — 9. *Metaphys.* l. 9 (4).

Ad sextum dicendum, quod sensus Philosophi in 1. *de Generat.* (l. c.) est, quod quæcunque agentia non habent eandem formam in materia, quæ sit ejusdem rationis cum passibilibus, hæc, cum sint de numero agentium sive activorum, sunt impassibilia; quæcunque autem habent formam in materia ejusdem rationis, agendo patiuntur. Et patet hoc ex his, quæ subdit; declarat enim, quæ dicatur una materia activorum et passivorum, et dicit quod di-

citur esse una materia cujuslibet, quæ est susceptiva contrariorum, quæ licet sit una subjecto, differt tamen secundum esse; substat enim duobus contrariis, quorum unum quia est in activo, alterum in passivo, ideo una materia dicitur esse activi et passivi. Cœlum autem non habet materiam ejusdem rationis cum materia sublunarium, cum in agendo non patiatur. — 1. *de Generat.* l. 20.

Ad septimum dicendum, quod Philosophus optime probat ex eo quod intelligentiæ sunt æternæ, quod debent carere materia, quæ sit potentia ad esse simpliciter; ibi enim rationem affert hujus dicti, quia quod potentia est, contingit non esse ; unde oportet quod substantia intelligentiæ moventis cœlum tota sit actus. — 12. *Metaphys.* l. 5 (4).

Ad octavum dicendum, quod licet ex generatione et corruptione primum deveniamus in cognitionem materiæ primæ (nam hæc proprie est, quæ est subjectum formæ substantialis et privationis; nam si materia prima de se haberet aliquam formam propriam, per eam esset aliquid actu, et sic, cum superinduceretur alia forma, non simpliciter materia per eam esset, sed fieret hoc vel illud ens, et sic esset generatio secundum quid et non simpliciter. Unde omnes ponentes primum subjectum esse aliquod corpus, ut aerem et aquam, posuerunt generationem idem esse quod alterationem); — ex mutatione tamen in universum possumus devenire in cognitionem materiæ, quomodo hanc inesse in omnibus substantiis sensibilibus probat Philosophus 8. *Metaphys.* (*text.* 4; l. 7, c. 1). — 8. *Metaphys.* l. 1.

ARTICULUS II

UTRUM CŒLUM HABEAT MATERIAM DIVERSÆ RATIONIS, AN EJUSDEM CUM MATERIA SUBLUNARIUM.

Videtur quod materia cœli sit ejusdem rationis cum materia sublunarium.

1. Philosophus enim (1. *Phys. text.* 79 et 80; c. 9) unam tantum materiam ponit; sed in illo libro determinat de mobili in communi: ergo omnium corporum cœlestium et sublunarium est una materia ejusdem rationis in omnibus. — 2. *Sent.* dist. 12, q. 1, a. 1, arg. 4.

2. Præterea, secundum Philosophum (2. *Metaphys. text.* 12; l. 1 min., c. 2) necesse est imaginari materiam in re mota; ergo quæcunque conveniunt in aliquo motu, videntur in materia convenire ; sed loci mutatio est communis superioribus et inferioribus corporibus: ergo et materia. — l. c. arg. 5.

3. Præterea, Philosophus dicit (5. *Metaphys. text.* 10; l. 4, c. 6), quod illa, quæ sunt unum in genere, sunt unum in materia; sed omnia corporalia conveniunt in genere corporis: ergo omnium corporum tam cœlestium quam sublunarium est una eademque materia. — 1a, q. 66, a. 2, arg. 2.

4. Præterea, diversus actus fit in diversa potentia, et unus in una; sed omnium corporum est una forma, scilicet corporeitas: ergo etiam est una materia. — *Ibid.* arg. 3; 2. *Sent.* dist. 12, q. 1, a. 1, arg. 1.

5. Præterea, materia in se considerata est solum in potentia, sed distinctio est per formas; ergo materia in se considerata est una tantum ejusdem rationis in corporibus cœlestibus et inferioribus. — 1a, l. c. arg. 4; 2. *Sent.* l. c. arg. 3.

6. Præterea, omne agens agit sibi simile; sed corpora cœlestia habent in inferioribus effectum caliditatis et humiditatis: ergo videtur quod qualitatibus afficiantur,et ita videtur quod sint de natura horum inferiorum, et consequenter quod conveniant in materia. — 2. *Sent.* dist. 14, q. 1, a. 2, arg. 3.

7. Præterea, si non esset eadem materia corporum cœlestium et sublunarium, oporteret quod materia esset composita ex eo quod est commune utrique materiæ, et ex eo quod facit diversitatem inter illas; quod tamen est falsum, cum materia sit omnino quid simplex et pura potentia: ergo dicendum est, quod materia corporum cœlestium et sublunarium sit ejusdem rationis. — 1. *de Cœlo* l. 6.

Sed contra: 1. quæcunque conveniunt in materia, sunt transmutabilia ad invicem, et agunt et patiuntur ad invicem, ut dicitur 1. *de Generat.* (*text.* 50 sqq.; c. 7); sed corpora cœlestia et inferiora non sic se habent ad invicem: ergo eorum materia non est una, et per consequens nec ejusdem rationis. — 1a, q. 66, a. 2, arg. *Sed contra.*

2. Præterea, quorumcunque non est una potentia, nec una materia: quia sicut forma est actus, ita materia est potentia; sed corporum inferiorum et superiorum non est potentia eadem, quia secundum Philosophum 8. *Metaphys.* (*text.* 4 et 12; l. 7, c. 1 et 4) et 12. *Metaphys.* (*text.* 10; l. 11, c. 2) in inferioribus est potentia ad esse, sed in superioribus tantum ad ubi; ergo non videtur quod sit materia ejusdem rationis in corporibus cœlestibus et sublunaribus. — 2. *Sent.* dist. 12, q. 1, a. 1, arg. 1 *Sed contra.*

3. Præterea, in quocunque invenitur aliquid, oportet invenire illud, a quo nunquam separatur; sed materia prima quæ est in inferioribus, nunquam separatur a privatione formæ, quia quandocunque est sub forma una, adjungitur illi privatio formæ alterius; privatio autem adjuncta materiæ inducit corruptibilitatem: ergo videtur quod materia prima inferiorum corporum non inveniatur in corporibus cœlestibus per suam naturam incorruptibilibus. — *Ibid.* arg. 2 *Sed contra.*

Respondeo dicendum, quod circa hoc fuerunt diversæ philosophorum opiniones. Plato enim et omnes philosophi ante Aristotelem posuerunt omnia corpora esse de natura quatuor elementorum; unde cum quatuor elementa communicent in materia una, ut mutua generatio et corruptio in eis ostendit, per consequens sequebatur quod omnium corporum sit una materia ejusdem rationis in illis. Quod autem quædam corpora sint incorruptibilia, Plato in *Timæo* adscribebat non conditioni materiæ, sed voluntati artificis, scilicet Dei, quem introducit corporibus cœlestibus dicentem, ut refert S. Augustinus *de Civ. Dei* (l. 13, c. 16; — Migne PP. L. t. 41, col. 388): natura vestra estis dissolubilia, voluntate autem mea indissolubilia, quia voluntas mea major est nexu vestro. — Hanc autem positionem Aristoteles (1. *de Cœlo* a *text.* 5 usque ad 19; c. 2 et 3) reprobat per motus naturales corporum. Cum enim corpus cœleste habeat naturalem motum diversum a naturali motu elementorum, sequitur quod ejus natura sit alia a natura quatuor elementorum. Et sicut motus circularis, qui est proprius corporis cœlestis, caret contrarietate, motus autem elementorum sunt invicem contrarii, ut qui est sursum, ei qui est deorsum: ita corpus cœleste est absque contrarietate, corpora vero elementaria sunt cum contrarietate. Et quia corruptio et generatio sunt ex contrariis, sequitur quod secundum suam naturam corpus cœleste sit incorruptibile, elementa vero sunt corruptibila. — 1a, q. 66, a. 2, c.

Sed non obstante hac differentia corruptibilitatis et incorruptibilitatis naturalis, Avicebron posuit unam materiam omnium corporum tam cœlestium quam inferiorum, attendens ad unitatem formæ corporalis. Verum hæc positio non est possibilis: primo, quia si forma corporeitatis esset una forma per se, cui supervenirent aliæ formæ quibus corpora distinguuntur, haberet id quod dicit talis positio necessitatem, quia illa forma immutabiliter materiæ inhæreret, et quantum ad illam esset omne corpus incorruptibile; sed corruptio accideret per remotionem sequentium formarum, quæ non esset corruptio simpliciter, sed secundum quid, quia privationi substerneretur aliquod ens actu; sicut etiam accidebat antiquis naturalibus, qui ponebant subjectum corporum aliquod ens actu, puta ignem aut aerem, aut aliquid hujusmodi. — 1a, l. c.

Supposito autem quod nulla forma, quæ sit in corpore corruptibili, remaneat ut substrata generationi et corruptioni, sequitur de necessitate quod non sit eadem materia corporum corruptibilium et incorruptibilium. Materia enim secundum id, quod est, est in potentia ad formam; oportet ergo quod materia secundum se considerata sit in po-

tentia ad formam omnium illorum, quorum est materia communis; per unam autem formam non fit in actu nisi quantum ad illam formam: remanet ergo in potentia quantum ad omnes alias formas. Nec hoc excluditur, si una illarum formarum sit perfectior et continens in se virtute alias: quia potentia, quantum est de se, indifferenter se habet ad perfectum et imperfectum. Unde sicut quando est sub forma imperfecta, est in potentia ad formam perfectam, ita e converso. Sic ergo materia, secundum quod est sub forma incorruptibilis corporis, erit adhuc in potentia ad formam corporis corruptibilis; et cum non habeat eam in actu, erit simul sub forma et privatione, quia carentia formæ in eo quod est in potentia ad formam, est privatio. Hæc autem dispositio est corruptibilis corporis. Impossibile ergo est quod corporis corruptibilis et incorruptibilis per naturam sit una materia. — 1a, q. 66, a. 2, c.

Nec tamen dicendum est, ut fingit Averroes (*de Substantia Orbis* c. 2), quod ipsum corpus cœleste sit materia cœli, ut est ens in potentia ad *ubi* et non ad *esse*, et quod forma ejus sit substantia separata, quæ uniatur ei ut motor; — quia, ut dictum est, impossibile est ponere aliquod ens actu, quin vel ipsum totum sit actus et forma, vel habeat actum seu formam. Remota ergo per intellectum substantia separata, quæ ponitur motor, si corpus cœleste non est habens formam (quod est componi ex forma et subjecto formæ), sequitur quod sit totum forma et actus. Omne autem tale est intellectum in actu, quod de corpore cœlesti dici non potest, cum sit sensibile. Relinquitur ergo quod materia corporis cœlestis secundum se considerata non est in potentia nisi ad formam, quam habet; nec refert ad propositum, quæcunque sit illa sive anima sive aliquid aliud. Unde illa forma sic perficit illam materiam, quod nullo modo in ea remanet potentia ad *esse*, sed ad *ubi* tantum, ut Aristoteles (1. *de Cœlo* a *text.* 20 usque ad 32; c. 3 et 4) dicit; et sic non est eadem materia corporis cœlestis et sublunaris nisi secundum analogiam, secundum quod conveniunt in ratione potentiæ. Unde cum Philosophus 1. *de Cœlo* (*text.* 91; c. 8) numerat cœlum inter elementa, et 3. *de Cœlo* (*text.* 1; c. 1) vocat cœlum primum elementorum, vel id dicit quia cœlum est pars præcipua universi, ut dicit Alexander, vel quia est corpus simplex; non autem quia sit in corporibus cœlestibus et elementis una materia ejusdem rationis in illis. — 1a, q. 66, a. 2, c.; 1. *de Cœlo* l. 18; 3. *de Cœlo* l. 1.

Ad primum ergo dicendum, quod Philosophus in libris *Phys.* nondum probaverat esse quintam essentiam, quod in 1. *de Cœlo* demonstrat; et ideo in libris *Phys.* nihil determinat de his, quæ sunt propria illius essentiæ, propter quod etiam tractatum de infinito replicat, ut dicit Commentator in 1. *de Cœlo.* — 2. *Sent.* dist. 12, q. 1, a. 1, ad 4.

Ad secundum dicendum, quod sicut in 1. *de Generat.* (*text.* 18 sqq.; c. 3) dicitur, materia est immediate subjectum generationis et corruptionis, aliorum autem motuum per prius et posterius, tanto plus quanto illud, secundum quod est mutatio, majorem perfectionem motus præsupponit. Et ideo in illis tantum est unitas materiæ primæ, quæ in generatione et corruptione conveniunt, et per consequens etiam illa, quæ conveniunt in tribus motibus, scilicet augmento et diminutione et alteratione, secundum quod augmentum et diminutio non est sine generatione et corruptione, quæ etiam alterationis terminus est. Sed loci mutatio, ut in 8. *Phys.* (*text.* 58; c. 7) probatur, est maxime perfecta, quia nihil variat de eo, quod est intrinsecum rei. Unde subjectum hujus motus est ens completum in esse primo et in omnibus proprietatibus intraneis rei; et talis motus convenit corpori cœlesti. Et ideo materia ejus est subjectum completum in istis inferioribus, ut dicit Commentator (*de Substantia Orbis* c. 2); unde remanet communitas materiæ secundum analogiam tantum. — 2. *Sent.* dist. 12, q. 1, a. 1, ad 5.

Ad tertium dicendum, quod si genus consideretur physice, corruptibilia et incor-

ruptibilia non sunt in eodem genere, propter diversum modum potentiæ in eis, ut dicitur 10. *Metaphys.* (*text.* 26 ; l. 9, c. 10) ; secundum autem logicam considerationem est unum genus omnium corporum, propter unam rationem corporeitatis. — 1a, q. 66, a. 2, ad 2.

Ad quartum dicendum, quod forma corporeitatis non est una in omnibus corporibus, cum non sit alia a formis, quibus corpora distinguuntur, ut dictum est (in c.). Corporeitas enim dupliciter dicitur : *uno modo* trina dimensio ; et hæc non est forma substantialis, sed accidentalis ; *altero modo* dicitur quædam forma, ex qua provenit trina dimensio ; et hæc non est alia a forma specifica. — *Ibid.* ad 3 ; *Quodl.* 12, a. 9, c.

Ad quintum dicendum, quod cum potentia dicatur ad actum, ens in potentia est diversum ex hoc ipso quod ordinatur ad diversum actum, sicut visus ad colorem et auditus ad sonum ; unde ex hoc ipso materia cœlestis corporis est alia a materia elementi, quia non est in potentia ad formam elementi. — 1a, q. 66, a. 2, ad 4.

Ad sextum dicendum, quod quando materia est proportionata ad recipiendam actionem secundum virtutem agentis, tunc agens facit sibi simile in specie et dicitur agens univocum ; quando autem materia non est proportionata ad recipiendam actionem secundum virtutem agentis, servatur quidem aliqua similitudo effectus ad agentem, secundum quod dicit Dionysius (*de Div. Nom.* c. 2, § 8 ; — Migne PP. Gr. t. 3, col. 646), quod habent causata causarum suarum contingentes imagines. Et tamen non oportet eodem modo inveniri aliquid in causa, quo est in effectu, sed eminentiori ; et ita etiam calor aliquo modo est in sole, non quidem denominans ipsum, ut dicatur calidus formaliter, sed effective secundum virtutem calefaciendi, quæ in eo est. — 2. *Sent.* dist. 14, q. 1, a. 2, ad 3.

Ad septimum dicendum, quod materia cœli est diversæ rationis a materia sublunarium, non quidem per aliquam compositionem, sicut dicit Philoponus, sed per habitudinem ad diversas formas, quarum una est totalis et alia partialis ; sic enim potentiæ diversificantur secundum diversitatem actuum, ad quos sunt. — 1. *de Cœlo* l. 6.

ARTICULUS III

UTRUM CŒLUM SIT ANIMATUM.

Videtur quod cœlum sit animatum.

1. Probat enim Philosophus (8. *Phys. text.* 34. sqq. ; c. 5), quod in genere mobilium primum est movens se ipsum, quia quod est per se, prius est eo quod est per aliud ; sola autem animata movent seipsa, ut in eodem lib. (*text.* 29 ; c. 4) ostenditur ; sed primum mobile est cœlum : ergo cœlum est animatum. — 1a, q. 70, a. 3, arg. 5 ; 2. *c. Gent.* c. 70 ; *de Spirit. Creat.* a. 6, arg. 6.

2. Præterea, motus cœli est naturalis, ut patet ex 1. *de Cœlo* (*text.* 7 sqq. ; c. 2) ; motus autem naturalis est a principio intrinseco ; cum igitur principium motus cœlestium corporum sit aliqua substantia intellectualiter apprehensiva, quæ movetur sicut intellectualiter desiderans a desiderato, ut probat Philosophus in 12. *Metaphys.* (*text.* 36 l. 11, c. 7), videtur quod principium apprehendens sit principium intrinsecum corporibus cœlestibus ; ergo sunt animata. — 1a, l. c. arg. 4 ; 12. *Metaphys.* l. 7 (5) ; 2. *c. Gent.* c. 70 ; 2. *de Cœlo* l. 3.

3. Præterea, Philosophus 2. *de Cœlo* (*text.* 13 ; c. 2) dicit, quod cœlum est animatum, et propter hoc oportet ponere in illo differentias positionis non solum quoad nos, sed etiam secundum se ; et 2. *de Anima* (*text.* 29 ; c. 3) dicit, quod quibusdam inest intellectivum et intellectus, ut hominibus, et si aliquid hujusmodi est activum aut etiam honorabilius, scilicet cœlum. Constat autem quod cœlum non habet animam sensitivam secundum opinionem Aristotelis ; haberet enim diversa organa, quæ non competunt simplicitati cœli, et ad hoc signandum subjungit Aristoteles, quod quibus de numero corruptibilium inest intellectus, insunt omnes aliæ potentiæ ; ut daret intelligere quod

aliqua incorruptibilia habent intellectum, quæ non habent alias potentias animæ, scilicet corpora cœlestia. Ergo secundum Philosophum cœlum est animatum anima, quæ sit forma ipsius. — 2. *c. Gent.* l. c. ; 2. *de Cœlo* l. 3.

4. Præterea, omnis motus corporis diversimode moti, est moti moventis se ipsum, quia quod movetur uno motu tantum, non videtur esse movens se ipsum, ut dicitur 8. *Phys.* (*text.* 29; c. 4); sed corpus cœleste movetur diversis motibus, unde planetæ ab astrologis quandoque dicuntur recti, quandoque retrogradi, quandoque stationarii : ergo motus superiorum corporum est mobilium moventium se ipsa, et sic corpora illa sunt composita ex substantia corporali et spirituali, quæ est anima. — *de Pot.* q. 6, a. 6, arg 9.

5. Præterea, nihil agit ultra speciem suam ; sed corpora cœlestia causant vitam in istis inferioribus, ut patet in animalibus ex putrefactione genitis per virtutem cœlestium corporum. Cum ergo substantia vivens sit nobilior non vivente, videtur quod corpora cœlestia habeant vitam, et ita erunt animata. — *Ibid.* arg. 10 ; 1a, q. 70, a. 3, arg. 3 ; *de Spirit. Creat.* a. 6, arg. 12.

6. Præterea, nobilioris corporis nobilior est forma ; sed corpus cœli est nobilius corpore humano, sicut perpetuum corruptibili : ergo si corporis humani forma est anima, multo magis forma cœli est anima. — *de Spirit. Creat.* l. c. arg. 2 ; 1a, l. c. arg. 2 ; *de Pot.* l. c. arg. 13.

7. Præterea, substantia spiritualis movens cœlum si esset extrinseca cœlo, non posset dici quod moveret cœlum solum volendo, quia sic ejus velle esset ejus agere, quod est solius Dei ; oporteret igitur quod aliquid immitteret ad movendum ; et sic cum ejus virtus sit finita, sequitur quod accideret ei fatigatio in movendo per diuturnitatem temporis ; quod est inconveniens, et maxime secundum ponentes æternitatem motus : ergo substantia spiritualis, quæ movet cœlum, est ei unita, et sic cœli erunt animati. — *de Spirit. Creat.* a. 6, arg. 8.

8. Præterea, sicut habetur 4. *Phys.* (*text.* 32 ; c. 4 ; et *text.* 133 ; c. 14), motores orbium inferiorum moventur per accidens, non autem motor superioris orbis ; sed motor orbis superioris unitur suo orbi ut motor : ergo motores orbium inferiorum uniuntur eis non solum ut motores, sed ut formæ, et sic ad minus inferiores orbes sunt animati. — l. c. arg. 9.

Sed contra est : 1. quod Philosophus (2. *de Cœlo text.* 50 ; c. 8) distinguit corpora cœlestia ab animalibus ; at si essent animata anima intellectiva, essent animalia, ut patet in hominibus : ergo corpora cœlestia non sunt animata. — 2. *de Cœlo* l. 13.

2. Præterea, dicit Philosophus (3. *de Anima text.* 61 ; c. 12), quod non potest corpus habere animam et intellectum, quin habeat etiam sensum, etiamsi tale corpus sit ingenerabile ; ergo si cœlum habet animam intellectivam, habebit etiam sensitivam ; sed hanc non habet ; nam supponit vegetativam, ut patet ex 2. *de Anima* (*text.* 3; c. 1) et 3. *de Anima* (*text.* 59 et 60; c. 12) ; vegetativa autem non est in cœlo, ut dicitur 1. *de Cœlo* (*text.* 20 et 21 ; c. 3), quia alioqui non esset æternum ; nam quod nutritur, non potest esse æternum : ergo cœlum non est animatum. — 3. *de Anima* l. 17 ; 2. *de Cœlo* l. 13 ; 1. *de Cœlo* l. 6 ; 2. *de Anima* l. 1.

3. Præterea, nullum corpus simplex potest esse animatum, ut dicitur 3. *de Anima* (*text.* 62 ; c. 12) ; sed cœlum est corpus simplex, ut probat Philosophus 1. *de Cœlo* (*text.* 7 sqq. ; c. 2) : ergo cœlum non est animatum. — 3. *de Anima* l. 17 ; 1. *de Cœlo* l. 3 et 4.

4. Præterea, si motor orbis esset anima ejus, moveretur per accidens ad ejus motum ; nam, ut dicitur 8. *Phys.* (*text.* 51 ; c. 6), moto corpore movetur et quod est in corpore, ut patet similiter in animabus animalium, quæ moventur per accidens ad motum corporum ; sed hoc est contra Philosophum, qui 8. *Phys.* (*text.* 52 ; c. 6) probat, oportere partem primi moventis se ipsum esse immobilem tam per se quam per accidens, cum causet motum sempiternum : ergo motor cœli non est anima ipsius, et sic cœlum

non erit animatum. — 8. *Phys.* l. 13; v. Ferrariensem in 2. *c. Gent.* c. 70.

5. Præterea, si cœlum esset animatum anima informante, cum hæc eadem ipsum cœlum moveat, non haberet talis anima motrix cœli determinatum situm in cœlo, sed esset in toto cœlo tamquam in subjecto adæquato, ut patet de anima intellectiva, quæ habet totum corpus pro subjecto adæquato; sed hoc est contra Philosophum, qui ponit intelligentiam moventem cœlum esse in ejus circumferentia, ut patet 8. *Phys.* (*text.* 84; c. 10): ergo cœlum non est animatum. — 8. *Phys.* l. 23.

Respondeo dicendum, quod circa hanc quæstionem fuerunt diversæ opiniones tam inter antiquos philosophos, quam etiam inter Doctores ecclesiasticos. Anaxagoras enim, ut refert S. Augustinus (*de Civ. Dei* l. 18, c. 41; — Migne PP. L. t. 41, col. 601) existimavit corpora cœlestia esse inanimata; dixit enim solem esse lapidem accensum, et ideo ab Atheniensibus occisus est. Plato vero et Aristoteles posuerunt corpora cœlestia esse animata anima intellectiva dante esse, unita tamen illi non propter operationem intellectualem, sed propter exsecutionem virtutis activæ, secundum quam potest adipisci divinam similitudinem in causando per motum cœli. Similiter etiam apud Doctores fidei fuit circa hoc diversa opinio. Origines enim (*Periarchon* l. 1, c. 7; — Migne PP. Gr. t. 11, col. 172) posuit corpora cœlestia animata. Hieronymus etiam idem sentire videtur, exponens illud *Eccle.* 1, 6: « Lustrans universa in circuitu pergit spiritus ». Basilius vero (*in Hexaem.* hom. 3; — Migne PP. Gr. t. 29, col. 75) et Damascenus (*de Fide Orthod.* l. 2, c. 6; — Migne PP. Gr. t. 94, col. 886) dicunt corpora cœlestia non esse animata. Augustinus vero (*de Genes. ad Litt.* l. 2, c. 18, et in *Enchirid.* c. 58; — Migne PP. L. t. 34, col. 280 et t. 40, col. 260) sub dubio relinquit, asserens ad fidem nil pertinere, utrum cœlum sit animatum, vel inanimatum, et quod, si sit animatum non ideo erunt in judicio tres ordines judicandorum, scilicet angelorum, hominum et animarum cœlestium, quia illæ computabuntur cum angelis. — 1a, q. 70, a. 3 et Cajetan. in h. loc.; 2. *c. Gent.* c. 70; *Quæst. disp. de Anima* a. 8, ad 3; *Quodl.* 12, a. 8; 2. *de Cœlo* l. 3; *de Spirit. Creat.* a. 6, c.

Quia tamen probabilior est sententia negantium corpora cœlestia esse animata, ideo ad illius manifestationem considerandum est, quod unio animæ et corporis est propter animam, non autem propter corpus; non enim forma est propter materiam, sed e converso. Natura autem et virtus animæ deprehenditur ex ejus operatione, et etiam quodammodo est finis ejus. Invenitur autem corpus nostrum necessarium ad aliquam operationem animæ, quæ mediante corpore exercetur, sicut patet in operibus animæ sensitivæ et nutritivæ. Unde necesse est tales animas esse unitas corporibus propter suas operationes. Est autem aliqua operatio animæ quæ non exercetur mediante corpore, sed tamen ex corpore aliquod adminiculum tali operationi exhibetur, sicut per corpus exhibentur animæ humanæ phantasmata, quibus indiget ad intelligendum. Unde etiam talem animam necesse est uniri corpori propter suam operationem, licet contingat ipsam separari. Manifestum est autem, quod anima cœlestis corporis non potest habere operationes animæ nutritivæ, quæ sunt nutrire, augere et generare; hujusmodi enim operationes non competunt corpori incorruptibili per naturam. Similiter etiam nec operationes animæ sensitivæ cœlesti corpori conveniunt, quia omnes sensus fundantur super tactum, qui est apprehensivus qualitatum elementarium. Omnia etiam organa potentiarum sensitivarum requirunt determinatam proportionem secundum commixtionem aliquam elementorum, a quorum natura corpora cœlestia ponuntur remota. — 1a, q. 70, a. 3.

Relinquitur ergo quod de operationibus animæ nulla potest competere cœlesti animæ nisi duæ, intelligere et movere; nam appetere consequitur sensum et intellectum, et cum utroque ordinatur. Intellectus autem operatio, cum non exerceatur per corpus, non indiget corpore, nisi in quantum ei per

sensus ministrantur phantasmata. Operationes autem sensitivæ animæ corporibus cœlestibus non conveniunt, ut dictum est. Sic igitur propter operationem intellectualem anima cœlesti corpori non uniretur; relinquitur ergo quod propter solam motionem. Ad hoc autem, quod moveat, non oportet quod uniatur ei ut forma, sed per contactum virtutis, sicut motor unitur mobili. Unde Aristoteles (8. *Phys. text.* 40, 41, 42, 43; c. 5), postquam ostendit, quod primum movens se ipsum componitur ex duabus partibus, quarum una est movens et alia mota, assignans quomodo hæ duæ partes uniantur, dicit, quod per contactum vel duorum ad invicem, si utrumque sit corpus, vel unius ad alterum, et non e converso, si unum sit corpus et aliud non corpus. — Quare probabilius est, quod cœlum non sit animatum anima intellectiva informante, sed tantum assistente atque adeo unita illi tantum ut motor unitur mobili. — 1a, q. 70, a. 3, c.

Ad primum ergo dicendum, quod cœlum dicitur movere se ipsum, in quantum componitur ex motore et mobili, non sicut ex forma et materia, sed secundum contactum virtutis. Et hoc etiam modo potest dici, quod ejus motor est principium intrinsecum, ut sic etiam motus cœli possit dici naturalis ex parte principii activi, sicut motus voluntarius dicitur esse naturalis animali, in quantum est animal, ut dicitur 8. *Phys.* (*text.* 27; c. 4.) — 1a, q. 70, a. 3, ad 5.

Ad secundum dicendum, quod motus cœli est naturalis, *et* propter principium passivum, quia scilicet habet aptitudinem ut tali motu ab intellectu moveatur, *et* propter principium activum, ut dictum est (ad primum), quia substantia spiritualis, quæ movet cœlum, habet virtutem naturalem determinatam ad talis corporis motum, sicut similiter corpus cœli habet naturalem aptitudinem ut tali motu moveatur. — *de Spirit. Creat.* a. 6, ad 7.

Ad tertium dicendum, quod vere Philosophus sentit cœlum esse animatum anima dante esse, et quod propterea secundum se habet differentias positionum. Qui vero negant cœlum esse animatum, negant etiam hujusmodi positiones non solum quoad nos, sed etiam secundum se. — 2. *c. Gent.* c. 70.

Ad quartum dicendum, quod retrogradatio, quæ videtur in planetis, et statio et directio non provenit ex difformitate motus unius et ejusdem mobilis, sed ex diversis motibus diversorum mobilium, vel ponendo excentricos et epicyclos secundum Ptolemæum, vel ponendo diversitatem motuum secundum diversitates polorum, sicut alii posuerunt. Et tamen si etiam difformiter moverentur corpora cœlestia, per hoc non magis ostenderetur, quod moverentur a motore voluntario conjuncto, quam quod a separato. — *de Pot.* q. 6, a. 6, ad 9.

Ad quintum dicendum, quod corpora cœlestia, etiamsi non sint animata, moventur tamen a substantia vivente separata, cujus virtute agunt sicut instrumentum virtute principalis agentis, et ex hoc causant in inferioribus vitam. — l. c. ad 10; *Tabula Aurea* voce « cœlum » n. 100, 105.

Ad sextum dicendum, quod nihil prohibet aliquid esse nobilius simpliciter, quod tamen non est nobilius quantum ad aliquid. Forma ergo cœlestis corporis licet non sit secundum se et secundum suam essentiam simpliciter nobilior anima animalis, est tamen nobilior quantum ad rationem formæ, seu in quantum est forma et actus; perficit enim totaliter suam materiam ejusque potentiam totaliter implet, ut non sit in potentia ad aliam formam, quod anima non facit, et secundum quod format corpus; perfectiori enim modo perficit materiam, cui præbet esse incorruptibile. — 1a, q. 70, a. 3, ad 2; *de Spirit. Creat.* a. 6, ad 2; *de Pot.* q. 6, a. 6, ad 13.

Ad septimum dicendum, quod probabiliter dicitur, quod imperio voluntatis substantia spiritualis movet cœlum. Quamvis enim materia corporalis secundum formalem transmutationem non obediat ad nutum spiritui creato, sed soli Deo, ut Augustinus dicit (*de Trin.* l. 3, c. 8; — Migne PP .L. t. 42, col. 875); tamen quod ei ad nutum

obedire possit secundum transmutationem localem, etiam in nobis apparet, in quibus statim ad imperium voluntatis sequitur motus corporalium membrorum. Si tamen supra imperium voluntatis etiam addatur influxus virtutis, non propter hoc sequitur fatigatio ex finitate virtutis; quælibet enim virtus superioris ordinis, licet sit finita in se et respectu sui superioris, est tamen infinita respectu suorum inferiorum, sicut etiam virtus solis est infinita respectu generabilium et corruptibilium, per quorum productionem, etiamsi in infinitum esset, non minoraretur; et similiter virtus intellectus est infinita respectu formarum sensibilium. Et sic etiam virtus substantiæ spiritualis, quæ movet cœlum, est infinita respectu motus corporalis; unde non sequitur in ea fatigatio. — *de Spirit. Creat.* a. 6, ad 8.

Ad octavum dicendum, quod anima, quæ movet animalia corruptibilia, unitur eis secundum esse; sed substantia spiritualis, quæ movet cœlestia corpora, unitur eis secundum moveri tantum. Unde moveri per accidens attribuitur animæ corruptibilis animalis ratione sui ipsius; oportet enim quod moto corpore, cum quo est unum secundum esse, ipsamet per accidens moveatur. Sed moveri per accidens attribuitur motori inferioris orbis non ratione sui ipsius, sed ratione mobilis, in quantum scilicet inferior orbis movetur per accidens, ut delatus motu superioris; motor vero superioris orbis neutro modo per accidens movetur, quia orbis ejus non defertur, sed alios defert. — *Ibid.* ad 9.

Ad primum vero eorum, quæ in *contrarium* objiciuntur, quatenus probant Philosophum non sensisse corpora cœlestia esse animata anima intellectiva dante esse, dicendum, quod ideo Philosophus (2. *de Cœlo text.* 50; c. 8) non vocat stellas et corpora cœlestia animalia, quia, ut ait Alexander, sensitivum constituit animal; in cœlestibus autem corporibus, si sunt animata, non est virtus animæ sensitivæ, sicut neque etiam nutritivæ. Unde non dicuntur animalia nisi æquivoce, ex eo scilicet quod habent animam intellectivam. — 2. *de Cœlo* l. 13.

Ad secundum dicendum, quod Philosophus loco citato per corpus ingenerabile non intelligit corpus cœleste, quod patet ex hoc quod cœlum est mansivum et in eodem loco secundum totum, ipse autem loquitur de corpore non mansivo; sed intelligit corpora quorumdam animalium, quæ Platonici dæmones nominabant, dicentes eos esse animalia, corpore aerea, mente rationalia, animo passiva, tempore æterna. Et de hujusmodi animalium corporibus vult Philosophus ostendere, quod non est possibile, quod habeant intellectum sine sensu, sicut Platonici posuerunt, ut interrogative legatur, quod dicitur: « quare enim non habebit hujusmodi corpus sensum ? » — quasi diceret: non est hujus rationem assignare. Si enim non habet, aut hoc est propter bonum animæ, aut propter bonum corporis; sed neutrum horum est, quia sine sensu anima ejus intelligit melius, neque corpus magis conservabitur. Et ex hoc directe sequitur conclusio, quam inducit, quod nullum corpus mobile habens animam careat sensu. Apparet autem, hanc esse intentionem Aristotelis, ex hoc quod immediate subjungit, quod impossibile est aliquod corpus simplex esse corpus animatum. — 2. *de Cœlo* l. 13; 3. *de Anima* l. 17.

Ad tertium dicendum, quod nullum corpus simplex potest esse animatum anima intellectiva, quæ simul sit sensitiva et nutritiva; potest autem esse animatum anima pure intellectiva, cujusmodi est intelligentia, quæ unitur corpori cœlesti ut forma propter motum et actionem, non quidem simpliciter, quia sine tali unione posset agere et movere, sed propter actionis nobilitatem. Nam substantia spiritualis, quæ determinata est ad motum cœli, quod sine labore movet, nobilius operatur et agit per motum cœli, si illi uniatur secundum esse, quam si sit ab eo separata; perfectior enim actio est, quam quis agit per instrumentum conjunctum, ea quam agit per instrumentum separatum. — 2. *de Cœlo* l. 3 et 13; 3. *de Anima* l. 17; *Quæst. disp. de Anima* a. 8, ad 3.

Ad quartum dicendum, quod duplex est motor orbis: *unus* movens per modum finis, et hic est omnino immobilis et per se et per accidens. *Alter* secundum Philosophum est movens effective per modum formæ, et hic movetur per accidens ad motum totius, cujus est forma, non quidem ita quod varietur ejus dispositio ad corpus, sed sine ulla variatione eodem modo se habeat ad illud, cum ab illo non dependeat in esse, quomodo dependent animæ animalium, excepta rationali, quæ propterea movetur per accidens, recipiendo variam dispositionem ad corpus. Non autem movetur per accidens intelligentia, si moveret cœlum ut motor mobile, non autem ut forma dans esse. — *de Spirit. Creat.* a. 5, c.; 8. *Phys.* l. 13; v. Ferrariensem in 2. *c. Gent.* c. 70; *Tabula Aurea* voce « cœlum » n. 139 et 140.

Ad quintum dicendum, quod intelligentia, quæ est anima cœli, non habet determinatum situm in cœlo secundum determinationem suæ substantiæ ad unam partem cœli, sed per influentiam et efficientiam motus, quia ex aliqua parte sui mobilis movere incipit. — 8. *Phys.* l. 23.

ARTICULUS IV

UTRUM CŒLUM SIT INGENERABILE ET INCORRUPTIBILE.

Videtur quod cœlum sit generabile et corruptibile: —

1. quia corpora stellarum videntur habere diversitatem ad corpora sphærarum cœlestium ex eo quod sunt lucida et spissiora, et ita videtur in corporibus cœlestibus esse aliqua contrarietas; sed contrarietas est causa corruptionis: ergo videtur quod corpora cœlestia sint corruptibilia secundum suam naturam. — 2. *de Cœlo* l. 10.

2. Præterea, Plato posuit cœlum esse genitum et similiter totum mundum; sed illud quod est genitum, est generabile: ergo cœlum est generabile. — 1. *de Cœlo* l. 6.

3. Præterea, omnis virtus corporis finiti est finita, ut probatur 8. *Phys.* (*text.* 78 sqq.; c. 10); sed virtus finita non potest se extendere ad durationem infinitam; unde per virtutem finitam non potest aliud moveri tempore infinito, ut ibidem probatur: ergo cœlum non habet virtutem ut sit infinito tempore, et per consequens erit corruptibile. — *Ibid.*

4. Præterea, in omni corpore naturali est materia et privatio, ut patet ex 1. *Phys.* (*text.* 66; c. 7), et in cœlo materia stellæ habet privationem formæ totius cœli; sed ubicunque est materia cum privatione, et est sufficiens subjectum transmutationis substantialis, ut dictum est, et per consequens est potentia ad corruptionem: ergo cœlum est corruptibile. — *Ibid.*

5. Præterea, si cœlum est ingenerabile et incorruptibile, maxime propter rationem Philosophi (1. *de Cœlo text.* 20; c. 3), quia omne generabile fit ex contrario; cœlo autem nihil est contrarium, quia contrariorum contrarii sunt motus; motui autem circulari cœli nullus motus est contrarius. Sed hæc ratio nulla est, *tum* quia, cum substantiæ non sit aliquid contrarium, ut manifestum est in animalibus et plantis, sequeretur nullam substantiam generari, quod est falsum; *tum* quia ignis in propria sphæra et suprema pars aeris circulariter moventur, ut dicitur 1. *Meteorol.* (c. 4, al. 3), et tamen aeri et igni est aliquid contrarium; unde licet motui cœli nihil sit contrarium, potest tamen ipsi cœlo esse aliquid contrarium, et per consequens poterit cœlum esse generabile et corruptibile: ergo dicendum est ita esse. — 1. *de Cœlo* l. 6.

6. Præterea, motus circularis ab oriente in occidentem contrariatur motui ab occidente in orientem; sed firmamentum motu diurno ab oriente in occidentem, planetæ vero propriis motibus moventur ab occidente in orientem: ergo in cœlo est contrarietas, et consequenter corruptibilitas. — 1. *de Cœlo* l. 8.

7. Præterea, cœlum est alterabile; manifeste enim patet lunam a sole illuminari et per umbram terræ obscurari; sed quod est alterabile, est generabile et corruptibile;

nam alteratio terminatur ad generationem et corruptionem : ergo etc. — 1. *de Cœlo* l. 7.

Sed contra est, quod Philosophus 1. *de Cœlo text.* 20 (c. 3) negat cœlum esse generabile et corruptibile, et *text.* 21 (c. 3) negat alterari ; ergo cœlum est ingenerabile et incorruptibile ; nam alteratio prærequiritur ad omnem generationem et corruptionem, cum sit prima inter omnes alios motus, excepto locali. — 1. *de Cœlo* l. 6 et 7; 2. *de Cœlo* l. 10.

Respondeo dicendum, quod cœlum est ingenerabile et incoruptibile. Quod *probatur primo*, quia omne generabile fit ex contrario et subjecto quodam sive materia. Nam ex contrario fit aliquid sicut ex non permanente ; ex subjecto vero sicut ex permanente, ut patet ex 1. *Phys.* (*text.* 61 ; c. 7); et similiter etiam omne corruptibile corrumpitur existente aliquo subjecto ; et præterea omnis corruptio est a contrario activo et terminatur in contrarium ; sed corpori cœlesti nihil est contrarium. Nam contrariorum contrarii sunt motus, sicut leve movetur sursum et grave deorsum ; motui autem naturali cœli nihil est contrarium. — 1. *de Cœlo* l. 6.

Tripliciter enim potest fingi contrarietas in motu circulari : primo, ut motui circulari sit contrarius rectus ; secundo, ut sit contrarietas in ipsis partibus motus circularis ; tertio, ut uni motui circulari sit contrarius alius motus circularis. Nullo autem horum modorum potest aliquid esse contrarium motui circulari. Non quidem primo, quia unum uni est contrarium ; motui autem recto contrariatur alius motus rectus, ut motui sursum motus deorsum. Neque secundo, quia neque est contrarietas in partibus motus circularis, quæ accipiuntur secundum diversas portiones circuli, quæ designantur inter duo puncta ; neque in partibus, quæ accipiuntur secundum eumdem semicirculum ; neque in his, quæ accipiuntur secundum duos semicirculos, ut fuse probat Philosophus (1. *de Cœlo text.* 27 sqq. ; c. 4). Neque tertio, quia tales motus incipiunt ab eodem et terminantur in idem, cum tamen motus contrarius sit is, qui est a contrario in contrarium ; Ergo dicendum est, quod corpori cœlesti nihil est contrarium, et consequenter, quod neque est generabile et corruptibile. — 1. *de Cœlo* l. 8.

Quod *secundo probatur*, quia in corpore cœlesti non est mutatio alicujus formæ substantialis, sed solum est privatio alicujus *ubi;* nam cum ejus forma repleat totam potentialitatem materiæ (cum sit quædam totalis et universalis perfectio, ut manifestum est ex hoc, quod virtus activa ejus est universalis, non particularis, sicut virtus inferiorum corporum, quorum formæ, tanquam particulares existentes, non possunt replere totam potentialitatem materiæ ; unde simul cum una forma remanet in materia privatio alterius formæ), non remanet in materia cœli privatio alterius formæ, quæ apta sit inesse, et ideo non est ejusdem rationis cum materia horum inferiorum, et per consequens non est mutabile secundum generationem et corruptionem secundum suam naturam, sed solum secundum *ubi*, utpote primum in genere mobilium et propinquissimum rebus immobilibus ; unde est quod minimum habet de motu. Movetur enim solum motu locali, qui nihil variat intrinsecum rei, et inter motus locales habet motum circularem, qui etiam minimum variationis habet, quia in motu sphærico totum non mutat suum *ubi* subjecto, sed solum ratione, ut probatur 6. *Phys. text.* 85 (c. 9); sed partes mutant *ubi* diversum etiam subjecto. — 1. *de Cœlo* l. 6.

Ceterum, licet cœlum sit ingenerabile et incorruptibile secundum suam naturam, non tamen dicimus secundum fidem catholicam quod cœlum semper fuerit, licet dicamus quod semper sit duraturum. Neque hoc est contra positionem et demonstrationem Philosophi supra allatam, qua probat cœlum esse ingenerabile et incorruptibile ; non enim dicimus, quod inceperit esse per generationem, sed per effluxum a primo principio, a quo perficitur totum esse omnium rerum, sicut etiam philosophi posuerunt ; a quibus tamen in hoc differimus,

quod illi ponunt, Deum produxisse cœlum coæternum sibi; nos vero ponimus, cœlum esse productum a Deo secundum totam sui substantiam, in aliquo determinato principio temporis. — 1. *de Cœlo* l. 6.

Ad primum ergo dicendum, quod non omnis diversitas, proprie loquendo, habet rationem contrarietatis; sed ad hoc quod aliqua diversa sint contraria, duo requiruntur: quorum *unum* est, quod sint nata aliqualiter esse in eodem subjecto vel proximo vel saltem remoto; calor enim contrariatur frigori, quod tamen non est natum esse in igne, sed est natum esse in materia ignis, quæ est primum subjectum. *Secundo* requiritur, quod diversa, quæ sunt contraria, non possint esse simul, sed mutuo se expellant. Unde album et nigrum, secundum quod sunt in materia, sunt contraria mutuo se expellentia; secundum quod tamen in sunt intellectu, non habent contrarietatem, sed sunt simul; quinimo unum eorum cognoscitur per aliud. — 2. *de Cœlo* l. 10.

Formæ autem vel qualitates diversæ, quæ videntur esse in corporibus cœlestibus, nullo modo natæ sunt esse in eodem, nec sicut in proximo nec sicut in primo subjecto; non enim corpus stellæ natum est reduci ad dispositionem ceterarum partium sphæræ cœlestis, sed nec e converso. Similiter autem oportet dicere formas seu qualitates contrarias, quæ sunt in inferioribus, esse aliqualiter in corporibus cœlestibus, non quidem univoce, sed sicut in causis universalibus per quandam similitudinem, ad modum, quo formæ, quæ sunt particulariter in materia sensibili, sunt universaliter in intellectu; et ideo sicut in intellectu non sunt sub ratione contrarietatis, ita nec in corporibus cœlestibus sunt sub tali ratione. Unde et Plato dixit, quod in corporibus cœlestibus sunt excellentiæ seu sublimitates elementorum, quasi primordialia eorum activa principia; comparantur enim corpora cœlestia ad elementaria sicut activa ad passiva. — *Ibid.*

Et ideo e contrario accidit in corporibus cœlestibus et elementaribus. Nam hæc quanto magis congregantur per inspissationem, tanto sunt magis materialia et passiva et minus habentia de luce; sicut patet in terra, quæ etiam dominatur in corporibus mixtis; sed in illis quanto est major congregatio per modum inspissationis, tanto magis multiplicatur luminositas et virtus activa, sicut patet in ipsis corporibus stellarum. Sic igitur patet, quod talis diversitas, quæ in corporibus cœlestibus apparet, non videtur habere rationem contrarietatis; unde non sequitur, quod sint susceptiva corruptionis; sequeretur autem hoc, si ibi esset vera contrarietas, sicut 1. *de Cœlo* (*text.* 10; c. 3) Aristoteles ostendit. — *Ibid.*

Ad secundum dicendum, quod Plato posuit cœlum genitum, non quia sit per generationem productum, sed quia necesse est quod habeat esse ab aliqua superiori causa, utpote multitudinem et distinctionem in suis partibus habens, per quod signatur esse ejus a primo uno causari, a quo oportet multitudinem causari. — 1. *de Cœlo* l. 6.

Ad tertium dicendum, quod illud, quod requirit virtutem infinitam, oportet esse infinitum. Infinitum autem secundum Philosophum (1. *Phys. text.* 15; c. 2) pertinet ad quantitatem, ita quod illud, quod quantitate caret, neque finitum neque infinitum est; motus autem quantitatem habet, quæ mensuratur tempore et magnitudine, ut patet ex 6. *Phys.* (*text.* 36; c. 4). Et ideo virtus, quæ potest in motum æternum, potest effectum infinitum, et propter hoc talem virtutem oportet esse infinitam. Ipsum autem esse alicujus rei secundum se consideratum non est quantum; non enim habet partes, sed totum est simul. Accidit autem ei quod sit quantum, *uno* quidem *modo* secundum durationem, in quantum est subjectum motui et consequenter tempori, sicut esse rerum variabilium. Unde virtus cujuslibet rei temporalis, cujus esse subjectum est variationi, non potest nisi in durationem finitam. *Alio* autem *modo* esse alicujus rei potest per accidens dici quantum ex parte subjecti, quod habet determinatam quantitatem. Quoniam ergo esse cœli non est subjectum variationi nec tempori, non est quantum quantitate durationis et per consequens ne-

que finitum neque infinitum; est autem quantum quantitate corporis extensi, et secundum hoc est finitum. Et ideo dicendum, quod virtus essendi corporis cœlestis est finita; nec tamen hinc sequitur, quod sit ad essendum tempore finito, quia finitum et infinitum tempus accidit ipsi esse rei, quod non est subjectum varietati temporis; non tamen posset hujusmodi virtus habere esse in infinita magnitudine vel etiam in majori, quam sit magnitudo cœlestis corporis, — 1. *de Cœlo* l. 6.

Ad quartum dicendum, quod in materia cœli, cum sit diversæ rationis a materia sublunarium, non est potentia cum privatione formæ substantialis, quæ sit nata inesse tali potentiæ, sed tantum est privatio alicujus *ubi*. Et quod dicitur de toto corpore cœlesti, idem dicitur de parte respectu aliarum partium; corpus enim stellæ non est natum reduci ad dispositionem ceterarum partium sphæræ cœlestis, nec e converso, ut dictum est (ad primum et in c.) — 1. *de Cœlo* l. 6.

Ad quintum dicendum, quod substantiæ non est contrarium aliquod compositum vel secundum materiam vel secundum formam; est tamen illi aliquid contrarium secundum propriam dispositionem ad talem formam, sicut ignis dicitur contrarius aquæ contrarietate calidi et frigidi; et talis contrarietas reperitur in omnibus quæ generantur et corrumpuntur. Hujusmodi autem contrarietatem consequitur contrarietas motuum secundum grave et leve, per quorum subtractionem intelligitur corpus cœleste esse exemptum ab omnibus aliis contrariis, quæ comitantur grave et leve. Quod vero attinet ad id, quod dictum est de aere et igne, dicendum est, quod illa non moventur circulariter quasi proprio motu, sed deferuntur per motum cœli; corpora autem cœlestia moventur circulariter proprio motu; unde non est similis ratio. — 1. *de Cœlo* l. 6.

Ad sextum dicendum, quod tales motus habent quidem diversitatem ad invicem, quæ designat aliquo modo diversitatem mobilium; non tamen est aliqua contrarietas, propter tria: *primo* quidem, quia hujusmodi diversitas non est secundum contrarios terminos, sed secundum contrarias vias perveniendi ad eundem terminum; puta quia firmamentum a puncto orientis movetur ad punctum occidentis per hemisphærium superius, et redit ad punctum orientis per hemisphærium inferius; et planeta movetur a puncto occidentis ad orientem per aliud hemisphærium. Moveri autem diversis viis ad eundem finem, non facit contrarietatem actionum vel motuum, sed pertinet ad diversum ordinem motuum vel mobilium: quia quod nobiliori via pertingit ad terminum, est nobilius, sicut melior est medicus, qui efficaciori via sanitatem inducit. Et inde est quod primus motus firmamenti est nobilior secundo motu, qui est planetarum, sicut et supremus orbis est nobilior; unde et orbes planetarum moventur motu primi orbis, absque hoc quod impediantur a suis motibus propriis. — *Secunda ratio* est, quia quamvis uterque motus sit super idem centrum, est tamen uterque motus super alios et alios polos; unde non sunt contrarii. — *Tertia ratio* est, quia non sunt in eodem circulo, sed motus planetarum sunt in inferioribus circulis; oportet autem contrarietatem attendi circa eandem distantiam, sicut patet in motibus rectis, quorum contrarietas consistit in distantia centri et circumferentiæ. — 1. *de Cœlo* l. 8.

Ad septimum dicendum, quod duplex est alteratio: una passiva seu corruptiva, secundum quam ita aliquid abjicitur, quod etiam aliquid aliud additur; sicut cum aliquid alteratur de calido in frigidum, amittit calorem et accipit frigiditatem; et tali alteratione non alteratur cœlum, et hanc removet Philosophus a cœlo (1. *de Cœlo text.* 22; c. 3). Est autem altera alteratio perfectiva, quæ fit secundum quod aliquid ab alio perficitur absque alterius abjectione; qualem alterationem ponit Philosophus in 2. *de Anima* (*text.* 57; c. 5); et hanc nil prohibet esse in cœlis, quorum quidam recipiunt virtutes ab aliis secundum conjunctiones et varios aspectus, absque hoc quod aliquid eorum propriam virtutem amittat. — 1. *de Cœlo* l. 7.

QUÆSTIO XXX

DE UNITATE ET PLURALITATE CŒLORUM.

Deinde considerandum est de unitate et pluralitate cœlorum.

CIRCA QUÆ QUÆRUNTUR DUO:

1. Utrum cœlum sit unum tantum, an vero plures.
2. Utrum omnes cœli sint ejusdem speciei.

ARTICULUS I

UTRUM CŒLUM SIT UNUM TANTUM, AN VERO SINT PLURES.

Videtur quod cœlum sit unum tantum.

1. Dicit enim Philosophus 1. *de Cœlo text.*) 90; c. 8) et 12. *Metaphys.* (*text.* 49; l. 11, c. 8), quod necesse est esse unum cœlum; ergo secundum Philosophum non sunt plures cœli, sed unum. — 12. *Metaphys.* l. 10 (7); 1. *de Cœlo* l. 18.

2. Præterea, cœlum contra terram dividitur, cum dicitur *Genes.* 1, 1: « In principio creavit Deus cœlum et terram »; sed terra est una tantum; ergo cœlum est unum tantum. — 1a, q. 68, a. 4, arg. 1.

3. Præterea, omne quod constat ex tota sua materia, est unum tantum; sed cœlum est hujusmodi, ut probat Philosophus (1. *de Cœlo text.* 95; c. 9): ergo cœlum est unum. — *Ibid.* arg. 2.

4. Præterea, quidquid dicitur de pluribus univoce, dicitur de iis secundum unam rationem communem; sed si sunt plures cœli, cœlum dicitur univoce de pluribus; quia si æquivoce, non proprie dicerentur plures cœli: oportet ergo, si dicuntur plures cœli, quod sit aliqua ratio communis, secundum quam dicantur plures cœli; hanc autem non est assignare: non est ergo dicendum, quod sint plures cœli. — *Ibid.* arg. 3.

Sed contra est: 1. quod Philosophus (12. *Metaphys.* a *text.* 45; l. 11, c. 8) probat, plures esse cœlos, ex pluribus motibus. — 12. *Metaphys.* l. 9 (6) et 10 (7).

2. Præterea, dicitur in *Psalmis*: « Laudate Deum cœli cœlorum »; ergo sunt plures cœli et non unum tantum.

Respondeo dicendum, quod cœli sunt plures. Cujus ratio est, quia uni corpori simplici debetur unus motus simplex, ut dicit Philosophus 1. *de Cœlo* (*text.* 8; c. 2); cœlum autem est corpus simplex, ut dicitur ibidem; et in cœlo percipiuntur plures motus simplices; nam planetæ tum per comparationem ad invicem, tum per comparationem ad stellas fixas habent motus specie diversos: ergo et cœli erunt plures. Quot vero sint, non consentiunt tam antiqui philosophi, ut videre est apud Philosophum 12. *Metaphys.* (*text.* 42 sqq.; l. 11, c. 8), quam Doctores ecclesiastici, cum ex Scripturis non ita certus numerus colligatur, cum aliquando plures, aliquando pauciores significentur. — 1. *de Cœlo* l. 4; 2. *de Cœlo* l. 16; 1a, q. 68, a. 4, c.

Ad distinctionem ergo cœlorum considerandum est, quod *cœlum* tripliciter sumitur in Scripturis. Quandoque enim dicitur *proprie* et naturaliter. Et sic dicitur cœlum corpus aliquod sublime, et luminosum actu vel potentia, et incorruptibile per naturam. Et secundum hoc ponuntur tres cœli: primum totaliter lucidum, quod vocant empyreum; secundum totaliter diaphanum, quod vocant cœlum aqueum et crystallinum; tertium partim diaphanum et partim lucidum actu, quod vocant cœlum sidereum, et dividitur in octo sphæras, scilicet in sphæram stellarum fixarum, et septem sphæras planetarum, quæ possunt dici septem sphæræ. — 1a, q. 68, a. 4, c.

Secundo, dicitur cœlum *per participationem* alicujus proprietatis cœlestis corporis, scilicet sublimitatis et luminositatis actu vel potentia. Et sic totum illud spatium, quod est ab aquis usque ad orbem lunæ, Damascenus (*de Fide Orthod.* l. 2, c. 6; — Migne PP. Gr. t. 94, col. 883) ponit unum cœlum, nominans illud aereum; et sic secundum eum sunt tres cœli: aereum, sidereum et

aliud superius, de quo intelligitur quod legitur de D. Paulo, quod raptus fuit usque ad tertium cœlum. Sed quia istud spatium conjungit duo elementa, scilicet ignis et aeris, et in utroque eorum vocatur superior et inferior regio, ideo istud cœlum Rabanus (*in Genes.* l. 1, c. 1; — Migne PP. L. t. 107, col. 445) distinguit in quatuor: supremam regionem ignis nominans cœlum igneum, inferiorem vero regionem cœlum olympicum ab altitudine cujusdam montis, qui vocatur Olympus; supremam vero regionem aeris vocat cœlum æthereum propter inflammationem, inferiorem vero regionem cœlum aereum. Et sic, cum isti quatuor cœli tribus superioribus connumerentur, fiunt in universo secundum Rabanum septem cœli corporei. — 1a, q. 68, a. 4, c.

Tertio dicitur cœlum *metaphorice*, et sic quandoque ipsa Sancta Trinitas dicitur cœlum, propter ejus spiritualem sublimitatem et lucem; de quo cœlo exponitur, diabolum dixisse (*Isai.* 14, 13): « Ascendam in cœlum », id est ad æqualitatem Dei. — Quandoque etiam spiritualia bona, in quibus est Sanctorum remuneratio, propter eorum eminentiam cœli nominantur, quomodo exponitur a S. Augustino (*de Serm. Domini in Monte* l. 1, c. 5; — Migne PP. L. t. 34, col. 1237) illud Scripturæ: « Merces vestra multa est in cœlis » (*Matth.* 5, 12). Quandoque vero tria genera supernaturalium visionum, scilicet corporalis, imaginariæ et intellectualis, tres cœli nominantur, de quibus Augustinus (*de Genes. ad Litt.* l. 12, c. 29 et 34; — Migne PP. L. t. 34, col. 478 et 482) exponit, quod D. Paulus est raptus usque ad tertium cœlum. — 1a, q. 68, a. 4, c.

Ad primum ergo dicendum, quod Philosophus nomine cœli intelligit mundum, quem loco citato probat esse unum ex unitate primi motoris, ut dictum est. — 12. *Metaphys.* l. 10 (7); 1. *de Cœlo* l. 18.

Ad secundum dicendum, quod terra se habet ad cœlum ut centrum ad circumferentiam. Circa unum autem centrum possunt esse multæ circumferentiæ; unde una terra existente multi cœli ponuntur. — 1a, q. 68, a. 4, ad 1.

Ad tertium dicendum, quod ratio illa procedit de cœlo, secundum quod importat universitatem creaturarum corporalium; sic enim est unum cœlum tantum. — *Ibid.* ad 2.

Ad quartum dicendum, quod in omnibus cœlis invenitur communiter sublimitas et aliqua luminositas, ut ex dictis patet. — *Ibid.* ad 3.

ARTICULUS II

UTRUM OMNES CŒLI SINT EJUSDEM SPECIEI.

Videtur quod omnes cœli sint ejusdem speciei.

1. Dicit enim Philosophus (2. *de Cœlo text.* 41; c. 7), quod astra sunt ejusdem speciei cum propria sphæra et orbe; sed eadem est ratio stellæ et proprii orbis ac duorum orbium; nam sicut in his diversa accidentia reperiuntur, ita et in illis: ergo cœli sunt ejusdem speciei. — 2. *de Cœlo* l. 10.

2. Præterea, loca consequuntur naturas corporum; sed omnes cœli habent eundem locum: ergo omnes sunt ejusdem naturæ specificæ. — *Ibid.*

3. Præterea, si corpora cœlestia essent specie diversa, sequeretur quod essent maxime materialia; sed hoc videtur falsum, cum sint longe perfectiora corpora, quam sit corpus humanum, ut patet ex eorum incorruptibilitate: ergo corpora cœlestia sunt ejusdem speciei. — 2. *de Cœlo* l. 16; *Tabula Aurea* voce « cœlum » n. 155.

4. Præterea, figura consequitur formam, sicut et motus; sed est eadem specie figura, eodemque modo omnes cœli circa medium moventur: ergo cœli omnes sunt ejusdem speciei. — 2. *de Cœlo* l. 16.

Sed contra est, quod Philosophus (12. *Metaphys.* a *text.* 42; l. 11, c. 8) ex numero cœlorum colligit numerum intelligentiarum, quæ distinguuntur specie. — 12. *Metaphys.* l. 9 (6).

Respondeo dicendum, quod Averroes in suo Commento in 2. *de Cœlo* (*text.* 59) dicit, quod corpora cœlestia et omnes stellæ

sunt ejusdem speciei. Sed hoc est manifeste falsum. Et *primo* quidem, quia si essent ejusdem speciei, haberent easdem specie operationes et eosdem effectus, sicut patet in omnibus rebus naturalibus ejusdem speciei. *Secundo*, quia cum motus cœlestium cerporum sint naturales, sequeretur quod omnia corpora cœlestia haberent uniformes motus; quod patet esse falsum cum de planetis eorumque orbibus per comparationem ad invicem, tum per comparationem ad stellas fixas earumque orbes. *Tertio*, quia hoc repugnat perfectioni cœlestium corporum; probavit enim Aristoteles in 1. *de Cœlo* (*text.* 98; c. 9), quod universum est perfectum, eo quod est unum; unum enim est in una specie; ex hoc enim apparet, quod constat ex tota materia suæ speciei; unde et hoc ad perfectionem cœlestium corporum pertinet, quod sit unum solum in una specie. Videmus enim, in inferioribus corporibus multa individua esse unius speciei propter aliquam impotentiam: — *vel quia* unum individuum non potest semper durare, unde oportet quod species conservetur per successionem individuorum in eadem specie; *tum* etiam *quia* unum non suscipit perfectam operationem speciei, sicut maxime patet in hominibus, quorum unus juvatur ab alio in sua operatione. Pertinet etiam magis ad perfectionem uniuscujusque multiplicatio specierum, cum sit formalis, quam multiplicatio individuorum, cum sit materialis. — Dicendum ergo est, quod omnes cœli sunt inter se diversæ speciei. — 2. *de Cœlo* l. 16; *Tabula Aurea* voce « cœlum » n. 62.

Ad primum ergo dicendum, quod non est eadem ratio duorum orbium, et stellæ cum suo orbe; nam stella est ejusdem naturæ specificæ cum proprio orbe, quia habent eundem specie motum; secus vero plures ac distincti orbes, ut dictum est (in c.) — 2. *de Cœlo* l. 10 et 16.

Ad secundum dicendum, quod locus corporum cœlestium, sicut et motus circa medium seu circularis, consequitur naturam generis in illis. — 2. *de Cœlo* l. 16.

Ad tertium dicendum, quod hæc ratio, quæ est fundamentum positionis Averrois, est ridicula; multo enim magis sequeretur cœlestia corpora esse maxime materialia, si poneremus, sicut ipse vult, diversa corpora cœlestia esse individua unius speciei, quia multiplicatio individuorum in una specie fit per divisionem materiæ; quamvis non oporteat a corporibus cœlestibus totaliter materiam excludere. — *Ibid.*

Ad quartum dicendum, quod figura sphærica sequitur in corporibus cœlestibus naturam generis, sicut et motus circularis. — *Ibid.*

QUÆSTIO XXXI

DE MOTU CORPORUM CŒLESTIUM.

Deinde considerandum est de motu corporum cœlestium.

CIRCA QUEM QUÆRUNTUR NOVEM:

1. Utrum motus cœli sit naturalis.
2. Utrum motus cœli sit a propria forma an vero ab intelligentia.
3. Utrum, si motus cœli sit ab intelligentia, sit a Deo an ab angelo.
4. Utrum potentia motiva in angelo movente cœlum, sit realiter distincta ab intellectu et voluntate in angelo.
5. Utrum motus cœli quandoque deficiat.
6. Utrum cessante motu cœli elementa remanerent.
7. Utrum cessante motu cœli remaneat actio et passio in elementis.
8. Utrum cessante motu cœli remaneant plantæ et animalia bruta et corpora mineralia.
9. Utrum cessante motu cœli remaneant corpora humana.

ARTICULUS I

UTRUM MOTUS CŒLI SIT NATURALIS.

Videtur quod motus cœli non sit naturalis: —

1. quia nihil movetur naturaliter dum est in suo *ubi*, sed solum quando est extra proprium *ubi*; sed cœlum movetur in suo

ubi existens : ergo non movetur naturaliter. — *Quæst. disp. de Anima* a. 8, arg. 18.

2. Præterea, nunquam natura inclinat ad motum propter ipsum motum, sed propter aliquid acquisitum per motum : quomodo gravia inclinant ad motum, quia per illum tendunt ad quietem ; sed cœlum suo motu nihil acquirit, in quod inclinetur, quia quodlibet *ubi* est principium et finis sui motus : ergo motus cœli non est illi naturalis. — *de Pot.* q. 5, a. 5, c.

3. Præterea, mobile per motum localem naturalem tendit ad locum, ut loco perficiatur : sicut corpora inferiora in proprio loco conservantur : sed cœlum non perficitur per locum ; nam si secundum se consideretur, non major perfectio est quod sit in uno situ vel loco quam in alio, sed indifferenter se habet ad omnia : ergo cœli motus non est naturalis. — *Ibid.* ad 7.

4. Præterea, quæ naturaliter moventur, naturaliter quiescunt, quia natura definitur a Philosopho, quod sit principium motus et quietis ; sed cœlum non quiescit naturaliter : ergo nec movetur naturaliter. — 2. *Phys.* l. 1.

5. Præterea, si motus cœli esset naturalis, sequeretur cœlum esse animatum, quod est falsum, ut dictum est. Sequela autem probatur, quia motus naturalis est a principio intrinseco ; principium autem motus cœli est substantia apprehensiva, quæ movetur sicut desiderans a desiderato, ut dicitur 12. *Metaphys.* (*text.* 36 ; l. 11, c. 7) ; unde videtur quod talis substantia sit intrinseca cœlo, et sic cœlum erit animatum. — 1a, q. 70, a. 3, arg. 4.

6. Præterea, si motus cœli est naturalis, ergo quia opposita quies erit illi violenta ; sed cœlum non quiescet in fine mundi violenter : ergo neque nunc movetur naturaliter. — *de Pot.* q. 5, a. 5, arg. 12.

Sed contra est : 1. quod Philosophus 1. *de Cœlo* (*text.* 7 et 8 ; c. 2) dicit, quod motus cœli est naturalis. — 1. *de Cœlo* l. 4.

2. Præterea, motus cœli ita se habet ad cœlum, sicut motus localis gravium et levium ad ipsa elementa ; sed horum motus est naturalis et ex parte principii passivi et ex parte principii activi : ergo et motus cœli erit sic naturalis. — *de Pot.* q. 5, a. 5, arg. 12.

Respondeo dicendum, quod motus naturalis dicitur, cujus principium est natura. Natura autem dupliciter dicitur, scilicet de forma, quæ est principium activum motus, et de materia, quæ est principium passivum. Secundum hoc igitur dupliciter dicitur aliquis motus naturalis : *uno modo*, quia in eo quod movetur, est principium activum motus ; et sic corpora gravia et levia moventur naturaliter. Et hoc modo non moventur cœli. Manifestum enim est, quod una forma naturalis non inclinat nisi ad unum ; ratio autem motus repugnat unitati, quia de ratione motus est, quod aliquid aliter se habeat nunc et prius ; unde non inclinat forma naturalis ad motum propter ipsum motum, sed propter esse in aliquo *ubi*, quo adepto quiescit motus. Et sic accideret in motu cœli, si consequeretur aliquam formam naturalem, quomodo consequitur motus in elementis. — 3. *Sent.* dist. 22, q. 3, a. 2, sol. 1 ; *de Spirit. Creat.* a. 6, c. ; *de Pot.* q. 5, a. 5, c.

Alio modo, quia in eo quod movetur, est dispositio naturalis, per quam aliquid est mobile ab aliquo movente. Et hoc contingit dupliciter : quia *vel* inest ista aptitudo ad hoc, quod moveatur ab illo movente, cum inclinatione ad contrarium motum, sicut est in corpore animalis ; et tunc motus ille dicitur violentus, quatenus comparatur ad naturam corporis, in quantum est corpus ; naturalis vero comparatus ad naturam corporis, in quantum est animatum, ut dicit Philosophus (8. *Phys. text.* 27 ; c. 4) ; — *aut* non est aptitudo ad contrarium inclinans ; et hoc modo se res habet in motu cœlestium corporum, quæ licet moveantur a substantia separata, quia tamen ex parte cœli est principium passivum naturale talis motus, atque adeo aptitudo naturalis ad recipiendum talem motum a tali movente, ut dicit Commentator in 1. *de Cœlo* (*text.* 89) ; ideo motus ejus dicitur naturalis. Cum enim natura, ut dictum est, duplex sit, materia et forma, sufficit, quod cœli motus sit

a natura atque adeo naturalis ratione materiæ, quæ in cœlo habet aptitudinem ad motum circularem, ut patet ex figura ipsius; quamquam etiam dici potest, quod motus cœli sit etiam naturalis aliquo modo ex parte principii activi, quia sicut, ut dictum est, habet naturalem aptitudinem ut tali motu moveatur, ita substantia spiritualis, quæ movet cœlum, habet virtutem naturalem determinatam ad talis corporis motum. — 3. *Sent.* dist. 22, q. 3, a. 2, sol. 1; 2. *Sent.* dist. 14, q. 1, a. 3, ad 1; *de Spirit. Creat.* a. 6, ad 7; *Quæst. disp. de Anima* a. 8, ad 18; 1. *de Cœlo* l. 3.

Ad primum ergo dicendum, quod motus cœli est naturalis, et ex parte principii passivi sive receptivi motus, et aliquo etiam modo ex parte principii activi, ut dictum est (in c. art., et supra q. 29, a. 3, ad 2). — Quod autem dicitur, quod nullum corpus existens in suo *ubi* naturaliter movetur, intelligitur de corpore mobili motu recto, quod mutat locum secundum totum, non solum ratione, sed et subjecto; corpus autem, quod movetur circulariter, totum quidem non mutat locum subjecto, sed ratione tantum; unde nunquam est extra suum *ubi*. — *Quæst. disp. de Anima* a. 8, ad 18.

Ad secundum dicendum, quod hoc argumentum optime probat, motum cœli non esse naturalem proprie et simpliciter ratione principii activi, sicut est motus localis elementorum; est tamen naturalis ratione principii passivi, et aliquo etiam modo ratione principii activi, ut dictum est (in c. art., et ad 1).

Ad tertium dicendum, quod cœlum non perficitur per locum, sicut corpora inferiora, quæ in proprio *ubi* conservantur; et ideo ex hoc, quod localiter movetur, non significatur, quod ex parte principii activi habeat inclinationem ad motum tamquam ad perfectionem suam, quomodo habent elementa. — *de Pot.* q. 5, a. 5, ad 7 et 12.

Ad quartum dicendum, quod motus cœli est a principio intrinseco passivo, non autem activo, ut dictum est (in c. art., et ad arg. præced.); natura autem est principium motus et quietis in illis quæ moventur ad locum; non autem in illis quæ moventur circa locum, ut corpora cœlestia. — Et ex his patet *ad quintum*. — 2. *Phys.* l. 1.

Ad sextum dicendum, quod quia motus cœli non est naturalis propter activam inclinationem formalis principii corporis cœlestis ad talem motum, sicut est in elementis, non inde sequitur, quod si cœlum quiescet, ejus quies sit futura violenta. — *de Pot.* q. 5, a. 5, ad 12.

Ad primum secundæ partis patet ex dictis; nam illud concedimus.

Ad secundum dicendum, quod motus cœli non est eo modo naturalis, quo motus elementorum, ut dictum est (in c.).

ARTICULUS II

UTRUM MOTUS CŒLI SIT A PROPRIA FORMA SUBSTANTIALI AN VERO AB INTELLIGENTIA.

Videtur quod motus cœli sit a propria forma substantiali, non autem ab intelligentia.

1. Motus enim cœli est naturalis, ut constat ex 1. *de Cœlo text.* 82 (c. 8), et 2. *de Cœlo text.* 5 et 6 (c. 1); sed motus naturalis est, cujus principium est forma corporis naturalis: ergo motus cœli est a propria forma substantiali, et non ab intelligentia. — 1. *de Cœlo* l. 17; 2. *de Cœlo* l. 1; 2. *Sent.* dist. 14, q. 1, a. 3, arg. 1.

2. Præterea, leve potest sua virtute sursum ascendere, nullo impellente, et similiter grave descendere, absque intelligentia movente. Si ergo forma cœli est perfectior quam forma elementaris, et figura ejus est aptissima ad motum circularem, videtur quod possit moveri a propria forma absque intelligentia. — *Quæst. de Motoribus Orbium.* (1)

(1) Quæstiones duas: unam, *Utrum materia sit principium individuationis in corporalibus*, alteram *de Motoribus Corporum Cœlestium*, cum Thomas Buonensegnis O. P. Florentiæ in codice S. Marci invenisset S. Thomæ attributas, anno 1588 Venetiis apud Juntas in octo foliis in folio vulgavit. At nunc eæ quæstiones communi omnium consensu spuriæ habentur. — Quæstionem *de Motoribus Corporum Cœlestium* habes in editionis Parmensis tom. 24, pag. 217 — 219.

3. Præterea, plus est movere se ipsum exeundo a proprio loco, quam non exeundo; sed virtus lucis est se diffundere per corpora alterius naturæ: ergo videtur quod multo fortius corpus cœli per naturam lucis possit in suo orbe se movere, absque influentia alicujus substantiæ separatæ. — *Ibid.*

4. Præterea, nullus motus necessarius dependet a voluntate creaturæ tamquam a primo motore; sed motus cœli est necessarius, secundum sanctos Patres et philosophos, ut patet ex Aristotele 2. *de Cœlo* (*text.* 21; c. 3) et 12. *Metaphys.* (*text.* 38; l. 11, c. 7): ergo motus cœli non est a voluntate alicujus intelligentiæ. — *Ibid.*; 12. *Metaphys.* l. 7 (5).

Sed contra: 1. Motor est in actu respectu mobilis; sed cœlum est mobile; nil autem idem simul est in actu et in potentia: ergo cœlum non potest moveri a se. — Quest. *de Motoribus Orbium,* arg. *Sed contra.*

2. Præterea, omnis motus naturalis est corporis existentis extra suum *ubi*; sed hoc est impossibile in cœlo ponere: ergo motus cœli non est a propria forma naturali. — 2. *Sent.* dist. 14, q. 1, a. 3, arg. 2. *Sed contra.*

Respondeo dicendum, quod circa hoc est multiplex opinio. *Quidam* enim dicunt, quod sicut motus aliorum corporum simplicium est ex naturis eorum corporalibus, ita etiam motus corporis cœlestis. — Sed hoc non videtur verum, *primo,* quia omnis motus est ab aliquo motore; in motu autem corporum simplicium, quamvis forma naturalis sit principium motus, non tamen est motor; sed essentialis motor est generans, quod dedit formam, et accidentalis est removens prohibens, ut probatur 8. *Phys.* (*text.* 33; c. 4), quæ nullo modo competunt corpori cœlesti. *Præterea,* quia motus naturalis est ad unam partem tantum et perficitur quiete naturali, et est corporis existentis extra *ubi* naturale; quæ omnia etiam a corpore cœlesti aliena sunt. *Item,* natura non movet nisi ad unum, quo habito quiescit; quod in motu corporum cœlestium non apparet. *Amplius,* omni motui, qui est a natura sicut a principio activo, oportet quod si accessus ad aliquid est naturalis, quod recessus ab eodem sit innaturalis et contra naturam: sicut grave accedit deorsum naturaliter, recedit autem inde contra naturam. Si igitur motus cœli esset naturalis, cum tendit ad occidentem, contra naturam ab occidente recedens in orientem rediret; hoc autem est impossibile; in motu enim cœlesti nihil est violentum et contra naturam. Impossibile est igitur, quod principium activum motus cœlestis sit natura. — 2. *Sent.* dist. 14, q. 1, a. 3, c.; *de Spirit. Creat.* a. 6, c.; 1a, q. 70, a. 3, c.; 3 *c. Gent.* c. 23; *Opusc.* 10 et 11, primis quinque art.; *de Motoribus Orbium.*

Et ideo *alii* dixerunt, quod motus cœli est ab aliquo intellectu et voluntate. Verum hi sunt divisi inter se; nam aliqui dixerunt moveri quidem cœlos a substantia intelligente, sed quæ sit forma non solum dans illis motum sed etiam esse, atque adeo quæ sit anima illorum, et hunc volunt esse motorem orbis proximum. Nam unicuique orbi assignaverunt duos motores: unum conjunctum, quem dixerunt animam orbis, et alterum sejunctum, quem dixerunt intelligentiam. Cujus positionis ratio fuit, quia intelligentia secundum eos habet formas universales, quæ non conveniunt, ut immediate dirigant in renovationibus diversis motus cœli, et in his, quæ per motum cœli educuntur; et ideo oportet habere motorem, in quo sint formæ particulares dirigentes in motu, et hanc dicunt esse animam orbis. — 2. *Sent.* dist. 14, q. 1, a. 3, c.

Hæc autem positio partim est hæretica et partim catholice sustineri potest. Ipsi enim ponunt, quod res secundum ordinem exeunt a Deo, ita quod a causa prima, quæ est Deus, creatur immediate intelligentia, a qua deinde exit anima orbis, et ab illa producitur substantia ipsius orbis; et pro tanto dici potest motor proximus forma ejus vel anima, quia dat illi esse, sicut causa ipsi proportionata. Hoc autem fides nostra non patitur, quæ solum Deum creatorem rerum ponit; et ideo angelos, qui movent orbes proxime, possumus dicere motores, non formas vel animas: quia orbes recipiunt ab eis motum tantum,

non autem esse. In hoc autem sustineri potest, ut dicamus superiores angelos, qui habent formas magis universales, esse motores separatos et remotos; angelos autem inferiores, qui habent formas magis particulares, esse motores proximos. Unde etiam Avicenna (tract. 10, c. 1 in princ.) dicit, quod intelligentiæ apud philosophos sunt, qui in Lege vocantur superiores angeli, ut Cherubim atque Seraphim; animæ vero orbium dicuntur inferiores angeli et angeli ministerii. — *Ibid.*

Alii vero dixerunt cœlos immediate moveri a substantia intelligente, quæ illis tantum tribuit motum non autem esse; quæ positio melior est. Cum enim moveri ab aliquo debeant (nam omne quod movetur, ab aliquo movetur); nec possint immediate moveri a propria forma, ut dictum est, nec a substantia intelligente, quæ sit forma informans; nam cœli non sunt animati, ut dictum est; — necessario debent moveri a substantia intelligente separata, quæ tantum illis conjungatur ut motor mobili. — *de Spirit. Creat.* a. 6, c.; 2. *Sent.* dist. 14, q. 1, a. 3, c.; 1a, q. 70, a. 3, c.; 3. *c. Gent.* c. 23.

Ad primum ergo dicendum, quod, sicut Commentator dicit in 1. *de Cœlo* (*text.* 89), motus cœli dicitur naturalis, non quia principium ejus activum sit aliqua forma naturalis, sed quia ipsum corpus cœleste est talis naturæ, ut talem motum natum sit suscipere ab aliquo intellectu, non habens naturam repugnantem huic motui voluntario, sicut est in nobis; natura enim non tantum dicitur de forma, sed etiam de materia. — 2. *Sent.* dist. 14, q. 1, a. 3, ad 1.

Vel dic, quod motus cœli est naturalis tam propter principium passivum quam activum, ut dictum est (supra q. 29, a. 3, ad 2). — *Vel dic*, quod motus cœli est naturalis illi, quia natura et figura cœli illi motui concordant; non enim oportet quod omne naturale sit a principio intrinseco sicut a tota causa, sed sufficit quod virtus naturalis intrinseca cooperetur virtuti activæ. — Il. cit. supra in c.

Ad secundum dicendum, quod ad motum gravis non sufficit sola gravitas sive qualitas propria, sed concurrit virtus quinti corporis, præter illa duo moventia, quæ ponit Philosophus 8. *Phys.* (*text.* 32; c. 4), scilicet generans grave et leve, et removens prohibens. Et quia hæc ad motum cœli non possunt concurrere, oportet ut concurrat virtus spiritualis substantiæ. — Quæst. cit. *de Motoribus Orbium.*

Ad tertium dicendum, quod diffusio lucis non est motus localis proprie, sed magis alterationis. Unde sicut ignis potest calorem suum diffundere deorsum virtute propria, et tamen non se movet loco, in quo est, sic in cœlesti corpore intelligendum est esse. — *Ibid.*

Ad quartum dicendum, quod nullus motus necessarius potest pendere a voluntate vertibili. Quamvis autem voluntas angeli sit per naturam vertibilis, per gratiam tamen omnino invertibilis efficitur, et talem substantiam intelligendum est esse motorem cœli, quod ostendit ipsius motus nobilitas, uniformitas et necessitas et quies futura, cum erit perfecta superna civitas, ad quam consummandam ordinatur finaliter angelica ministratio. —*Ibid.*

ARTICULUS III

UTRUM MOTUS CŒLI SIT IMMEDIATE A DEO AN VERO AB INTELLIGENTIA SEU ANGELO.

Videtur quod motus cœli sit proxime et immeditate a solo Deo, non autem ab angelo.

1. Dicit enim Philosophus (2. *de Cœlo text.* 36; c. 6), quod prima causa movet causatum primum; sed causa prima est Deus, causatum primum est primum mobile: ergo saltem hoc movetur immediate a Deo. — Quæst. cit. *de Motoribus Orbium.*

2. Præterea, melius est aliquid fieri per unum quam per multa, si sit possibile, ut dicitur 8. *Phys.* (*text.* 48; c. 6); sed Deus potest per se ipsum movere cœlos absque mediis angelis: ergo videtur quod cœli immeditate moveantur a Deo. — 1a, q. 103, a. 9, arg. 2.

3. Præterea, motor cœli debet esse omnino immobilis et primus, ut dicit Philosophus (8. *Phys.* a *text.* 46; c. 6), quia, ut dictum est (in Prima Secundæ huj. op. q. 25, a. 3, *ad prim. quæst.*), in moventibus non datur processus in infinitum; sed motor omnino immobilis est tantum Deus, ut dictum est (*ibid.*): ergo cœlum immediate movetur a Deo. — *de Motoribus Orbium.*

4. Præterea, ex motu et influentia corporis cœlestis est conservatio omnium corporum viventium; ergo ex ejus motore erit conservatio omnium spirituum vivificantium, quia sicut se habet mobile ad mobile, ita se habet motor ad motorem; sed solus Deus est conservator et vivificator spirituum: ergo ipse solus movet cœlum. — *Ibid.*

5. Præterea, cœlum ut instrumentum sui motoris producit animalia; sed non posset illa producere, si moveretur ab angelo, quia materia non obedit angelo ad formam ullam substantialem: ergo debet immediate moveri cœlum a Deo, — 1a, q. 110, a. 2, c.; *de Pot.* q. 3, a. 11, arg. 12, 13, 14, 15.

6. Præterea, motus localis corporum naturalium sequitur formas eorum; sed angeli non causant formas corporum naturalium: ergo nec possunt in eis causare motum localem. — 1a, l. c. a. 3, arg. 1.

7. Præterea, in 8. *Phys.* (*text.* 54 sqq.; c. 7) probatur, quod motus localis est primus motuum; sed angeli non possunt causare alios motus transmutando materiam formaliter: ergo neque etiam possunt causare motum localem. — *Ibid.* arg. 2.

Sed contra est, quod Philosophus 12. *Metaphys.* (*text.* 42 sqq.; l. 11, c. 8) ex numero cœlorum collegit numerum intelligentiarum quæ movent cœlos; sed Deus unus est, ut dicit Philosophus (l.c. *text.* 56; l. 11, c. 10): ergo cœlum non movetur immediate a Deo. — 12. *Metaphys.* l. 9 (6); 1a, q. 103, a. 3, c.

Respondeo dicendum, quod cœli moventur immediate ab angelis, seu a Deo mediantibus angelis; quod potest esse manifestum ex multis. Et *primo* quidem, quia hoc magis congruit divinæ sapientiæ, quæ inferiora regit et movet per superiora, et media per prima; corpora vero cœlestia media sunt inter superiora et inferiora, et ideo quantum ad durationem mensurantur ævo, sicut et angeli; quantum autem ad motus successivos mensurantur tempore, sicut et alia inferiora corpora. — *Secundo*, quia magis congruit dignitati naturæ angelicæ; cum enim servire Deo regnare sit, dignius obsequium esse non potest, quantum ad obsequentis naturam, quam cooperari Deo in regimine suæ providentiæ: quod fit movendo cœlos, ex quorum motu generantur omnia inferiora. Unde servire Deo in exsecutione divinæ providentiæ in majori et minori mundo majus est, quam servire Deo in exsecutione alicujus ministerii inferioris. Propterea valde probabiliter quidam dicunt, quod motores orbium sunt de media hierarchia et medio ordine, puta Virtutes, ut dicit Dionysius (*de Cœlesti Hierarchia* c. 8, § 1; — Migne PP. Gr. t. 3, col. 239). — *Tertio*, quia id magis congruit auctoritati Sanctorum; dicit enim S. Augustinus (*de Trin.* l. 3, c. 4; — Migne PP. L. t. 42, col. 873), quod sicut corpora grossiora et inferiora per subtiliora et superiora quodam ordine reguntur, ita omnia corpora per spiritum vitæ rationalem. In *Libro* etiam *LXXXIII Quæst.* q. 79; — Migne PP. L. t. 40, col. 90 dicit, quod unaquæque res visibilis in hoc mundo habet angelicam potestatem sibi præpositam. S. Gregorius eitam dicit (*Dialog.* l. 4, c. 6; — Migne PP. L. t. 77, col. 329), quod in hoc mundo visibili nihil nisi per creaturam invisibilem disponi potest. Unde manifestum est, quod cœli moventur immediate ab angelis et non a Deo. — *De Motoribus Orbium; Opusc.* 10 et 11 primis quinque art.; *de Spirit. Creat.* a. 6, c.; 1a, q. 110, a. 3, c.

Ad primum ergo dicendum, quod secundum Philosophum duplex est motor primorbis, sicut et reliquorum, ut patet ex 12. *Metaphys.* (*text.* 36; l. 11, c. 7): *unus*, qui movet per modum finis et amati, et hic est Deus; *alter*, qui movet per modum causæ efficientis, et hic movet per modum amantis et desiderantis et moti a fine, et est angelus. Et hoc modo intelligendus est Philosophus, quod primus motor primum mobile movet,

puta finaliter. Vel si intelligendus sit, quod moveat ipsum efficienter, dictum Philosophi intelligendum est per quandam appropriationem et primariam influentiæ susceptionem. — *de Motoribus Orbium*; 12. *Metaphys.* l. 7 (5).

Ad secundum dicendum, quod si solus Deus immediate moveret cœlos, subtraheretur perfectio causalis a perfectioribus creaturis, cujusmodi sunt angeli; unde non totum melius fieret per unum, quod fit per multa. — 1a, q. 103, a. 6, ad 2.

Ad tertium dicendum, quod uterque motor cœli est immobilis omnino tam per se quam per accidens; nam Deus est omnino immutabilis, angelus vero movens cœlum non movetur ad motum orbis, ut dictum est (in Prima Secundæ huj. op. q. 25, a. 3, *ad tert. quæst.*)

Vel dic, quod non oportet primi mobilis motorem esse omnimode primum vel omnimode immobilem; sed sufficit quod sit primus respectu aliorum motorum, et quod sit immobilis motu, quo movet; non enim oportet esse statum in motore primi mobilis simpliciter, sed in genere creaturarum. Omnes enim creaturæ defectibiles sunt et reducuntur in ipsum Deum, qui est principium et finis omnium. — *de Motoribus Orbium*.

Ad quartum dicendum, quod proportio non sequitur; ordo enim inter corpora tantum est secundum prædominium et excellentiam, secundum quod unum potest influere in aliud; spiritus vero rationales, qui sunt motores et vivificatores corporum, sic habent gradum et ordinem, ut immediate a Deo perficiantur et formentur, et hoc est propter rationem imaginis, per quam sunt ipsius Dei capaces. — *Ibid.*

Ad quintum dicendum, quod cœlum, ut instrumentum angeli, potest causare vitam, ut patet in animalibus ex putrefactione genitis, sicut et calor naturalis, ut instrumentum animæ vegetativæ, agit ad productionem carnis; neque hoc est materiam obedire angelis ad nutum, et angelos posse transmutare materiam corporalem ad aliquam formam substantialem, et non tantum ad motum localem. Nam cum id quod potest virtus inferior, possit superior non eodem sed excellentiori modo, sicut intellectus cognoscit sensibilia excellentiori modo quam sensus, angelus excellentiori modo transmutat materiam corporalem quam agentia corporalia, scilicet localiter movendo ipsa agentia corporalia tamquam causa superior. — 1a, q. 110, a. 2, ad 2, et a. 3, ad 2; *de Pot.* q. 6, a. 3, c. et ad argg.; *de Malo* q. 16, a. 9.

Ad sextum dicendum, quod in corporibus sunt alii motus locales præter eos, qui consequuntur formas: sicut fluxus et refluxus maris non consequitur formam substantialem aquæ, sed virtutem lunæ; et multo magis aliqui motus locales consequi possunt virtutem spiritualium substantiarum. — 1a, q. 110, a. 3, ad 1.

Ad septimum dicendum, quod angeli causando motum localem tamquam priorem, per eum causare possunt alios motus, adhibendo scilicet agentia corporalia ad hujusmodi effectus producendos, sicut faber adhibet ignem ad emollitionem ferri. — *Ibid.* ad 2.

ARTICULUS IV

UTRUM POTENTIA MOTIVA IN ANGELO MOVENTE CŒLUM SIT REALITER DISTINCTA AB INTELLECTU ET VOLUNTATE.

Videtur quod potentia motiva in angelo movente cœlum sit realiter distincta ab intellectu et voluntate.

1. Intellectus enim et voluntas æqualiter se habent ad propinqua et remota. Si ergo angelus solum ageret per intellectum et voluntatem, sequeretur quod non differret ad hoc, quod angelus aliquid ageret, quod esset propinquum vel remotum illud, in quod agit, et sic nunquam oporteret quod de cœlo ad terram descenderet ad aliquid hic agendum; quod est contra traditionem Sacræ Scripturæ. — *Quodl.* 6, a. 2, arg. 1.

2. Præterea, quantum ad voluntatem non differt unitas et multitudo; sicut enim aliquis potest velle movere unam rem,

ita potest velle movere plures res vel etiam totam terram vel totum universum. Si ergo angelus moveret cœlum per intellectum et voluntatem, sequeretur quod posset movere totam terram atque adeo totum universum; quod est impossibile, cum ipse sit pars universi; non ergo angelus movet cœlum per solum intellectum vel voluntatem, sed per aliquam aliam potentiam. — *Ibid.* arg. 2.

3. Præterea, in nobis potentia motiva est distincta ab intellectu et voluntate; ergo et in angelis erit talis potentia distincta, sicut et intellectus et voluntas inter se realiter in illis distinguuntur, sicut et in nobis. — *Ibid.* in c.

4. Præterea, intellectus et voluntas ad diversa se habent; ergo si angelus movet cœlum solum per intellectum et voluntatem et non per aliam potentiam, sequeretur quod posset diversimode movere corpora cœlestia, et per consequens efficere varias transmutationes formales in inferioribus corporibus, quod est falsum; ergo potentia motiva angeli est distincta ab intellectu et voluntate. — *de Malo* q. 16, a. 9, arg. 7.

Sed contra: Omnis actio est ab aliqua virtute; sed in angelo non est alia virtus quam intellectus et voluntas; intellectus autem non agit nisi per voluntatem: ergo virtus motiva angeli non est distincta realiter ab intellectu et voluntate. — *Quodl.* 6, a. 2, arg. *Sed contra.*

RESPONDEO DICENDUM, quod omnis actio cujuscunque rei est per formam naturæ illius rei. Nam etsi sint aliquæ formæ accidentales principia actionum alicujus rei, oportet quod hujusmodi actiones reducantur sicut in primum principium in formam specificam illius rei agentis; sicut actio caloris ignis reducitur sicut in primum principium in formam substantialem ipsius, quæ est etiam principium omnium accidentium propriorum ignis. Et ideo oportet se aliter habere in actionibus alicujus rei habentis naturam simplicem, quam in actionibus rei habentis naturam compositam. Si enim fuerit aliquid habens naturam simplicem, omnis actio ejus erit secundum proprietatem et modum illius naturæ; quod non contingit, si habeat naturam compositam. Omnis enim actio ignis est secundum proprietatem naturæ ignis; in cultello autem ignito est quædam actio non pertinens ad proprietatem ignis, scilicet incisio. — *Quodl.* 6, a. 2, c.

Et hoc etiam considerandum est in substantiis spiritualibus. Anima enim humana non est totaliter intellectus, sed participat intellectualitatem; unde est in ea aliqua virtus et actio, quæ non est secundum intellectum: sicut præcipue patet in his, quæ pertinent ad animam vegetativam. Sed angelus est totaliter intellectualis naturæ; et ideo oportet quod omnis ejus actio sit secundum intellectum; unde Dionysius dicit (*de Div. Nom.* c. 4, § 1; — Migne PP. Gr. t. 3, col. 694), quod angeli habent substantias et virtutes et operationes intellectuales. Intellectus autem non agit nisi mediante voluntate, tum quia motus voluntatis est inclinatio sequens formam intellectam, tum quia cum intellectus non agat nisi mediante cognitione seu scientia: sicut a scientia ut scientia non procedit effectus nisi mediante voluntate, quæ de sui ratione importat influxum quendam in volita: sicut et a substantia nunquam exit actio nisi mediante virtute (eo quod actio est ut in exeundo ab agente, scientia vero significatur per hoc quod est aliquid in sciente, non ex hoc quod aliquid sit a sciente; sicut similiter forma naturalis, in quantum est forma, cum tantum habeat esse in perficiendo illud in quo est, et quiescendo in ipso, non nominat principium actionis, nisi secundum quod habet inclinationem ad effectum, quod illi convenit ratione virtutis adjunctæ: unde ubi forma est virtus, forma non est principium actionis quatenus forma, sed quatenus est virtus); — ita nec intellectus est principium actionis nisi mediante inclinatione ad effectum, quæ est per voluntatem. Unde oportet quod quidquid angelus agit, agat per imperium voluntatis. — *Quodl.* 6, a. 2, c.; 1a, q. 14, a. 8, c.; *de Verit.* q. 2, a. 14, c.

Sed tamen considerandum est, quod, cum virtus sit media inter essentiam et operationem, oportet quod virtus et operatio cujuslibet rei proportionetur essentiæ ejus; unde superioris angeli, cujus essentiæ est nobilior, est etiam virtus efficacior sicut ad intelligendum, ita et ad agendum in res exteriores; et secundum hoc actio angeli limitatur ad aliquem effectum, quia nec virtutem nec essentiam habet infinitam. — *Quodl.* 6, a. 2, c.

Ad primum ergo dicendum, quod actio voluntatis angelicæ radicatur in essentia ejus, a qua procedit ejus virtus et operatio; oportet autem movens esse simul cum mobili, quod ab eo movetur, ut habetur 7. *Phys.* (*text.* 12; c. 2). Et ideo oportet substantiam angeli aliqualiter conjungi rebus quas movet. — *Quodl.* 6, a. 2, ad 1.

Ad secundum dicendum, quod, quia voluntas limitatur secundum modum essentiæ, non oportet quod angelus possit agere omnia, quæ velle potest. — *Ibid.* ad 2.

Ad tertium dicendum, quod anima præter intellectum et voluntatem habet alias vires, sicut sensitivas et nutritivas, quia non est totaliter intellectus, sed tantum participat intellectualitatem; at in angelo non est alia vis quam natura intellectiva et voluntas, quæ ad intellectum consequitur; et propter hoc angelus dicitur mens vel intellectus, quia tota virtus ejus in hoc consistit. Unde non est mirum, si in angelo potentia motiva non sit distincta ab intellectu et voluntate; secus vero in nobis. — 1a, q. 79, a. 1, ad 3; *Quodl.* 6, a. 2, c.

Ad quartum dicendum, quod licet angelus per intellectum et voluntatem moveat cœlum, non tamen sequitur quod possit aliter movere, sed secundum modum proportionatum naturæ ipsius. Angelus enim non est sua voluntas, sicut Deus, sed habet voluntatem in natura determinata, et secundum modum ejus voluntas effectum sortitur; Deus autem, quia est ipsa voluntas, potest indifferenter facere quidquid potest cadere sub voluntatem. — *de Malo* q. 16, a. 9, ad 7.

ARTICULUS V

UTRUM MOTUS CŒLI ALIQUANDO CESSABIT.

Videtur quod motus cœli nunquam cessabit.

1. Quæcumque enim necessitatem habent ex priori, sunt necessaria absolute, ut patet per Philosophum (2. *Phys. text.* 86; c. 9): sicut mors animalis, quæ necessaria est propter materiæ necessitatem; operationes autem rerum incorruptibilium, inter quas motum cœli oportet ponere, sunt propter substantias eorum, quorum sunt operationes, et sic necessitatem ex priori habere videntur; cum e converso sit in corruptibilibus, quorum substantiæ sunt propter earum operationes, unde ex posteriori necessitatem habent, ut Commentator dicit (*ibid.*): ergo motus cœli necessitate absoluta necessarius est et ita nunquam cessabit. — *de Pot.* q. 5, a. 5, arg. 3; 4. *Sent.* dist. 48, q. 2, a. 2; 4. *c. Gent.* c. 97; *Tabula Aurea* voce « cœlum » n. 115.

2. Præterea, finis motus cœli est, ut cœlum per motum assimiletur Deo, in quantum exit de potentia in actum, per situum renovationem, quos successive actualiter acquirit; unumquodque enim secundum hoc Deo, qui est actus purus, assimilatur, quod actu est; iste autem finis cessaret cessante motu. Cum ergo motus non cesset nisi obtento fine, propter quem est, nunquam motus cœli cessabit. — *de Pot.* q. 5, a. 5, arg. 4.

3. Sed dices, quod motus cœli non est propter hunc finem, sed ad complendum numerum electorum, quo completo motus cœli cessabit. — Sed contra, nihil est propter vilius se, eo quod finis est nobilior his quæ sunt ad finem, cum finis sit causa bonitatis in his quæ sunt ad finem; sed cœlum cum sit incorruptile, est nobilius quam generabilia et corruptibilia: ergo non potest dici, quod motus cœli sit propter aliquam generationem in istis inferioribus, per quam numerus electorum possit compleri. — *Ibid.* arg. 5.

4. Sed dices, quod motus cœli non est

propter generationem electorum sicut propter generalem finem, sed sicut propter finem secundarium. — Sed contra, habito fine secundario non quiescit quod propter finem motus movetur; si ergo generatio, per quam completur numerus electorum, est secundarius finis motus cœli, eo habito nondum quiescet cœlum. — *de Pot.* q. 5, a. 5, arg. 6.

5. Præterea, omne quod est in potentia, est imperfectum, nisi ad actum reducatur; sed Deus in mundi consummatione non dimittet aliquid imperfectum: ergo cum potentia quæ est in cœlo ad *ubi*, non reducatur in actum nisi per motum, videtur quod motus cœli etiam in mundi consummatione non quiescet. — *Ibid.* arg. 7.

6, Præterea, si causæ alicujus effectus sunt incorruptibiles et semper eodem modo se habentes, et effectus ipse est sempiternus; sed omnes causæ motus cœli sunt incorruptibiles et eodem modo semper se habentes, sive accipiamus causam moventem sive ipsum mobile: ergo motus cœli semper durabit. — *Ibid.* arg. 8.

7. Præterea, motus cœli est naturalis cœlo, sicut et motus gravium et levium est eis naturalis, ut patet ex 1. *de Cœlo* (*text.* 78; c. 8), nisi quod elementa non moventur nisi cum sunt extra suum *ubi*, cœlum autem movetur etiam in suo *ubi* existens; sed elementum cum est extra suum *ubi*, non quiescit nisi violenter: ergo et cœlum non potest quiescere, nisi quies sit violenta. Sed hoc est inconveniens; nam cum nullum violentum possit esse perpetuum, sequitur quod illa quies cœli non esset perpetua, sed quandoque cœlum iterum moveri inciperet, quod est fabulosum: ergo non est dicendum, quod motus cœli aliquando quiescat. — *Ibid.* arg. 12.

8. Præterea, illud quod æqualiter se habet ad duo, aut utrique adhæret aut neutri; sed sol æqualiter se habet, quantum est de sua natura, ad quodlibet *ubi* cœli: ergo vel erit in quodlibet aut in nullo; sed non potest esse in nullo, quia omne corpus sensibile alicubi est: ergo oportet quod sit in quolibet; sed hoc non potest esse nisi per motus successionem: ergo semper movebitur. — *Ibid.* arg. 18.

Sed contra: 1. Omnis motus est propter aliquem finem, ut dicitur 2. *Metaphys.* (*text.* 8; l. 1 min., c. 2); sed omnis motus, qui est propter finem, habito fine quiescit: ergo vel motus cœli nunquam consequetur suum finem, et sic esset frustra, vel aliquando quiescet. — 4. *Sent.* dist. 48, q. 2, a. 2, arg. 4 *Sed contra.*

2. Præterea, quies est nobilior quam motus, quia secundum hoc quod res sunt immobiles, Deo assimilantur, in quo est summa immobilitas; sed corporum inferiorum motus terminatur naturaliter ad quietem: ergo cum corpora cœlestia sint multo nobiliora, eorum motus naturaliter ad quietem terminabitur. — *Ibid.* arg. 5 *Sed contra.*

Respondeo dicendum, quod secundum doctrinam Sanctorum ponimus, motum cœli quandoque cessaturum, quamvis hoc magis fide teneatur, quam ratione demonstrari possit. Ut autem manifestum esse possit, in quo difficultas consistat hujus quæstionis, attendendum est, quod motus cœli non hoc modo est naturalis corpori cœlesti, sicut motus elementi est illi naturalis; habet enim hujusmodi motus in mobili principium non solum materiale et receptivum, sed etiam formale et activum. Formam enim elementi sequitur talis motus, sicut et aliæ naturales proprietates ex essentialibus principiis consequuntur; unde in eis generans dicitur esse principium movens, in quantum dat formam, quam consequitur motus. Sic autem in cœlo dici non potest. Cum enim natura semper in unum tendat determinate, non se habens ad multa, impossibile est quod aliqua natura inclinet ad motum secundum se ipsum; eo quod in quolibet motu deformitas quædam est, in quantum non eodem modo se habet quod movetur; uniformitas vero mobilis est contra rationem motus. Unde natura nunquam inclinat ad motum propter motum, sed propter aliquid determinatum, quod ex motu consequatur: sicut natura gravis inclinat ad quietem in medio, et per consequens inclinat ad motum qui

est deorsum, secundum quod tali motu in talem locum pervenitur. Cœlum autem non pervenit suo motu in aliquod *ubi*, ad quod per suam naturam inclinatur, quia quodlibet *ubi* est principium et finis motus; unde non potest esse suus motus naturalis, quasi sequens aliquam inclinationem naturalis virtutis inhærentis, sicut sursum ferri est motus naturalis ignis. — *de Pot.* q. 5, a. 5, c.

Dicitur autem motus circularis esse naturalis cœlo, in quantum in sua natura habet aptitudinem ad talem motum, et sic in se ipso habet principium talis motus passivum. Activum autem principium motus est aliqua substantia separata, ut Deus vel intelligentia vel anima, ut quidam ponunt; quantum enim ad præsentem quæstionem nihil differt. — Ratio ergo permanentiæ motus non potest sumi ex natura aliqua cœlestis corporis, ex qua tantum est aptitudo ad motum, sed oportet eam sumere ex principio activo separato; et quia omne agens propter finem agit, oportet considerare, quis est finis motus cœli. Si namque fini ejus congruat, quod motus aliquando terminetur, cœlum quandoque quiescet; si autem fini ejus non competit quies, motus ejus erit sempiternus. Non enim potest esse, quod motus deficiat ex mutatione causæ moventis, cum voluntas Dei sit immutabilis, sicut etiam natura, et per illam consequuntur immobilitatem, si quæ sunt causæ mediæ moventes. — *de Pot.* q. 5, a. 5, c.

In hac autem consideratione oportet tria vitare: quorum *primum* est, ne dicamus cœlum moveri propter ipsum motum. Motus enim ex ipsa sua ratione repugnat, ne possit poni finis, eo quod motus est in aliud tendens; unde non habet rationem finis, sed magis ejus quod est ad finem. Cui etiam attestatur, quod est actus imperfectus, ut dicitur 3. *Phys.* (*text.* 15; c. 2); finis autem est ultima perfectio rei. — *Secundum* est, ut non ponatur motus cœli esse propter aliquid vilius; nam cum finis sit unde ratio sumitur, oportet finem præeminere his quæ sunt ad finem. Potest autem contingere, quod vilior sit terminus operationis rei inobilioris, non autem ut sit finis intentionis; sicut securitas rustici est quidam terminus, ad quem operatio regis gubernantis terminatur, non tamen regimen regis est ordinatum ad hujus rustici securitatem sicut in finem, sed ad aliquid melius, scilicet ad bonum commune. Unde non potest dici, quod generatio istorum inferiorum sit finis motus cœli, etsi sit effectus vel terminus, quia et cœlum his inferioribus præeminet, et motus ejus motibus et mutationibus horum. — *Tertium* est, ut non ponatur finis motus cœli aliquid infinitum, quia, ut dicitur 2. *Metaphys.* (*text.* 8; l. 1 min., c. 2), qui ponit infinitum in causa finali, destruit finem et naturam boni. Pertingere enim quod infinitum est, impossibile est; nihil autem movetur ad id, quod impossibile est ipsum consequi, ut dicitur 1. *de Cœlo* (*text.* 58; c. 7). Unde dici non potest, quod finis motus cœli sit, ut consequatur in actu nisi id, ad quod est in potentia, licet hoc Avicenna dicere videatur. Hoc enim impossibile est consequi, cum infinitum sit, quia dum est in actu in *ubi* aliquo, erit in potentia ad aliud *ubi*, in quo prius existebat actu. — *de Pot.* q. 5, a. 5, c.

Debet ergo finis motus cœli poni aliquid, quod cœlum per motum possit consequi, quod sit aliud a motu et eo nobilius. Hoc autem dupliciter potest poni: *uno modo*, ut ponatur finis motus cœli aliquid in ipso cœlo, quod simul cum motu existit; et secundum hoc a quibusdam philosophis ponitur, quod similitudo ad Deum in causando est finis motus cœli; quod quidem fit ipso motu durante: unde secundum hoc non convenit quod motus cœli deficiat, quia, deficiente motu, finis ex motu proveniens cessaret. *Aliomodo* potest poni finis motus cœli aliquid extra cœlum, ad quod pervenitur per motum cœli, quo cessante illud potest permanere. Et hæc est nostra positio; ponimus enim, quod motus cœli est propter implendum numerum electorum. Anima namque rationalis est quolibet corpore nobilior, etiam ipso cœlo; unde nullum est inconveniens, si ponatur finis motus cœli multiplicatio animarum rationalium; non autem in infinitum, quia hoc per mo-

tum cœli provenire non posset, et sic moveretur ad aliquid, quod consequi non posset. Unde relinquitur quod determinata multitudo animarum rationalium sit finis motus cœli; unde ea habita motus cœli cessabit. — *de Pot.* l. c.

Licet autem utraque positionum prædictarum posset rationabiliter sustineri, tamen secunda, quæ fidei est, videtur esse probabilior propter tres rationes: *primo* quidem, quia nihil differt dicere, finem alicujus esse assimilationem ad Deum secundum aliquid, et illud, secundum quod assimilatio attenditur; sicut supra dictum est, quod finis rerum posset dici vel ipsa assimilatio divinæ bonitatis, vel esse rerum, secundum quod res Deo assimilantur. Idem ergo est dicere finem motus cœli esse assimilari Deo in causando, et causare; causare autem non potest esse finis, cum sit operatio habens operatum et tendens in aliud; hujusmodi enim operationibus meliora sunt operata, ut dicitur 1. *Eth.* (c. 1). Unde hujusmodi factiones non possunt esse fines agentium, cum non sint perfectiones facientium, sed magis factorum; unde et ipsa facta sunt magis fines, ut patet ex 9. *Metaphys.* (*text.* 16; l. 8, c. 8) et 1. *Eth.* (c. 1). Ipsa autem operata non sunt fines, cum sint viliora cœlo, ut supra dictum est. Unde relinquitur convenienter non dici, quod finis motus cœli sit assimilari Deo in causando. — *Secundo* vero, quia cum cœlum moveatur, in ipso existente sola aptitudine ad motum, principio vero activo existente extra, ut dictum est, movetur et agit sicut instrumentum. Hæc enim est dispositio instrumenti, ut patet in artificialibus; nam in securi est sola aptitudo ad talem motum, principium autem motus in artifice est. Unde et secundum philosophos, quod movet motum, movet ut instrumentum; in actione autem, quæ est per instrumentum, non potest esse finis aliquis in ipso instrumento nisi per accidens, in quantum instrumentum accipitur ut artificiatum et non ut instrumentum. Unde non est probabile, quod finis motus cœli sit aliqua ejus perfectio, sed magis aliquid extra ipsum. — *Tertio*, quia si similitudo ad Deum in causando est finis motus cœli, præcipue attenditur hæc similitudo secundum causalitatem ejus, quod a Deo immediate causatur, scilicet animæ rationalis, ad cujus causalitatem concurrit cœlum per motum suum materiam disponendo. Et ideo probabilius est, quod finis motus cœli sit numerus electorum quam assimilatio ad Deum in causalitate generationis et corruptionis, secundum quod philosophi ponunt. Et ideo concedimus, quod motus cœli completo numero electorum finietur. — *de Pot.* q. 5, a. 5, c.

Ad primum ergo dicendum, quod hæc præpositio *propter* denotat causam; unde quandoque denotat causam finalem, quæ est posterior in esse; quandoque autem materialem vel efficientem, quæ sunt priores. Cum autem dicitur: in rebus incorruptibilibus actus sunt propter agentia, ly *propter* non denotat causam finalem, sed efficientem, ex qua est necessitas ibi et non ex fine. Motus ergo cœli si comparetur ad ipsum mobile, non habet ex eo necessitatem sicut ex causa efficiente, ut dictum est; habet autem hanc necessitatem ex movente, quod quia est voluntarie movens, secundum hoc necessitatem in motu inducit, secundum quod determinatum est per ordinem divinæ sapientiæ, et non ad moveri semper. — *Ibid.* ad 3.

Ad secundum dicendum, quod assimilari Deo secundum hoc quod actu acquirit successive diversos situs, ad quos prius erat in potentia, non potest esse finis motus cœli, tum quia hoc infinitum est, ut supra ostensum est; tum quia sicut ex una parte per motum acceditur ad divinam similitudinem, per hoc quod situs qui erant in potentia, fiunt actu, ita ab alia parte receditur a divina similitudine, per hoc quod situs qui erant in actu, fiunt in potentia. — *de Pot.* q. 5, a. 5, ad 4.

Ad tertium dicendum, quod licet generabilia et corruptibilia sint viliora cœlo, tamen animæ rationales sunt corpore cœli nobiliores, quæ tamen a Deo producuntur ad esse in materia disposita per motum cœli. — *Ibid.* ad 5.

Ad quartum dicendum, quod completio numeri electorum, secundum doctrinam fidei, non ponitur secundarius finis motus cœli, sed principalis, licet non ultimus, quia finis ultimus uniuscujusque rei est bonitas divina, in quantum creaturæ quoquo modo ad eam pertingunt vel per similitudinem vel per debitum famulatum. — *Ibid.* ad 6.

Ad quintum dicendum, quod res non dicitur esse imperfecta, quacunque potentia in ipsa non reducta ad actum, sed solum quando per reductionem in actum res consequitur suum complementum. Non enim homo qui est in potentia ut sit in India, imperfectus erit, si ibi non fuerit; sed imperfectus dicitur, si scientia vel virtute careat qua natus est perfici; cœlum autem non perficitur per locum, sicut corpora inferiora, quæ in proprio *ubi* conservantur. Unde licet potentia qua potest esse in aliquo *ubi*, nunquam reducatur ad actum, non tamen sequitur quod sit imperfectum; nam si secundum se consideretur, non magis perficitur, cum est in uno situ quam in alio, sed indifferenter se habet ad omnia *ubi*, cum ad quodlibet moveatur naturaliter. Ipsa autem indifferentia magis inducit ad quietem quam ad perpetuitatem motus, nisi consideretur voluntas moventis et intendentis finem, sicut etiam quidam philosophi assignaverunt causam quietis terræ in medio propter indifferentiam ejus respectu cujuslibet partis circumferentiæ cœli. — *Ibid.* ad 7.

Ad sextum dicendum, quod licet causæ motus cœli omnes sint æternæ, tamen movens, ex quo necessitas ejus dependet, movet per voluntatem, et non est necessarium quod semper moveat, sed secundum quod exigit ratio finis. — *Ibid.* ad 8.

Ad septimum dicendum, quod motus cœli non est naturalis propter activam inclinationem formalis principii in corpore cœlesti ad talem motum, sicut est in elementis. Unde non sequitur, si cœlum quiescit, quod ejus quies sit violenta. — *Ibid.* ad 12.

Ad octavum dicendum, quod quamvis cœlum æqualiter se habeat ad quemlibet situm sibi possibilem, non tamen motus est propter acquisitionem situs, sed propter aliquid aliud; unde in quocunque situ remaneat, impleto eo ad quod erat, nihil differt. — *Ibid.* ad 18.

ARTICULUS VI

UTRUM CESSANTE MOTU CŒLI REMANEANT ELEMENTA.

Videtur quod cessante motu cœli non remaneant elementa.

1. Dicitur enim 2. *Petri* 3, 10, quod in fine mundi elementa calore solventur; quod autem dissolvitur, non manet: ergo elementa non manebunt. — *de Pot.* q. 5, a. 7, arg. 1.

2. Sed dices, quod manebunt secundum substantiam, sed non secundum qualitates activas et passivas. — Sed contra, manente causa manet effectus; sed principia essentialia sunt causa propriorum accidentium: cum ergo qualitates activæ et passivæ sint propria elementorum accidentia, videtur quod principiis essentialibus manentibus, sine quibus substantia esse non potest, etiam remaneant qualitates activæ et passivæ. — *Ibid.* arg. 2.

3. Præterea, elementa facta sunt propter hominem in beatitudinem tendentem; sed habito fine cessant ea, quæ ad finem sunt: ergo homine totaliter jam in beatitudine collocato, quod erit in fine mundi, elementa cessabunt. — *Ibid.* arg. 9.

4. Præterea, materia est propter formam, quam per generationem acquirit; elementa autem comparantur ad omnia alia corpora mixta sicut materia: ergo cum generatio mixtorum cesset post finem mundi, videtur quod elementa non maneant. — *Ibid.* arg. 10.

5. Præterea, illud quod non habet virtutem ut sit semper, non potest in perpetuum manere; sed elementa, cum sint corruptibilia, non habent virtutem ut sint semper: ergo non possunt in perpetuum manere, motu cœli cessante. — *Ibid.* arg. 15.

6. Sed dices, quod elementa sunt incorruptibilia secundum totum, licet sint corruptibilia secundum partem. — Sed contra, hoc competit elementis per motum

cœli, in quantum una pars elementi corrumpitur et alia generatur; sic enim ipsius elementi totalitas conservatur; motu ergo cœli cessante non poterit assignari causa incorruptionis in toto elemento. — *de Pot.* q. 5, a. 7, arg. 16.

7. Præterea, Philosophus dicit (8. *Phys. text.* 1; c. 1.), quod motus cœli est ut vita quædam natura existentibus omnibus; et Rabbi Moyses dicit, quod motus cœli in universo est sicut motus cordis in animali, a quo dependet vita totius animalis; cessante autem motu cordis omnes partes animalis dissolvuntur: ergo cessante motu cœli omnes partes universi peribunt, et ita elementa non remanebunt. — *Ibid.* arg. 17.

8. Præterea, esse cujuslibet rei est a sua forma; sed motus cœli est causa formarum in istis inferioribus; quod patet ex hoc quod nihil in inferioribus agit ad speciem nisi ex virtute motus cœli, ut philosophi dicunt: ergo cessante motu cœli elementa esse desinent, formis eorum destructis. — *Ibid.* arg. 18.

9. Præterea, ad præsentiam solis elementa superiora vincunt semper inferiora, sicut accidit in æstate propter caloris fortificationem, sed ad solis absentiam e converso; motu autem cœli cessante sol semper ex una parte præsens erit et ex alia absens: ergo ex una parte totaliter destruentur elementa frigida, et ex alia elementa calida, et sic elementa non remanebunt, motu cœli cessante. — *Ibid.* arg. 19.

Sed contra est, quod elementa facta sunt ad divinam bonitatem manifestandam; sed tunc maxime oportebit divinam bonitatem manifestari, quando res ultimam consummationem accipient: ergo in fine mundi elementa manebunt. — *Ibid.* arg. 2 *Sed contra.*

Respondeo dicendum, quod apud omnes communiter dicitur, quod elementa quodammodo manebunt et quodammodo transibunt; sed in modo manendi et transeundi est diversa opinio. — *Quidam* enim dixerunt, quod omnia elementa manebunt quantum ad materiam; sed quædam nobiliorem formam accipient, scilicet aqua et ignis, quæ accipient formam cœli, ut sic tria elementa possint dici cœlum, aer scilicet, qui ex sua natura habet, ut cœlum quandoque in Scripturis dicatur, et aqua et ignis, quæ formam cœli assument, ut sic intelligatur verificari, quod dicitur *Apoc.* 21, 1: « Vidi cœlum novum et terram novam », sub cœli nomine tribus comprehensis, scilicet igne, aere et aqua. — Sed ista positio est impossibilis. Elementa enim non sunt in potentia ad formam cœli, eo quod forma cœli contrarium non habeat, et sub forma cœli sit tota materia, quæ est in potentia ad ipsam; sic enim cœlum esset generabile et corruptibile; quod Philosophus ostendit esse falsum (1. de *Cœlo text.* 20; c. 3). Ratio etiam, qua hoc asseritur, frivola est: quia in Scriptura, sicut dicit Basilius (*Homil.* 1 *in Hexaemeron* n. 7; — Migne PP. Gr. t. 29, col. 19), per extrema media intelliguntur, ut patet *Genes.* 1, 1, cum dicitur: « In principio creavit Deus cœlum et terram »; nam per creationem cœli et terræ etiam elementa media intelliguntur. Quandoque etiam sub certo nomine omnia inferiora comprehenduntur, ut patet in *Psalmo* 148, 7: « Laudate Dominum de terra », et postea subditur: « ignis, grando ». Unde nihil prohibet dicere, quod per innovationem cœli et terræ Scriptura innovationem etiam mediorum elementorum intellexit, vel quod sub nomine terræ omnia elementa comprehendat. — *de Pot.* q. 5, a. 7, c.

Et ideo *alii* dicunt, quod omnia elementa manebunt secundum substantiam, non solum quantum ad materiam, sed etiam quantum ad formas substantiales. Sicut enim secundum opinionem Avicennæ remanent formæ substantiales elementorum in mixto, qualitatibus activis et passivis non remanentibus in suis excellentiis, sed ad medium redactis, ita possibile erit quod in ultimo statu mundi absque prædictis qualitatibus remaneant elementa. Cui videtur consonare quod Augustinus dicit (*de Civ. Dei* l. 20, c. 16; — Migne PP. L. t. 41, col. 682): « In illa conflagratione mundana elementorum corruptibilium qualitates, quæ corporibus nostris corruptibilibus congrue-

bant, ardendo penitus interibunt, atque ita substantia eas qualitates habebit, quæ corporibus immortalibus mirabili mutatione convenient. — Sed hoc non videtur rationabiliter dictum: *primo* quidem, quia cum qualitates activæ et passivæ sint per se elementorum accidentia, oportet quod a principiis essentialibus causentur; unde non potest esse, quod principiis essentialibus manentibus in elementis, qualitates deficiant nisi per violentiam, quod non potest esse diuturnum. Et ideo nec opinio Avicennæ videtur esse probabilis, quod formæ elementorum actu maneant in mixto, sed solum virtute, ut dicit Philosophus; quia oporteret quod diversorum elementorum formæ in diversis partibus materiæ conservarentur, quod non esset, nisi essent etiam situ distinctæ; et sic non esset vera commixtio, sed solum secundum sensum; et tamen in mixto impediuntur qualitates unius elementi per qualitates alterius; quod non potest dici in mundi consummatione, ubi omnino cessabit violentia. *Secundo* quia, cum qualitates activæ et passivæ sint de integritate naturæ elementorum, sequeretur quod elementa imperfecta remanerent; unde auctoritas Augustini inducta non loquitur de qualitatibus activis et passivis, sed de dispositionibus eorum, quæ generantur et corrumpuntur et alterantur. — *de Pot.* q. 5, a. 7, c.

Et ideo videtur dicendum, quod elementa in sua substantia remanebunt, et etiam in suis qualitatibus naturalibus; sed mutuæ generationes et corruptiones et alterationes cessabunt. Per hujusmodi enim elementa ordinantur ad completionem numeri electorum, sicut et cœlum per motum suum; sed substantiæ elementorum manebunt, sicut et substantia cœli. Cum enim universum in perpetuum remaneat, oportet quod ea quæ sunt de perfectione universi, primo et per se remaneant; hoc autem competit elementis, cum sint essentiales partes ipsius universi, ut probat Philosophus (2. *de Cœlo text.* 30 sqq.; c. 4). Si enim est corpus circulare, oportet esse centrum ipsius, quod est terra; posita autem terra, quæ est simpliciter gravis, utpote in medio constituta, oportet ponere contrarium ejus, scilicet ignem, qui sit simpliciter levis; quia si unum contrariorum est in natura, et reliquum. Suppositis autem extremis necesse est et poni media; unde oportet ponere aerem et aquam, quæ sunt ad ignem quidem levia, ad terram autem gravia (1); quorum unum est propinquius igni, aliud propinquius terræ. Unde ex ipso situ universi patet, quod ipsa elementa sunt partes essentiales universi.

Quod patet esse manifestum ordine causarum et effectuum considerato; nam sicut cœlum est universale activum eorum, quæ generantur, ita elementa sunt eorundem universalis materia. Unde ad perfectionem universi requiritur, quod elementa secundum suam substantiam maneant; et ad hoc etiam habent ex sui natura aptitudinem. Corruptio autem aliter accidit in corporibus mixtis et elementis. In corporibus enim mixtis inest corruptionis activum principium propter hoc, quod sunt ex contrariis composita; in elementis autem, quia contrarium exterius habent et non sunt ex contrariis composita, non inest principium corruptionis activum, sed passivum tantum, in quantum habent materiam, cui inest aptitudo ad aliam formam, qua privantur. Et ab hoc principio generatio et corruptio in elementis sunt motus vel mutationes naturales, et non propter principium activum, ut dicit Commentator in 2. *Phys.* Sicut ergo, quia corpus cœleste principium sui motus activum habet extra, potest esse quod ejus motus cesset, ipso manente, absque violentia, ut dictum est, ita potest esse ut corruptio elementorum cesset, eorum substantiis manentibus, exteriori corruptivo cessante, quod oportet reducere in motum cœli, sicut in primum generationis et corruptionis principium. — *de Pot.* q. 5, a. 7, c.

Ad primum ergo dicendum, quod illa elementorum solutio non est referenda ad destructionem substantiæ elementorum, sed ad elementorum purgationem, quæ erit per

(1) *Legendum videtur:* ad ignem quidem gravia, ad terram autem lévia.

ignem, qui faciem Judicis præcedet; post illam autem purgationem remanebunt elementa secundum substantiam et naturales qualitates, ut dictum est. — Unde *secundum* concedimus. — *de Pot.* q. 5, a. 7, ad 1 et 2.

Ad tertium dicendum, quod elementa quantum ad sui mutationem facta sunt propter hominem in beatitudinem tendentem; sed quantum ad sui substantiam sunt facta et propter perfectionem universi et propter substantiam ipsius hominis, quæ ex elementis constituitur. — *Ibid.* ad 9.

Ad quartum dicendum, quod in mundi consummatione non cessabunt omnia mixta, quia corpora humana remanebunt; unde decens est, si partes eorum remanent in corpore hominis, qui est minor mundus, quod ipsa tota remaneant in mundo majori. — *Ibid.* ad 10.

Ad quintum dicendum, quod elementum sicut non habet virtutem ut sit semper, propter hoc quod potest ab exteriori corrumpi, ita non habet virtutem ut quandoque deficiat, nisi materialem, ut dictum est. — *Ibid.* ad 15.

Ad sextum dicendum, quod elementa sunt incorruptibilia secundum totum, partibus generatis et corruptis, quamdiu motus cœli durat; sed motu cœli cessante erit in eis alia incorruptionis causa, quia scilicet non possunt corrumpi nisi ab extrinseco; corruptivum autem extrinsecum deficiente motu cœli cessabit. — *Ibid.* ad 16.

Ad septimum dicendum, quod motus cœli est ut vita quædam omnibus rebus naturalibus secundum statum mutationis, qui in consummatione mundi tolletur. — *Ibid.* ad 17.

Ad octavum dicendum, quod licet eductio formarum de potentia in actum dependeat ex motu cœli, tamen eorum conservatio dependet a principiis altioribus. — *Ibid.* ad 18.

Ad nonum dicendum, quod sol est causa caliditatis per motum, ut dicit Philosophus 2. *de Cœlo* (*text.* 56 et 58; c. 9 et 10); unde cessante motu tollitur corruptionis causa in elementis, quæ est per superexcedentiam caloris. — *Ibid.* ad 19.

ARTICULUS VII

UTRUM CESSANTE MOTU CŒLI REMANEAT ACTIO ET PASSIO IN ELEMENTIS.

Videtur quod cessante motu cœli remaneat actio et passio in elementis.

1. Potentiæ enim naturales sunt determinatæ ad unum; unde virtus ignis, cum sit naturalis potentia, se habet tantum ad calefaciendum; sed in illa mundi consummatione remanebit virtus ignis et aliorum elementorum, ut prius dictum est: ergo impossibile est quin ignis et alia elementa agant. — *de Pot.* q. 5, a. 8, arg. 1.

2. Præterea, sicut dixit Philosophus (1. *de Generat. text.* 48 et 49; c. 7), ad hoc quod fiat mutua actio et passio, requiritur quod agens et patiens sint similia secundum materiam et dissimilia secundum formam; hoc autem erit in elementis cessante motu cœli, quia eorum substantiæ manebunt principiis essentialibus non mutatis: ergo erit actio et passio in elementis motu cœli cessante. — *Ibid.* arg. 2.

3. Præterea, causa actionis et passionis in elementis est ex hoc, quod in materia elementi semper est appetitus ad aliam formam, licet materia per unam formam sit perfecta; sed iste appetitus in materia remanebit etiam motu cœli cessante; non enim una forma elementi poterit totam potentiam materiæ implere: ergo in illa mundi consummatione remanebit actio et passio in elementis. — *Ibid.* arg. 3.

4. Præterea, illud quod est de perfectione elementi, non aufertur ei; hoc autem est de perfectione cujusque entis, quod agat sibi simile; diffusio enim ipsius esse derivatur a primo bono in omnia entia: ergo videtur quod elementa in illa consummatione agent sibi simile, et sic erit in eis actio et passio. — *Ibid.* arg. 4.

5. Præterea, sicut proprium est ignis esse calidum, ita etiam proprium ejus est calefacere; sicut enim calor derivatur a principiis essentialibus ignis, ita calefactio derivatur a calore; si ergo in illa rerum consummatione ignis et ejus calor remane-

bit, videtur quod etiam calefactio remanebit. — *Ibid.* arg. 5.

6. Præterea, omnia corpora naturalia se tangentia aliquo modo se alterant, ut patet ex 1. *de Generat.* (*text.* 53; c. 7); sed elementa in illo statu mundi se tangent: ergo se invicem alterabunt, et ita erit ibi actio et passio. — *Ibid.* arg. 6.

7. Præterea, in illa mundi consummatione « erit lux lunæ sicut lux solis, et lux solis septempliciter » (*Is.* 30, 26); sed modo sol et luna sua luce illuminant corpora inferiora: ergo multo fortius tunc illuminabunt, et ita remanebit aliqua actio et passio in his inferioribus; nam medium illuminatum illuminabit ultimum. — *Ibid.* arg. 7.

8. Præterea, Sancti videbunt visu corporeo res hujus mundi; sed visio non potest esse sine actione et passione, quia visus patitur a visibili: ergo erit actio et passio, etiam motu cœli cessante. — *Ibid.* arg. 8.

Sed contra: 1. Remota causa removetur effectus; sed motus cœli est causa actionis et passionis in istis inferioribus secundum doctrinam Philosophi (1. *Meteorol.* c. 2 et 2. *de Cœlo text.* 56; c. 9): ergo remoto motu cœli removebitur actio et passio in istis inferioribus. — *de Pot.* q. 5, a. 8, arg. 1 *Sed contra.*

2. Præterea, actio et passio in rebus corporalibus sine motu esse non potest; remoto autem primo motu, qui est motus cœli, ut probatur 8. *Phys.* (*text.* 75; c. 9), oportet posteriores motus cessare: remotu ergo motu cœli non erit actio et passio in istis inferioribus. — *Ibid.* arg. 2 *Sed contra.*

Respondeo dicendum, quod sicut habetur in lib. *de Causis* (propos. 1), quando causa prima retrahit actionem suam a causato, oportet etiam, quod causa secunda retrahat actionem suam ab eodem, eo quod causa secunda habet hoc ipsum, quod agit, per actionem causæ primæ, in cujus virtute agit. Cum autem omne agens agat secundum quod est in actu, oportet secundum hoc accipere ordinem causarum agentium, secundum quod est ordo earum in actualitate. Corpora autem inferiora minus habent de actualitate quam corpora cœlestia; nam in corporibus inferioribus non est tota potentialitas completa per actum, eo quod materia substans uni formæ remanet in potentia ad aliam formam; quod non est in corporibus cœlestibus. Nam materia corporis cœlestis non est in potentia ad aliam formam; unde sua potentialitas tota est terminata per formam, quam habet. Substantiæ vero separartæ sunt perfectiores in actualitate, quam etiam corpora cœlestia, quia non sunt compositæ ex materia et forma, sed sunt formæ quædam subsistentes, quæ tamen deficiunt ab actualitate Dei, qui est suum esse, quod de aliis substantiis separatis non contingit. Sicut etiam videmus, quod elementa etiam se superant invicem secundum gradum actualitatis, eo quod aqua habet plus de specie quam terra, aer quam aqua, et ignis quam aer; ita etiam est in corporibus cœlestibus et in substantiis separatis. Elementa ergo agunt in virtute corporum cœlestium, et corpora cœlestia agunt in virtute substantiarum separatarum; unde cessante actione substantiæ separatæ oportet quod cesset actio corporis cœlestis, et ea cessante oportet quod cesset actio corporis elementaris. — *de Pot.* q. 5, a. 8, c.

Sed sciendum, quod corpus habet duplicem actionem: *unam* quidem secundum proprietatem corporis, ut scilicet agat per motum (hoc enim est proprium corporis, ut motum moveat et agat); *aliam* autem actionem habet, secundum quod attingit ad ordinem substantiarum separatarum, ut participat aliquid de modo ipsarum: sicut naturæ inferiores consueverunt aliquid participare de proprietate naturæ superioris, ut apparet in quibusdam animalibus, quæ participant aliquam similitudinem prudentiæ, quæ propria est hominum. Hæc autem est actio corporis, quæ non est ad transmutationem materiæ, sed ad quandam diffusionem similitudinis formæ in medio, secundum similitudinem spiritualis intentionis, quæ recipitur de re in sensu vel intellectu; et hoc modo sol illuminat aerem, et color multiplicat speciem suam in medio. Uterque autem modus actionis in istis inferio-

ribus causatur ex corporibus cœlestibus; nam et ignis suo calore transmutat materiam ex virtute corporis cœlestis, et corpora visibilia multiplicant suas species in medio virtute luminis, cujus fons est in cœlesti corpore. Unde si actio utraque corporis cœlestis cessaret, nulla actio in istis inferioribus remaneret. Sed cessante motu cœli cessabit prima actio, sed non secunda; et ideo cessante motu cœli, erit quidem actio in istis inferioribus illuminationis et immutationis medii a sensibilibus, non autem erit actio, per quam transmutatur materia, quam sequitur generatio et corruptio. — *de Pot.* q. 5, a. 8, c.

Ad primum ergo dicendum, quod virtus ignis semper est determinata ad calefaciendum, præsuppositis tamen causis prioribus, quæ ad actionem ignis requiruntur. — *Ibid.* ad 1.

Ad secundum dicendum, quod similitudo secundum materiam et contrarietates formæ non sufficit in istis inferioribus ad passionem et actionem nisi motu cœli præsupposito, in cujus virtute agunt omnes inferiores activæ potentiæ. — *Ibid.* ad 2.

Ad tertium dicendum, quod materia non sufficit ad actionem, nisi principium activum ponatur. Unde appetitus materiæ non sufficienter probat actionem in elementis, motu cœli subtracto, a quo est primum principium actionis. — *Ibid.* ad 3.

Ad quartum dicendum, quod inferiora nunquam attingunt ad gradum perfectionis superiorum; hoc autem est de ratione perfectionis supremi agentis, quod sua perfectio sibi sufficiat ad agendum, omni agente remoto; unde hoc inferioribus agentibus attribui non potest. — *Ibid.* ad 4.

Ad quintum dicendum, quod ignis est proprium calefacere, supposito quod habeat aliquam actionem; sed ejus actio dependet ab alio, ut dictum est. — *Ibid.* ad 5.

Ad sextum dicendum, quod tactus non sufficit in elementis ad agendum, nisi motu cœli supposito. — *Ibid.* ad 6.

Ad septimum et octavum: illa concedimus; nam procedunt de actionibus, quibus materia non transmutatur, sed species quodam modo multiplicatur per modum intentionis spiritualis. — *Ibid.* ad 7 et 8.

ARTICULUS VIII

UTRUM CESSANTE MOTU CŒLI REMANEANT PLANTÆ ET ANIMALIA BRUTA ET CORPORA MINERALIA.

Videtur quod cessante motu cœli remaneant plantæ, bruta animalia et corpora mineralia.

1. Habetur enim *Eccle.* 3, 14: « Didici, quod omnia opera Dei perseverent in æternum » (1); sed prædicta sunt opera Dei: ergo in æternum manent. — *de Pot.* q. 5, a. 9, arg. 1.

2. Præterea, impossibile est, quod intentio et appetitus naturæ frustrentur, cum naturæ intentio sit ex hoc, quod natura a Deo in finem dirigitur; sed natura intendit per generationem et corruptionem perpetuitatem speciei servare: ergo nisi prædicta secundum speciem conserventur, frustrabitur naturæ intentio et appetitus; quod est impossibile, ut dictum est. — *Ibid.* arg. 3; 4. *Sent.* dist. 48, q. 2, a. 5, arg. 5.

3. Præterea, decor universi pertinet ad gloriam beatorum; unde dicitur a Sanctis, quod in majorem beatorum gloriam elementa mundi in statum meliorem reformabuntur; sed plantæ, bruta et mineralia pertinent ad decorem universi: ergo non subtrahentur in ultima consummatione beatorum. — *de Pot.* q. 5, a. 9, arg. 4; 4. *Sent.* l. c. arg. 1.

4. Præterea, sicut elementa servierunt homini in statu viæ, ita et animalia et plantæ; sed elementa propter prædictum ministerium remanebunt cessante, motu cœli, et glorificabuntur: ergo et plantæ et animalia remanebunt et glorificabuntur. — *de Pot.* l. c. arg. 9.

5. Præterea, quanto aliquid magis participat de proprietate primi perpetui, quod est Deus, tanto magis videtur esse perpetuum; sed animalia et plantæ plus participant de proprietatibus Dei quam elementa, quia sunt hæc tantum existentia, plantæ

(1) Vulg. : Didici, quod omnia opera, quæ fecit Deus, perseverent in perpetuum.

autem etiam vivunt, animalia vero insuper cognoscunt: ergo debent magis hæc in perpetuum manere quam illa. — *Ibid.* arg. 10.

6. Præterea, si in creatione mundi animalia et plantæ non fuissent producta, non fuisset mundus perfectus; sed major erit perfectio mundi ultima quam prima: ergo videtur, cum dici non possit quod mundus in sua innovatione maneat imperfectus, quod prædicta remaneant. — *de Pot.* q. 5, a. 9, arg. 12; 4. *Sent.* dist. 48, q. 2, a. 5, arg. 3.

7. Præterea, universale est semper; sed universale non est nisi in singularibus: ergo videtur quod cujuslibet universalis singularia semper erunt; ergo et bruta animalia et plantæ et corpora mineralia semper erunt. — *de Pot.* l. c. arg. 16.

8. Præterea, animalia et plantæ habent nobiliorem formam quam ipsa elementa; sed mundus in illa finali innovatione in melius mutabitur: ergo magis debent remanere animalia et plantæ quam elementa, cum sint nobiliora. — 4. *Sent.* l. c. arg. 4.

Sed contra: 1. Secundum Philosophum (2. *de Generat. text.* 55 sqq.; c. 9 et 10) in animalibus et plantis speciei perpetuitas non conservatur nisi secundum continuationem motus cœlestis; sed tunc motus cœlestis deficiet: ergo non poterit perpetuitas in plantis, brutis et mineralibus conservari. — 4. *Sent.* dist. 48, q. 2, a. 5, arg. 2 *Sed contra.*

2. Præterea, cessante fine cessare debet id quod est ad finem; sed animalia et plantæ facta sunt ad animalem vitam hominis sustentandam; unde dicitur *Genes.* 9, 3: « Sicut olera virentia dedi vobis omnem carnem »; sed post illa min novationem animalis vita in homine non erit: ergo nec plantæ nec animalia remanebunt. — 4. *Sent.* l. c. arg. 3 *Sed contra*; *de Pot.* q. 5, a. 9, arg. 2 *Sed contra.*

Respondeo dicendum, quod in illa mundi innovatione nullum corpus mixtum remanebit præter corpus humanum. — Ad hujus autem rationem sumendam procedendum est ordine quem docet Philosophus (2. *Phys. text.* 88 sqq.; c. 9), ut scilicet prius consideretur causa finalis, et postmodum principia materialia et formalia, et causæ moventes. — *de Pot.* q. 5, a. 9, c.

Finis autem mineralium corporum et plantarum et brutorum duplex potest considerari: *primus* quidem completio universi, ad quam omnes partes universi ordinantur sicut in finem; ad quem quidem finem res prædictæ non ordinantur sicut per se et essentialiter de perfectione universi existentes, cum nihil in eis existat, quod non inveniatur in principalibus partibus mundi (quæ sunt corpora cœlestia et elementa), sicut in principiis activis et materialibus. Unde res prædictæ sunt quidam particulares effectus causarum universalium, quæ sunt essentiales partes universi; et ideo sunt de perfectione universi secundum hoc tantum, quod a suis causis progrediuntur, quod quidem fit per motum. Unde pertinent ad perfectionem universi sub motu existentis, non autem ad perfectionem universi simpliciter; et ideo cessante mutabilitate universi, oportet quod prædicta cessent. — *Alius* autem finis est homo, quia, ut dicit Philosophus 1. *Polit.* (c. 5, al. 8), ea quæ sunt imperfecta in natura, ordinantur ad perfecta sicut ad finem; unde, sicut ibidem dicit, cum animalia habeant vitam imperfectam respectu vitæ humanæ, quæ simpliciter perfecta est, et plantæ respectu animalium: plantæ sunt propter animalia, præparatæ eis in cibum a natura, animalia vero propter hominem, necessaria ei ad cibum et ad alia auxilia. Ista autem necessitas est vita animalis hominis durante, quæ quidem in illa rerum innovatione tolletur, quia corpus resurget non animale, sed spirituale, ut dicitur 1. *ad Cor.* 15, 44; et ideo tunc etiam animalia et plantæ cessabunt. — *de Pot.* q. 5, a. 9, c.

Et ad hoc idem habent aptitudinem prædictarum rerum *materia* et *forma*. Cum enim sint compositæ ex contrariis, habent in se ipsis principium activum corruptionis; unde si a corruptione prohiberentur ab exteriori principio tantum, hoc esset quodammodo violentum et non conveniens perpetuitati: quia quæ sunt violenta, non possunt

esse semper, ut patet per Philosophum (1. *de Cœlo text.* 15; c. 2); interius autem principium non habent, quod possit a corruptione prohibere: quia eorum formæ sunt per naturam corruptibiles, utpote nec per se subsistentes, sed esse habentes a materia dependens; unde non possunt in perpetuum remanere eadem numero nec eadem specie, generatione et corruptione cessante. — *Ibid.*

Hoc autem idem invenitur ex consideratione *causæ moventis*; esse enim plantarum et animalium quoddam vivere est, quod in rebus corporalibus sine motu non existit; unde animalia deficiunt cessante motu cordis, et plantæ cessante nutrimento. In his autem rebus non est aliquod motus principium non dependens a primo mobili, quia ipsæ animæ animalium et plantarum totaliter subjiciuntur impressionibus cœlestium corporum; unde motu cœli cessante non poterit in eis motus remanere nec vita. Et sic patet, quod in illa mundi innovatione res prædictæ non poterunt remanere. — *de Pot.* q. 5, a. 9, c.

Ad primum ergo dicendum, quod omnia opera Dei in æternum perseverant vel secundum se vel in suis causis; sic enim et animalia et plantæ remanebunt manentibus corporibus cœlestibus et elementis. — *Ibid.* ad 1.

Ad secundum dicendum, quod perpetuitas, quæ est secundum speciem et non secundum numerum, est per generationem, quæ cessante motu cœli non erit. — *Ibid.* ad 2.

Vel dic, quod naturalis appetitus ad perpetuitatem, qui inest animalibus et plantis, est accipiendus secundum ordinem ad motum cœli: ut scilicet tantum in esse permaneant, quantum motus cœli durabit; non enim potest appetitus esse in effectu, ut permaneat ultra suam causam. Et ideo si cessante motu primi mobilis plantæ et animalia non maneant secundum speciem, non sequitur appetitum naturalem frustrari. — 4. *Sent.* dist. 48, q. 2, a. 5, ad 5.

Ad tertium dicendum, quod prædictæ res faciunt ad decorem universi secundum statum mutabilitatis in mundo et animalis vitæ in homine, et non aliter. — *de Pot.* q. 5, a. 9, ad 4.

Ad quartum dicendum, quod elementa non dicuntur remunerari secundum se, quia nec secundum se aliquid meruerunt, sed dicuntur remunerari in quantum homines in eis remunerabuntur, prout scilicet eorum claritas in gloriam electorum cedet. Animalibus autem et plantis homines non indigebunt, sicut elementis, quæ erunt quasi locus gloriæ ipsorum; et ideo non est simile. — *Ibid.* ad 9; 4. *Sent.* l. c. ad 2.

Ad quintum dicendum, quod licet quantum ad vitam et cognitionem plantæ et animalia sint similiora Deo quam elementa, tamen quantum ad simplicitatem, quæ facit ad incorruptionem, sunt elementa Deo similiora. — *de Pot.* q. 5, a. 9, ad 10.

Ad sextum dicendum, quod alia fuit perfectio mundi creati et alia consummati, ut supra dictum est; et ideo non oportet ut sit de secunda perfectione, quod fuit de prima. Rationi enim consentaneum est, ut sicut perfectio hominis multipliciter assignatur (est enim perfectio naturæ conditæ et naturæ glorificatæ), ita etiam perfectio universi sit duplex: *una* secundum statum hujus mutabilitatis, *altera* secundum statum futuræ novitatis. Plantæ autem et animalia sunt de perfectione ejus secundum statum istum, non autem secundum statum novitatis illius, cum ordinem ad eam non habeant. — *Ibid.* ad 12; 4. *Sent.* dist. 48, q. 2, a. 5, ad 3.

Ad septimum dicendum, quod universale tripliciter considerari potest, et secundum quemlibet modum considerationis aliquo modo verum est, quod universale est semper. Potest enim *uno modo* considerari natura universalis, secundum quod abstrahit a quolibet esse; et sic verum est, quod universale est semper, magis per remotionem causæ determinantis ad aliquod tempus, quam per positionem causæ perpetuitatis; de ratione enim naturæ universalis non est, quod sit magis hoc tempore quam illo: per quem etiam modum materia prima dicitur esse una. *Alio modo* potest considerari secundum esse, quod habet in singularibus;

et sic verum est, quod est semper, quia est quandocunque est suum singulare; sicut etiam dicitur esse ubique, quia est ubicunque est suum singulare: cum tamen multa loca sint, ubi sua singularia non sunt, unde nec ibi est universale. *Tertio modo* potest considerari secundum esse quod habet in intellectu; et sic etiam verum est, quod universale est semper, præcipue in intellectu divino. — *de Pot.* q. 5, a. 9, ad 16.

Ad octavum dicendum, quod quamvis animalia et plantæ quantum ad quædam alia sint nobiliora quam ipsa elementa, tamen quantum ad ordinem incorruptionis elementa sunt nobiliora, ut ex dictis patet. — 4. *Sent.* dist. 48, q. 2, a. 5 ad 4.

ARTICULUS IX

UTRUM CORPORA HUMANA MANEANT MOTU CŒLI CESSANTE.

Videtur quod corpora humana non remaneant motu cœli cessante.

1. Omnis enim mixtio elementorum ex motu cœli causatur, cum ad mixtionem alteratio requiratur; sed corpus humanum est corpus mixtum ex elementis: ergo motu cœli cessante remanere non potest. — *de Pot.* q. 5, a. 10, arg. 2.

2. Præterea, necessitas quæ est ex materia, est necessitas absoluta, ut patet ex 2. *Phys.* (*text.* 87 et 88; c. 9); sed in corpore composito ex contrariis est necessitas ad corruptionem ex ipsa materia: ergo impossibile est quin talia corpora corrumpantur, et ita impossibile est quod remaneant post statum generationis et corruptionis; corpora autem humana sunt hujusmodi: ergo impossibile est quod in illo rerum fine remaneant. — *Ibid.* arg. 3.

3. Præterea, homo cum brutis convenit in hoc quod habet corpus sensibile; sed corpora sensibilia brutorum non remanebunt in illo mundi fine: ergo nec corpora humana. — *Ibid.* arg. 4.

4. Præterea, finis hominis est perfecta assimilatio ad Deum; sed Deo, qui incorporeus est, magis assimilatur anima a corpore absoluta quam corpori unita: ergo in statu finalis beatitudinis animæ erunt sine corporibus. — *Ibid.* arg. 5.

5. Præterea, ad perfectam hominis beatitudinem requiritur perfecta operatio intellectus, qui est principalius in homine; sed operatio animæ intellectivæ a corpore absolutæ est perfectior quam corpori unitæ, quia, ut dicitur in lib. *de Causis* (propos. 17), omnis virtus unita plus est infinita quam multiplicata; formæ autem separatæ in se unitæ sunt, materiæ vero conjunctæ quodammodo ad plura diffunduntur: ergo in illa perfecta beatitudine animæ non erunt corpori unitæ. — *Ibid.* arg. 6.

6. Præterea, elementa quæ sunt in mixto, appetunt naturali appetitu propria *ubi*; appetitus autem naturalis non potest esse vanus; unde quod est contra naturam non potest esse perpetuum: non potest ergo esse quin elementa in corpore mixto existentia quandoque ad sua loca tendant, et sic corpus mixtum corrumpatur; ergo post corruptionis statum non remanebunt humana corpora, quæ sunt mixta. — *Ibid.* arg. 7.

7. Præterea, omnis motus naturalis cujuscunque corporis a motu cœli dependet; sed motus cordis, sine quo non potest esse humani corporis vita, est motus naturalis: ergo cessante motu cœli remanere non poterit, et per consequens nec humani corporis vita. — *Ibid.* arg. 8.

8. Præterea, membra humani corporis pro majori parte sunt ordinata ad usus competentes vitæ animalis, sicut patet de venis et stomacho et hujusmodi, quæ ordinantur ad nutrimentum; sed animalis vita in homine non remanebit in illa beatitudine: ergo nec membra corporis (alias frustra essent), et sic nec corpus humanum remanebit. — *Ibid.* arg. 9.

Sed contra est: 1. quod 1. *ad Cor.* 15, 53 dicitur: « Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem »; hoc autem corruptibile est corpus: ergo corpus remanebit incorruptione indutum. — *Ibid.* arg. 1 *Sed contra.*

2. Præterea, *ad Phil.* 3, 21 dicitur: « Reformabit corpus humilitatis nostræ con-

figuratum corpori claritatis suæ » ; sed Christus, corpus quod semel in resurrectione resumpsit, nunquam deposuit, nec deponet (*Rom.* 6, 9: « Christus resurgens ex mortuis jam non moritur »): ergo et Sancti in perpetuum vivent cum corporibus, cum quibus resurgent, et sic humana corpora post finem mundi manebunt. — *de Pot.* q. 5, a. 10, arg. 2 *Sed contra.*

Respondeo dicendum, quod sicut Augustinus dicit (*de Civ. Dei* l. 22, c. 26; — Migne PP. L. t. 41, col. 794), Porphyrius ponebat, ad perfectam beatitudinem animæ omne corpus fugiendum esse, et sic secundum eum anima in perfecta beatitudine existens corpori unita esse non potest; quam opinionem tangit Origenes in suo *Periarchon* (lib. 3, c. 6; — Migne PP. Gr. t. 11, col. 336) dicens, quosdam opinatos fuisse, Sanctos corpora in resurrectione resumpta quandoque depositurus, ut sic ad Dei similitudinem in perfecta beatitudine vivant. — Sed hæc opinio præter hoc, quod est fidei contraria, ut ex auctoritatibus inductis et pluribus aliis patere potest, etiam a ratione discordat. Non enim perfectio beatitudinis esse poterit, ubi deest naturæ perfectio. Cum autem animæ et corporis naturalis sit unio, et substantialis, non accidentalis, non potest esse quod natura animæ sit perfecta, nisi sit corpori conjuncta. Et ideo anima separata a corpore non potest ultimam perfectionem beatitudinis obtinere. Propter quod etiam dicit Augustinus (*de Genes. ad Litt.* l. 12, c. 35; — Migne PP. L. t. 34, col. 483), quod animæ Sanctorum ante resurrectionem non ita perfecte fruuntur divina visione sicut postea; unde in ultima perfectione beatitudinis oportebit corpora humana esse animabus unita. — *de Pot.* q. 5, a. 10, c.

Positio autem præmissa procedit secundum opinionem illorum, qui dicunt animam accidentaliter uniri corpori, sicut nautam navi aut hominem indumento. Unde et Plato dixit, quod homo est anima corpore induta, ut Gregorius Nyssenus (potius Nemesius *de Natura Hominis* c. 3; — Migne PP. Gr. t. 40, col. 594) narrat. Sed hoc stare non potest, quia sic homo non esset ens per se, sed per accidens; nec esset in genere accidentis, sicut hoc, quod dico vestitum et calceatum. Patet etiam, quod rationes supra inductæ de corporibus mixtis non habent locum in homine; nam homo ordinatur ad perfectionem universi ut essentialis pars ipsius, cum in homine sit aliquid, quod non continetur virtute nec in elementis nec in cœlestibus corporibus, scilicet anima rationalis. Corpus etiam hominis ordinatur ad hominem non secundum animalem vitam tantum, sed ad perfectionem naturæ ipsius; et quamvis corpus hominis sit ex contrariis compositum, inerit tamen principium incorruptibile, quod poterit præservare a corruptione absque violentia, cum sit intrinsecum; et hoc poterit esse sufficiens principium motus, motu cœli cessante, cum a motu cœli non dependeat. — *Ibid.*

Ad primum ergo dicendum, quod motus est causa mixtionis secundum fieri; sed conservatio ejus est per formam substantialem, et ulterius per principia cœlo altiora. — *Ibid.* ad 2.

Ad secundum dicendum, quod anima rationalis ex perfecta unione ad Deum omnino super materiam victoriam habebit; et sic licet materia sibi relicta corruptibilis sit, tamen ex virtute animæ incorruptionem sortietur. — *Ibid.* ad 3.

Ad tertium dicendum, quod sensibilitas in homine est a principio incorruptibili, scilicet ab anima rationali, in brutis autem est a principio corruptibili; et ideo corpus sensibile hominis in perpetuum potest remanere, non autem corpus sensibile bruti. — *Ibid.* ad 4.

Ad quartum dicendum, quod anima corpori unita plus assimilatur Deo quam a corpore separata, quia perfectius habet suam naturam. In tantum enim unumquodque Deo simile est, in quantum perfectum est, licet non sit unius modi perfectio Dei et perfectio creaturæ. — *Ibid.* ad 5.

Ad quintum dicendum, quod anima corpori unita non multiplicatur per modum formarum materialium, quæ sunt divisibiles divisione subjecti; sed in se remanet

simplex et una; unde ejus operatio non impedietur ex corporis unione, quando corpus erit omnino subjectum animæ; nunc autem impeditur ex corporis unione propter hoc, quod anima non perfecte dominatur in corpus. — *de Pot.* q. 5. a. 10, ad 6.

Ad sextum dicendum, quod appetitus naturalis elementorum tendendi in propria loca per dominium animæ in corpus retinebitur, ne dissolutio elementorum fiat, quia elementa perfectius esse habebunt in corpore hominis, quam in suis locis haberent. — *Ibid.* 7.

Ad septimum dicendum, quod motus cordis in homine causabitur ex natura animæ rationalis, quæ a motu cœli non dependet; et ideo motus ille non cessabit motu cœli cessante. — *Ibid.* ad 8.

Ad octavum dicendum, quod omnia membra corporis remanebunt, non propter usus animalis vitæ, sed propter perfectionem naturæ hominis. — *Ibid.* ad 9.

QUÆSTIO XXXII

DE ACTIONE CORPORUM CŒLESTIUM IN CORPORA INFERIORA.

Deinde considerandum est de actione corporum cœlestium in corpora inferiora.

CIRCA QUAM QUÆRUNTUR QUINQUE:

1. Utrum aliquod corpus sit activum.
2. Utrum corpora cœlestia sint causa eorum, quæ fiunt in inferioribus.
3. Utrum sint causa humanorum actuum.
4. Utrum imponant necessitatem his, quæ subduntur eorum actioni.
5. Utrum cœlum agat in hæc inferiora tantum per motum et lumen.

ARTICULUS I

UTRUM ALIQUOD CORPUS SIT ACTIVUM.

Videtur quod nullum corpus sit activum.

1. Non enim possunt formæ et accidentia fieri ex materia, cum non habeant materiam partem sui; ergo si fiant, oportet quod fiant ex nihilo, et per consequens quod creentur; sed creatio solius Dei est actio: ergo solus Deus tam formas substantiales quam accidentales producit, et sic nullum corpus erit activum. — 3. *c. Gent.* c. 69 init.

2. Præterea, omne quod per se non est, derivatur ab eo quod est per se; ergo formæ rerum quæ non sunt per se existentes, sed in materia, proveniunt ex formis, quæ per se sunt sine materia; sed omnes formæ sublunares excepta anima rationali sunt in materia, et omne corpus habet formam in materia existentem: ergo nullum corpus est ullius rei activum. — *Ibid.*

3. Præterea, omne agens, excepto primo agente, in suo opere indiget subjecto, quod sit susceptibile suæ actionis; sed infra substantiam corporalem non est substantia quæ sit susceptibilis suæ actionis, quia hæc substantia tenet ultimum gradum in entibus: ergo substantia corporalis non est activa. — *Ibid.* et 1a, q. 115, a. 1, arg. 2.

4. Præterea, omnis substantia corporalis concluditur quantitate; sed quantitas impedit substantiam a motu et actione, quia comprehendit eam et mergitur in ea, sicut impeditur aer nubilosus a perceptione luminis; et hujus est signum, quod quanto magis accreverit quantitas corporis, tanto est ponderosius et gravius ad hoc quod moveatur: ergo nulla substantia corporalis est activa. — 3. *c. Gent.* c. 69; 1a, l. c. arg. 3.

5. Præterea, omne agens habet virtutem agendi ex propinquitate ad primum activum; sed a primo activo, quod est simplicissimum, remotissima sunt corpora, quæ sunt maxime composita: ergo nullum corpus est agens. — 1a, l. c. arg. 4; 3. *c. Gent.* l. c.

6. Præterea, si aliquod corpus est agens, aut agit ad formam substantialem aut ad formam accidentalem. Sed non ad formam substantialem, quia non invenitur in corporibus principium actionis nisi aliqua qualitas activa, quæ est accidens; accidens autem non potest esse causa formæ substantialis, cum causa sit potior effectu. Similiter etiam neque ad formam accidentalem, quia

accidens non se extendit ultra suum subjectum. Ergo nullum corpus est activum. — 1a, q. 115, a. 1, arg. 5.

7. Præterea, accidens non migrat de subjecto in subjectum; sed migraret, si substantia corporalis esset activa: ergo nullum corpus est activum. — 3. *c. Gent.* c. 69.

Sed contra est: 1. quod si substantia corporalis non agit, sed solus Deus immediate omnia operatur in omnibus, cum Deus non varietur per hoc quod operatur in rebus diversis, non sequeretur diversus effectus ex diversitate rerum, in quibus operatur. Hoc autem ad sensum apparet falsum; non enim ex oppositione calidi sequitur infrigidatio, neque ex semine hominis sequitur generatio nisi hominis. Ergo etiam substantia corporalis est activa. — 3. *c. Gent.* c. 69 n. 1 (inconven.).

2. Præterea, contra rationem sapientiæ est, ut sit aliquid frustra in operibus sapientis. Sed si substantiæ corporeæ nullo modo operantur ad effectus producendos, sed solus Deus immediate omnia operatur, frustra essent adhibitæ ab ipso aliæ res corporeæ, maxime ad res producendas. Repugnat ergo prædicta positio divinæ sapientiæ. — *Ibid.* n. 2.

3. Præterea, quod dat alicui aliquod principale, dat eidem omnia quæ consequuntur ad illud, sicut causa quæ dat corpori elementari gravitatem, dat ei motum deorsum. Sed facere aliquod actu consequitur ad hoc quod est esse actu, ut patet in Deo; ipse enim est actus purus et est prima causa essendi omnibus. Si ergo substantiis corporeis communicat similitudinem suam quantum ad *esse*, in quantum illas in esse produxit, consequens est quod communicet illis similitudinem suam quantum ad *agere*, ut etiam substantiæ corporeæ habeant proprias actiones. — *Ibid.* n. 3.

Respondeo dicendum, quod sensibiliter apparet aliqua corpora esse activa. Sed circa corporum actiones tripliciter aliqui erraverunt. Fuerunt enim, qui totaliter corporibus actiones subtraxerunt. Et hæc est *opinio Avicebron* in lib. *Fontis Vitæ*, ubi per rationes, quæ factæ sunt, probare nititur, quod nullum corpus agit, sed omnes actiones, quæ videntur esse corporum, sunt actiones cujusdam virtutis spiritualis, quæ penetrat per omnia corpora: ita quod ignis secundum eum non calefacit, sed virtus spiritualis penetrans per ipsum.

Et videtur hæc opinio derivata esse ab *opinione Platonis*. Nam Plato posuit, omnes formas quæ sunt in materia corporali, esse participatas et determinatas et contractas ad hanc materiam, formas vero separatas esse absolutas; et ideo illas formas separatas dicebat esse causas formarum quæ sunt in materia. — Secundum hoc ergo, quod forma quæ est in materia corporali, determinata est ad hanc materiam individuatam per quantitatem, ponebat Avicebron, quod a quantitate, prout est individuationis principium, retinetur et arcetur forma corporalis, ne possit se extendere per actionem in aliam materiam; sed solum forma spiritualis et immaterialis quæ non est coarctata per quantitatem, potest effluere per actionem in aliud. — 1a, q. 115, a. 1, c.

Sed ista ratio non concludit, quod forma corporalis non sit agens, sed quod non sit agens universale. Secundum quod enim participatur aliquid, secundum hoc est necessarium quod participetur id quod est proprium ei: sicut quantum participatur de lumine, tantum participatur de ratione visibilis. Agere autem, quod nihil est aliud, quam facere aliquid actu, est per se proprium actus in quantum est actus; unde et omne agens agit sibi simile. Sic ergo ex hoc quod aliquid est forma non determinata per materiam quantitati subjectam, habet quod sit agens indeterminatum et universale; ex hoc vero quod est determinata ad hanc materiam, habet quod sit agens contractum et particulare. Unde si esset forma ignis separata, ut Platonici posuerunt, esset aliquo modo causa omnis ignitionis. Sed hæc forma ignis, quæ est in hac materia corporali, est causa hujus ignitionis, quæ est ab hoc corpore in hoc corpus; unde et fit talis actio per contactum duorum corporum. — Sed tamen hæc opinio Avicebron superexcedit opinionem Platonis.

Nam Plato ponebat solum formas substantiales separatas, accidentia vero reducebat ad principia materialia, quæ sunt magnum et parvum, quæ ponebat esse prima contraria, sicut et alii rarum et densum. Et ideo tam Plato quam Avicenna in aliquo ipsum sequens ponebant, quod agentia corporalia agunt secundum formas accidentales, disponendo materiam ad formam substantialem; sed ultima perfectio, quæ est per inductionem formæ substantialis, est a principio immateriali. Et hæc est secunda opinio de actione corporum.

Tertia vero *opinio* fuit *Democriti*, qui ponebat actionem esse per effluxionem atomorum a corpore agente, et passionem esse per receptionem eorundem in corpus patiens. Quam opinionem improbat Aristoteles (1. *de Generat.* a *text.* 57 ad 76; c. 8). Sequeretur enim, quod corpus non pateretur per totum, et quod quantitas corporis agentis diminueretur ex hoc quod agit; quæ sunt manifeste falsa. Dicendum est ergo, quod corpus agit secundum quod est actu, in aliud corpus secundum quod est potentia. — 1a, q. 115, a. 1, c.; *de Pot.* q. 3, a. 7, c.

Ad primum ergo dicendum, quod quia ad hoc aliquid fit, ut sit; sicut forma non dicitur ens, quasi ipsa habeat esse, sed quia per eam compositum est; ita nec forma proprie fit, sed incipit esse per hoc, quod compositum reducitur de potentia in actum. — 3. *c. Gent.* c. 69 (in solutione rationum, n. 1).

Ad secundum dicendum, quod non oportet, ut omne quod habet aliquam formam quasi participatam, recipiat eam immediate ab eo, quod est essentialiter forma, sed immediate quidem ab alio, quod habet similem formam, simili scilicet modo participatam, quod tamen agat in virtute illius formæ separatæ, si qua est talis; sic enim agens similem effectum sibi producit. — 3. *c. Gent.* l. c. n. 2.

Ad tertium dicendum, quod tota natura corporalis simul accepta non habet aliquam inferiorem naturam infra se, in quam agat, sicut natura spiritualis in corporalem, et natura increata in creatam; sed tamen unum corpus est infra alterum, in quantum est in potentia ad id, quod habet aliud in actu. — 1a, q. 115, a. 1, ad 1.

Ad quartum dicendum, quod quantitas non impedit formam corporalem omnino ab actione, sicut dictum est, sed impedit eam ne sit agens universale, in quantum forma individuatur, prout est in materia quantitati subjecta. Signum tamen, quod inducitur de ponderositate corporum, non est ad propositum: *primo* quidem, quia additio quantitatis non est causa gravitatis, ut probatur in 4. *de Cœlo* (*text.* 9; *c.* 2.); — *secundo*, quia falsum est, quod ponderositas facit tardiorem motum; imo quanto aliquid est gravius, tanto magis movetur motu proprio; — *tertio*, quia actio non fit per motum localem, ut Democritus posuit, sed per hoc, quod aliquid reducitur de potentia in actum. — *Ibid.* ad 3.

Ad quintum dicendum, quod corpus non est id, quod maxime distat a Deo; participat enim aliquid de similitudine divini esse secundum formam, quam habet; sed id, quod maxime distat a Deo, est materia prima, quæ nullo modo est agens, cum sit in potentia tantum. — *Ibid.* ad 4.

Ad sextum dicendum, quod corpus agit et ad formam accidentalem et ad substantialem. Qualitas enim activa, ut calor, quia est accidens, agit ad formam accidentalem in virtute propria; quia vero causatur a forma substantiali, quæ simul cum materia est causa propriorum accidentium, agit in virtute formæ substantialis sicut ejus instrumentum. Et ideo potest agere ad formam substantialem; sicut et calor naturalis, in quantum est instrumentum animæ, agit ad generationem carnis. Quod enim agit in virtute alterius, producit effectum similem non sibi tantum, sed magis ei, in cujus virtute agit, sicut ex actione instrumenti fit in artificiato similitudo artis. Neque est contra rationem accidentis, quod excedat suum subjectum in agendo, sed quod excedat in essendo. — *Ibid.* ad 5; 3. *c. Gent.* c. 69 (in solutione rationum n. 3).

Ad septimum dicendum, quod ridiculum est dicere, quod ideo corpus non agat, quia

accidens non transit de subjecto in subjectum. Non enim hoc modo dicitur corpus calidum calefacere, quod idem numero calor, qui est in calefaciente corpore, transeat ad corpus calefactum; sed quia virtute caloris, qui est in calefaciente corpore, alius calor numero fit actu in corpore calefacto, qui prius erat in eo in potentia. Agens enim naturale non est traducens propriam formam in alterum subjectum, sed reducens subjectum, quod patitur, de potentia in actum. — 3. *c. Gent.* c. 69, n. 9.

ARTICULUS II

UTRUM CORPORA CŒLESTIA SINT CAUSA EORUM, QUÆ HIC IN INFERIORIBUS FIUNT.

Videtur quod corpora cœlestia non sint causa eorum, quæ hic in inferioribus corporibus fiunt.

1. Dicit enim Damascenus in lib. 2 *de Fide Orthod.* c. 6 (Migne PP. Gr. t. 94, col. 894): Nos autem dicimus, quoniam ipsa corpora cœlestia non sunt causa alicujus eorum, quæ fiunt, neque corruptionis eorum, quæ corrumpuntur; signa autem sunt magis imbrium et aeris transmutationis. — 1a, q. 115, a. 3, arg. 1; *de Verit.* q. 5, a. 9, arg. 1.

2. Sed dices, quod dicuntur non esse causa horum, quia non inducunt in his inferioribus necessitatem. — Sed contra, si effectus corporis cœlestis impeditur in his inferioribus, hoc non potest esse nisi propter aliquam dispositionem in his inventam. Sed si hæc inferiora causantur a superioribus, oportet etiam illam dispositionem impedientem in aliquam virtutem corporis cœlestis reducere. Ergo impedimentum non potest esse in his inferioribus nisi secundum exigentiam superiorum; et ita, si superiora habent necessitatem in suis motibus, etiam in inferiora necessitatem inducent, si a superioribus producuntur. — *de Verit.* q. 5, a. 9, arg. 2.

3. Præterea, ad faciendum aliquid sufficit agens et materia; sed in istis inferioribus inveniuntur materia patiens et contraria agentia, scilicet calidum et frigidum et hujusmodi: ergo non est necessarium ad causandum ea, quæ hic inferius aguntur, causalitatem cœlestibus corporibus attribuere. — 1a, q. 115, a. 3, arg. 2; *de Verit.* l. c. arg. 3.

4. Præterea, agens agit sibi simile; sed videmus omnia quæ fiunt hic inferius, fieri per hoc quod calefiunt et frigefiunt, et humectantur et desiccantur, et aliis hujusmodi qualitatibus alterantur: ergo. — 1a, l. c. arg. 3.

5. Præterea, dicit Augustinus (*de Civ. Dei*, l. 5, c. 6; — Migne PP. L. t. 41, col. 146), quod nihil est magis corporeum quam corporis sexus. Sed corporis sexus non causatur ex corporibus cœlestibus; cujus signum esse videtur, quod duorum geminorum sub una constellatione natorum unus est masculus et alter femina. Ergo corpora cœlestia non sunt causa rerum corporalium, quæ hic fiunt. — 1a, l. c. arg 4; *de Verit.* l. c. arg. 9.

6. Præterea, si corpus cœleste agit aliquid in hæc inferiora, aut agit in quantum est corpus, per corporalem scilicet formam, aut per aliquid aliud. Non primum, quia sic agere cuilibet corpori conveniret, quod est falsum; ergo si agit, agit per aliquid aliud, et sic illi incorporeæ virtuti debet attribui actio; et sic idem quod prius. — *de Verit.* l. c. arg. 5.

7. Præterea, necessitas effectus procedit ex necessitate causæ, ut dicitur in 5. *Metaphys.* cap. de necessario (*text.* 6; l. 4, c. 5). Sed motus cœli est necessarius. Cum enim sit naturalis, ut in 1. *de Cœlo* (*text.* 78 sqq.; c. 8) dicitur, non videtur esse voluntarius vel electivus. Si ergo ex corporibus cœlestibus causantur alterationes et motus corporum inferiorum, oportet quod in inferioribus omnia ex necessitate contingant, quod est falsum; ergo. — 2. *Sent.* dist. 15, q. 1, a. 2, arg. 3; *de Verit.* l. c. arg. 11 et 12.

8. Præterea, ubi est eadem causa, et idem effectus; sed omnia corpora cœlestia communiter habent motum et lumen: ergo omnia haberent eundem effectum; quod est contra omnes qui ponunt causalitatem corporum cœlestium

super inferiora, cum quædam eorum dicantur effective calida, ut sol, quædam vero frigida, ut saturnus et luna. — 2. *Sent.* dist. 15, q. 1, a. 2, arg. 5.

9. Præterea, cum movens et motum oporteat esse simul, et agens et passum, ut probatur in 7. *Phys.* (*text.* 10; c. 2), non potest ab uno extremo provenire actio in alterum nisi per impressionem factam in medio; sed inter stellas superiores et corpora inferiora sunt medii orbes planetarum: cum ergo illi orbes non recipiant impressionem caloris et frigoris, non videtur quod ad minus a superioribus stellis aliqua impressio in corpora inferiora fiat, nec etiam ab aliqua planetarum, nisi forte a luna. — 2. *Sent.* l. c. arg. 6; *de Verit.* q. 5, a. 9, arg. 16 et 17.

10. Præterea, si cœli agunt in hæc inferiora, maxime per motum, ut dicit Philosophus (2. *de Cœlo text.* 42; c. 7); sed hoc non potest dici, quia, si sic agerent, deberet major calor causari in corporibus propinquioribus cœlo quam in remotioribus; sed oppositum patet experientia; nam circa terram plures species rerum generantur quam supra: ergo dicendum est, quod cœlum non agit in hæc inferiora. — 3. *de Cœlo* l. 10.

Sed contra est: 1. quod secundum Philosophum (2. *Metaphys. text.* 4; l. 1 min., c. 1) illud, quod est primum in aliquo genere, est causa illorum, quæ sunt post in illo genere; sed corpora cœlestia sunt prima in genere corporum, et motus eorum sunt primi inter motus alios corporales: ergo sunt causa corporalium, quæ hic aguntur. — *de Verit.* q. 5, a. 9, arg. 3 *Sed contra.*

2. Præterea, Philosophus in 2. *de Generat.* (*text.* 54; c. 10) dicit, quod allatio solis in circulo declivi est causa generationis et corruptionis in his inferioribus; unde et generationes et corruptiones mensurantur per motum prædictum. In libris etiam *de Animal.* (4. *de Generat. Animal.* c. 10) dicit, quod omnes diversitates, quæ sunt in conceptionibus, sunt ex corporibus cœlestibus. Ergo hæc sunt causa eorum, quæ fiunt in his inferioribus. — *Ibid.* arg. 4 *Sed contra.*

3. Præterea, cum omnis multitudo ab unitate procedat, omnis motus debet ab immobili procedere, nam immobile uno modo se habet, mobile vero multiformiter; et per consequens, quanto aliquid est magis immobile, tanto est magis causa magis mobilis. Sed corpora cœlestia sunt magis immobilia, quia solo motu locali moventur, quo nulla fit multiformitas in aliquo intrinseco. Hæc autem inferiora maxime mobilia sunt, cum multis motibus (generatione, alteratione, augmento et motu locali) moveantur. Ergo corpora cœlestia sunt horum inferiorum causa. — 1a, q. 115, a. 3, c.

Respondeo dicendum, quod communis omnium intentio fuit reducere multitudinem in unitatem et varietatem in uniformitatem, secundum quod possibile esset. Et ideo *antiqui* considerantes diversitatem actionum in istis inferioribus, reputaverunt ea reducere in aliqua principia pauciora et simpliciora, scilicet in elementa aut multa aut unum, et in qualitates elementares. Sed ista positio non est rationabilis. Qualitates enim elementares inveniuntur se habere in actionibus rerum naturalium sicut instrumentalia principia. Cujus signum est, quod non eundem modum actionis habent in omnibus, nec ad eundem terminum perveniunt actiones ipsarum; alium enim effectum habent in auro, alium in ligno vel carne animalis; quod non esset, nisi agerent in quantum sunt ab alio regulata. Actio autem principalis agentis non reducitur sicut in principium in actionem instrumenti, sed potius e converso; sicut effectus artis non debet attribui serræ, sed artifici. Unde et effectus naturales non possunt reduci in qualitates elementares sicut in prima principia.

Unde et *alii*, scilicet Platonici, reduxerunt in formas simplices et separatas sicut in prima principia, ex quibus, ut dicebant, erat esse et generatio in istis inferioribus et omnis proprietas naturalis. Sed hoc non potest stare. A causa enim eodem modo se habente est effectus eodem modo se habens; formæ autem illæ ponebantur esse immobiles: unde oporteret ut semper ge-

neratio ab eis esset uniformiter in istis inferioribus; contrarium tamen videmus ad sensum.

Unde oportet ponere, principia generationis et corruptionis et aliorum motuum consequentium in his inferioribus esse aliqua, quæ non semper eodem modo se habeant; oportet ea tamen semper manere prima principia generationis et corruptionis, ut generatio continua esse possit. Et ideo oportet ea invariabilia esse secundum substantiam, moveri autem secundum locum; ut per accessum et recessum et motus varios et contrarios, contrarii et diversi effectus fiant in his inferioribus. Et hujusmodi sunt corpora cœlestia; et ideo omnes effectus oportet reducere in ea sicut in causas.

Sed in hac reductione duplex error fuit. *Quidam* enim hæc inferiora in corpora cœlestia reduxerunt sicut in causas simpliciter primas, eo quod nullas substantias incorporeas arbitrabantur; unde priora in corporibus dicebant esse priora in entibus. Sed hoc manifeste apparet esse falsum. Nam omne quod movetur oportet in immobile principium reduci, cum nihil a se ipso moveatur, et non sit abire in infinitum. Corpus autem cœleste quamvis non varietur secundum generationem et corruptionem, aut secundum aliquem motum, qui variet aliquid, quod insit substantiæ ejus, movetur tamen secundum locum; unde oportet in aliquod primum principium reductionem fieri; ut sic ea quæ alterantur, quodam ordine reducantur in alterans non alteratum, motum tamen secundum locum; et ulterius in id, quod nullo modo movetur.

Quidam vero posuerunt, corpora cœlestia esse causas istorum inferiorum, non solum quantum ad motum, sed etiam quantum ad primam eorum institutionem; sicut Avicenna dicit in sua *Metaphysica,* quod ex eo, quod est commune omnibus corporibus cœlestibus, scilicet natura motus circularis, causatur in his inferioribus id, quod est eis commune, scilicet materia prima; et ex his, quibus corpora cœlestia differunt ab invicem, causatur diversitas formarum in his inferioribus: ut sic corpora cœlestia sint media inter Deum et ista corpora inferiora, etiam in via creationis quodammodo. Sed hoc alienum est a fide, quæ ponit, naturam omnium immediate a Deo esse conditam secundum primam institutionem. Unam autem naturam moveri ab altera, præsuppositis virtutibus naturalibus utrique creaturæ ex divino opere attributis, non est contra fidem. Et ideo ponimus, corpora cœlestia esse causam inferiorum per viam motus tantum, et sic esse media in opere gubernationis, non autem in opere creationis. — *de Verit.* q. 5, a. 9, c.

Ad primum ergo dicendum, quod dictum Damasceni intelligendum est, quod corpora cœlestia non sunt prima causa generationis et corruptionis eorum, quæ hic fiunt, sicut dicebant antiqui naturales, qui ponebant corpora cœlestia esse deos, qui nimirum non intelligentes aliquam substantiam præter corpora esse, ea, quæ sunt nobilissima in corporibus, posuerunt esse nobilissima in entibus; unde etiam scientiam naturalem primam scientiarum dicebant, ut in 4. *Metaphys.* (*text.* 7 et 8; l. 3, c. 3) dicitur. Et propter hoc corpora cœlestia deos appellabant, credentes etiam ea esse animata, quia ipsam animam corpus esse dicebant; unde sequebatur corpora cœlestia habere primam influentiam in corpora ex se et non ab alio; quæ positio fuit causa inducens idololatriam. — 2. *Sent.* dist. 15, q. 1, a. 2, c. et ad 2; 1a, q. 115, a. 3, ad 1.

Vel dic, quod Damascenus intendit a corporibus cœlestibus excludere respectu horum inferiorum causalitatem primam, vel etiam inducentem necessitatem. Corpora enim cœlestia licet semper eodem modo agant, eorum tamen effectus recipitur in inferioribus secundum modum inferiorum corporum, quæ in contrariis dispositionibus frequenter inveniuntur; unde virtutes cœlestes non semper inducunt effectus suos in istis inferioribus propter contrarias dispositiones impedientes; et hoc est, quod dicit Philosophus (*de Divinat. per Somnum* c. 2), quod frequenter fiunt signa imbrium et ventorum, quæ tamen non eveniunt propter contrarias disposi-

tiones fortiores. — *de Verit.* q. 5, a. 9, ad 1.

Ad secundum dicendum, quod dispositiones istæ, quæ contrariantur cœlesti virtuti, non sunt ex prima institutione causatæ a corpore cœlesti, sed ex divina operatione, per quam ignis est calidus effectus, et aqua frigida, et sic de aliis; et sic non oportet omnia impedimenta hujusmodi in causas cœlestes reducere. — *Ibid. ad* 2.

Ad tertium dicendum, quod principia activa in istis inferioribus corporibus non inveniuntur nisi qualitates activæ elementorum, quæ sunt calidum et frigidum et hujusmodi. Et si sic esset, quod formæ substantiales inferiorum corporum non diversificarentur nisi secundum hujusmodi accidentia, quorum principia *rarum* et *densum* antiqui naturales posuerunt, non oporteret super hæc inferiora corpora aliquod activum principium ponere, sed ipsa sufficerent ad agendum. Sed recte considerantibus apparet, quod hujusmodi accidentia se habent sicut materiales dispositiones ad formas substantiales naturalium corporum. Materia autem non sufficit ad agendum; et ideo oportet super has materiales dispositiones ponere aliquod principium activum. Unde Platonici posuerunt species separatas, ut dictum est (supra in c.). Sed hoc non sufficere videtur, quia species separatæ semper eodem modo se haberent, cum ponantur immobiles; et sic sequeretur, quod non esset aliqua variatio circa generationem et corruptionem inferiorum corporum; quod patet esse falsum. Unde secundum Philosophum in 2. *de Generat.* (*text.* 55 sqq.; c. 10) necesse est ponere aliquod principium activum mobile, quod per suam præsentiam et abundantiam causet varietatem circa generationem et corruptionem inferiorum corporum; et hujusmodi sunt corpora cœlestia. Et ideo quidquid in istis inferioribus generat et movet ad speciem, est sicut instrumentum cœlestis corporis, secundum quod dicitur in 2. *Phys.* (*text.* 26; c. 2), quod sol et homo generant hominem. (1a, q. 115, a. 3, ad 2.) Unde sicut instrumentum non movet nisi motum a principali movente et agente, ita nec virtutes inferiores activæ agere possunt nisi motæ a corporibus cœlestibus. — *de Verit.* q. 5, a. 9, ad 3.

Ad quartum dicendum, quod corpora cœlestia inferioribus corporibus non sunt similia similitudine speciei, sed in quantum sua universali virtute continent in se quidquid in inferioribus generatur, secundum quem modum dicimus etiam omnia esse Deo similia. — 1a, q. 115, a. 3, ad 3.

Ad quintum dicendum, quod oportet sexuum diversitatem ad vires cœlestes reducere. Omne enim agens intendit assimilare sibi patiens, secundum quod potest; unde vis activa, quæ est in semine maris, intendit conceptum semper ducere ad sexum masculinum, qui perfectior est; unde sexus femineus accidit præter intentionem naturæ particularis agentis. Nisi ergo esset aliqua virtus, quæ intenderet sexum femineum, generatio feminæ esset omnino a casu, sicut et aliorum monstrorum. Et ideo dicitur, quod quamvis sit præter intentionem naturæ particularis, ratione cujus femina dicitur mas occasionatus; tamen est de intentione naturæ universalis, quæ est vis corporis cœlestis, ut Avicenna dicit. Sed potest esse impedimentum ex materia, quod neque virtus cœlestis neque particularis consequitur effectum suum, productionem scilicet masculini sexus. Unde quandoque femina generatur, etiam existente dispositione in corpore cœlesti ad contrarium, propter materiæ indispositionem; vel e contrario generabitur sexus masculinus contra dispositionem cœlestis corporis, propter particularis virtutis victoriam super materiam. Contingit ergo quod in conceptione geminorum operatione naturæ materia separatur, cujus una pars magis obedit virtuti agenti quam altera, propter alterius indigentiam; et ideo in una parte generatur sexus masculinus, in altera femineus; sive corpus cœleste disponat ad unum sive ad alterum; magis tamen hoc potest accidere, quando corpus cœleste disponit ad femineum sexum. — *de Verit.* l. c. ad 9; 1a, l. c. ad 4.

Ad sextum dicendum, quod agens semper

est diversum vel contrarium patienti, ut dicitur in 1. *de Generat.* (*text.* 50; c. 7). Et ideo corpori non competit agere in aliud corpus secundum hoc quod habet commune cum eo, sed secundum id quod ab eo distinguitur. Et ideo corpus non agit in quantum est corpus, sed in quantum est tale corpus; sicut etiam animal non ratiocinatur in quantum est animal, sed in quantum est homo; et similiter ignis non calefacit in quantum est ignis, sed in quantum est calidus; et similiter est de corpore cœlesti. — *de Verit.* q. 5, a. 9, ad 5.

Ad septimum dicendum, quod impressio alicujus agentis non recipitur in aliquo nisi per modum recipientis; et quia natura inferior est talis, quæ impediri potest et deficere in minori parte: ideo impressiones corporum cœlestium non recipiuntur in corporibus inferioribus secundum necessitatem, ut semper ita eveniat, sed ut in pluribus, sicut expresse habetur a Philosopho *de Divinat. per Somnum* c. 2. — 2. *Sent.* dist. 15, q. 1, a. 2, ad 3.

Ad octavum dicendum, quod lux, quantum est de se, semper est effectiva caloris, etiam lux lunæ. Unde dicit Philosophus (*4. de Part. Animal.* c. 5), quod noctes plenilunii sunt calidiores. Sed præter naturam lucis, quæ communis est omnibus corporibus cœlestibus, quælibet stella habet virtutem determinatam consequentem suam speciem, ratione cujus lux ejus et motus habet vel infrigidare vel humectare, et sic de aliis; sicut etiam et præter motum communem, qui est motus diurnus, quilibet orbis habet motum proprium. — 2. *Sent.* l. c. ad 5.

Ad nonum dicendum, quod cujuslibet agentis habentis situm actio prius recipitur in medio quam in termino; non tamen oportet quod recipiatur in utroque eodem modo, sed secundum quod exigit dispositio utriusque. Nam actio agentis recipitur in medio per modum medii; et ideo quandoque alio modo recipitur in medio quam in ultimo; sicut virtus magnetis attrahentis ferrum defertur ad ferrum per medium aerem, qui non attrahitur; et virtus piscis stupefacientis manum defertur ad manum mediante rete, quod non stupefacit, ut dicit Commentator in 8. *Phys.* (*text.* 37), quia stupefactionis capax non est, quamvis aliquo modo rete alteretur ex virtute piscis. Ita etiam oportet quod virtutes superiorum stellarum prius recipiantur in mediis orbibus quam in inferioribus corporibus, quamvis eosdem effectus utrobique non habeant; nam actiones illarum non recipiuntur in mediis orbibus, ut alterentur sicut hæc inferiora. — 2. *Sent.* l. c. ad 6; *de Verit.* l. c. ad 16 et 17.

Ad decimum dicendum, quod secundum quod calor causatur in inferioribus corporibus ex motu astrorum et totius cœli, corpora propinquiora cœlo, ut ignis et superior pars aeris, quæ circumfertur secundum motum cœli, sunt calidiora; secundum autem quod ex lumine stellarum causatur calor, sunt calidiora ea quæ sunt infima, quia in superioribus reflexiones radiorum magis disperguntur. Et inde est etiam, quod circa terram plures species rerum generantur ex virtute radiorum solis et stellarum, quæ per reflexionem circa terram multiplicantur. — 2. *de Cœlo* l. 10.

ARTICULUS III

UTRUM CORPORA CŒLESTIA SINT CAUSA HUMANORUM ACTUUM.

Videtur quod corpora cœlestia sint causa humanorum actuum.

1. Cum enim corpora cœlestia moveantur a spiritualibus substantiis, ut dictum est, agunt in virtute earum quasi instrumenta; sed illæ substantiæ spirituales sunt superiores animabus nostris: ergo videtur quod possint imprimere in animas nostras, et sic causare actus humanos (1a, q. 115, a. 4, arg. 1): quia cum instrumentum agat in virtute propria et principalis agentis, motus cœli, ratione cujus cœlum est instrumentum intelligentiæ, non solum aget in virtute corporis moti, sed etiam in virtute spiritus moventis. Et ita cum motus sit actus corporis moti et spiritus moventis, quia corpus

cœleste præeminet corpori humano, motus ille imprimit in illud, quia etiam spiritus ille præeminet humano spiritui, motus cœli imprimet in animam. — *de Verit.* q. 5, a. 10, arg. 4.

2. Præterea, omne multiforme reducitur in aliquod uniforme principium; sed actus humani sunt varii et multiformes: ergo videtur quod reducantur in uniformes motus cœlestium corporum, sicut in sua principia. — 1a, q. 115, a. 4, arg. 2.

3. Præterea, dicitur in *Sex Principiis*, quod anima conjuncta corpori complexionem corporis imitatur; sed corpora cœlestia imprimunt in complexionem humani corporis: ergo et in ipsam animam, et ita possunt esse causa humanorum actuum. — *de Verit.* l. c. arg. 2.

4. Præterea, experimentaliter invenitur aliquos homines a nativitate esse dispositos ad discenda vel exercenda aliqua artificia, ut quidam ad hoc quod sint fabri, quidam, quod sint medici, et sic de aliis; neque hoc reduci potest sicut in causam in principia proximi agentis, quia quandoque nati inveniuntur dispositi ad quædam, ad quæ parentes non inclinabantur: ergo oportet quod hæc diversitas dispositionum reducatur sicut in causam in corpora cœlestia. Neque potest dici, quod hujusmodi dispositiones sint in animabus mediantibus propriis corporibus, quia ad hujusmodi inclinationes nihil operantur corporeæ qualitates, sicut operantur ad iram et gaudium et hujusmodi animæ passiones. Ergo corpora cœlestia immediate et directe in animas humanas imprimunt, et ita sunt causa humanorum actuum. — *de Verit.* l. c. arg. 5.

5. Præterea, astrologi frequenter vera annuntiant de eventibus bellorum et aliis humanis actibus, quorum principia sunt intellectus et voluntas; quod facere non possent, nisi cœlestia corpora essent humanorum actuum causa: sunt ergo corpora cœlestia actuum humanorum causa. — 1a, l. c. arg. 3.

Sed contra est: 1. quod dicit Damascenus (*de Fide Orthod.* l. 2, c 7; — Migne PP. Gr. t. 94, col. 894): Nostrorum actuum nequaquam sunt causa cœlestia corpora: nos enim liberi arbitrii a conditore facti sumus, domini nostrorum existimus actuum. Et hoc ipsum determinant Augustinus in 5. *de Civitate Dei* c. 9 (Migne PP. L. t. 41, col. 148 sqq.) et in fine *super Genesim ad Litteram*; et Gregorius in *Homilia* 10 *in Evangelia* (Migne PP. L. t. 76, col. 1111 sq.)

2. Præterea, sicut dicit Philosophus (3. *de Anima text.* 8, 14 et 18; c. 4 et 5), agens oportet esse præstantius patiente; sed corpus cœleste est multo inferius in ordine entium quam anima rationalis: ergo non potest in ipsam agere, ut causet aliquem effectum ejus. — 2. *Sent.* dist. 15, q. 1, a. 3, arg. 1 *Sed contra.*

3. Præterea, ut probat Philosophus in 3. *Ethic.* c. 5 (7) et 1. *Magn. Moral.* c. 10 (9), in nobis est bonos vel malos esse; sed boni vel mali efficimur per actus nostros: ergo in nobis est, quod bonos actus nostros faciamus; ergo non causantur ex aliqua impressione virtutis cœlestis. — 2. *Sent.* l. c. arg. 2 *Sed contra.*

Respondeo dicendum, quod cum propria rei operatio sequatur naturam ipsius, illud tantum causa operationis esse potest, quod aliquo modo naturam in esse producit. Et ideo cum actus ex libertate arbitrii procedentes ex hoc, quod voluntarii sunt et in potestate nostra, actus humani proprie dicantur; non possunt in aliquam causam directe reduci, quæ ipsius animæ causa non sit. Et ideo secundum diversas positiones de causalitate animæ rationalis consecutæ sunt diversæ opiniones de operibus humanis.

Quidam enim antiqui philosophi sensum et intellectum idem esse dixerunt, in tantum quod, sicut ex transmutatione corporis transmutatur sensus, ita etiam transmutetur intellectus, ut de Democrito narrat Philosophus (4. *Metaphys. text.* 21; l. 3, c. 5). Et cum omnes virtutes corporales ex corpore dependentes reducantur in virtutes primorum corporum sicut in causas, sequebatur quod corpora cœlestia directe causalitatem haberent super animam rationalem et per

consequens super operationes ejus. Unde ponebant, quod qualis unusquisque est secundum dispositionem, quam ex nativitate sortiebatur secundum impressionem corporum superiorum, talis finis videbatur ei; et secundum hoc diversificabantur electiones hominum, quibusdam hoc, quibusdam aliud eligentibus. — Hæc autem positio reprobata est a philosophis: et quantum ad causam, quia probaverunt intellectum non esse virtutem corporalem, nec actum ejus proprium organo corporali expleri; tum etiam quantum ad id, quod sequitur, ostendentes bonam vel malam electionem in nostra potestate esse; alias injuste darentur pœnæ et præmia. Similiter etiam damnata est a Sanctis tamquam fidei contraria.

Alii vero philosophi ponentes intellectum a sensu differre in hoc quod a corpore non dependet, nec corporali organo actum suum explet, dixerunt nullam virtutem corporalem causalitatem super intellectum humanum habere, sed omnino ab intrinseco esse; et ideo etiam electionem humanam non dependere ex corporibus cœlestibus nisi per accidens, in quantum videlicet ex dispositione corporis, quam impressio cœlestis relinquit, aliquo modo anima inclinatur ad sequendum affectiones corporis, per modum quo passiones corporales rationem inclinant et quandoque deducunt. Sed tamen quia ponunt animas humanas creari a Deo mediantibus intelligentiis, ponunt quod motores orbium causent ipsius motus voluntatis præter ordinem motus; ut Avicenna dicit in fine suæ *Metaphys.* (tract. 10, c. 1), quod varietas operum voluntatis reducitur sicut in causam in conceptiones uniformes motorum cœlestium. Nec tamen ponunt quod tollatur libertas electionis, cum impressio recipiatur per modum recipientis. Verum hæc etiam positio falsa est et contra fidem, quæ immediate animas humanas a Deo creari ponit. — 2. *Sent.* dist. 15, q. 1, a. 3, c.; 3. *c. Gent.* c. 87.

Unde aliter dicendum est, quod scilicet corpora cœlestia in corpora quidem imprimunt directe et per se, in vires autem animæ, quæ sunt actus organorum corporeorum non directe quidem, sed per accidens, quia necesse est hujusmodi actus harum potentiarum impediri secundum impedimenta organorum, sicut oculus turbatus non bene videt. Unde si intellectus et voluntas essent vires organis corporeis alligatæ, sicut posuerunt dicentes quod intellectus non differt a sensu, ut dictum est, ex necessitate sequeretur, quod corpora cœlestia essent causa humanorum actuum; et ex hoc sequeretur, quod homo naturali instinctu ageretur ad suas actiones sicut cetera animalia, in quibus non sunt nisi vires animæ corporeis organis alligatæ: nam illud, quod fit in istis inferioribus ex impressione corporum cœlestium, naturaliter agitur; et ita sequeretur, quod homo non esset liberi arbitrii, sed haberet actiones determinatas, sicut et ceteræ res naturales; quæ manifeste sunt falsa et fidei contraria, ut dictum est. — 1a, q. 115, a. 4, c.

Similiter indirecte et per accidens impressiones corporum cœlestium pertinere possunt ad intellectum et voluntatem; et hoc dupliciter: *primo*, quatenus impressiones corporum cœlestium in exteriora corpora sunt nobis causa alicujus electionis; sicut cum per corpora cœlestia disponitur aer ad frigus intensum, eligimus calefieri ad ignem vel aliqua hujusmodi facere quæ congruunt tempori. (3. *c. Gent.* c. 85.) *Secundo,* quatenus tam intellectus quam voluntas aliquo modo ab inferioribus viribus accipiunt, quæ organis corporeis alligantur. Sed circa hoc diversimode se habent intellectus et voluntas. Nam intellectus ex necessitate accipit ab inferioribus viribus apprehensivis; unde turbata vi imaginativa vel cogitativa vel memorativa, ex necessitate turbatur actio intellectus; sed voluntas non ex necessitate sequitur inclinationem appetitus sensitivi. Licet enim passiones, quæ sunt in irascibili et concupiscibili, habeant quandam vim ad inclinandam voluntatem, tamen in potestate voluntatis remanet sequi passiones vel eas refutare. Et ideo impressio corporum cœlestium, secundum quam immutari possunt inferiores vires, minus pertingit ad voluntatem, quæ est proxima causa huma-

norum actuum quam ad intellectum. Quia ergo ponere, quod corpora cœlestia sint causa humanorum actuum, est proprium illorum, qui dicunt intellectum non differre a sensu (unde quidam eorum dicebant, quod talis est voluntas in homine, qualem in diem inducit pater virorum deorumque), et constat intellectum et voluntatem non esse actus organorum corporeorum; impossibile est, quod cœlestia corpora sint causa humanorum actuum. — 1a, q. 115, a. 4, c.; 3. c. *Gent.* c. 85-87.

Ad primum ergo dicendum, quod spirituales substantiæ, quæ cœlestia corpora movent, in corporalia quidem agunt mediantibus corporibus cœlestibus, sed in intellectum humanum agunt immediate illuminando; voluntatem autem immutare non possunt. (1a, l. c. ad 1.) — *Vel dic,* quod instrumentum spiritualis agentis non agit per virtutem spiritualem, nisi ex hoc quod agit per virtutem corporalem. Secundum autem virtutem corporalem corpus cœleste non potest agere nisi in corpus. Et ideo etiam actio quæ est secundum virtutem spiritualem, non potest pertingere ad animam nisi per accidens, scilicet mediante corpore. Sed in corpus utroque modo actio ejus pervenit: ex virtute enim corporali movet qualitates elementares, scilicet calidum et humidum et hujusmodi; sed ex virtute spirituali movet ad speciem et ad effectus consequentes totam speciem, qui non possunt in qualitates elementares reduci. — *de Verit.* q. 5, a. 10, ad 4.

Ad secundum dicendum, quod sicut multiformitas corporalium motuum reducitur sicut in causam in uniformem motum cœlestium; ita multiformitas actuum qui sunt ab intellectu et voluntate, reducitur in principium uniforme, quod est intellectus et voluntas divina. — 1a, l. c. ad 2.

Ad tertium dicendum, quod ratio illa recte procederet, si corpus cœleste posset imprimere per se in animam; impressio autem corporis cœlestis non pervenit ad animæ essentiam nisi per accidens, scilicet nisi per corporis unionem, cujus ipsa est actus. Voluntas autem non oritur ex essentia animæ, secundum quod est corpori conjuncta. Et ideo ratio non sequitur. — *de Verit.* l. c. ad 3.

Ad quartum dicendum, quod est aliquis effectus a corporibus cœlestibus in istis corporibus, qui non causatur ex calido et frigido, sicut quod magnes attrahit ferrum; et per hunc modum aliqua dispositio in corpore humano relinquitur a corpore cœlesti, ex quo contingit, ut anima ei conjuncta inclinetur ad hoc vel illud artificium. — *de Verit.* l. c. ad 5.

Ad quintum dicendum, quod plures hominum sequuntur passiones, quæ sunt motus appetitus sensitivi, ad quas cooperari possunt corpora cœlestia; pauci autem sunt sapientes, qui hujusmodi passionibus resistant. Et ideo astrologi ut in pluribus vera possunt prædicere, et maxime in communi, non autem in speciali, quia nihil prohibet aliquem hominem per liberum arbitrium passionibus resistere. Unde et ipsi astrologi dicunt, quod sapiens homo dominatur astris, in quantum scilicet dominatur suis passionibus. — 1a, l. c. ad 3; *de Verit.* l. c. ad 7.

ARTICULUS IV

UTRUM CORPORA CŒLESTIA IMPONANT NECESSITATEM HIS QUÆ EORUM ACTIONI SUBDUNTUR.

Videtur quod corpora cœlestia imponant necessitatem iis quæ eorum actioni subduntur.

1. Causa enim sufficienti posita necesse effectum poni; sed corpora cœlestia sunt sufficiens causa suorum effectuum: cum igitur corpora cœlestia cum suis motibus et dispositionibus ponantur sicut ex necessitate entia, videtur quod effectus eorum ex necessitate consequantur. — 1a, q. 115, a. 6, arg. 1.

2. Præterea, effectus agentis ex necessitate sequitur in materia, quando virtus agentis tanta fuerit, quod possit sibi subjicere totam materiam; sed tota materia inferiorum corporum subjicitur virtuti cœlestium corporum tamquam excellentiori: ergo

ex necessitate effectus cœlestium corporum recipitur in materia corporali. — *Ibid.* arg. 2.

3. Præterea, si effectus cœlestis corporis non ex necessitate proveniat, hoc est propter aliquam causam impedientem; sed quælibet corpora, quæ impedire possent effectum cœlestis corporis, necesse est reduci in aliquod cœleste principium, cum cœlestia corpora sint causa omnium quæ hic fiunt: ergo cum et illud cœleste principium sit necessarium, sequitur quod necesse sit impediri effectum alterius corporis cœlestis; et sic omnia quæ hic contingunt, ex necessitate eveniunt. — *Ibid.* arg. 3.

Sed contra est, quod Philosophus dicit (*de Divinat. per Somnum* c. 2), quod neque eorum quæ in corporibus sunt signorum cœlestium, velut aquarum et ventorum, inconveniens est multa non evenire; sic ergo non omnes effectus cœlestium corporum ex necessitate eveniunt. — *Ibid.* arg. *Sed contra.*

Respondeo dicendum, quod ista quæstio partim quidem absoluta est secundum præmissa, partim autem difficultatem habet. Ostensum enim est, quod quamvis ex impressione cœlestium corporum fiant aliquæ inclinationes in natura corporali, voluntas tamen non ex necessitate sequitur has inclinationes; et ideo nihil prohibet per voluntariam actionem impediri effectum cœlestium corporum, non solum in ipso homine, sed etiam in aliis rebus, ad quas hominum operatio se extendit.

Sed nullum tale principium invenitur in rebus naturalibus, quod habeat libertatem sequendi impressiones cœlestes. Unde videtur quod in talibus ad minus omnia ex necessitate proveniant, secundum antiquam quorundam rationem, qui supponentes omne quod est causam habere, et quod posita causa ex necessitate ponitur effectus, concludebant quod omnia ex necessitate contingant. Quam quidem opinionem repellit Aristoteles (6. *Metaphys. text.* 5 sqq.; l. 5, c. 2 sq.) secundum duo, quæ ipsi supponunt. *Primum* enim non est verum, quod posita quacunque causa necesse sit effectum poni. Sunt enim quædam causæ, quæ ordinantur ad suos effectus non ex necessitate, sed ut in pluribus; quæ quandoque deficiunt in minori parte. Sed quia hujusmodi causæ non deficiunt in minori parte nisi propter aliquam causam impedientem, videtur adhuc prædictum inconveniens non vitari, quia et ipsum impedimentum talis causæ ex necessitate contingit. — Et ideo *secundo* oportet dicere, quod omne quod est per se, habet causam, quod autem est per accidens, non habet causam, quia non est vere ens, cum non sit vere unum. Album enim causam habet, similiter et musicum; sed album musicum non habet causam, quia non est vere ens, neque vere unum. Manifestum est autem, quod causa impediens actionem alicujus causæ ordinatæ ad suum effectum ut in pluribus, concurrit ei interdum per accidens. Unde talis concursus non habet causam, in quantum est per accidens, et propter hoc id, quod ex tali concursu sequitur, non reducitur in aliquam causam præexistentem, ex qua ex necessitate sequatur: — sicut quod aliquod corpus terrestre ignitum in superiori parte aeris generetur et deorsum cadat, habet causam aliquam virtutem cœlestem; et similiter etiam quod in superficie terræ sit aliqua materia combustibilis, potest reduci in aliquod cœleste principium; sed quod ignis cadens huic materiæ occurrat et comburat eam, non habet causam cœleste corpus, sed est per accidens. Et sic patet, quod non omnes effectus cœlestium corporum sunt ex necessitate. — 1a, q. 115, a. 6, c.

Ad primum ergo dicendum, quod corpora cœlestia sunt causa inferiorum effectuum mediantibus causis particularibus inferioribus, quæ deficere possunt in minori parte. — 1a, l. c. ad 1.

Ad secundum dicendum, quod virtus corporis cœlestis non est infinita; unde requirit determinatam dispositionem in materia ad inducendum suum effectum et quantum ad distantiam loci et quantum ad alias conditiones. Et ideo, sicut distantia loci impedit effectum cœlestis corporis (non enim sol eundem caloris effectum habet in

Dacia, quem habet in Æthiopia), ita et grossities materiæ vel frigiditas vel caliditas aut alia hujusmodi dispositio impedire potest effectum corporis cœlestis. — *Ibid.* ad 2.

Ad tertium dicendum, quod licet causa impediens effectum alterius causæ reducatur in aliquod cœleste corpus sicut in causam, tamen concursus duarum causarum, cum sit per accidens, non reducitur in causam cœlestem, ut dictum est (in c.). — *Ibid.* ad 3.

ARTICULUS V

UTRUM CŒLUM TANTUM AGAT IN HÆC INFERIORA PER LUMEN ET MOTUM.

Videtur quod cœlum agat in hæc inferiora non tantum per lumen et motum, sed etiam per alias virtutes.

1. Cœlum enim producit formas substantiales; sed hæ non possunt produci per lumen vel motum, quia causa est potior effectu, prædicta vero sunt accidentia: ergo cœlum non agit in hæc inferiora tantum per lumen et motum. — 1a, q. 67, a. 3, arg. 3.

2. Præterea, secundum naturam est, quod simile generat sibi simile; sed cœlum est causa caloris in his inferioribus: ergo debet illum generare per consimilem qualitatem, et non per lumen vel motum. — 1. *Meteorol.* l. 4.

3. Sed dices, quod cœlum est causa caloris in his inferioribus per motum, qui habet virtutem calefaciendi. — Contra, si calor producitur in his inferioribus per motum, illa pars erit calidior, quæ est magis propinqua astro, ex cujus motucausatur calor; nam causa calefactionis est propinquitas ad astrum, ex quo per motum causatur calor; sed experientia patet majorem calorem esse prope terram, a qua magis distat astrum, quod est causa caloris: ergo cœlum non agit in hæc inferiora producendo calorem per motum. — *Ibid.* et 2. *de Cœlo* l. 10.

4. Præterea, si motus est causa caloris, et consequenter generationis et corruptionis in his inferioribus, maxime id est, ut inquit Philosophus (2. *de Cœlo text.* 42; c. 7), quia causatur calor in aere trito vel compresso per motum stellarum et præsertim solis, ut dicitur 1. *Meteorol.* (c. 4, al. 3). — Sed hoc non est possibile. Nam, *primo,* motus ut motus non causat calorem, quia sic omnis motus localis calefaceret; *secundo,* quia cum æqualiter moveatur corpus solare et partes cœli ipsius, æqualiter calefacerent utraque; quod est falsum, nam corpus solis motum magis calefacit quam partes cœli ipsius, ut dicit Philosophus (1. *Meteorol.* c. 4, al. 3); *tertio,* quia cum omnes stellæ tam fixæ quam errantes moveantur, deberent gignere calorem, sicut gignit motus solis; et tamen Philosophus causam caloris in his inferioribus assignat maxime motui solis (1. *Meteorol.* c. 4, al. 3); *quarto,* quia luna, quæ calefieri non potest, cum interponatur inter nos et solem, impediret ne sol causaret calorem in his inferioribus; *quinto,* quia contritio vel compressio a motu solis provenire non potest ad aerem, nisi media corpora cœlestia conterantur, quod est impossibile. Ergo per motum non potest gigni calor, et per consequens nec fieri calefactio, quæ requiritur ad omnem generationem. — 2. *de Cœlo* l. 10; 1. *Meteorol.* l. 5.

5. Præterea, si per motum sphæræ cœlestis calefit aer inferior, sequitur quod semper debeat esse æqualis calor in aere tam in æstate quam in hieme, tam nocte quam die, tam in umbra quam in sole; cujus tamen contrarium videmus: ergo per motum non potest fieri calor, et per consequens nec calefactio. — 2. *de Cœlo* l. c.

6. Præterea, cœlum non solum in his inferioribus est causa caloris, sed etiam frigiditatis, humiditatis et siccitatis; sed has qualitates non producit cœlum per motum et lumen, ut per se constat; nam hæc de sua natura non habent infrigidare, sed calefacere: ergo cœlum has qualitates saltem producet per alias virtutes. — *Ibid.*

7. Præterea, lumen solis et reliquarum stellarum non potest penetrare terram, sed potius ad illam reflectitur; sed in profun-

dis partibus terræ fiunt multæ generationes: ergo saltem illa non fiunt a cœlo mediante lumine, et multo minus medio motu, cum terra secundum totum sit immobilis; ergo. — 2. *de Cœlo* l. 10.

8. Præterea, luna est causa fluxus et refluxus maris; sed hunc effectum non potest facere per suum motum vel per suum lumen, ut patet: ergo debet illum efficere per aliam virtutem. — *Tabula Aurea* voce « mare » n. 2.

Sed contra est, quod Philosophus 1. *Meteorol.* (c. 3 et 4, al. c. 3) et 2. *de Cœlo* (*text.* 42; c. 7) dicit, quod cœlum agit in hæc inferiora per lumen et motum et maxime per motum corporis solaris. — 1. *Meteorol.* l. 4, 5 et 6; 2. *de Cœlo* l. 10.

Respondeo dicendum, quod cœlum agit in hæc inferiora per motum et lumen et per alias virtutes singulis corporibus cœlestibus attributas. Et quidem quod *motus*, præsertim solaris corporis, causet calorem in his inferioribus, probatur primo, quia motus localis naturaliter calefacit: *tum* quia potest disgregare aerem et rarefacere, et consequenter ignire (nam raritas et igneitas se consequuntur, ut frigiditas et spissitudo; et propter hoc ea, quæ ferantur, sicut sagittæ si habeant plumbum et ceram, sæpe videntur liquefieri quasi motu ea calefaciente); — *tum* quia, sicut probatur in 8. *Phys.* (*text.* 54 sq.; c. 10), motus localis est primus motuum; in quolibet autem genere id, quod est primum, est causa eorum, quæ sunt post in eodem genere: unde motus localis est causa generationis, quæ est prima inter alios motus, et præcipue est causa prima alterationis, quæ est calefactio. (2. *de Cœlo* l. 10.) — Et quamvis in istis inferioribus causetur calor tam ex motu solis quam ex motu alicujus alterius corporis superioris; solus tamen sol sufficiens est facere æstuantem calorem, ut inquit Philosophus (1. *Meteorol.* c. 4). Nam calor qui fit ex aliis corporibus cœlestibus, est quasi insensibilis respectu caloris qui fit a sole. Hujus autem ratio est, quia motus qui causat vehementem calorem oportet quod sit velox et propinquus nobis. Unde motus astrorum fixorum et quinque errantium, quæ sunt supra solem secundum opinionem Aristotelis, scilicet saturni, jovis, martis, veneris et mercurii, est quidem velox, remotus tamen a nobis longe. Motus autem lunæ licet sit propinquus, est tamen tardus. Motus autem solis habet utrumque sufficienter ad causandum calorem in istis inferioribus, velocitatem scilicet et propinquitatem. (1. *Meteorol.* l. 5.) Ceterum magis generatur calor ex motu ipsius solaris *corporis*, quam ex motu *sphæræ* ipsius: quia maxime motus corporis solidi disgregat aerem; corpus autem solare est magis solidum quam ceteræ partes sphæræ ipsius, cum non sit diaphanum. Generatur enim calor in his inferioribus ex motu cœli atque adeo solis, trito aere atque compresso, ut dicit Philosophus (2. *de Cœlo text.* 42; c. 7). Quod non est ita intelligendum, quasi mutua contritio vel confricatio corporis cœlestis et aeris sit causa caloris, sed solum motus aeris ex superiori motu cœlestis corporis causatus. Movetur autem aer superior et similiter ignis secundum motum diurnum cœli totius, secundum virtutem solis præsertim et omnium stellarum, ut dicit Averroes (in 2. *de Cœlo text.* 42).

Quod vero præter motum etiam *lumen* astrorum, et præsertim solis, sit causa calefactionis corporum inferiorum, manifestum est. Nam lumen habet virtutem calefaciendi, in quantum est qualitas activi primi alterantis, scilicet cœli, et directe causat qualitatem primam inferiorum corporum, quæ est calor. Et quia hæc qualitas magis abundat in sole, inde est quod est maxime potens ad calefaciendum. Reliqua vero cœlestium corporum, in quantum participant de lumine, quæ est universalis virtus activa cœlestium corporum, habent virtutem calefaciendi in tantum, quod etiam lumen lunæ est calefactivum secundum id, quod Philosophus dicit (*de Partibus Animal.* c. 5), quod noctes plenilunii sunt calidiores, unde quidam pisces moventur ad superficiem aquæ.

Verum, quia quædam astra non solum dicuntur calefacere, sed etiam infrigidare et

humectare (et non *per accidens*, quatenus agunt calorem proportionatum, ut vult Averroes, propterea reprehendens Avicennam dicentem quod stellæ faciunt infrigidationem et calefactionem; sed *per se*: — quod patet, quia illud videtur esse per accidens, quod non per se producitur ab agente; corpora autem cœlestia sunt per se activa eorum, quæ sunt hic: si igitur non per se agerent frigiditatem et humiditatem et alia hujusmodi, sequeretur quod ista essent per accidens in universo); — ideo dicendum est, quod corpora cœlestia per se agunt in hæc inferiora, non solum per motum et lumen calefaciendo, sed etiam per *alias virtutes* alios effectus producendo. Quod manifestum est, quia cum omnes formæ substantiales inferiorum corporum sint ex virtute cœlestium corporum, consequens est, quod ex eorum virtute sint etiam qualitates consequentes species seu formas elementorum. Et ideo licet omnia corpora cœlestia secundum communem virtutem luminis habeant calefacere, secundum tamen alias virtutes proprias singulis corporibus cœlestibus attributas debent habere non solum posse calefacere, sed etiam infrigidare, humectare et omnes alios effectus corporales in his inferioribus corporibus efficere. Et secundum influentiam luminis et harum virtutum potest sol calefacere corpora inferiora, absque eo quod calefaciat medios orbes. Nihil enim prohibet, ut inquit Alexander, ab aliquo agente aliquid alterari per medium, ita tamen, quod illud medium non alteretur, licet recipiat aliquid suo modo. Et ita sol imprimit in hæc inferiora mediante lumine calorem, cujus capacia sunt; orbes vero medii impressionem solis alio modo recipiunt, puta influentiam luminis et aliarum virtutum. Et sic manifestum est, quod cœlum agit in hæc inferiora non solum per motum et lumen, sed etiam per alias virtutes. — 1. *Meteorol.* l. 5; 2. *de Cœlo* l. 10.

Ad primum ergo dicendum, quod sicut calor agit ad formam ignis instrumentaliter in virtute formæ subtantialis, ita lumen agit instrumentaliter in virtute corporum cœlestium ad producendas formas substantiales. — 1a, q. 67, a. 3, ad 3.

Ad secundum dicendum, quod sufficit, quod simile producatur a simili in virtute, licet non actu; motus autem cœli est virtute calidus, si non ut motus, saltem ut est motus talis corporis in sua natura habentis virtutem calefaciendi. — 2. *de Cœlo* l. 10; 1. *Meteorol.* l. 4.

Ad tertium dicendum, quod duplex est causa caloris ex corporibus cœlestibus in his inferioribus generati: una quidem causa est motus, alia causa est lumen seu reverberatio radiorum solis a terra. Secundum quod calor generatur in his inferioribus ex *motu* astrorum et totius cœli, corpora propinquiora cœlo, scilicet ignis et superior pars aeris, quæ circumferuntur secundum motum cœli, sunt calidiora; secundum quod autem ex *lumine* stellarum et præcipue solis causatur calor, sunt calidiora ea, quæ sunt infima, quia in superioribus reflexiones radiorum magis disperguntur.

Ad cujus intelligentiam sciendum est, quod radii procedentes a sole ad terram sunt causa caliditatis; cum autem radius in terram cadens repercutitur, fit iterum alius radius a terra quasi retro sursum tendens. Quanto ergo hi duo radii fuerint magis sibi invicem propinqui, tanto plus de calore causatur, quia virtus utriusque radii, scilicet cadentis et reflexi, pertingit ad eandem partem aeris. Et inde est, quod ubi radius solis cadens super terram facit angulum rectum, ibi est maximus calor, quia reflexio fit in eadem parte; quanto vero radius cadens in aliquo loco fecerit angulum majorem recto, tanto est minus de calore, quia cum repercussio fiat secundum aliam partem aeris, radius repercussus multum distat a radio primo cadente; manifestum est autem, quod quanto duæ lineæ continentes angulum magis procedunt, tanto magis distant ad invicem. Unde quanto magis receditur a terra, ubi fit reverberatio, tanto magis prædicti radii distant ab invicem, et est minor calor. Et ideo propter immensam separationem prædictorum radiorum ab invicem in loco superiori desinit calor et condensantur

ibi nubes propter frigus, quæ e contra prohibentur condensari prope terram, quia radii reverberati a terra sua caliditate disgregant consistentias vaporum. — 1. *Meteorol.* l. 4; 2. *de Cœlo* l. 10.

Ad quartum dicendum, quod ex motu, solis præsertim, modo explicato (in c. et ad 2) generatur calor in corporibus inferioribus. Neque obstant rationes in contrarium. Non *prima*, quia, ut dictum est (in c.), motus habet virtutem de se calefaciendi, vel saltem ut est corporis habentis virtutem calefaciendi, ut dictum est (ad 2). Neque *secunda*, quia licet æqualiter moveatur corpus solidum et partes sphæræ ipsius, motus tamen corporis solaris magis calefacit, quia est corpus magis solidum, quam sint ceteræ partes sphæræ ipsius, cum non sit diaphanum. Cujus simile possumus sumere, inquit Philosophus (1. *Meteorol.* c. 4, al. 3), ex his quæ sunt apud nos, quia etiam hic aer vicinus rebus spissis, quæ feruntur per violentiam, maxime fit calidus. Neque *tertia*, quia licet omnes stellæ tam fixæ quam errantes moveantur, quia tamen motus solis est velox et propinquus nobis, quod non habet motus ceterarum stellarum, ideo ille est causa majoris, quam iste. Neque *quarta*, quia licet luna non calefiat a sole, aliquo tamen modo immutatur ab eo; videmus enim, quod illuminatur ab eo. Non semper autem eadem specie immutationis mutatur medium et extremum, sicut radius solis non inflammat vas vitreum plenum aqua, sed stuppam oppositam. Neque *quinta*, quia tam ex motu astrorum quam ex lumine causatur calor in his inferioribus; neque opus est alterari orbes medios inter solem et nos, sed solum simul moveri cum sole et per suum motum causare calorem modo dicto (in c.). — 2. *de Cœlo* l. 10; 1. *Meteorol.* l. 5.

Ad quintum dicendum, quod maxime calor ignit, ut ait Philosophus (2. *de Cœlo text.* 42; c. 7), per motum illius sphæræ, cui est infixus sol. Et ideo generatur calor propter propinquitatem solis ad nos, et hoc dupliciter: *uno modo*, secundum quod per suum ortum ascendit ad nostrum hæmisphærium superius; *alio modo*, in quantum accedit ad summitatem capitum nostrorum. Sicut enim est major calor in die quam in nocte, ita etiam est major calor in meridie quam in mane. Apparet etiam ratio, quare ubi est umbra, non est tantus calor, quantus est in loco, ubi radii solares projiciuntur: quia umbra causatur ex aliquo corpore opposito soli, quod interrumpit continuationem transmutationis, quæ est a sole; sed actio solis pertingit ad locum umbræ per quandam reflexionem. — 2. *de Cœlo* l. 10; 1. *Meteorol.* l. 5.

Ad sextum concedimus cœlum agere in hæc inferiora per se producendo non solum calorem et lumen, sed etiam alias qualitates, et consequenter non solum agere per motum et lumen, sed etiam per alias qualitates et virtutes. Tota enim materia corporalis, quæ est sub corpore cœlesti, est sicut quædam materia existens in potentia ad caliditatem, frigiditatem, humiditatem et siccitatem, et ad alias passiones et formas, quæ consequuntur ad hæc. Et quia materia per se reducitur in actum a primo agente; ideo cum primum generationis principium sit corpus cœleste, per se et multo principalius corpora inferiora recipiunt prædictas qualitates a corpore cœlesti quam a generante; non quidem quod in illo sint prædictæ qualitates similes productis in his inferioribus, sed aliæ productivæ illarum; quia cum cœlestia corpora agant et non patiantur, et consequenter tangant et non tangantur, in illis non sunt qualitates tangibiles per modum quo sunt in inferioribus corporibus, sed per modum eminentiorem sicut in causa activa. Non enim est ibi calidum vel frigidum, humidum vel siccum, sed virtus, quæ est horum causativa; sicut similiter non est ibi grave et leve, sed loco horum est ibi aptitudo ad motum circularem; item rarum et densum invenitur in corporibus cœlestibus, secundum quod astra sunt spissiora et magis commassata quam sphæræ eorum, non tamen secundum differentiam contrarietatis, sed solum secundum additionem et diminutionem virtutis, et secundum majorem et minorem congregationem

partium. — 1. *Meteorol.* l. 4; 2. *de Cœlo* l. 10.

Ad septimum dicendum, quod formæ substantiales in inferioribus partibus terræ producuntur ab aliis virtutibus singulis corporibus cœlestibus attributis, ut dictum est (in c. art.). — 2. *de Cœlo* l. 10.

Ad octavum dicendum, quod fluxus et refluxus maris non consequitur formam substantialem aquæ, sed virtutem lunæ; sequitur enim ejus motum, et est aquæ naturalis, quia est ex impressione cœlestis corporis lunaris, cui naturaliter subditur aqua. — *Tabula Aurea* voce « mare » n. 2.

QUÆSTIO XXXIII

DE ACCIDENTIBUS CŒLI.

Deinde considerandum est de accidentibus cœli.

CIRCA QUÆ QUÆRUNTUR TRIA:

1. Utrum in corporibus cœlestibus sint accidentia sicut in corporibus inferioribus.
2. Utrum accidentia cœli sint ejusdem speciei cum accidentibus corporum sublunarium, ut lumen in sole et in aere, quantitas et motus.
3. Utrum maculæ lunæ causentur ex interpositione alicujus corporis inter nos et lunam.

ARTICULUS I

UTRUM IN CORPORIBUS CŒLESTIBUS SINT ACCIDENTIA SICUT IN CORPORIBUS INFERIORIBUS.

Videtur quod in corporibus cœlestibus non sint accidentia.

1. Quod enim habet substantialem et specificam virtutem, nullum habet accidens; nam si hoc illi inesset, inesset tamquam ejus virtus, eo quod accidens est virtus substantiæ, ut sæpius dictum est; sed corpora cœlestia habent subtantialem et specificam virtutem; sunt enim causa omnis generationis substantialis, quæ fit in corporibus sublunaribus: ergo non habent ullum accidens. — 2. *de Cœlo* l. 14.

2. Præterea, in eo quod est causa formæ substantialis, non est ullum accidens; nam superflue in illo esset, cum non possit agere ad productionem formæ subtantialis; nam ageret ultra vires. Sed cœlum est causa formarum substantialium, quæ producuntur in his inferioribus; ergo in cœlo nulla sunt accidentia. — *Ibid.*

Sed contra est, quod Philosophus (in 2. *de Cœlo text.* 2 sqq. et 22 sqq.; c. 1 et 4) probat cœlestia corpora moveri circulariter et esse figuræ circularis, et per consequens in illis esse quantitatem, cum figura et motus in quantitate subjectentur. — 2. *de Cœlo* l. 1 sqq.; l. 5 sqq.

RESPONDEO DICENDUM, quod Simplicius inconvenientissimum existimat dicere, in corporibus cœlestibus esse accidentia, motus objectis supra allatis, ex quibus sequitur, cum sensus non sit cognoscitivus nisi accidentium, quod nihil illorum corporum sentimus; unde ipse dicit, quod neque astra ipsa videmus, neque magnitudinem ipsorum aut figuras, nequee xcellentes pulchritudines, sed neque motum, sed velut illustrationem quandam ipsorum videmus talem, velut etiam solis circa terram lumen, non ipse sol videtur. — Sed hoc est expressissime falsum: *primo* quidem, quia Aristoteles (2. *de Anima text.* 68; c. 7) dicit, quod non secundum quod aqua neque secundum quod aer, diaphanum est, sed quoniam est natura eadem in his utriusque et in natura superioris corporis; si ergo in hujusmodi inferioribus corporibus sunt accidentia sensu perceptibilia, pari ratione in corporibus cœlestibus sunt accidentia sensu perceptibilia. *Adhuc*, figura et magnitudo sunt entia mathematicalia, quorum rationes sunt indifferenter in quocunque existant. Sicut igitur figura et magnitudo inferiorum corporum sunt accidentia sensibilia, ita etiam et in cœlestibus corporibus. *Item*, si hoc esset, periret omnis certitudo astrologicæ scientiæ, quæ procedit ex apparentibus secundum sensum circa corpora cœlestia. Quomodo etiam esset possibile, quod motus cœlestium corporum esset eorum substantia, cum sit quid imperfectissimum. Sequeretur *etiam*, quod

idem esset in sole figura, lumen et motus, cum unius rei non sit nisi una substantia. Unde patet omnino impossibile esse quod dicit Simplicius. — 2. *de Cœlo* l. 14.

Ad primum ergo dicendum, quod nihil prohibet corpora cœlestia specificam virtutem habere, et tamen quædam accidentia in eis esse; nam in inferioribus corporibus sunt quædam accidentalia, licet in eis sit virtus ad generandum sibi simile in specie. — *Ibid.*

Ad secundum dicendum, quod accidentia possunt in virtute substantiæ tamquam ejus instrumenta producere formas substantiales, ut sæpius dictum est.

ARTICULUS II

UTRUM ACCIDENTIA CŒLI SINT EJUSDEM SPECIEI CUM ACCIDENTIBUS CORPORUM SUBLUNARIUM.

Videtur quod accidentia cœli non sint ejusdem speciei cum accidentibus corporum sublunarium.

1. Dicit enim Philosophus (10. *Metaphys. text.* 26; l. 9, c. 10), quod corruptibile et incorruptibile differunt genere; sed accidentia cœli sunt incorruptibilia, ut quantitas, motus, figura et similia, eadem vero accidentia in corporibus sublunaribus sunt corruptibilia: ergo non sunt ejusdem speciei. — 10. *Metaphys.* l. 4.

2. Præterea, quæ habent diversos effectus, sunt specie diversa; sed lux solis et aliorum astrorum habent varios et diversos effectus, ut patet: ergo sunt specie diversæ. — *Tabula Aurea* voce « lux » n. 18.

3. Præterea, quantitas corporum sublunarium est divisibilis; sed quantitas corporum cœlestium est indivisibilis, alioqui cœlum esset corruptibile: ergo accidentia cœli non sunt ejusdem speciei cum accidentibus corporum sublunarium. — V. in Logica q. 11, a. 1; 8. *Phys.* l. 11 et 21.

Sed contra est, quod Philosophus (2. *de Anima text.* 68; c. 7) dicit, quod perspicuitas et lumen sunt ejusdem rationis in elementis et cœlis. — 2. *de Anima* l. 14.

Respondeo dicendum, quod plura accidentia cœli sunt ejusdem rationis cum accidentibus corporum sublunarium. Et ratio est, quia plura consequuntur naturam communem corporis, quæ logice eadem est in omnibus corporibus tam corruptibilibus quam incorruptibilibus, ut est esse diaphanum; esse lucens actu et illuminativum, quod est commune igni et corpori cœlesti; esse quantum, quod est passio corporis, ut dictum est (supra in Physica q. 3, a. 11, ad 2), cujus ratio communis est univocatione logica omnibus corporibus cœlestibus et sublunaribus; et idem dicendum est de figura, quæ est modus quantitatis. Quemadmodum vero in his inferioribus plura accidentia sunt, quæ consequuntur naturam propriam cujuslibet rei, ut calor et siccitas naturam ignis, frigus et humiditas naturam aquæ, et sic de singulis, ut infra dicemus (q. 45, a. 1); ita in corporibus cœlestibus singulas naturas consequuntur singula accidentia, quæ sunt illis ratio producendi diversas operationes et effectus, ex quorum diversitate, ut dictum est (supra q. 30, a. 2), arguitur diversitas specifica cœlorum. — 2. *de Animal.* 14; 2. *de Cœlo* l. 10, 14; 1. *Meteorol.* l. 4, 5.

Ad primum ergo dicendum, quod corruptibile et incorruptibile differunt genere physico seu materia, non autem genere logico, cum conveniant in una communi ratione corporis, ut dictum est (supra q. 29, a. 2, ad 3).

Ad secundum dicendum, quod sicut calor, quæ est qualitas activa ignis, et habet actionem quandam communem, quatenus est calor, et habet aliam propriam, secundum quod est in diversis rebus — ut sic enim determinatur ejus actio ad diversos effectus, sicut calor qui est in homine, operatur ad conversionem sibi in carnem humanam, et in planta ad substantiam plantæ; — ita et lux quamvis habeat actionem consequentem naturam lucis in quantum est lux, determinatur tamen ipsius actio, secundum quod in diversis recipitur, ad diversos effectus; unde alium effectum habet radius saturni quam jovis. — 2. *Sent.*

d. 13, a. 4, c; d. 15, q. 1, a. 2, ad 5; 1a, q. 67, a. 3, c; q. 70, a. 1, ad 2.

Ad tertium dicendum, quod aliud est rem esse divisibilem in potentia, aliud eandem posse actu dividi; illud est de ratione quantitatis et continui, non hoc; et ideo cœlum est continuum, et per consequens divisibile, non tamen potest actu dividi, quia hoc repugnat naturæ illius. — 8. *Phys.* l. 11.

ARTICULUS III

UTRUM MACULÆ LUNÆ CAUSENTUR EX INTERPOSITIONE ALICUJUS CORPORIS INTER NOS ET LUNAM.

Videtur quod maculæ lunæ causentur ex interpositione alicujus corporis inter nos et lunam: — 1. quia luna est corpus homogeneum, sicut et sol et reliqui planetæ; sed quod pars corporis homogenei non videtur, reliquæ vero videantur, oritur ex interpositione corporis: ergo maculæ lunæ oriuntur ex tali interpositione. — 2. *de Cœlo* l. 12.

2. Præterea, maculæ lunæ sunt obscuritates quædam et privationes luminis in luna; sed privatio luminis ab alio accepti oritur vel ex interpositione inter ipsum et corpus illuminans, vel certe inter nos et lunam: ergo cum non possit primum dici, cum lunæ maculæ videantur semper, etiam quando luna non eclipsatur, dicendum est nasci tales maculas ex interpositione corporis inter nos et lunam. — *Ibid.*

Sed contra est, quod maculæ lunæ ex omni parte mundi videntur ab omnibus, quod non contingeret, si orirentur ex inter-positione corporis inter nos et lunam. — *Ibid.*

Respondeo dicendum, quod causa macularum quæ in luna apparent, a diversis diversimodo assignatur. *Quidam* enim dicunt, quod causa illius diversitatis, quæ in superficie lunæ apparet, seu macularum ejus, est aliquod corpus interpositum inter nos et lunam, quod prohibet nos ne videamus totaliter claritatem lunæ; unde ex illa parte qua inter visum nostrum et lunam interponuntur hujusmodi corpora, videtur esse quædam obscuritas ex eo quod habere claritatem in illa parte non videmus. Sed hoc non potest esse, quia illud corpus interpositum inter nos et lunam non eodem modo interponitur inter lunam et visum hominis in quacumque parte mundi; et ita non videtur similis dispositio in luna ex omni parte mundi. Sic igitur non videtur similis dispositio eclipsis solaris ex omnibus partibus mundi ex interpositione lunæ inter solem et visum nostrum. Quod circa prædictam diversitatem lunæ non accidit; nam similiter videtur ex omnibus partibus terræ sive orientalibus sive occidentalibus sive australibus sive borealibus. — 2. *de Cœlo* l. 21.

Alii vero dicunt, quod hujusmodi obscuritas apparens in luna est quædam similitudo alicujus corporis, puta terræ aut maris aut montium, quæ resultat in luna ad modum quo resultat forma in speculo. Et hoc tollitur etiam per eandem rationem: quia si hujusmodi formæ in speculo viderentur ex quadam reflexione radiorum visualium vel etiam formarum visualium, non ex omni parte terræ similis diversitas appareret in luna, sicut nec forma in speculo apparet secundum eandem dispositionem undique aspicienti, quia reflexio fit ad loca determinata secundum proportionem corporum, ad quæ fit reflexio. *Ibid.*

Et ideo *alii* dicunt et melius, quod ratio, quare talis diversitas videtur in luna, est propter dispositionem suæ substantiæ, non autem propter dispositionem alicujus corporis vel quamcumque reflexionem. Et horum duplex est opinio. *Quidam* enim dixerunt, quod formæ effectuum sunt quodammodo in suis causis: ita tamen, quod quanto aliqua causa est superior, tanto diversæ formæ effectuum sunt in ea magis uniformiter; quanto vero est inferior, tanto formæ effectuum sunt in ea magis distinctæ. Corpora autem cœlestia sunt causa interiorum corporum. Inter corpora cœlestia infimum est luna; et ideo in luna, secundum inferiorem superficiem ejus, continetur quasi exemplaris diversitas corporum generabilium. Et ista fuit sententia Iamblici. — *Alii*

vero dicunt, quod licet corpora cœlestia sint alterius naturæ a quatuor elementis, præexistunt tamen in corporibus cœlestibus, sicut in causis, proprietates elementorum; non tamen eodem modo, sicut in elementis, sed quodammodo in excellentiori modo. Et inter elementa supremum est ignis, qui plurimum habet de luce; infimum autem terra, quæ minimum habet de luce. Et ideo luna, quæ est infima inter corpora cœlestia, proportionatur terræ et assimilatur quodam modo naturæ ipsius; et ideo non totaliter est illustrabilis a sole. Unde ex illa parte, qua perfecte illustratur ab eo, videtur in ea esse quædam obscuritas, quæ semper apparet secundum eandem dispositionem in luna; quod non esset, si luna revolveretur, quia paulatim immutaretur aspectus talis obscuritatis. — 2. *de Cœlo* l. 12. — Et ex his patet *ad objecta*.

QUÆSTIO XXXIV

DE ELEMENTIS SECUNDUM QUOD SUNT PARTES UNIVERSI.

Deinde considerandum est de elementis secundum quod sunt partes universi, et per consequens de qualitatibus motivis, ex quibus determinatur illis situs in universo.

CIRCA QUÆ QUÆRUNTUR OCTO:

1. Utrum qualitates motivæ elementorum differant specie.
2. Utrum gravia et levia, seu elementa, moveantur effective a propriis formis substantialibus, an vero a generante.
3. Utrum sint plura elementa gravia quam levia.
4. Utrum omnia elementa præter ignem habeant gravitatem, et gravitent in propriis locis.
5. Utrum motus naturalis elementorum sit velocior in fine.
6. De loco elementorum.
7. Utrum projecta moveantur ab aere, an vero a virtute impressa.
8. Utrum projecta velocius moveantur in principio quam in fine.

ARTICULUS I

UTRUM QUALITATES MOTIVÆ ELEMENTORUM DIFFERANT SPECIE.

Videtur quod qualitates motivæ elementorum non differant specie. — 1. Dicit enim Philosophus (1. *de Cœlo text.* 5 et 6; c. 2), quod virtutes motivæ sunt tres: circularis, a medio, et ad medium; sed si qualitates motivæ elementorum specie differrent, essent quinque, non autem tres: ergo qualitates motivæ non differunt specie. — 1. *de Cœlo* l. 3.

2. Præterea, dicit Philosophus (1. *de Cœlo text.* 10; c. 2), quod unum uni est contrarium; sed si qualitates motivæ specie differrent, singulæ haberent duas contrarias, ut levitas ignis gravitatem aquæ et terræ: ergo qualitates motivæ elementorum non differunt specie. — 1. *de Cœlo* l. 4.

3. Præterea, idem in quantum idem semper est natura facere idem, ut dicitur 1. *de Generat.* (*text.* 56; c. 10); sed levitas ignis et aeris oriuntur ex calore, sicut gravitas aquæ et terræ oriuntur ex frigiditate, ut dictum est (cf. infra q. 43, in c. et ad 6): ergo sicut calor ignis et aeris sunt iidem specie, et similiter frigiditas aquæ et terræ, ut dictum est (cf. infra q. 46, a. 7, c.), ita ejusdem speciei erunt levitas ignis et aeris, et gravitas aquæ et terræ. — 2. *de Generat.* l. 10.

4. Præterea, qualitates motivæ speciem sumunt a terminis sive locis; sed hi termini sive loca sunt tantum duo, puta sursum et deorsum, ut dicit Philosophus (1. *de Cœlo text.* 6, c. 2; 2. *de Generat. text.* 22, c. 3): ergo qualitates motivæ specie differentes sunt tantum duæ, gravitas et levitas; unde levitas aeris et ignis non different specie, sicut nec gravitas terræ et aquæ. — 1. *de Cœlo* l. 3 et 4; 2. *de Generat.* l. 3.

5. Præterea, 1. *de Cœlo* (*text.* 17; c. 3) definit Philosophus leve, quod natum est ferri a medio, grave quod ad medium; sed definitio levis æqualiter competit igni et aeri, sicut definitio gravis aquæ et terræ; nam illa tendunt a medio, hæc ad medium, seu illa sursum, hæc deorsum: ergo

levitas ignis et aeris erunt ejusdem speciei, et similiter gravitas aquæ et terræ. — 1. *de Cœlo* l. 5.

6. Præterea, comparatio non est nisi inter ea, quæ sunt unius speciei, ut dicit Philosophus (7. *Phys. text.* 29; c. 4); sed aer et ignis comparantur in levitate, et aqua et terra in gravitate, ut patet 1. *de Cœlo text.* 17 (c. 3) et 4. *de Cœlo text.* 26 et 27 (c. 7): ergo levitas ignis et aeris sunt ejusdem speciei et similiter gravitas aquæ et terræ. — 7. *Phys.* l. 7; 1. *de Cœlo* l. 5; 4. *de Cœlo* l. 3.

Sed contra est, quod Philosophus (4. *de Cœlo text.* 26 *sq.*; c. 4) ex quatuor qualitatibus motivis probat quatuor esse elementa.

Respondeo dicendum, quod qualitates motivæ elementorum specie differunt. Et ratio est, quia qualitates motivæ, sicut et eorum actus, puta motus, specificantur ex terminis; non sunt autem iidem specie termini, secundum quos specificantur motus ignis et aeris, aquæ et terræ. Aer enim natus est moveri ad locum qui subditur igni, aqua autem ad locum qui supereminet terræ. Unde et ignis dicitur simpliciter et absolute levissimus, quia tendit ad concavum lunæ; terra vero simpliciter et absolute gravissima, quia tendit ad centrum mundi. Aer autem est levis per comparationem ad duo elementa; et similiter aqua est gravis per comparationem ad duo. Præterquam quod si levitas aeris et ignis essent eadem specie, aer et ignis naturaliter tenderent ad eundem locum, et per consequens aer violenter quiesceret in eo loco ubi nunc est, puta sub igne, quia naturaliter unumquodque quiescit in eo loco ad quem naturaliter fertur, ut dicitur 3. *de Cœlo* (*text.* 19; c. 2), sicut vi quiescit, ad quem vi fertur, sicut e contra naturaliter unumquodque movetur ad locum in quo naturaliter quiescit; quiescit autem naturaliter unumquodque in proprio loco. Cum enim unumquodque moveatur ad suum locum, tamquam ad perfectionem et finem suum, ut dicit Philosophus (4. *de Cœlo text.* 22, 23; c. 3), perfectio ejus erit in illo esse, et per consequens naturaliter in illo quiescet. Unde manifestum est, quod qualitates motivæ elementorum specie differunt. — 1. *de Cœlo* l. 3, 5; 3. *de Cœlo* l. 5; 4. *de Cœlo* l. 2.

Ad primum ergo dicendum, quod qualitas motiva *a medio* est una specie subalterna, sicut et qualitas motiva *ad medium*, ut patet ex his quæ docet Philosophus 4. *de Cœlo* (*text.* 26; c. 4), ut dictum est. — 4. *de Cœlo* l. 2 et 3.

Ad secundum dicendum, quod motus localis elementorum tribuitur elementis non secundum calidum et frigidum, humidum et siccum, secundum quæ distinguuntur elementa, ut patet ex 2. *de Generat.* (*text.* 6; c. 1), sed secundum gravitatem et levitatem. Unde duo corpora gravia comparantur ad motum localem sicut unum corpus, et similiter duo levia; sicut similiter corpori dulci contrariatur amarum et salsum, quia hæc duo se habent per modum unius, cum utrumque sit privatio dulcis in humido nutrimentali. (Cf. *de Sensu et Sensato* l. 10). Propterea vero aer et ignis efficiunt unum corpus, sicut et utrique unus locus sursum tribuitur a Philosopho (2. *de Generat. text.* 22; c. 3); et idem dico de aqua et terra, quia aer et aqua participant de igne et terra; aqua enim levis est in terra et gravis in aere et igne. Unde cum aqua plus habeat de gravitate quam de levitate, magis communicat cum terra, et ideo utrique datur unus locus; similiter autem dicendum est de aere et igne. — 1. *de Cœlo* l. 4; 2. *de Generat.* l. 3.

Ad tertium dicendum, quod levitas ignis consequitur combinationem caloris et siccitatis, et levitas aeris combinationem caloris et humiditatis, et similiter dico de gravitate aquæ et terræ, ut dictum est (cf infra q. 43, in c. et ad 6; q. 46, a. 7, c).

Ad quartum dicendum, ut dictum est *ad secundum*. — *Vel dic*, quod non sunt iidem specie termini, et eadem loca specie ignis et aeris, ut dictum est (in c. art.). — Et iisdem modis dicendum est *ad quintum*.

Ad sextum dicendum, quod licet propriissime non sit comparatio nisi inter ea quæ sunt ejusdem speciei, proprie tamen potest etiam fieri inter ea quæ specie differunt,

dummodo sint ejusdem generis, ut dicit Philosophus (10. *Metaphys. text.* 12 et 13; l. 9, c. 3). Elementa autem licet differant inter se specie, sunt tamen ejusdem generis; sunt enim corpora naturalia, et per consequens in genere substantiæ, ut dicit Philosophus (3. *de Cœlo text.* 1; c. 1). — 10. *Metaphys.* l. 5; 3. *de Cœlo* l. 1.

ARTICULUS II

UTRUM GRAVIA ET LEVIA MOVEANTUR EFFECTIVE A PROPRIIS FORMIS AN VERO A GENERANTE VEL A MEDIO.

Videtur quod gravia et levia moveantur effective a propriis formis substantialibus.

1. Dicit enim Philosophus (1. *de Cœlo text.* 89; c. 8), quod elementa non feruntur sursum vel deorsum quasi mota ab alio exteriori; sed si moverentur a generante, moverentur ab aliquo exteriori: ergo elementa non moventur a generante, sed a se ipsis per proprias formas substantiales. — 1. *de Cœlo* l. 18.

2. Præterea, Philosophus (l. c.) dicit, quod elementa non moventur vi ad propria loca, sed naturaliter; sed motus naturalis est, cujus principium est in eo quod movetur: ergo elementa non moventur a generante, quod est illis extrinsecum, sed a propriis formis intrinsecis. — *Ibid.* et 3. *de Cœlo* l. 7 et 8.

3, Præterea, dicit Philosophus (1. *de Cœlo text.* 5; c. 2), quod omnia naturalia habent in se principium motus; sed elementa sunt corpora naturalia, ut dicit Philosophus (1. *de Cœlo text.* 1; c. 1): ergo. — 1. *de Cœlo* l. 1 et 3.

4. Præterea, formam corporis elementaris sequitur motus, sicut et aliæ naturales proprietates consequuntur essentialia principia; sed hæc habent rationem efficientis respectu illarum, ut dictum est (in Logica q. 6, a. 2): ergo et forma elementaris erit principium efficiens motum elementi, et ita elementum effective movebitur a se ipso. — *de Pot.* q. 5, a. 1, 5 et 8.

5. Præterea, causa et effectus in actu sunt simul, ut dictum est; sed grave movetur aliquando deorsum quando generans non existit, ut per se manifestum est: ergo grave non movetur a generante, sed a propria forma. — 2. *Phys.* l. 6.

6. Videtur quod gravia et levia moveantur ab aere medio, quia motus naturalis debet immediate sequi a suo motore; sed motus gravium et levium non sequitur a suo generante, ut patet; neque etiam a propria forma, quia movens se ipsum dividitur in movens et motum, ut probatur in 8. *Phys.* (text. 40 sq.; c. 5), quod non invenitur in gravibus et levibus, quæ dividuntur in formam et materiam, cujus non est moveri, ut probatur in 5. *Phys* (*text.* 10 sqq.; c. 2): ergo necessario debet moveri a medio, ita ut ipsa moveant aerem, ad cujus motum ipsa deinde moveantur. — *de Cœlo* l. 7.

7. Præterea, oportet esse aliquam resistentiam inter movens et mobile; sed nulla est resistentia materiæ corporalis gravis vel levis ad ejus formam vel ad generans, est autem ad medium: ergo grave et leve movetur ab aere. — *Ibid.*

8. Præterea, dicit Philosophus (3. *de Cœlo text.* 28; c. 2), quod aer facit motum naturalem elementi, sicut et violentum; sed violentum facit per se et effective: ergo et naturalem; et per consequens gravia et levia movebuntur a medio. — *Ibid.*

Sed contra est: 1. quod Philosophus (8. *Phys. text.* 29; c. 4) dicit, quod impossibile est gravia et levia moveri a se ipsis, quia hoc est proprium vitæ et animalium, cujusmodi non sunt gravia et levia, sed moveri per se a generante, per accidens vero a removente prohibens. — 8. *Phys.* l. 7.

2. Præterea, dicit Philosophus (8. *Phys. text.* 30; c. 4), quod nullum continuum movet se ipsum; sed ex eodem (*ibid.*) gravia et levia sunt continua: ergo nihil horum movet se ipsum. — 8. *Phys.* l. 7 et 8.

3. Præterea, id quod est in potentia, naturaliter movetur ab alio quod est actu; sed nihil secundum idem est in potentia et actu: ergo gravia et levia non moventur a se, sed ab alio. — *Ibid.*

4. Præterea, dicit Philosophus (3. *de*

Cœlo text. 28; c. 2), quod si non esset aer medius, non daretur corpus violenter motum; at vero motum naturalem gravis et levis aer tantum promovet et coadjuvat motum: ergo gravia et levia non moventur naturaliter ab aere, sicut moventur violenter ab eodem, moventur autem efficienter in tali motu ab aere. — 3. *de Cœlo* l. 7.

Respondeo dicendum *ad primam quæstionem*, quod in hac difficultate de motore gravium et levium quidam, ut Averroes, dixerunt, quod gravia et levia moventur a se ipsis, non tamen per se, sed per accidens, sicut nauta, qui movet navem, ad cujus motum ipse movetur, et similiter corpus grave et leve per suam formam movet aerem, ad cujus motum ipsum corpus grave vel leve movetur; idque probant argumentis allatis. — Verum hæc positio falso nititur fundamento. Existimat enim, quod forma gravis et levis sit principium activum per modum moventis, et sic oporteat esse aliquam resistentiam ad inclinationem formæ, et quod motus non procedat immediate a generante, qui dat formam. Quod est omnino falsum. Nam forma gravis et levis non est principium motus sicut agens motum (nam agens per se est id quod agit per propriam formam, forma autem non agit per aliam formam); sed est id quo agens agit. Unde non potest dici agens nisi abusive; est enim principium motus, quo movens movet, sicut color est principium visionis, quo aliquid videtur. Unde et Philosophus (in 8. *Phys. text.* 32; c. 4), postquam dixerat de motu gravium et levium, quod nihil horum movet se ipsum, statim subdit: « sed motus habent principium, non movendi neque faciendi, sed patiendi ». Quare dicendum est, quod motus gravium et levium per se est a generante, per accidens vero a removente prohibens, ut dicit Philosophus (in 8. *Phys. text.* 33; c. 4). — 3. *de Cœlo* l. 7; *de Malo* q. 2, a. 11, c.; 8. *Phys.* l. 8.

Quod confirmatur *primo* ex differentia inter motum gravium et levium et motum animatorum seu viventium. Quia enim hæc secundum quod sunt in sua dispositione naturali, moventur, non autem in accedendo ad eam vel in recedendo ab ea; ideo dicuntur moveri a se ipsis, et consequenter habere in se principium talis motus; at gravia et levia non moventur, nisi secundum quod sunt extra dispositionem suæ naturæ, utpote cum sunt extra proprium locum. Cum enim sunt in proprio et naturali loco, quiescunt, et ideo non nisi a motore extrinseco moventur, quod per se est generans, per accidens vero removens prohibens. — 1a, q. 18, a. 1, c. et ad 2.

Secundo, ex ratione generali motus. Motus enim quilibet est inclinatio naturæ; omnis autem inclinatio naturæ est a propria forma et ab eo, qui dedit formam: ergo et motus localis naturalis gravium et levium erit a propria forma, et a generante ipsa. Sed non est a forma tamquam ab agente et movente per se proprie, sed abusive tantum, ut dictum est; ergo erit proprie tamquam a principio, quo movens movet. — 1a, q. 105, a. 2, c.

Tertio, ex differentia, quæ invenitur in his quæ moventur. Eorum enim quæ moventur, quædam principium sui motus in se ipsis habent, quædam vero extra se, sicut ea quæ per violentiam moventur, in quibus principium est extra, nil conferente vim passo, secundum Philosophum (in 3. *Eth.* c. 1). Eorum autem quorum principium motus in ipsis est, quædam talia sunt, quod ipsa seipsa movent, sicut animalia; quædam autem, quæ non movent seipsa, quamvis in seipsis sui motus aliquod principium habeant, sicut gravia et levia. Non enim ipsa seipsa movent, cum non possint distingui in duas partes, quarum una sit movens et alia mota, sicut in animalibus invenitur, quamvis motus eorum consequatur aliquod principium, quod est in illis, scilicet formam; quam quia a generante habent, dicuntur a generante moveri per se, sed a removente prohibens per accidens, secundum Philosophum (8. *Phys.* l. c.); et hæc moventur seipsis, sed non a seipsis. — *de Verit.* q. 24, a. 1, c.

Postremo probatur et simul explicatur, quomodo motus gravium et levium a generante sit per se, a removente vero prohi-

bens per accidens, ex ratione motus localis per comparationem ad alios motus alterationis et augmentationis. Quia cum id quod est in potentia, moveatur ab eo quod est actu, *sicut* dupliciter aliquid est in potentia leve vel grave — *uno modo* sicut ille, qui est in potentia ad habitum scientiæ, puta cum adhuc est aqua et est in potentia ad leve, id est, ut fiat aer; *alio modo*, cum ex aqua factus est aer, est adhuc in potentia ad actum levis, quod est esse sursum; sicut habens habitum scientiæ et non considerans, est in potentia ad actum scientiæ: — *ita* dupliciter potest aliquid moveri et reduci ad actum, seu ex prima potentia ad secundam et ex secunda ad actum illius potentiæ. Nam reducitur de prima potentia ad actum, cui conjungitur secunda potentia, per agens extrinsecum producens et generans talem actum; ad actum vero secundæ potentiæ non reducitur per aliquod agens, sed per seipsum sequitur talis actus, nisi sit aliquod impediens et prohibens. Nam tunc per accidens reducitur ad actum per removens prohibens, ut patet inductione. Nam in qualitate, existens in potentia ad illam, reducitur ad actum per agens producens talem qualitatem, qua posita statim sequitur actus illius qualitatis; et si sit impediens talem actum, per accidens reducitur a removente tale impedimentum; ut nondum habens habitum scientiæ reducitur ad actum per actum docentis; habens autem jam habitum scientiæ non oportet quod reducatur in secundum actum per aliquod agens, sed statim per seipsum operatur considerando, nisi sit aliquod prohibens, puta occupatio vel infirmitas aut voluntas; et tunc per accidens dicitur moveri et reduci ad actum a removente tales causas impedientes. Similiter in quantitate, antequam fiat additio quanti ad quantum, quantum reducitur ad actum primum per agens producens talem actum; postquam vero facta est additio, statim sequitur extensio in corpore augmentabili, nisi aliquid prohibeat; et illud quod removet hoc prohibens, dicitur quodammodo movere quantum ad extensionem. Et similiter in motu locali: si columna sustineat aliquod grave et sic impediat ipsum descendere, ille qui divellit columnam, per accidens dicitur movere grave suppositum columnæ. Et similiter ille qui removet lapidem, qui impedit aquam effluere a vase, dicitur per accidens movere aquam, et non per se; sicut si pila repercutiatur a pariete, per accidens dicitur moveri a pariete, per se autem a primo projiciente: paries enim non dedit ei aliquem impetum ad motum, sicut dedit percutiens, per accidens autem fuit quod dum a pariete impediretur, ne secundum impetum ferretur, eodem impetu manente in contrarium motum resiliret. Et similiter ille qui divellit columnam, non dat gravi supposito impetum vel inclinationem ad hoc quod sit deorsum, sed hanc habuit a primo generante, quod dedit ei formam, ad quam sequitur talis inclinatio et motus. — 8. *Phys.* l. 8; *de Malo* q. 2, a. 11.

Sic igitur dicendum est, quod generans per se est causa motus gravium et levium, quia dat illis formam, quam consequitur motus; removens autem prohibens per accidens, quia statim ac aliquid est grave et leve et est extra locum, nisi impediatur, movetur ad propria loca, per se quidem a generante, tamquam causa principali et proprie quidem agente, quia agit per propriam formam, et producit formam, ad quam sequitur motus, agente tamen consequenter et non primo: quia principale agens dicitur aliquid agere primo, et aliquid consequenter; — agit enim primo dans formam, agit autem consequenter dans motum, qui consequitur formam; — per accidens vero a removente prohibens; sicut per se quidem sol illuminat domum, per accidens vero qui aperit fenestram, quæ erat obstaculum luminis. Et sic patet, quod in gravibus et levibus forma non est principium effectivum vel activum ut *quod*, sed tantum passivum, est tamen activum ut *quo*, quia mediante forma generans producit motum gravium et levium. — *Tabula Concord.* n. 690, 691; 1. *de Cœlo* l. 18.

Ad primum ergo dicendum, quod cum Philosophus negat gravia et levia moveri

ab exteriori agente, tantum removet exteriorem motorem, qui hujusmodi corpora moveat, postquam formam specificam sunt consecuta. Moventur enim levia quidem sursum, gravia vero deorsum a generante, in quantum dat eis formam, quam sequitur talis motus; a removente prohibens per accidens et non per se. Quidam autem posuerunt, quod postquam speciem sunt adepta, hujusmodi corpora indigent ab aliquo alio extrinseco moveri per se, præterquam a generante, quod loco citato Philosophus removet. — 1. *de Cœlo* l. 18.

Ad secundum dicendum, quod ad motum naturalem sufficit habere principium passivum et activum *quo;* quomodo se habet virtus gravium et levium. — Et sic patet *ad tertium;* nam elementa sunt corpora naturalia et habent in se principium sui motus naturalis passivum et non activum, ut *quod* scilicet, ut dicit Philosophus (8. *Phys. text.* 32; c. 4). — Et per hoc patet solutio *ad tertium.* — 8. *Phys.* l. 8.

Ad quartum dicendum, quod forma elementi, ut se tenet ex parte ipsius elementi mobilis, habet rationem principii passivi; ut vero se tenet ex parte generantis moventis, habet rationem principii activi, non quidem efficientis et ut *quod*, sed formalis et ut *quo.* — *Tabula Concord.* n. 690, 691.

Ad quintum dicendum, quod cum generans sit causa principalis motus gravium et levium consequenter, puta mediante forma, non autem prima, ideo non est necesse quod generans existat, sed sufficit ut existat forma, mediante qua movet. (*de Malo* q. 2, a. 11) — *Vel dic*, quod movens et motum debent esse simul, vel quantum ad principium motus, non autem quantum ad totum motum, ut patet in projectis; vel quamdiu retinetur vis a movente collata, ut est in proposito; quamdiu enim grave retinet formam datam a generante, dicitur generans movere grave. — *de Pot.* q. 3, a. 11, ad 5.

Ad secundam quæstionem dicendum, quod non requiritur ad motum naturalem gravium et levium ex necessitate aer, quia id quod movetur naturaliter, habet sibi inditam virtutem, quæ est principium motus. Unde non oportet quod ab alio impellente moveatur, sicut id quod per violentiam movetur, quia nullam virtutem inditam habet, ad quam sequatur talis motus, sicut habent gravia et levia, quæ proinde a solo generante tamquam principali causa consequenter agente, ab aere vero tamquam a promovente motum, quatenus nimirum per suam levitatem coadjuvat ad motum qui est sursum, per suam gravitatem ad motum deorsum. Unde aer tantum requiritur ad motum gravium et levium ad bene esse, et non ex necessitate, ut male determinavit Averroes. — 3. *de Cœlo* l. 7.

Ad sextum ergo et *septimum* dicendum, quod quia forma non est principium activum motus gravium et levium per modum moventis; sed sicut quo movens movet, ideo non oportet aliam resistentiam quærere in hoc motu, quam illam quæ est inter generans et genitum. — 3. *de Cœlo* l. 7.

Ad octavum dicendum, quod aer non eodem modo facit motum violentum et naturalem, ut dicit Philosophus (3. *de Cœlo text.* 28; c. 2). Nam de violento dicit, quod si non esset aer, non esset quod vi motum esset; de naturali vero dicit, quod aer promovet motum naturalem. Unde ad violentum necessario requiritur aer, ad naturalem non nisi ad bene esse ob rationem allatam (in c.). — 3. *de Cœlo* l. 7.

ARTICULUS III

UTRUM SINT PLURA ELEMENTA GRAVIA QUAM LEVIA.

Videtur quod sint plura elementa gravia quam levia.

1. Dicit enim Philosophus (4. *de Cœlo text.* 29 et 30; c. 4), quod omnia elementa habent gravitatem præter ignem, etiam aer; ergo plura sunt elementa gravia quam levia. — 4. *de Cœlo* l. 3.

2. Præterea dicit Philosophus (l. c.), quod si accipiatur uter de corio subtili et infletur aere, majoris ponderis erit inflatus quam non inflatus, et velocius movebitur inferius; sed hoc esse non potest, nisi aer gravitatem

haberet: ergo elementa gravia plura sunt quam levia. — *Ibid.*

3. Præterea, dicit Philosophus (4. *de Cœlo text.* 39; c. 5), quod si submoveatur aeri aqua, aer naturaliter deorsum feretur; si vero tollatur ignis, aer non nisi vi feretur sursum; sed hoc esse non potest, nisi aer gravitatem habeat: ergo idem quod prius. — *Ibid.*

4. Præterea, omne gravius est grave, quia comparativus supponit positivum; sic enim omne albius est album; sed aer est gravior igne: ergo aer est gravis, et sic plura sunt elementa gravia quam levia. — 3. *de Cœlo* l. 3.

Sed contra est, quod Philosophus (1. *de Cœlo text.* 18, c. 3; 3. *de Cœlo text.* 28, c. 2; 4. *de Cœlo text.* 27, c. 4) docet, quod duo sunt elementa, quorum unum est absolute grave, aliud absolute leve, puta terra et ignis; et duo sunt respective levia et gravia. Nam aer respectu ignis est gravis, respectu aquæ levis, aqua vero respectu terræ est levis, respectu aeris gravis. — 1. *de Cœlo* l. 5; 3. *de Cœlo* l. 7; 4. *de Cœlo* l. 3.

Respondeo dicendum, quod necesse est dicere non esse plura elementa gravia quam levia, sed esse unum elementum gravissimum, alterum levissimum, et duo media, partim gravia partim levia, si respectu diversorum considerentur. Et quidem de primis duobus probatur ex definitione gravissimi et levissimi. Gravissimum enim est, quod substat omnibus quæ deorsum feruntur; hoc autem non nisi unum esse potest, quia si plura essent, nullum eorum substaret omnibus quæ deorsum feruntur. Similiter levissimum est, quod supereminet omnibus quæ feruntur sursum; quod similiter est unum ob eandem rationem. — 4. *de Cœlo* l. 3.

Et confirmatur *primo,* quia ad sensum videmus, quod terra et omnia terrea substant omnibus corporibus, et feruntur simpliciter ad medium. Medium enim determinatum est, quia non contingit aliquid eorum quæ moventur, in infinitum ferri, nisi per reiterationem, ut contingit in motu cœli, secundum intentionem Philosophi. Et similiter videmus ignem supereminere et superferri omnibus, etiam ipso aere; nam positus in aere sursum fertur ipso quiescente. Unde necesse est quod moveatur ad extremum locum simpliciter, et per consequens quod nullam gravitatem habeat. Si enim haberet aliquam, tunc substaret alicui; hoc enim dicimus grave, quod simpliciter vel alicui substat. Et si hoc esset verum, esset aliquod aliud corpus quod moveretur ad extremum, quod omnibus supereminet; nunc autem non videmus aliquod tale præter ignem.

Secundo, quia cum sit aliquod medium et aliquod extremum determinata ad invicem plurimum distantia localiter (ut patet, præter dicta, ex eo quod ignis a deorsum movetur sursum ad angulos similes sphærales; et similiter unaquæque pars terræ et omne habens gravitatem fertur deorsum ad similes angulos sphærales, cum moveatur secundum rectum et terra sit circularis); rationabiliter sunt duo corpora extrema, grave et leve. Locis enim naturalibus existentibus, necesse est esse corpora mobilia ad illa, quia locus naturalis non est sine corpore. Unde cum sint duo loca, extremum scilicet et medium in mundo, necesse est esse corpora mobilia ad illa. Hujusmodi autem sunt grave et leve simpliciter; et hæc alia non sunt præter ignem et terram, ut sensu patet. — *Ibid.*

Quod autem præter duo extrema elementa sint alia duo intermedia, puta aer et aqua respective gravia et levia (aer quidem gravis respectu ignis, levis autem respectu aquæ; aqua vero levis respectu terræ, sed gravis respectu aeris), probatur, quia si dantur extremum et medium in mundo, cum hæc sint contraria, necesse est inter hæc contraria dari medium. Duorum enim contrariorum nihil prohibet esse unum aut plura media. Omnia enim contraria primo et principaliter dicta medium habent, ut probatur 10. *Metaphys.* (*text.* 22; l. 9, c. 7), quædam quidem unum, quædam plura, ut patet in coloribus. Quare inter duo corpora extrema, grave et leve, dabitur aliquod corpus grave medium, quod ad utrumque extremorum comparatum rationem utriusque habeat; et per consequens erit aliquis

locus intermedius. Quia enim locus naturalis non est sine corpore nato moveri ad ipsum, aut inexistente, cui proportionatur; manifestum est, quod necesse est inter grave et leve simpliciter sit aliquid medium, quod sit grave et leve ad aliud, quod nimirum comparatum ad leve sit grave et comparatum ad grave sit leve. Et sic patet, quod inter ignem et terram debet esse aliquod corpus medium. Hoc autem non esse unum tantum specie, sed duo, puta aerem et aquam, manifestum est tum sensu, tum quia si sunt duo elementa extrema, puta ignis et terra, necesse est alia duo intermedia esse, ut dicit Philosophus (*4. de Cœlo tert.* 37; c. 5). Nam si unum contrarium est in natura, necesse est et alterum esse; ignis autem secundum naturam est calidus et siccus: ergo necesse est dari corpus ei oppositum secundum utramque qualitatem, quod vocamus aquam, quæ est frigida et humida. Rursum terra est frigida et sicca; ergo debet dari aliud corpus ei oppositum, quod sit calidum et humidum, quod vocamus aerem. Et sic manifestum est non esse plura corpora gravia quam levia, sed esse duo gravia, unum simpliciter et absolute, et alterum secundum quid et respective; et similiter esse duo levia, unum simpliciter, alterum respective, sicut dictum est de gravi. — *4. de Cœlo* l. 3.

Ad primum ergo dicendum, quod a Philosopho dicuntur omnia elementa gravia præter ignem, quia præter ignem terra est gravissimum elementorum absolute, reliqua vero duo intermedia sunt gravia et levia respective seu ratione diversorum, ut dictum est (in c.). — *Vel dic*, quod aer prope terram et aquam, cum maxime alteretur, infrigidetur et ingrossetur, potest etiam concipere majorem gravitatem; et sic verum est, considerando talem aerem, plura esse elementa gravia quam levia; verum de elementis judicandum est secundum proprias naturas, et non secundum ea quæ illis aliunde accidunt. — *4. de Cœlo* l. 3.

Ad secundum dicendum, quod uter inflatus aere crasso, vicino scilicet aquæ et terræ, est gravior non inflato, et de eo locutus est Philosophus; secus vero si sit inflatus aere remoto a terra, vel si loquamur de aere secundum naturam suam disposito, de quo intelligendi sunt Simplicius, Themistius et Ptolemæus negantes aerem in loco suo gravitatem habere. — *Ibid.*

Ad tertium dicendum, quod si loquamur de aere *secundum se* et secundum naturalem suam dispositionem, non habet aliquam gravitatem, per quam ex loco suo moveatur deorsum, quoniam aer secundum suam naturalem dispositionem habet qualitatem unam simplicem, quæ est principium sui motus naturalis, quod ostendit simplicitas formæ substantialis ipsius, quæ est per se causa illius, et etiam unitas loci et simplicitas, ad quam per ipsam movetur per se; per istam autem qualitatem simplicem quiescit in loco suo naturali, cum est in eo, et movetur ad ipsum, ubicunque fuerit, sive deorsum in loco terræ vel aquæ, sive sursum in loco ignis. Si autem per ipsam movetur ad locum suum et quiescit in eo, ergo per ipsam non movebitur ex ipso. Impossibile enim est quod aliquod corpus simplex moveatur per unam formam simplicem ad aliquem locum, et ex illo iterum moveatur; nam cum per istam quiescat in loco suo, per ipsam non movebitur ex eo, quia nullum corpus per eandem formam quiescit in aliquo loco et movetur ex illo. Et hoc modo locati sunt philosophi asserentes aerem in loco suo non habere gravitatem, et utrem inflatum non esse graviorem non inflato. — Si autem loquamur de aere *secundum accidens* et secundum dispositionem ejus præternaturalem, sic nihil prohibet aerem in regione sua aliquam habere gravitatem, et per consequens naturaliter descendere deorsum, si removeantur corpora sub illo existentia. Contingit enim aerem propinquum terræ vel aquæ frigiditate ipsius ingrossari et infrigidari præter naturam ejus (sicut aqua calefit ab igne); et quia frigiditas est causa gravitatis, contingit ipsum fieri gravem præter naturam suam, et consequenter ipsum moveri deorsum ad locum aquæ. Et sic aer per accidens, secundum quod hujusmodi, gravis est in aliqua parte

regionis suæ et per accidens movetur deorsum ex principio intrinseco per accidens existenti in ipso ex propinquitate terræ et aquæ; sicut et aer vicinus igni subtiliatus caliditate ignis, præter naturalem ejus dispositionem movetur secundum aliquid ad regionem ignis, et ignis in inferiori parte ejus ingrossatur humiditate aeris, et secundum aliquid movetur deorsum ad regionem aeris. Et hoc modo potest aer habere gravitatem in regione sua et per illam naturaliter ferri deorsum. Et secundum hunc modum loquitur Aristoteles de aere, quando (*4. de Cœlo text.* 30; c. 4) dicit ipsum habere gravitatem in regione sua et moveri deorsum distractis inferioribus, et non nisi violenter ferri sursum ad locum ignis, igne subtracto. Et secundum hunc modum potest esse verum, quod si uter repleatur aere sic disposito, gravior sit seipso non repleto. — *4. de Cœlo* l. 3.

Ad quartum dicendum, quod comparativus si proprie accipiatur, præsupponit positivum et infert ipsum; sed quandoque comparatio est abusiva, puta cum aliquid comparative dicitur respectu oppositi, sicut si dicitur: cygnus albior corvo; vel etiam si dicatur comparative, propter quod minus participat de opposito, ut si dicatur æthiops albior esse corvo, quia est minus niger; et similiter dicitur aliquod minus malum esse eligibilius magis malo, cum tamen malum non sit eligibile, nec æthiops sit albus; et secundum hunc modum dicitur aer gravior igne, quia est minus levis illo. Verum quia non consuevit Aristoteles argumentari ex locutionibus ambiguis, ideo dicendum est, quod quædam sunt, quæ dicuntur absolute, sicut album vel dulce, et in talibus comparativis præsupponitur positivum et infertur. Quædam autem sunt, quæ dicuntur quandoque absolute, quandoque comparative seu relative, sicut grave et leve; nam, ut dicitur *4. de Cœlo*, ignis dicitur absolute levis, terra autem absolute gravis, aer autem ad ignem quidem gravis, ad aquam vero et terram levis; sic et aqua ad terram quidem levis est, ad ignem autem et aerem gravis. Manifestum est autem, quod id quod est absolute grave, est etiam grave per comparationem ad alia, et per hunc modum omne grave est gravius, et omne leve est levius. Non tamen sequitur quod omne levius est leve, aut omne gravius est grave, quia non sequitur quod si est leve ad alia, sit leve absolute; et eadem est ratio de gravi; quod patet similiter in magnitudine. Magnum enim communiter acceptum dicitur ad aliquid, ut patet in *Prædicam.* Sed appositum alicui rei dicitur absolute magnum, quod pertingit ad quantitatem debitam illi rei; sicut homo dicitur magnus absolute, qui pertingit ad perfectam quantitatem hominis. Et ita patet quod magnum dicitur absolute et ad aliquid. Unde est quod omne magnum absolute dicitur magnum ad aliquid, quod est esse majus; non autem omne majus est absolute magnum; multa enim sunt quæ absolute considerata sunt parva; quæ tamen aliis sunt majora. Et secundum hunc modum aer licet sit gravior per comparationem ad ignem, non tamen est absolute gravis, quia gravitas illi competit tantum comparative, non absolute. — 3. *de Cœlo* l. 3; *4. de Cœlo* l. 3.

ARTICULUS IV

UTRUM OMNIA ELEMENTA PRÆTER IGNEM HABEANT GRAVITATEM ET GRAVITENT IN PROPRIIS LOCIS.

Videtur quod omnia elementa præter ignem habeant gravitatem et gravitent in propriis locis.

1. Probat enim Philosophus (*4. de Cœlo text.* 29 ad 39; c. 4 et 5), quod aer in proprio loco habet gravitatem et gravitat, experientia utris de corio subtili, qui inflatus aere et in loco aeris existens velocius descendet inferius quam non inflatus; quod non esset, si aer gravitatem non haberet et non gravitaret in proprio loco. — *4. de Cœlo.* l. 3.

2. Præterea, dicit Philosophus (*4. de Cœlo text.* 39; c. 5), quod aer et aqua submotis corporibus substantibus eis moventur deorsum a regionibus suis naturali-

ter; ignis autem, si removeatur aer, non feretur deorsum nisi per violentiam; sed hoc non esset, nisi aer gravitatem haberet in proprio loco, per quam descenderet: ergo elementa habent gravitatem in propriis locis. — *Ibid.*

3. Præterea, Philosophus (3. *de Cœlo text.* 28; c.2) dicit, quod aer et aqua sunt necessaria in motu projectorum, quia habent naturam gravis et levis, per quam possunt deorsum et sursum faciliter moveri; cum ergo motus projectorum fiat deorsum in aere, oportet ipsum habere gravitatem, per quam deorsum feratur. — 3. *de Cœlo* l. 7.

Sed contra est, quod Ptolomæus (lib. *de Ponderibus*) ostendit, quod nec aer nec aqua in propria regione gravitatem habent; et de aqua ostendit ex eo quod immergentes se in aqua, quamvis ad magnam profunditatem submergantur, non sentiunt gravitatem ipsius, illam autem sentirent, si esset gravis; et de aere probat experientia opposita illi, quam affert Philosophus l. supra cit. — 4. *de Cœlo* l. 3.

Respondeo dicendum, quod, ut ex dictis patet, dupliciter loqui possumus de aere: *uno modo* secundum se et secundum naturalem suam dispositionem; et hoc modo aer non habet aliquam gravitatem, per quam ex loco suo moveatur deorsum; et hoc modo locuti sunt Ptolemæus et Themistius expositor Aristotelis, negantes aerem in proprio loco gravitare; et hoc modo uter impletus aere non erit gravior utre non impleto aere. *Alio modo* potest aer considerari secundum dispositionem præternaturalem ejus, et sic nihil prohibet aerem in regione sua habere aliquam gravitatem. Quia enim contingit aerem propinquum terræ vel aquæ frigiditate ipsorum ingrossari et infrigidari præter naturam ejus, et frigiditas est causa gravedinis, contingit ipsum fieri gravem præter naturam ipsius, et consequenter moveri deorsum ad locum aquæ, et sic per accidens esse gravem. Et secundum hunc modum loquitur Philosophus de aere, cum dicit, quod uter plenus aere est gravior seipso non repleto aere; et similiter, cum de eodem asserit, quod subtractis corporibus inferioribus descendit deorsum per gravitatem, quam habet, præternaturalem scilicet. — Et ex his patet *ad primum* et *secundum* objectum. — 4. *de Cœlo* l. 3.

Ad tertium dicendum, quod sensus Philosophi est, quod aer quia subtilis est, potest facile recipere motum, per quem moveat deorsum et sursum ea quæ projiciuntur.

ARTICULUS V

UTRUM MOTUS NATURALIS ELEMENTORUM SIT VELOCIOR IN FINE.

Videtur quod motus gravium et levium non sit velocior in fine.

1. Dicit enim Philosophus (5. *Phys. text.* 44; c. 4), quod motus irregularis est, qui non est æqualiter velox per totum; regularis vero, qui est æqualiter velox. Sed motus naturalis gravium et levium est regularis. Dicit enim Philosophus (*ibid. text.* 43), quod potest aliquid moveri localiter in magnitudine regulari et uniformi, atque adeo regulariter, si feratur per circulum vel per lineam rectam; motus autem naturalis gravium et levium est per lineam rectam: ergo talis motus non est velocior in fine. — 5. *Phys* l. 7; 8. *Phys* l. 20.

2. Præterea, natura est determinata ad unum; sic in motu recto est determinatum principium, medium et finis, ut dicit Philosophus (8. *Phys. text.* 76; c. 9); ergo in motu naturali gravium et levium, qui rectus est, erit etiam determinata velocitas a natura, et ita non erit velocior in fine. — 3. *de Cœlo* l. 5; 8. *Phys.* l. 20.

3. Præterea, motus ab extrinseco est velocior in principio quam in fine, ut dicit Philosophus (2. *de Cœlo text.* 35; c. 6); sed motus naturalis gravium et levium est ab intrinseco; gravia enim et levia trahuntur in suo motu a fine, ad quem tendunt, ut dictum est: ergo motus naturalis gravium et levium non est velocior in fine. — 2. *de Cœlo* l. 8.

Sed contra: 1. Philosophus (8. *Phys.*

text. 76, c. 9; *de Cœlo text.* 88 et 89, c. 8; 2. *de Cœlo text.* 35, c. 6) dicit, quod quæ moventur motu recto naturali, ut elementa, velocius moventur in fine quam in principio. — 8. *Phys.* l. 20; 1. *de Cœlo* l. 17 et 18; 2. *de Cœlo* l. 8.

2. Præterea, cum natura magis accedat ad terminum sibi convenientem, debet velocius ferri cum appropinquat ad illum, quam cum recedit ab illo; sed illud est in fine motus, hoc in principio: ergo motus naturalis est in fine velocior. — 1a 2ae, q. 35, a. 6, c. et ad 6.

Respondeo dicendum, quod verissimum est et sensu manifestum, quod gravia et levia, quanto magis descendunt vel ascendunt, velocius moventur in fine quam in principio. Verum hujus accidentis rationem assignare difficile est. *Hipparchus* enim illam assignat ex parte moventis per violentiam, quia quanto magis elongatur motus, tanto minus remanet de virtute moventis, et sic motus fit tardior; unde motus violentus in principio quidem intenditur, in fine autem remittitur, in tantum quod finaliter grave non potest plus sursum ferri, sed incipit moveri deorsum propter parvitatem ejus quod remanserat de virtute motoris violenti, quæ quanto magis minoratur, motus contrarius fit velocior. Sed ista ratio est particularis solum in his quæ moventur naturaliter post motum violentum; non autem locum habet in his quæ moventur naturaliter, eo quod generantur extra propria loca. — *Alii* assignaverunt hujus causam ex parte medii, per quod fit motus, puta aeris, qui minus resistit, quanto plus proceditur in motu naturali, et ideo minus potest impedire motum naturalem. Sed et hæc ratio non minus competeret in motibus violentis quam naturalibus, in quibus tamen contrarium accidit.

Et ideo dicendum est cum Aristotele, quod causa hujus accidentis est, quod quanto corpus grave magis descendit, tanto magis confortatur gravitas ejus propter propinquitatem ad locum proprium; quo enim magis descendit grave, fortius impellitur aliquid juxta terminum sui motus, et per consequens velocius fertur ad proprium locum. Velocitas enim major et minor sequitur majorem et minorem gravitatem; major autem gravitas gravis oritur ex majori descensu; quanto enim grave corpus amplius descendit, eo velocitas corporis major est, et similiter gravitas. Nam corpus grave velox est per suam gravitatem, augetur autem gravitas elementi gravis magis descendentis per plures partes aeris relicti a tergo et descendentis propter descensum lapidis. Cum enim aer prope terram existens ab aquæ et terræ frigiditate sit incrassatus, fit gravis, et naturaliter descendit deorsum, ut dicit Philosophus (*4. de Cœlo text.* 36; c. 5); et per consequens auget gravitatem gravis, et eo magis, quo plus aeris descendit; quod contingit, quando grave magis ab eminenti loco descendit. Unde manifestum est, quod motus naturalis gravium et levium est in fine velocior. — 1. *de Cœlo* l. 17; 4. *de Cœlo* l. 3.

Ad primum ergo dicendum, quod duo sunt modi irregularitatis in motu: *unus* est sumptus ex parte rei, in qua aliquid movetur, ut patet præcipue in motu locali, quia impossibile est quod motus sit regularis vel uniformis, qui non transit per magnitudinem regularem, id est uniformem. Dicitur autem magnitudo regularis vel uniformis, cujus quælibet pars uniformiter sequitur ad aliam partem, et sic quælibet pars potest supponi alteri parti, ut patet in linea circulari et etiam in recta. Magnitudo autem irregularis est, cujus non quælibet pars sequitur ad aliam partem uniformiter, sicut patet in duabus lineis facientibus angulum, quarum una applicatur alteri non in directum, sicut partes unius lineæ sibi invicem in directum applicantur. Et ideo motus circularis est regularis et similiter motus rectus; sed motus reflexi et obliqui, quia faciunt angulum, non sunt regulares nec in magnitudine regulari, vel quicunque alius motus sit per quamcumque magnitudinem, cujus quæcunque pars non conveniat cuicunque parti per uniformitatem applicationis, vel cujus una pars non convenienter possit contingere aliam partem. Si enim

illa pars quæ continet angulum, supponatur illi parti quæ angulum non continet, non erit conveniens contactus. — *Alter* est ex diversitate modi motus. Determinatur enim iste secundus modus irregularitatis ex velocitate et tarditate, quia ille motus dicitur regularis, cujus est eadem velocitas per totum; irregularis autem, cujus una pars est velocior altera, ut contingit in motu recto gravium et levium; hæc enim a principio irregulariter feruntur ad finem, quia in motibus naturalibus prædictorum, ut dicit Philosophus (8. *Phys. text.* 76; c. 9), quanto plus distant a quiescente, tanto velocius feruntur. — 5. *Phys.* l. 7; 8. *Phys.* l. 20.

Ad secundum dicendum, quod natura est determinata ad principium, medium et finem, quia natura abhorret infinitum; non tamen est determinata in gravibus et levibus ad modum motus, quia hæc a principio irregulariter feruntur, ut dictum est (in c.). — l. c. in arg.

Ad tertium dicendum, quod gravia et levia moventur a principio extrinseco per modum finis, non autem per modum agentis, quomodo moventur ea quæ violenter moventur. — *Vel dic*, quod gravia et levia moventur a principio extrinseco, puta a generante, in quantum causat in illis intrinsecum principium motus; non autem moventur a principio extrinseco agente immediate influente in ipsis motum, quomodo moventur quæ violenter moventur quæ proinde velocius moventur in principio quam in fine. — 3. *c. Gent.* c. 88, n. 4 et 5.

ARTICULUS VI

UTRUM LOCUS IGNIS SIT CONCAVUM LUNÆ, AERIS VERO SUPERFICIES CONCAVA IGNIS, ET SIC DE SINGULIS.

Videtur quod locus ignis non sit concavum lunæ, nec aeris superficies concava ignis, nec aquæ superficies concava aeris, nec terræ superficies concava aquæ.

1. Dicit enim Philosophus (4. *Phys. text.* 41; c. 4), quod locus est immobilis; sed superficies concava lunæ est mobilis, sicut et ipse orbis lunæ, cum circulariter moveatur; et similiter totus ignis cum sit mobilis, etiam ejus superficies et terminus erit mobilis: ergo nec superficies concava cœli lunæ erit locus ignis, nec superficies concava ignis erit locus aeris, et sic de reliquis. — 4. *Phys.* l. 6.

2. Præterea, ille est locus aquæ, ad quem naturaliter tendit; sed naturaliter tendit ad terram illamque subingreditur, ut manifeste ostendit perennitas fluviorum: ergo locus aquæ non est superficies concava aeris supra terram. — 2. *Sent.* d. 14, q. 1, a. 5, arg. 4.

3. Præterea, homo dicitur minor mundus, quia in eo est similitudo totius universi; sed in corpore humano cerebrum, quod est frigidum, secundum Philosophum, est positum supra cor, quod est fons totius caliditatis: ergo et in universo aqua debet esse supra ignem, et per consequens locus ejus non erit superficies aeris. — 2. *Sent.* l. c. a. 1, arg. 2.

4. Præterea, omne continuum est divisibile in infinitum; sed aqua aliquo modo divisa per rarefactionem ad aliquod spatium aeris ascendit, ut quando vapores elevantur: ergo tantum potest dividi quod supra aerem ascendit, et sic locus ejus non erit superficies concava aeris, sed vel ignis vel cœli lunæ. — 2. *Sent.* l. c. a. 1, arg. 4.

5. Præterea, dicit Philosophus (1. *de Cœlo text.* 91, c. 8; 2. *de Cœlo text.* 98, c. 14; 4. *Phys. text.* 42, c. 7), quod locus terræ est medium seu centrum; sed medium non habet rationem continentis, sed contenti: ergo locus terræ non est superficies concava aeris. — 1. *de Cœlo* l. 18; 2. *de Cœlo* l. 26; 4. *Phys.* l. 6.

6. Præterea, cum unumquodque corpus feratur ad suum locum, illud erit locus corporis, ad quod illud corpus movetur, ut dicitur 4. *Phys.* (*text.* 48; c. 7); sed terra non movetur ad superficiem aquæ, sed ad centrum: ergo locus terræ non est superficies aquæ. — 4. *Phys.* l. 8; *Opusc.* 52.

7. Præterea, si terra amoveretur a loco suo, aqua descenderet, ut vult Philosophus

(4. *de Cœlo text.* 39; c. 5), et similiter aer in locum aquæ, si amoveretur aqua: ergo locus aquæ non est superficies concava aeris, nec locus aeris superficies concava ignis. — *Opusc.* 52; 4. *de Cœlo* l. 3.

Sed contra est 1. quod Philosophus (1. *de Cœlo text.* 91, c. 8; 4. *Phys. text.* 47, c. 5) dicit, quod locus ignis est superficies cœli lunæ, locus vero aeris superficies concava ignis, et locus aquæ superficies concava aeris, et locus terræ superficies concava aquæ. — 1. *de Cœlo* l. 18; 4. *Phys.* l. 8.

2. Præterea, corpori ejusdem speciei debetur unus locus naturalis secundum numerum; unde 2. *de Cœlo* (*text.* 102; c. 14) dicitur, quod ad eundem locum movetur pars terræ et tota terra; sed omnis aqua est omni aquæ eadem secundum speciem (cf. 4. *Phys. text.* 48; c. 5): cum ergo naturalis locus hujus aquæ sit sub aere et supra terram, quod motus ejus ostendit, videtur quod locus naturalis aquæ similiter sit sub aere et supra terram. — 2. *Sent.* d. 14, q. 1, a. 1, arg. 1 *Sed contra.*

3. Præterea, secundum Philosophum (in 4. *Phys. text.* 43; c. 5) corpus continens se habet ad contentum sicut totum ad partem, et sicut forma ad materiam; quia continens invenitur habere plus de specie quam contentum; unde 2. *de Generat.* dicitur, quod species in terminis est. Sed aqua, ut ejus grossities ostendit, minus habet de specie quam aer, et aer quam ignis, et terra quam aqua. Ergo aqua nullo modo potest esse supra aerem, sed locus ejus erit superficies aeris, et similiter locus aeris erit superficies ignis. — 2. *Sent.* l. c. arg. 2 *Sed contra.*

Respondeo dicendum, quod cum locus sit terminus corporis continentis, ut dicitur in 4. *Phys.* (*text.* 39, c. 4; cf. *text.* 47, c. 5), satis potest esse manifestum, quis sit locus omnium elementorum. Nam elementi ignis naturalis locus est concavum lunæ: tum quia illo circumdatur ipsumque tangit; tum quia ad ipsum naturaliter fertur; tum quia ignis respectu illius habet rationem materiæ, et cœlum lunæ habet rationem formæ. Locus vero aeris est superficies ignis; locus aquæ superficies aeris; et locus terræ superficies aquæ. Licet enim aqua et aer habeant potius rationem contenti quam continentis, quia tamen superficies corporis continentis, ut dicitur 4. *Phys.* (*text.* 41; c. 4), non habet rationem loci secundum quod est superficies talis corporis, sed secundum ordinem situs quem habet in toto universo immobili, seu ad primum continens seu locans, puta cœlum, ex quo tota ratio loci in omnibus continentibus repetitur, seu quatenus magis et minus illi appropinquat (cf. 4. *Phys.* l. 6) — unde fit, ut licet sit idem centrum realiter mundi et terræ, corpora gravia moveantur ad medium seu centrum, non quatenus est centrum terræ, sed mundi, sicut et corpora levia et specialiter ignis movetur ad extremum cœlestis corporis, ut dicit Philosophus (2. *de Cœlo text.* 100, c. 14; cf. 2. *de Cœlo* l. 26); — propterea, quia terra ex natura sua est maxime elongata a corpore cœlesti, propter ejus materialitatem, debetur illi locus remotissimus a primo continente, qui est propinquissimus medio. Hic autem est superficies aquæ, secundum quod propinquat ad medium. Et locus aquæ erit superficies aeris illam continens, secundum ordinem situs, quem habet in toto universo immobili, ut dictum est. Unde manifestum est, quod locus singulorum elementorum est, qui dictus est. — 1. *de Cœlo* l. 18; 2. *de Generat.* l. 8; 4. *Phys.* l. 8.

Ad primum ergo dicendum, quod licet cœlum lunæ moveatur circulariter, manet tamen, quatenus similiter se habet, in eadem scilicet elongatione ad nos, ut dicit Philosophus (4. *Phys. text.* 42; c. 4). Et similiter ignis continens aerem movetur, et similiter aer respectu aquæ, et aqua respectu terræ, prout sunt hæc corpora; prout tamen considerantur secundum ordinem, quem habent ad totum corpus cœli, non moventur; nam aliquod corpus, quod succedit, eundem ordinem vel situm habet per comparationem ad totum cœlum, quem habuit corpus, quod prius affluxerat, ut patet ex Philosopho. (4. *de Cœlo text.* 37; c. 5). — 4. *Phys.* l. 6.

Ad secundum dicendum, quod corpora inferiora præter motus proprios sequuntur quodammodo motum superiorum; et quanto corpus inferius est perfectius, tanto magis consequitur de motu superioris: quod patet ex hoc, quod in corporibus cœlestibus orbis inferior præter motum proprium retinet motum superioris orbis, quo defertur. Ita etiam est in elementis, quod ex motu corporum cœlestium aliquid consequuntur de motu circulari, præter motus proprios naturales: quod evidentissime apparet in refluxu maris, qui sequitur motum lunæ. Non tamen hoc fit per motum violentum, quia dicit Commentator in 4. *de Cœlo*, quod motus, quibus elementa sequuntur impressiones corporum cœlestium, non sunt violenti, cum sit secundum naturalem ordinem corporum, quod inferiora superiorum impressionem sequantur, et tanto plus, quanto perfectius fuerit in natura corpus inferius. Et per hunc modum ex impressione cœli moventis elementa ad mixtionem, aqua subingreditur terram, ut sit apta ad generationem mineralium et animalium et plantarum. — 2. *Sent.* d. 14, q. 1, a. 5, ad 4.

Ad tertium dicendum, quod non oportet esse eundem situm partium in universo, qui est in homine; quia in universo ordinantur corpora super nos secundum quod sunt minus immaterialia; sed in homine secundum quod expedit ad conservationem vitæ et ad convenientem exsecutionem animæ; et propter hoc, illud quod est principium vitæ in homine, scilicet cor, est in medio positum, ut ab omni læsione conservetur et vitam proportionaliter in omnes partes corporis diffundat; sed cœlum, quod propter suam impassibilitatem est conservans non conservatum ab alio, est in extremo positum, quasi continens; cujus tamen motus est ut vita quædam natura existentibus omnibus, ut in 8. *Phys.* (*text.* 1; c. 2) dicitur, ad similitudinem motus cordis in animali, ut dicit Rabbi Moyses. — 2. *Sent.* l. c. a. 1, ad 2.

Ad quartum dicendum, quod corpora naturalia in infinitum dividi non possunt, quia omnium natura constantium, ut in 2. *de Anima* (*text.* 41; c. 4) dicitur, est terminus magnitudinis, nec tantum in augmento, sed etiam in diminutione; et ideo etiam est invenire minimam carnem et minimam aquam, ut in 1. *Phys.* (*text.* 36; c. 4) dicitur. Et ideo in qualibet specie oportet esse terminum quendam rarefactionis, ultra quem species non salvatur. Unde ultima raritas, ad quam potest perveniri, est secundum quod materia stat sub forma ignis, ut dicit Commentator in 4. *Phys.* (*text.* 72). Unde posset aqua tantum rarefieri, quod jam non esset aqua nec vapor, sed aer vel ignis. — 2. *Sent.* l. c. a. 1, ad 4.

Ad quintum dicendum, quod locus terræ dicitur a Philosopho (ll. cc. in arg.) circa medium, quia superficies continens terram dicitur locus ejus, secundum propinquitatem ad medium seu ad centrum, ut dictum est (in c.). — 1. *de Cœlo* l. 18.

Ad sextum dicendum, quod motus locati non est ad ipsam superficiem locantis propter superficiem, sed propter virtutem conservativam et formativam ipsius. Et ideo cum virtus formativa terræ sit frigiditas, quæ causatur ex materia distante (1) ad primum calefaciens, quod est cœlum, et inchoatio hujus virtutis sit in concavo aquæ, perfectio autem ejus in centro; ideo terra movetur ad centrum, et non ad superficiem aquæ; et inde est, quod terra est simpliciter gravis. Virtus autem formativa ignis est caliditas perfecta, quæ est completa in concavo lunæ (2) et deficiens in convexo aeris; et hinc est, quod ignis non solum movetur ad convexum ignis, sed etiam ad concavum orbis lunæ; propter quod ignis est simpliciter levis. Virtus autem formativa aeris incipit in concavo ignis, et est deficiens in convexo aquæ, perfecta autem in medio. Et sic etiam est de aqua suo modo: et ideo motus aquæ est a terra et ab aere ad medium ejus; et motus aeris secundum naturam est ab aqua et igne ad medium locum. Propter quod aer et aqua non sunt simpliciter leves neque graves, sed in respectu. Et sic patet causa, quare terra

(1) Al. « ex tanta distantia ». — (2) Al. « in concavo orbis lunæ ».

moveatur deorsum simpliciter, et non ad concavum aquæ, licet sit locus ejus : quia hoc facit virtus formativa, quæ est in loco. — *Opusc.* 52.

Ad septimum dicendum, quod motus aeris ad locum terræ non est naturalis motus illius vel aquæ, de quo tantum loquimur in præsenti, sed est violentus, quia corruptivus est utriusque ; nam cum aqua movetur ad locum terræ, inspissatur a frigiditate loci inspissatione majori, quam requiratur ad formam aquæ ; unde convertitur in terram. Similiter cum aer descendit ad locum aquæ, infrigidatur et inspissatur a frigiditate illius loci et convertitur in aquam. — *Opusc.* 52 ; 4. *de Cœlo* l. 3.

ARTICULUS VII

UTRUM PROJECTA MOVEANTUR AB AERE AN VERO A VIRTUTE IMPRESSA.

Videtur quod projecta moveantur a virtute impressa et non ab aere.

1. Dicit enim Philosophus (3. *de Cœlo text.* 28 ; c. 2), quod projiciens facit motum violentum gravis, imprimens ipsi potentiam ; sed hæc nihil aliud est quam virtus quædam : ergo projecta moventur a virtute impressa. — 3. *de Cœlo* l. 7.

2. Præterea, quando pila repercutitur a pariete, movetur ab illo et non ab aere ; sed non nisi per virtutem impressam a pariete : ergo idem quod prius. — 8. *Phys.* l. 8.

3. Præterea, omne movens dat moto tria : inclinationem, motum et quietem ; sed inclinatio ad motum sursum in gravi non est aliud quam qualitas quædam : ergo projecta moventur a virtute impressa. — 1a 2æ, q. 23, a. 4, c.

4. Præterea, Philosophus (8. *Phys. text.* 82 ; c. 10) refellit Platonem asserentem projectum moveri ab aere per hoc, quod projiciens simul movet lapidem et aerem, tum aer motus propellit lapidem ; ergo movebitur projectum a projiciente media virtute. — 8. *Phys.* l. 22.

5. Præterea, si projectum movetur ab aere, movetur, postquam non tangitur a projiciente, *vel* propter antiperistasim, id est repercussionem seu contraresistentiam, quia aer motus repercutitur ad alium aerem, et ille ad alium, et sic deinceps, et per talem repercussionem aeris ad aerem movetur lapis ; *vel* per hoc, quod aer, qui continuus existens a projiciente impellitur, velocius impellit corpus projectum, quam sit motus, quo corpus projectum fertur naturaliter in proprium locum, ut dicit Philosophus (4. *Phys. text.* 68 ; c. 8) ; sed neutrum dici potest. Non primum, quia sequeretur ex tali antiperistasi, quod omnia simul moverentur seu quod totus aer simul moveret et moveretur, et per consequens, quod simul quiescerent omnia ; quod patet esse falsum. Neque secundum, quia, ut dicit Philosophus (8. *Phys. text.* 82, c. 10), similiter videretur possibile, quod moveretur aer non, tangente neque movente primo motore, puta projiciente. Unde videtur necessarium, quod simul dum primum movens movet, omnia moveantur, et illo quiescente omnia quiescant ; quæ sunt falsa. — 4. *Phys.* l. 11 ; 8. *Phys.* l. 22.

Sed contra est : 1. quod Philosophus (3. *de Cœlo text.* 28, c. 2 ; et 8. *Phys. text.* 82, c. 10) dicit, quod projecta moventur a projiciente imprimente tam ipsi projecto, quam aeri quo utitur tamquam instrumento ad velocius promovendum ipsum projectum ; per motum autem localem nulla qualitas immediate et per se producitur, ut dictum est, sed solus motus. — 3. *de Cœlo* l. 7 ; 2. *de Cœlo* l. 8.

2. Præterea, (8. *Phys. text.* 82, c. 10) dicit Philosophus, quod projectum movetur ab aere, quatenus projici dat aeri, quod possit movere projectum. — 8. *Phys.* l. 22.

Respondeo dicendum, quod projecta moventur a projiciente imprimente tum ipsi projecto tum aeri, quo utitur tamquam instrumento necessario ad talem motum, aliquid, quod *non* est *qualitas* (per quam movetur projectum, quo modo generans imprimit genito formam, ad quam consequitur motus naturalis), tum quia sic motus violentus esset naturalis, nam esset a principio intrinseco : quod est contra rationem motus violenti ; tum quia sequeretur, quod

lapis ex hoc ipso, quod movetur localiter per violentiam, alteraretur, quod est contra sensum; — sed est *solus motus:* quod fit, dum projiciens tangit lapidem. Verum est tamen, quod quia aer est susceptibilior talis impressionis, puta motus, tum quia est subtilior, tum quia est quodammodo levis, velocius movetur per impressionem et motum violenti motoris quam lapis. Et sic cessante violento motore aer ab eo motus ulterius propellit lapidem, et etiam aerem conjunctum, qui etiam movet lapidem ulterius. Et (hoc) fit, quousque durat impressio primi motoris violenti, ut dicit Philosophus (8. *Phys. text.* 82; c. 10). Et inde est, quod quamvis motor violentus non sequatur ipsum mobile, quod per violentiam fertur, puta lapidem, ut præsentialiter ipsum moveat, tamen movet per impressionem aeris. Si enim non esset tale corpus, quale est aer, non esset motus violentus. Nec tamen motus projecti semper durat, quia cum secundum movens, puta aer, primo motus a projiciente, minus habeat de potentia movendi quam primum, et tertium quam secundum, oportet quod cesset motus projectionis: ex hoc scilicet, quod minor est virtus movendi in consequenti, quam in eo in quo fuit primo. Et tunc tandem, propter minorationem virtutis movendi, venietur ad hoc, quod id quod est primum et prius respectu sui consequentis, non faciet ipsum consequens habere potentiam movendi, sed faciet ipsum tantummodo moveri. Et tunc necesse est quod simul dum ultimum illud movens pausat movendo, et motum ab ipso pauset a moveri; et per consequens pausabit totus motus, quia ultimum motum non potest movere aliquid aliud. — 3. *de Cœlo* l. 7; 2. *de Cœlo* l. 8; 8. *Phys.* l. 22.

Ad primum ergo dicendum, quod projiciens imprimit aeri, quo tamquam instrumento utitur ab promovendum grave, et ipsi gravi, motum; non autem ullam qualitatem, ut dictum est. — 3. *de Cœlo* l. 7; 2. *de Cœlo* l. 8.

Ad secundum dicendum, quod pila repercussa movetur a pariete per accidens, et per se a projiciente. Nam paries non dat illi ullum impetum ad motum, imprimendo illi motum, sed hoc facit projiciens. Per accidens enim fuit, quod dum a pariete impediretur, ne secundum motum sibi impressum atque adeo secundum impetum ferretur, eodem impetu et motu manente in contrarium motum resilivit. — 8. *Phys.* l. 8.

Ad tertium dicendum, quod licet in motu naturali tria illa considerentur vel etiam quatuor, puta proprietas, per quam proportionatur mobile ad talem locum; secundo motus ad finem; tertio forma vel locus; quarto quies in forma vel in loco; — eadem tamen tria vel quatuor etiam considerari possunt in repulsione, atque adeo in motu violento; projiciens enim imprimit motum gravi; grave autem motum tendit sursum et ibi sistit, quamdiu æqualis est virtus moventis sursum et gravitatis mobilis deorsum moventis. — *Opusc.* 3, c. 107; 1a 2ae, q. 23, a. 4, c., q. 26, a. 2, c.; *Quæst. disp. de Spe* a. 3, c.

Ad quartum dicendum, quod Plato tantum dicebat, quod projiciens movebat aerem et lapidem, tum aer motus propellebat lapidem; contra quod dictum optime valent rationes Philosophi supra allatæ; at Philosophus dicit, quod projiciens dat aeri non solum quod moveatur sicut et lapis, quem projicit, sed etiam eidem dat, ut possit movere et propellere lapidem, quamvis quia secundum movens minus habet de potentia movendi quam primum movens, puta projiciens, ideo motus projecti cesset. — 8. *Phys.* l. 22.

Ad quintum dicendum, quod lapis movetur ab aere neque per antiperistasim neque per motum aeris, ut volebat Plato, sed per hoc quod projiciens imprimit aeri non solum ut moveatur, sed etiam ut moveat projectum, ut dictum est (in c. et ad 4). — *Ibid.*

ARTICULUS VIII

UTRUM PROJECTA MOVEANTUR VELOCIUS IN PRINCIPIO QUAM IN MEDIO VEL IN FINE.

Videtur quod projecta non moveantur velocius in principio quam in medio vel fine.

1. Dicit enim Philosophus (2. *de Cœlo text.* 35; c. 6), quod projecta velocius moventur circa medium; ergo non moventur velocius in principio. — 2. *de Cœlo* l. 8.

2. Præterea, tunc est major velocitas in projecto, quando facit majorem impulsum; sed projectum facit majorem impulsum in eo quod mediocriter distat, quam in eo quod est omnino propinquum, vel in eo quod est multum remotum, ut patet experientia: ergo projectum non movetur velocius in principio. — *Ibid.*

3. Præterea, velocitas major in motu projectorum oritur ex majore vi et impulsu medii deferentis, quod facilius recipit impressionem moventis, quam ipsum corpus grave, quod projicitur; sed major est vis et impulsus medii in medio quam in principio; nam in medio plus est de aere commotum quam in principio vel in fine; nam in principio parum de aere commovetur, et in fine incipit debilitari impressio projicientis: ergo projecta non moventur velocius in principio quam in medio vel in fine. — *Ibid.*

Sed contra est: 1. quod Philosophus (11. *Problem.* 6; et 1. *de Cœlo text.* 89; c. 8) dicit, quod omnia quæ per violentiam moventur, tanto tardius feruntur, quanto magis elongantur a motore, qui vim intulit, sicut patet in iis quæ projiciuntur; sed in medio hujusmodi projecta magis elongantur a motore quam in principio: ergo projecta velocius moventur in principio. — 1. *de Cœlo* l. 18.

2. Præterea, Philosophus (2. *de Cœlo text.* 35; c. 6) dicit, quod in his quæ contra naturam moventur, invenitur maxima velocitas versus terminum a quo; sed projecta moventur contra naturam: ergo in illis major velocitas motus est in principio. — 2. *de Cœlo* l. 8.

Respondeo dicendum, quod in motu gravium violento, qui fit ab extrinseco, duo consideranda sunt: *primo* quidem activum principium talis motus; et ex parte hujus, talis motus est velocior in principio quam in medio et fine. Et ratio est, quia actio contrarii facit ad velocitatem et intensionem motus, ita ut eo velocior et intensior sit motus, quo major est contrarietas. Sic enim aqua calida fortius et citius congelatur, ut dicit Philosophus (1. *Meteorol.* sum. 3, c. 2; al. c. 12), et motus sensitivæ partis, qui est ab exteriori, puta a re ad animam, magis sentitur, quod est magis contrarium. Et ratio est, quia unumquodque suo modo nititur ad resistendum contrario et ad sui conservationem; nam unumquodque et seipsum nititur imprimere et oppositæ contrarietati obsistere. Et ideo major est velocitas motus in principio quam in medio vel fine. Quod ex hoc etiam evidentius apparet, quod quia omne agens agendo repatitur, et in medio agens aliquid repatitur, necesse est quod non tam cito et fortiter agat, sicut potest in principio, antequam repatiatur a passo. *Secundo*, potest considerari principium passivum seu patiens; et ex parte hujus, motus violentus projectorum est minor in principio quam in fine. Et ratio est, quia magis contrariatur in principio. — 1a 2æ, q. 35, a. 6, ad 2, et *Cajetanus* in h. l.; 1. *c. Gent.* c. 42, n. 4; 1. *de Cœlo* l. 17 et 18; 2. *de Cœlo* l. 8.

Ad primum ergo dicendum, quod motus projectorum tripliciter potest comparari: *primo* quidem ad projiciens, quod vim intulit, et est principium activum talis motus; et ratione hujus, motus projectorum est velocior in principio quam in medio vel fine, ob rationes allatas. *Secundo*, ad principium passivum motus seu ad patiens; et ratione hujus, talis motus est velocior in medio quam in principio, ob rationem dictam. *Tertio*, ad medium deferens projectum; et ratione hujus, motus violentus projectorum est itidem minus velox in principio quam in medio tum loci tum temporis, ut dictum est (in c.). — Et sic patet *ad secundum* et *tertium*.

Et hæc dicta sint in libros *de Cœlo*, ad majorem gloriam præpotentis Dei, ad honorem Beatæ Virginis Mariæ, et ad laudem Angelici Doctoris S. Thomæ Aquinatis, omnium theologorum principis.

IN LIBROS

DE GENERATIONE ET CORRUPTIONE

Sicut tradit Philosophus (3. *de Anima text.* 38; c. 8), scientiæ secantur quemadmodum et res; nam et omnes habitus distinguuntur per objecta, ex quibus speciem habent. Res autem, quas considerat naturalis, sunt motus et mobile. Dicit inim Philosophus (2. *Phys. text.* 71; c. 7), quod quæcunque mota movent, sunt physicæ speculationis; et ideo oportet quod secundum differentiam motuum et mobilium distinguantur et ordinentur partes scientiæ naturalis. Primus autem motuum est ipse *motus localis*, qui est perfectior et communior omnibus motibus naturalibus, ut probatur in 8. *Phys.* (*text.* 54 sqq.; c. 7). Et ideo post considerationem motuum et mobilium in communi, quam tradidimus in *prima parte* scientiæ naturalis, primo oportuit quod tractaretur de corporibus secundum quod moventur motu locali; quod actum est in *secunda parte*.

Restat igitur, ut in *tertia parte* consideremus alios motus consequentes, qui non sunt communes omnibus motibus corporalibus, sed inveniuntur in solis inferioribus. Inter quos principatum obtinet *generatio* et *corruptio*. *Alteratio* enim ordinatur ad generationem sicut ad finem, qui est perfectior naturaliter his quæ sunt ad finem. *Augmentum* etiam consequenter se habet ad generationem. Nam augmentum non fit sine quadam particulari generatione, qua scilicet nutrimentum convertitur in nutritum; sicut etiam dicit Philosophus (2. *de Anima*), quod cibus nutrit in quantum est potentia caro, et auget in quantum est potentia quanta caro. Et ideo necessarium est, ut quia hi motus consequenter se habent ad generationem, simul cum illis de generatione et corruptione tractetur.

Est autem considerandum, quod de unoquoque, quod in pluribus invenitur, prius est considerandum id quod est commune, quam ad species descendatur; nam alioqui idem oportebit dicere multoties; nam in singulis id quod est commune repeteretur, ut probat Philosophus (1. *de Partibus Animal.* c. 1). Et ideo oportet prius de generatione et corruptione in communi determinare quam ad partes ejus descendere. Similiter etiam considerare oportet, quod si in aliquo genere aliquod primum invenitur, quod sit causa aliorum, ejusdem considerationis est commune genus, et id quod est commune in illo genere; quia illud primum est causa totius generis. Quia ergo in genere generabilium et corruptibilium sunt quædam prima principia, puta *elementa*, quæ sunt causa generationis, corruptionis et alterationis in omnibus aliis corporibus: propterea in hac tertia parte Philosophiæ naturalis *primo* determinabimus de generatione et corruptione in communi, et de aliis motibus consequenter; *deinde* de generatione et corruptione elementorum. Prior vero consideratio erit in quinque partes distributa. Nam *primo* agemus de generatione et corruptione in communi, *secundo* de alteratione, *tertio* de rarefactione, *quarto* de augmentatione, *quinto* de quibusdam requisitis ad prædicta.

IN LIBRUM PRIMUM

DE GENERATIONE ET CORRUPTIONE

QUÆSTIO XXXV

DE GENERATIONE ET CORRUPTIONE IN COMMUNI.

CIRCA PRIMUM QUÆRUNTUR TREDECIM:

1. Utrum recte a Philosopho definiatur generatio.
2. Utrum terminus generationis sit forma vel compositum.
3. Utrum de ratione generationis sit, ut terminus formalis illius accipiat esse per illam.
4. Utrum omnis generatio sit ab univoco.
5. Utrum idem accidens numero maneat in genito et in corrupto.
6. Utrum materia prima sit subjectum immediatum inhæsionis omnium accidentium.
7. Utrum in generatione substantiali fiat resolutio præcedentis compositi usque ad materiam primam.
8. Utrum generatio sit mutatio successiva an vero instantanea.
9. Utrum generatio unius sit corruptio alterius.
10. Utrum generatio et corruptio sint mutationes naturales.
11. Utrum expulsio formæ præcedentis et introductio sequentis sint idem.
12. Utrum expulsio formæ substantialis præcedentis naturaliter præcedat introductionem formæ sequentis.
13. Utrum expulsio formæ præcedentis et introductio sequentis fiant in instanti.

ARTICULUS I

UTRUM GENERATIO RECTE A PHILOSOPHO DEFINIATUR.

Videtur quod generatio non recte definiatur a Philosopho, sit quodmutatio totius nullo sensibili manente ut subjecto eodem:

1. quia in divinis datur generatio proprie dicta; sed illa non est mutatio, quia in Deo nulla est mutatio, cum sit primus motor omnino immobilis, ut probat Philosophus (8. *Phys. text.* 35; c. 5): ergo generatio male definitur quod sit mutatio. — 1a, q. 27 a. 2; 1. *Sent.* d. 4, q. 1, a. 1, arg. 1; d. 8, q. 3, a. 1, arg. 2 *Sed contra.*

2. Præterea, in generatione sequente corruptionem hominis neque materia neque forma mutatur, quia illa est ingenerabilis et incorruptibilis, ut dicit Philosophus (1. *Phys. text.* 82; c. 9), et similiter hæc, ut dictum est; ergo cum totum sumat suam realitatem a partibus, male definitur generatio, quod sit mutatio totius. — 1. *Phys.* l. 15; 1a, q. 75, a. 6.

3. Præterea, dicit Philosophus (1. *de Generat. text.* 24, c. 4; 2. *de Generat. text.* 25, c. 4), quod in generatione aquæ ex aere remanet in materia aeris passio sensibilis communis aeri et aquæ, puta humiditas et diaphaneitas: ergo male definitur generatio, quod sit mutatio, nullo sensibili manente eodem; nam frigus est qualitas sensibilis. — 1. *de Generat.* l. 10; 2. *de Generat.* l. 4.

4. Præterea, ideo idem homo numero in resurrectione reparabitur, quia manet eadem forma numero hominis, cum sit incorruptibilis, et manet etiam eadem numero materia, quæ tali formæ fuit subjecta et sub dimensionibus iisdem, ex quibus habebat, ut esset individualis materia, et ita ex conjunctione ejusdem animæ numero ad eandem materiam numero, idem homounmero reparabitur. Sed materia subjecta dimensionibus est quid sensibile;nam quantitas ponitur inter sensibilia communia a Philosopho (2. *de Anima text.* 64; c. 6). Ergo in generatione sequente corruptionem hominis et præcedente ejus resurrectionem remanet idem subjectum sensibile. — 4. *c.Gent.* c. 81.

Sed contra est auctoritas Philosophi definientis generationem, quod sit mutatio alicujus totius nullo subjecto sensibili manente eodem. — 1. *de Generat.* l. 10.

Respondeo dicendum, quod recte fuit a Philosopho tradita definitio generationis. Explicat enim ejus genus et differentiam, ex quibus constat omnis bona definitio (7. *Metaph.* l. 3). Dicitur enim *primo*, *mutatio*, tamquam genus generationis, quia vere generatio est species mutationis in communi, ut docet Philosophus (5. *Phys. text.* 7, c. 1; 11. *Metaphys.* sum. 4, c. 3; al. l. 10, c. 12. Et propterea in mutatione convenit generatio cum aliis speciebus, puta cum alteratione, augmentatione et motu locali; nam in generatione fit mutatio in ipsa substantia, sicut in alteratione fit in qualitate, et in augmentatione fit in quantitate, et in motu locali fit in loco. Dicitur *secundo*, *totius*, tamquam differentia distinguens generationem a reliquis speciebus mutationis; quia per generationem compositum non solum mutatur secundum passiones, sicut fit in reliquis mutationibus, sed etiam secundum totam substantiam, quatenus nimirum materia illius accipit aliam formam substantialem, per quam constituitur aliud compositum, tamquam novum subjectum sensibile omnium accidentium, ut quando ex aere generatur aqua et ex toto semine totus sanguis. — 7. *Metaphys.* l. 3; 5. *Phys.* l. 2; 11. *Metaphys.* l. 12.

Ad primum ergo dicendum, quod nomine generationis dupliciter utimur: *uno modo*, communiter ad omnia generabilia et corruptibilia, et sic generatio nihil aliud est quam mutatio de non esse ad esse; *alio modo*, proprie in viventibus, et sic generatio significat originem alicujus viventis a principio vivente conjuncto, et hæc proprie dicitur nativitas. In viventibus autem, quæ de potentia in actum vitæ procedunt, sicut sunt homines et animalia, generatio utramque generationem includit. In divinis autem, ubi processio excludit omnino primam rationem generationis, invenitur ratio generationis propria viventium. Processio enim divini Verbi habet proprie rationem generationis. Nam procedit per modum intelligibilis operationis, quæ est operatio vitæ, id est a principio conjuncto, et secundum rationem similitudinis, quia conceptio intellectus est similitudo rei intellectæ, et in eadem natura existens, quia in Deo idem est intelligere et esse. — 1a, q. 27, a. 2, c. et ad 1.

Ad secundum dicendum, quod compositum substantiale dicitur corrumpi, quatenus forma ejus a materia separatur, non autem quatenus ejus materia vel forma desinunt esse. Et ratio est, quia esse secundum se competit formæ; unumquodque enim est ens actu, secundum quod habet formam. Materia vero est ens in actu per formam. Quare compositum ex materia et forma desinit esse actu per hoc quod forma separatur a materia. Quæ forma si subsistat in suo esse, non amittit esse per talem separationem, ut contingit in anima rationali; secus vero, si non subsistit, ut contingit in reliquis animalibus excepta anima rationali. — 1a, q. 50, a. 5, c.; q. 75, a. 6, 2 et 3.

Ad tertium dicendum, quod in generatione aquæ ex aere remanet eadem humiditas specie, non autem numero; nam humiditas aeris corrumpitur per accidens ad corruptionem subjecti recedente forma, quæ prius erat talis accidentis; et advenit simile accidens consequens formam de novo advenientem. — 1. *de Generat.* l. 10; 2. *de Generat.* l. 4.

Ad quartum dicendum, quod ad hoc ut resurgat idem numero individuum, sufficit quod redeant eædem numero dimensiones et eadem principia essentialia, non autem quod præexistant eædem numero semper in materia. Sufficit enim quod præexistant et maneant eadem specie; impossibile enim est ponere in materia aliquam quantitatem, a qua materia nunquam spolietur, ut dictum est. — V. *Ferrar.* in *4. c. Gent.* c. 81; *Tabula Aurea* voce « resurrectio » n. 11 sqq.; *Tabula Concord.* n. 1091; *Quodl.* 11, a. 6.

ARTICULUS II

UTRUM TERMINUS GENERATIONIS SIT FORMA AN COMPOSITUM.

Videtur quod terminus generationis sit forma.

1. Generatio enim, ut dictum est (in art. præced.) ex Philosopho, est mutatio

sed omnis mutationis terminus ad quem est forma, ut dictum est: ergo terminus generationis est forma. — Cfr. in Physica q. 2, a. 2 et 3.

2. Præterea, terminus generationis et mutationis cujuslibet est illud, secundum quod aliquid dicitur mutari; sed hoc est forma (sive accidentalis, si mutatio sit accidentalis; sive substantialis, si mutatio sit substantialis): ergo terminus generationis est forma. — Cfr. *de Verit.* q. 1, a. 6, c.

3. Præterea, nativitas est quædam generatio; sed nativitas attribuitur naturæ, et per consequens formæ tamquam termino, sicut attribuitur supposito tamquam subjecto: ergo terminus generationis est natura vel forma, non autem compositum. — 3a, q. 35, a. 1 et 2.

4. Præterea, generatio substantialis terminatur ad esse substantiale, ut dicit Philosophus (1. *de Generat. text.* 18; c. 3); est enim per se via ad illud; sed esse substantiale secundum se competit formæ; hæc enim facit esse, sicut privatio facit non esse, ut dictum est (art. præced. ad 2): ergo terminus generationis substantialis est forma substantialis, non autem compositum substantiale. — 1. *c. Gent.* c. 26, n. 5; 1. *de Generat.* l. 8.

5. Præterea, forma est finis generationis; sed finis generationis est ejus terminus: ergo terminus generationis est forma. — 1a, q. 15, a. 1, c.; *Opusc.* 42, c. 6 sqq.

Sed contra: 1. Philosophus (8. *Metaphys. text.* 3, al. l. 7, c. 1; et 12. *Metaphys. text.* 12, al. l. 11, c. 3) dicit, quod generatio est solius substantiæ completæ, quæ est compositum. — 8. *Metaphys.* l. 1; 12. *Metaphys.* l. 3 (2).

2. Præterea, illud per se est terminus generationis, quod per se generatur; sed hoc tantum est compositum; nam generatio est via ad esse, forma autem proprie non habet esse, sed est id quo compositum habet esse: ergo terminus generationis est compositum. — 7. *Metaphys.* l. 7; 1a, q. 43, a. 4, c.

Respondeo dicendum, quod terminus generationis in creaturis potest accipi dupliciter, sicut et principium. Dicitur enim primo, principium generationis ipsum generans; et huic principio correspondet sicut terminus ipsum genitum. Dicitur etiam principium generationis a quo incipit generatio; et hoc modo principium vel initium generationis est privatio formæ inducendæ; et huic principio terminus oppositus est forma per generationem inducta; sicut in dealbatione terminus a quo est nigredo, et terminus ad quem est albedo. Quoniam vero totum compositum, quod proprie generatur, dicitur terminus correspondens principio generanti, quod est subjectum generans; ideo generatio tribuitur etiam composito tamquam subjecto quod generationis; formæ vero tamquam ei, secundum quod aliquid mutatur et generatur, atque adeo tamquam termino formali per se a natura intento.

Et ex his patet *ad objecta*; nam priora tantum probant formam esse terminum generationis, secundum quod correspondet principio a quo est generatio; posteriora vero probant compositum esse terminum generationis, secundum quod correspondet omnino generanti. — 1. *Sent.* dist. 5, q. 3, a. 1, c.

ARTICULUS III

UTRUM DE RATIONE GENERATIONIS SIT, UT TERMINUS FORMALIS ILLIUS SEU FORMA ACCIPIAT ESSE PER ILLAM.

Videtur quod de ratione generationis sit, ut terminus formalis seu forma accipiat esse per illam.

1. Quandocumque enim essentia est divisa in generante et genito, forma, quæ est terminus generationis, per illam generatur saltem per accidens, et per consequens accipit esse de novo; sed in creaturis essentia est divisa in generante et genito: ergo per generationem forma substantialis accipit esse de novo. — 1. *Sent.* dist. 5, q. 3, a. 1, ad 2.

2. Præterea, generatio est ad formam, ut dicit Philosophus (2. *Phys. text.* 14 sq.; c. 1; 5. *Metaphys. text.* 5; l. 4, c. 4); sed generatio tendit ad id quod nascitur: ergo forma per generationem debet nasci, ac

proinde acquirere novum esse. — 2. *Phys.* l. 2; 5. *Metaphys.* l. 5 (4).

3. Præterea, dicit Philosophus (1. *Phys. text.* 64; c. 7), quod in omni mutatione est aliquid quod fit, puta forma, et aliquid quod *hoc* fit, puta subjectum, et oppositum; sed fieri ordinatur ad esse tamquam via ad acquisitionem illius: ergo per generationem forma acquirit esse. — 1. *Phys.* l. 12 (11); 1a, q. 45, a. 4, c.; 2. *de Anima* l. 9.

Sed contra est, quod in nutritione hominis alimentum per generationem convertitur in substantiam hominis, ac proinde terminus formalis talis generationis et nutritionis est forma substantialis, quæ est anima rationalis. Sed anima rationalis per talem generationem et nutritionem non accipit esse de novo, quia præexistit illi; quod autem præexistit generationi, non accipit esse per illam. Quod enim est, non generatur; nam semel tantum res procedit in esse; quod vero generatur, nondum est. Ergo per generationem forma substantialis, per quam aliquid fit, non semper acquirit esse, et per consequens de ratione generationis non est, ut terminus formalis illius per illam acquirat esse. — 2. *de Anima* l. 9; 1a, q. 45, a. 4, c.; 4. *Sent.* dist. 17, q. 2, a. 1, sol. 3, ad 2; 2. *Phys.* l. 4.

Respondeo dicendum, quod dupliciter sumi potest generatio: *uno modo*, prout est quid commune generationi naturali et divinæ; et sic de ratione generationis non est, ut ejus terminus formalis accipiat esse de novo, seu quod per accidens generetur. Et ratio hujus est, quia in divinis eadem numero essentia est in generante et genito (1. *Sent.* dist. 5, q. 3, a. 1, ad 2).

Alio modo sumi potest, ut tantum generationes creatas involvit. Et tunc dupliciter item considerari potest generatio: *vel* in ordine ad generans producens formam in materia, et similiter in ordine ad ipsam formam; et hoc modo de ratione generationis est, ut forma generetur per accidens, si illa sit forma non subsistens: quia cum ex vi generationis educatur ex potentia materiæ, necesse est quod per generationem, quæ est una ad ipsam, ipsa per accidens generetur, atque adeo quod essentia per generationem dividatur et multipliciter consequenter accipiat de novo esse. Præterea, quia cum illi non conveniat esse per se, quod per generationem acquiritur et per corruptionem amittitur, sed tantum per accidens; etiam per accidens tantum dicitur corrumpi ad corruptionem compositi. Si vero sit forma subsistens, non potest corrumpi per accidens, sed tantum per se. Sic enim competit alicui generari et corrumpi, sicut et esse. Forma vero subsistens per se habet esse; unde et per se deberet corrumpi, si corrumpi posset, quod est impossibile, sive talis forma subsistens sit substantia completa, ut est Angelus, sive incompleta, ut est anima rationalis, præterquam quod cum forma subsistens, ut est anima prædicta, a Deo creetur, non autem educatur de potentia materiæ, non potest desinere esse per corruptionem, sed per annihilationem.

Vel potest considerari generatio per ordinem ad compositum, quod proprie dicitur generari et corrumpi; et sic, quia compositum dicitur corrumpi, quia forma separatur a materia, et dicitur generari, quia forma fit actus materiæ, quod est, quatenus illi unitur; — ideo si per impossibile forma vel anima a Deo crearetur ante generationem compositi, et deinde in instanti generationis uniretur materiæ, adhuc diceretur tale compositum generari, quia vere ex tali unione resultaret compositum, ut patet in generatione hominis; quamquam de facto quia terminus motus nunquam præcedit motum, præcipue in generatione, ideo non producitur vel creatur anima a Deo extra corpus, sed in corpore.

Et sic manifestum est, quomodo de ratione generationis sit, ut ejus terminus formalis seu forma substantialis accipiat esse per illam, quomodo non. — 1a, q. 75, a. 6; q. 90, a. 2; 2. *Sent.* dist. 17, q. 2, a. 2.

Et ex his patet *ad* prima tria *objecta*. Nam tantum probant de ratione generationis esse, ut terminus generationis seu forma substantialis accipiat esse per illam, considerando generationem creatam, tum de facto, tum per ordinem ad generans et ad ipsam

formam, si non sit subsistens. — Argumentum vero in contrarium tantum probat de generatione particulari in nutritione inclusa et de forma subsistente, quam non est necesse ratione sui accipere esse vi generationis ad illam terminatæ, ut dictum est (in c.).

ARTICULUS IV

UTRUM OMNIS GENERATIO SIT AB UNIVOCO.

Videtur quod non omnis generatio sit ab univoco.

1. Sol enim producit calorem in inferioribus, ut dictum est (supra q. 32, a. 2); at sol non est formaliter calidus: ergo non omne quod generatur, generatur ab univoco. — 7. *Metaphys.* l. 8; 12. *Metaphys.* l. 3. (2).

2. Præterea, motus causat calorem, ut dicit Philosophus (7. *Metaphys. text.* 30; l. 6, c. 9); sed motus non est formaliter calidus: ergo generatio non semper est ab univoco. — *Ibid.*

3. Præterea, mulus non generatur a mulo, sed ab equo vel asino, ut dicit Philosophus (7. *Metaphys. text.* 31; l. 6, c. 9); et similiter animalia quæ generantur ex putri, et partus monstruosi non habent generans univocum, ut dicitur ibidem: ergo non omne quod generatur, generatur ab univoco. — *Ibid.*

4. Præterea, homo non potest esse causa totius speciei humanæ, aliter esset causa sui ipsius; ergo oportet quod ibi sit aliqua alia causa magis universalis in generatione hominis, quam sit homo; sed hæc non potest esse univoca, quia talis causa est Deus, ut dictum est (supra q. 11, a. 4), cui nihil potest esse commune univocum, ut etiam dictum est (in Logica, q. 9, a. 5): ergo non omnis generatio est ab univoco. — 1a, q. 13, a. 5, ad 1.

Sed contra est, quod Philosophus (7. *Metaphys. text.* 30; l. 6, c. 9; et 12. *Metaphys. text.* 13; l. 11, c. 3) dicit, quod ex univoco fit quælibet substantia.

Respondeo dicendum, quod omne quod generatur, generatur a simili aliquo modo. Nam omne quod generatur, vel generatur per se vel per accidens. Quod generatur ab aliquo per accidens, non generatur secundum quod hujusmodi; unde non oportet in generante esse similitudinem generati, sicut inventio thesauri non habet similitudinem aliquam in eo, qui fodiens ad plantandum invenit thesaurum per accidens. Sed generans per se generat tale secundum quod hujusmodi; unde oportet quod in generante per se sit aliqualiter similitudo generati. Sed hoc contingit tripliciter: *uno modo*, quando forma generati præcedit in generante secundum eundem modum essendi et secundum eandem rationem specificam formæ, sicut cum ignis generat ignem, et homo hominem; et hæc est generatio totaliter univoca. *Alio modo*, quando forma generati præcedit in generante non quidem secundum eundem modum essendi, neque cum substantia ejusdem rationis, sicut forma domus præcedit in artifice non secundum esse materiale, sed secundum esse immateriale, quod habet in mente artificis, non in lapidibus et lignis; et hæc generatio est partim ex univoco, quantum ad formam, partim ex æquivoco, quantum ad esse formæ in subjecto. *Tertio modo*, quando ipsa tota forma generati non præcedit in generante, sed aliqua pars ejus aut aliqua pars partis, sicut in medicina calida præcedit calor, qui est pars sanitatis, aut aliquid ducens ad partem sanitatis, et hæc generatio nullo modo est univoca. — 7. *Metaphys.* l. 8.

Ad primum ergo dicendum, quod cum calidum in inferioribus generetur a sole non calido, talis generatio fit aliquo modo ab univoco; quia licet non sit in ea similitudo secundum speciem, est tamen aliqua similitudo, quamvis imperfecta, quia materia inferiorum non potest pertingere ad perfectam similitudinem superioris agentis. — 12. *Metaphys.* l. 3 (2).

Ad secundum dicendum, quod in generatione caloris ex motu intervenit similitudo generantis et generati tertio modo supra allato. Nam in ipso motu est quodammodo calor sicut in virtute activa. Nam ipsa virtus causandi calorem, quæ est in motu, est

THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
ST. MICHAEL'S COLLEGE
LIBRARY

aliquid de genere caloris, et iste calor in motu existens virtute facit calorem in corpore, non quidem generatione univoca, sed æquivoca, quia calor in motu et in corpore calido non est unius rationis. — 7. *Metaphys.* l. 8.

Ad tertium dicendum, quod sicut dicit Philosophus (7. *Metaphys. text.* 28; l. 6, c. 8), generatio muli ex equo vel asino non est per se, sed per accidens; licet etiam ipsa aliquo modo dicatur fieri ex univoco, et generans dicatur simile generato. Est enim aliquod genus proximum innominatum commune equo et asino, sub quo genere continetur et mulus; et secundum illud genus potest dici, quod simile generat simile; ut si dicamus, quod illud genus sit *jumentum*, poterimus dicere, quod licet equus non generet equum, sed mulum, jumentum tamen generat jumentum. Et sic quidquid generatur, aliquo modo generatur a simili et ab univoco, sumendo univocum late pro simili. — Porro in monstruosis partibus, quod genitum non sit simile generanti, id est, quia deficit virtus naturalis in semine; necesse autem est ut genitum ex semine sit aliqualiter univocum generanti, modo non fuerit prædictæ virtutis defectus in semine, ut dicit Philosophus (7. *Metaphys. text.* 31; l. 6, c. 9.) — Generatio vero animalium quæ producuntur ex putri, dicitur esse quodammodo a casu, quodammodo non. Est enim a casu, si referatur ad causas particulares hic inferius agentes. Nam calor, qui causat putredinem, non intendit naturali appetitu generationem hujus vel illius animalis, quæ ex putrefactione sequitur, sicut virtus, quæ est in semine, intendit productionem talis speciei. Sed si referatur ad virtutem cœlestem, quæ est universalis regitiva virtus generationum et corruptionum in istis inferioribus, non est per accidens, sed per se intenta, quia de ejus intentione est, ut educantur in actu omnes formæ, quæ sunt in potentia materiæ. Et ita in generatione horum animalium quod generatur, dicitur a simili generari. Sicut enim in generatione animalis ex semine, simile dicitur a simili generari, quia virtus activa, quæ est in semine, etsi non sit anima in actu, est tamen anima in virtute, sicut forma domus in anima non est domus actu, sed virtute; ita in his quæ generantur ex putri, etiam est in materia aliquod principium simile virtuti activæ, quæ est in semine, ex quo causatur anima in animalibus, quæ generantur ex semine; et sicut virtus quæ est in semine, est ab anima completa animalis et a virtute cœlestis corporis, ita virtus quæ est in materia putrefacta generativa animalis, est a solo corpore cœlesti, in quo sunt virtute omnes formæ generatæ, sicut in principio activo. Qualitates etiam activæ, licet sint activæ, non tamen agunt solum in virtute propria, sed in virtute formarum substantialium, ad quas se habent sicut instrumenta; sicut dicitur 2. *de Anima* (*text.* 41; c. 4), quod calor ignis est instrumentum animæ nutritivæ. — 7. *Metaphys.* l. 6, 7, 8.

Ad quartum dicendum, quod licet inter Deum et creaturas non sit univocatio proprie dicta, non tamen est æquivocatio, sed est aliqua similitudo et analogia; et ideo etiam creaturæ dicuntur similes Deo. — l. c. in arg.

Ad quintum dicendum, quod sensus Philosophi est, ut ipsemet declarat (7. *Metaphys. text.* 30; l. 6, c. 9), quod modo quodam omnia fiunt ex univoco, quemadmodum naturalia; aut ex parte univoco, ut domus ex domo; aut ab intellectu: ars enim species; aut ex parte, aut ex habente partem aliquam, nisi fiat secundum accidens. — 7. *Metaphys.* l. 8.

ARTICULUS V

UTRUM IDEM ACCIDENS NUMERO MANEAT IN GENITO ET IN CORRUPTO.

Videtur quod idem accidens numero maneat in genito et in corrupto.

1. Dicit enim Philosophus (1. *de Generat.* t. 24; c. 4), quod quando elementa symbola transmutantur, remanet una qualitas, puta diaphaneitas, quando ex aere fit aqua; sed hoc esse non potest, nisi idem numero accidens maneat in genito et in corrupto: ergo vere idem numero acci-

dens manet in genito et in corrupto. — 1. *de Cœlo* l. 10.

2. Præterea, dicit Philosophus (2. *de Generat. text.* 29; c. 4), quod facilior est transitus elementorum symbolorum quam dissymbolorum, quia in illa tantum una qualitas corrumpi debet, cum altera remaneat, in hac vero ambæ qualitates corrumpendæ sunt; facilius autem est unum quam multa transmutare : ergo idem numero accidens remanet in genito et in corrupto. — 2. *de Generat.* l. 4.

3. Sed dices, quod in transmutatione elementorum symbolorum remaneat qualitas symbola eadem specie, non autem eadem numero. — Sed contra, quia si tantum remaneret eadem specie, sequeretur non esse facilior rem transmutationem symbolorum quam dissymbolorum; quia in illa etiam utraque qualitas numero esset corrumpenda, sicut in ista; et similiter sequeretur quod simile corrumperetur a simili; nam generans corrumpit id quod prius erat. Ergo dicendum est, quod eadem numero qualitas symbola remanet in transmutatione elementorum symbolorum, et sic idem numero accidens erit in genito et corrupto. — 2. *de Generat.* l. 4; *Quæst. disp. de Spirit. Creat.* a. 3, arg. 19; et 1. *de Generat.* l. 10.

4. Præterea, quidquid corrumpitur, corrumpitur propter victoriam corrumpentis super ipsum ex debilitate virtutis ejus; sed qualitas symbola in transmutatione symbolorum non habet corrumpens, a quo corrumpatur : ergo remanet eadem numero in genito et corrupto. — 2. *c. Gent.* c. 30; 5. *Metaphys.* l. 14 (17).

5. Præterea in cadavere, ut experientia constat, manet eadem numero cicatrix eademque figura et eadem albedo numero, quæ fuerant in vivo; ergo idem accidens numero manet in genito et corrupto. — *Opusc.* 41; *Quodl.* 1, a. 6, arg. 2 et in c.

6. Præterea, si omnia accidentia præterita corrumperentur, maneret materia indifferens ad omnem formam substantialem in instanti corruptionis; nam determinatio materiæ ad formam fit per accidentia, quibus corruptis non manet talis determinatio; sed illud est falsum : ergo dicendum est manere eadem numero accidentia in genito et corrupto. — *de Spirit. Creat.* a. 3, arg. 20.

7. Præterea, forma individuatur per ordinem ad materiam signatam, seu ad materiam cum quantitate; sed si in instanti generationis corrumperentur omnia accidentia, non posset forma singularis introduci in materiam, cum non detur id, ratione cujus forma constituitur singularis et individua : ergo dicendum est, quod idem numero accidens potest esse in genito et in corrupto. — *Tabula Aurea* voce « individuum » n. 20.

8. Præterea, forma substantialis debet induci in materiam dispositam; disponitur autem per accidentia; ergo in instanti generationis debent in materia esse accidentia, quæ disponant materiam ad formam; non possunt autem esse accidentia, quæ consequuntur formam, quia sunt posteriora, quam sit forma inducta in materiam : ergo debent esse accidentia, quæ erant in corrupto, quæ remanent eadem numero in genito. — *Quæst. disp. de Anima* a. 9, arg. 5 et 17.

Sed contra est: 1. quod Philosophus 1. *de Generat. text.* 23 (c. 4) definit generationem, quod sit mutatio totius substantiæ nullo sensibili manente ut subjecto eodem; et *text.* 24 (c. 4) dicit, quod generatio tunc est, quando non manet passio et accidens; at si manerent accidentia sensibilia, remaneret aliquod subjectum sensibile, puta materia cum accidentibus sensibilibus, et consequeuter maneret aliqua passio : ergo idem quod prius. — 1. *de Generat.* l. 10.

2. Præterea, destructis primis substantiis impossibile est aliquid accidentium remanere, ut probat Philosophus in *Prædicam.*; ergo corrupto v. g. homine impossibile est, quod remaneat aliquod accidens, quod postea sit in cadavere idem numero.

3. Præterea, sequeretur quod esset eadem numero calefactio continua corrupti et geniti, quod est contra Philosophum 5. *Phys.* (*text.* 34 et 39; c. 4), ubi vult ad continui-

tatem motus requiri unitatem mobilis. — 5. *Phys.* l. 7.

Respondeo dicendum, quod non manet idem numero accidens in genito et in corrupto; sed id quod prius erat, corrumpitur per accidens ad corruptionem subjecti, recedente forma, quæ prius erat talis accidentis, et advenit simile accidens consequens formam de novo advenientem. Quod potest esse manifestum ex multis; — et *primo* quidem ex natura accidentis. Accidens enim non potest transire de subjecto in subjectum. Cuius ratio est, quia individuatur, numeratur et distinguitur secundum suum subjectum. Genitum autem et corruptum sunt diversa numero subjecta; sic enim se habent sicut corpus mortuum et vivum, quæ cum specie distinguantur, non possunt idem numero subjectum esse. Si autem ponatur, quod maneat idem numero accidens in genito et corrupto, sequitur quod idem secundo accidens sit in pluribus subjectis. — 1. *de Generat* l. 10; *Tabula Aurea* voce « accidens » n. 38 et 42; voce « corpus » n. 28 et 29.

Secundo, ex differentia inter generationem et alterationem, atque adeo inter formam substantialem et accidentalem: quod alterationis et accidentis subjectum est ens in actu, generationis vero et formæ subtantialis est ens in potentia, ut dicit Philosophus (1. *de Generat. text.* 24 sqq.; c. 4, 5). Constituitur autem ens in actu per formam quamlibet. Nam cum quælibet sit actus, facit esse in actu. Quare si in genito et corrupto manet idem accidens numero, forma sequens adveniet existenti in actu, et consequenter ejus subjectum non erit ens in potentia, sed ens in actu contra Philosophum. — 1. *de Generat.* l. 10; *Quodl.* 1, a. 6.

Tertio, ex natura materiæ; nam cum hæc sit in potentia ad omnes actus ordine quodam, oportet quod id quod est primum simpliciter in actibus, primo in materia intelligatur; primum autem inter omnes actus est esse specificum et substantiale, ut dictum est (supra q. 3, a. 2 in c.). Impossibile est ergo intelligere materiam prius esse calidam vel quantam, quam esse in actu specifico; esse autem in tali actu habet per formam substantialem, quæ facit esse simpliciter. Unde impossibile est quod ullum accidens præexistat in materia ante formam substantialem; præexisteret autem, si maneret idem numero accidens in genito et corrupto. Manifestum ergo est, quod non potest idem numero accidens manere in genito et corrupto. — 1a, q. 76, a. 6, c.

Ad primum ergo dicendum, quod in transmutatione elementorum symbolorum passio symbola, quæ prius inerat disponens ad formam substantialem, corrumpitur, non tamen per se, sed per accidens ad corruptionem subjecti; unde manet eadem specie, non numero. Et quia per hoc accidens symbolum non erat aliqua repugnantia in agendo et patiendo, facilior fuit transmutatio. Cum enim qualitates elementorum causentur a formis substantialibus ipsorum, illa elementa, quæ majorem convenientiam habent in qualitatibus, necessario habent majorem convenientiam in formis substantialibus, et per consequens in dispositionibus materiæ facilius ad invicem transmutantur. Et licet oporteat ambas qualitates corrumpi, tamen quia qualitas symbola minus resistit, imo nullo modo, contraria vero resistit; ideo facilior est transmutatio et transitus. Neque est inconveniens, quod simile corrumpat suum simile, per accidens corrumpendo subjectum; sic enim major flamma consumit minorem. — Et sic patet *ad secundum* et *tertium*. — *Quodl.* 1, a. 6; 1. *de Generat.* l. 10; 2. *de Generat.* l. 4; *de Spirit. Creat.* a. 3, ad 19.

Ad quartum dicendum, quod quidquid corrumpitur per se, corrumpitur ab agente contrario; secus vero quod corrumpitur per accidens ad corruptionem subjecti, quomodo corrumpitur qualitas symbola in transmutatione symbolorum. — *de Spirit. Creat.* l. c.; *Tabula Aurea* voce « corruptio » n. 5.

Ad quintum dicendum, quod in cadavere, sicut et in genito quolibet, ut dictum est (in c.), manent accidentia corrupti eadem specie, non eadem numero ob rationes allatas; nam formam de novo advenientem

sequuntur similia accidentia, ut dictum est. (*Quodl.* 1, a. 6; 1. *de Generat.* l. 10). *Vel dic*, quod remanet in genito et corrupto sicut in vivo et mortuo idem numero accidens, quia remanet origo et radix accidentis, eadem scilicet materia, quæ est in potentia ad formam generalem. — *Opusc.* 41.

Ad sextum dicendum, quod materia prout nuda consideratur, se habet indifferenter ad omnes formas, sed determinatur ad speciales formas per virtutem moventis, ut dicitur 2. *de Generat.* (*text.* 53; c. 9); et materia secundum quod consideratur perfecta sub ratione formæ universalioris et accidentium consequentium, fit disposita ad subsequentem perfectionem. — *de Spirit. Creat.* a. 3, ad 20; 1a, q. 76, a. 6; *Quæst. disp. de Anima* a. 9 in c.; 2. c. *Gent.* c. 71, et Ferrariensis in h. l.

Ad septimum dicendum, quod in instanti generationis materia est signata dispositionibus, quæ in genere causæ materialis præcedunt formam substantialem. — 2. c. *Gent.* c. 71, et Ferrariensis in h. l.

Ad octavum dicendum, quod ad esse substantiale, quod simpliciter est primus actus formæ, non prærequiritur ulla dispositio accidentalis; requiritur autem ad alios gradus et actus formæ, et talis consequitur primum effectum et gradum formæ. — 1a, q. 76, a. 6, ad 1 et in c., et Cajetanus in h. l.

ARTICULUS VI

UTRUM MATERIA SIT IMMEDIATUM SUBJECTUM INHÆSIONIS OMNIUM ACCIDENTIUM.

Videtur quod materia sit immediatum subjectum inhæsionis omnium accidentium.

1. Dicit enim Philosophus 7. *Metaphys.* (*text.* 8; l. 6, c. 3), quod quantitas immediate inest materiæ primæ; et 1. *de Generat.* (*text.* 29; c. 5) puncta et lineas vocat terminos materiæ; terminus autem est in terminato subjective; et *ibidem* (*text.* 31; c. 5), et 2. *de Generat.* (*text.* 6; c. 1) dicit, quod materia est subjectum contrariorum, puta caloris et frigoris, quæ sunt accidentia. Ergo materia est immediatum subjectum inhæsionis omnium accidentium. — 7. *Metaphys.* l. 2; 1. *de Generat.* l. 13; 2. *de Generat.* l. 1.

2. Præterea, omnis forma substantialis est in materia sibi propria et disposita; sed dispositiones ad formam sunt accidentia: ergo accidentia immediate subjectantur in materia. — 1a, q. 76, a. 6, arg. 1; *Quæst. disp. de Anima* a. 9, arg. 5.

3. Præterea, diversæ formæ unius speciei requirunt diversas materiæ partes; sed diversæ partes non possunt intelligi nisi secundum divisionem dimensivarum quantitatum: ergo necesse est præintelligere dimensiones in materia ante formas substantiales, quæ sunt plures ejusdem speciei, et consequenter quantitas et ratione illius cetera accidentia immediate subjectabuntur in materia prima. — 1a, l. c., arg. 2.

4. Præterea, sicut forma substantialis naturaliter unitur materiæ, ita et *hæc* forma *huic* materiæ; sed hæc materia est hæc per hoc quod est sub aliquibus dimensionibus determinatis: ergo dimensiones determinata immediate subjectantur in materia. — *Quæst. disp. de Anima* l. c. arg. 17.

5. Præterea, materia unitur formæ per potentiam, qua potest ei subesse; sed potentia illa non est idem, quod essentia materiæ; sic enim esset æqualis simplicitatis cum Deo, quod est sua potentia: ergo in materia subjectatur aliquod accidens. — *de Spirit. Creat.* a. 3, arg. 21.

6. Præterea, quantitas consequitur materiam sicut proprium accidens; sed accidens proprium inest immediate tamquam subjecto illi rei, cujus est accidens proprium, ut dictum est (in Logica q. 6): ergo idem quod prius. — *Tabula Aurea* voce « quantitas » n. 4.

7. Præterea, quantitas distinguit materiam in partes ad hoc, ut varias formas recipiat, ut dictum est (supra q. 3); sed hoc non potest facere nisi immediate insit illi tamquam subjecto: ergo quantitas et illa mediante cetera accidentia materialia immediate subjectantur in materia.

Sed contra est: 1. quod Philosophus (7. *Metaphys. text.* 4; l. 6, c. 1) dicit, quod substantia composita est prior tempore

accidente: ergo accidens supponit in materia formam substantialem, et consequenter non inest materiæ tamquam proprio subjecto. — 7. *Metaphys.* l. 1.

2. Præterea, Philosophus (8. *Metaphys. text.* 16; l. 7, c. 6) dicit, quod forma substantialis immediate unitur materiæ; at si in materia immediate subjectarentur accidentia, non uniretur illi forma immediate, sed mediantibus accidentibus: ergo accidentia non sunt immediate in materia tamquam in proprio subjecto. — 8. *Metaphys.* l. 5.

Respondeo dicendum, quod licet quantitas immediate inhæreat materiæ, et illa mediante eidem inhæreant reliqua accidentia, — quod manifeste patet: *primo*, quia substantia corporalis habet, quod sit subjectum accidentium ratione materiæ, cui primo inest subjici alteri; prima enim dispositio materiæ est quantitas, quia secundum ipsam attenditur divisio ejus et indivisio, et ita unitas et multitudo, quæ sunt prima consequentia ens; — *secundo*, quia materia non solum est in potentia ad formas substantiales, sed etiam ad accidentales, ut dictum est (supra q. 3, a. 5); quilibet autem actus informat et actual propriam materiam; — *demum* quia, saltem in homine, cujus forma est indivisibilis et immortalis, quantitas immediate inhæret materiæ; nam illam extendit, quod non facit in animam, ut dictum est; et per rarefactionem eadem materia, quæ prius erat terminata sub parvis dimensionibus, postea fit magis extensa, et ad majores dimensiones perducitur, ut dictum est (in Logica, q. 11, a. 1 et 2; cfr. Metaphysicæ q. 13, a. 2); — non tamen inest quantitas materiæ sine communicatione formæ, sed necessario debet præintelligi forma substantialis in materia, antequam intelligatur illi advenire quantitas. — 4. *Sent.* dist. 12, q. 1, a. 1, sol. 3 et ad 1.

Unde proprie subjectum inhæsionis quantitatis est *compositum substantiale*. Quod patet: *primo*, quia unumquodque genus vel speciem, ut dictum est (cfr. supra q. 3, a. 11, ad 6), consequuntur propria accidentia illius generis vel speciei; nullum autem accidens consequitur substantiam corpoream tamquam propria passio præter quantitatem; propria autem passio præsupponit subjectum cui immediate inhæreat; — *deinde*, quia illud quod dicitur maxime et verissime in quolibet genere, est causa eorum quæ sunt post in illo genere: sicut ignis, qui est in fine caloris in rebus calidis, est causa caliditatis, ut dicitur in 2. *Metaphys.* (*text.* 4; l. 1 min., c. 1); substantia autem est primum in genere entis, verissime et maxime essentiam habens: ergo oportet quod sit causa accidentium, quæ secundario et secundum quid rationem entis participant (*Opusc.* 30, c. 6); — *item*, quia (cum materia sit in potentia ad omnes actus ordine quodam) oportet quod id quod est primum simpliciter in actibus, primo in materia intelligatur et sit; primum autem inter omnes formas et actus est esse in actu, seu esse simpliciter, quod materia habet per formam substantialem: ergo impossibile est quod prius intelligatur materia cum quantitate vel alio accidente, quam quod sit in actu per formam substantialem. Unde dicendum est, quod nullum accidens potest inesse materiæ sine communicatione formæ substantialis, licet inter accidentia quantitas immediate inhæreat materiæ primæ. — 1a, q. 76, a. 6, c.; *de Spirit. Creat.* a. 3, c.; *Quæst. disp. de Anima* a. 9, c.; *Opusc.* 31 et 32.

Ad primum ergo dicendum, quod 7. *Metaphys.* (l. c.) loquitur Philosophus ex sententia antiquorum, qui totum subjectum, quod nos ponimus ex materia et forma componi, dicebant esse materiam primam, ut aerem aut aquam aut aliquid hujusmodi; formas autem dicebant esse quæ nos dicimus accidentia, ut quantitates et qualitates, quorum subjectum proprium non est materia prima, sed substantia composita, quæ est ens in actu; omne enim accidens ex hoc est, quod substantiæ compositæ inest, ut dicit Philosophus (7. *Metaphys. text.* 2; c. 1). Unde ex propria sententia subdit postea (*text.* 8; c. 3), quid sit materia, dicens, quod neque est quid neque quantum. (7. *Metaphys.* l. 2). — In 1. vero *de Generat.* loquitur secundum positionem Plato-

nicorum, qui ponebant, quod mathematica erant substantia corporum naturalium, et quia puncta et lineæ sunt termini dimensionum, sicut forma est terminus materiæ, ponebant, quod id quod per hujusmodi terminatur, esset materia corporum; ipsi autem termini magis se habent in ratione formæ. Unde postea ostendit, quod nihil prædictorum potest esse materia corporum (1. *de Generat.* l. 12 et 13). — Reliqui vero textus tantum probant, quod accidentia insunt substantiæ compositæ ratione materiæ, quod est verissimum, ut dictum est (in corp.). Et hoc idem probant *sextum* et *septimum* argumentum.

Ad secundum dicendum, quod forma perfectior virtute continet quidquid est inferiorum formarum; et ideo una et eadem existens perficit materiam secundum diversos perfectionis gradus. Una enim et eadem forma est per essentiam, per quam homo est ens actu, et per quam est corpus, et per quam est vivum, et per quam est animal, et per quam est homo. Manifestum est autem, quod unumquodque genus consequuntur propria accidentia. Sicut ergo materia præintelligitur perfecta secundum esse ante intellectum corporeitatis, et sic de aliis; ita præintelliguntur prædicta accidentia quæ sunt propria entis ante corporeitatem : et sic præintelliguntnr dispositiones in materia ante formam, non quantum ad omnem ejus effectum, sed quantum ad posteriorem. Unde dispositiones accidentales quæ faciunt materiam propriam ad aliquam formam, non sunt mediæ totaliter inter materiam et formam; sed inter formam secundum quod dat ultimam perfectionem, et materiam secundum quod jam est perfecta perfectione inferioris gradus. Materia enim secundum seipsam est propria respectu infimi gradus perfectionis, quia materia secundum seipsam est in potentia ad esse substantiale corporeum. Nec ad hoc requirit aliquam dispositionem; sed hac perfectione præsupposita in materia requiruntur dispositiones ad ulteriorem perfectionem. — 1a, q. 76, a. 6, ad 1; *de Spirit. Creat.* a. 3, c,; *Quæst. disp. de Anima* a. 9. c. et ad 5.

Ad tertium dicendum, quod dimensiones quantitativæ sunt accidentia consequentia corporeitatem, quæ soli materiæ convenit. Unde materia jam intellecta sub corporeitate et dimensionibus, potest intelligi ut distincta in diversas partes, ut sic accipiat diversas formas secundum ulteriores perfectionis gradus. Quamvis enim eadem forma sit secundum essentiam, quæ diversos perfectionis gradus materiæ tribuit, tamen secundum considerationem rationis differt. — 1a, l. c. ad 2.

Ad quartum dicendum, quod dimensiones non possunt intelligi in materia, nisi secundum quod intelligitur constituta per formam substantialem in esse substantiali corporeo; quod quidem non fit per aliam formam in homine quam per animam, ut dictum est. Unde hujusmodi dimensiones non præintelliguntur ante animam in materia totaliter, sed in quantum ad ulteriores gradus perfectionis est in potentia, ut dictum est. — *Quæst. disp. de Anima* l. c. ad 17.

Ad quintum dicendum, quod cum unumquodque genus dividatur per potentiam et actum, ipsa potentia, quæ est in genere substantiæ, materia est, sicut forma actus; unde materia non subest formæ substantiali mediante aliqua potentia. — *de Spirit. Creat.* l. c. ad 21.

ARTICULUS VII

UTRUM IN GENERATIONE COMPOSITI SUBSTANTIALIS FIAT RESOLUTIO COMPOSITI PRÆCEDENTIS USQUE AD MATERIAM PRIMAM.

Videtur quod in generatione compositi sudstantialis non fiat resolutio præcedentis compositi corrumpendi usque ad materiam primam.

1. Dicit enim Philosophus (1. *de Generat. text.* 30; c. 5), quod materia prima non potest existere sine accidentibus; at si fieret in generatione novi compositi resolutio præcedentis usque ad materiam primam, posset hæc existere sine illis: ergo in gene-

ratione compositi substantialis non fit resolutio usque ad materiam primam. — 1. *de Generat.* l. 13.

2. Præterea, materia est ens in actu per formam; at si fieret resolutio usque ad materiam primam in corruptione compositi substantialis, materia secederet a tota rerum natura, quia non esset amplius ens actu: ergo idem quod prius. — 1. *de Generat.* l. 7.

3. Præterea, corpus ante adventum animæ rationalis in utero materno habet aliquam formam; sed adveniente anima rationali non est dicere, quod illa forma deficiat, quia neque cedit in nihilum, neque esset dare in quid rediret: ergo forma aliqua præexistit in materia ante adventum animæ rationalis; et per consequens in generatione hominis non fit resolutio præcedentis compositi usque ad materiam primam. — *de Spirit. Creat.* a. 3, arg. 12.

Sed contra: Philosophus (1. *Phys. text.* 82; c. 9) dicit, quod materia prima est primum subjectum, in quod ultimum resolvitur id quod corrumpitur. — 1. *Phys.* l. 15 (14).

2. Præterea, in *Prædicam.*, cap. de substantia, dicitur, quod corruptis primis substantiis impossibile est remanere secundas substantias et accidentia; ergo in corruptione fit resolutio usque ad materiam primam. — *Opusc.* 48, tract. 2, c. 3.

3. Præterea, Philosophus (1. *de Generat. text.* 23; c. 4) distinguit generationem ab alteratione, quod in illa fit transmutatio non solum secundum passiones, sed etiam secundum substantias, in hac vero tantum secundum passiones; ergo in generatione novi compositi substantialis fit resolutio præcedentis compositi usque ad materiam primam. — 1. *de Generat.* l. 10.

Respondeo dicendum, quod necesse est dicere, quod in generatione compositi substantialis fit resolutio præcedentis compositi usque ad materiam primam. Et ratio ex dictis est, quia omnia accidentia præsupponunt formam substantialem in materia. Quod patet: *primum,* quia omnia accidentia, ut dictum est (supra q. 3, a. 11), fundantur immediate in quantitate, et mediante quantitate sunt in materia; quantitas autem præsupponit in materia formam substantialem corporis, seu substantiam corpoream, atque adeo gradum corporis, cum illum conservat tamquam illius propria passio inseparabilis ab illo; — *deinde,* quia substantia (cum sit primum in genere entis) debet esse causa accidentium, quæ sunt entia secundum quid; — *præterea,* quia subjectum accidentium non est materia sola, sed materia simul cum forma, seu materia ut unita formæ substantiali; est enim ens in actu, ut dicit Philosophus (cfr. 1. *de Generat. text.* 21 et sqq.; c. 4), ad differentiam formæ substantialis, quæ habet pro suo subjecto ens potentiæ seu materiam primam nude sumptam. Quare ad hoc ut adveniant materiæ, debent in illa præsupponere formam substantialem, atque adeo totam substantiam compositam. Cujus ratio est, quia accidentia sunt entia illius, non autem materiæ vel formæ, ut dicit Philosophus (7. *Metaphys. text.* 2; l. 6, c. 1). Nam sunt entia per substantiam; dicuntur enim entia, eo quod habent aliquam habitudinem ad ipsam, quæ est per se ens. — 4. *Sent.* dist. 10, q. 1, a. 2, quæstiunc. 3; *Opusc.* 30, c. 5; 1. *de Generat.* l. 9 et 10; 7. *Metaphys.* l. 1.

Ad primum ergo dicendum, quod quia uno composito substantiali corrupto aliud generatur, et uno generato aliud corrumpitur, ideo materia nec secedit a rerum natura, nec remanet sine forma, quia in eodem instanti, in quo privatur forma præcedenti et fit non ens hoc, quod est corruptum recipit aliam formam, et fit aliquid aliud, puta id quod est genitum. Unde non potest unquam materia remanere, quin sit subjecta alicui formæ. — Et sic patet etiam *ad secundum.* — 1. *de Generat.* l. 7.

Ad tertium dicendum, quod corpus antequam animetur, habet aliquam formam. Verum illa forma non manet anima adveniente. Adventus enim animæ est per quandam generationem. Generatio autem unius non est sine corruptione alterius; sicut cum recipitur forma ignis in materia aeris, desinit esse actu in ea forma aeris, et remanet in potentia tantum. Neque dicendum est, quod forma fiat vel corrumpatur, quia

ejus est fieri et corrumpi, cujus est esse, quod non est formæ ut existentis, sed sicut ejus quo aliquid est; unde et fieri non dicitur nisi compositum, in quantum reducitur de potentia in actum. — *de Spirit. Creat.* a. 3, ad 12.

ARTICULUS VIII

UTRUM GENERATIO SIT MUTATIO SUCCESSIVA AN VERO INSTANTANEA.

Videtur quod generatio sit mutatio successiva.

1. Philosophus enim (5. *Phys. text.* 1 ad 6; c. 1) ponit generationem inter motus; sed motus est de genere continuorum, ut dicitur 3. *Phys.* (*text.* 1; c. 1): ergo generatio est mutatio successiva, non autem instantanea. — 5. *Phys.* l. 1; 3. *Phys.* l. 1.

2. Præterea, dicit Philosophus (6. *Phys. text.* 59; c. 10), quod factum est, prius fieri; sed res naturales fiunt per generationem: ergo quod generatur, prius generabatur; ubi autem est prius et posterius, est tempus ut dictum est (supra q. 21, a. 2), et consequenter successio: ergo generatio est mutatio successiva. — 6. *Phys.* l. 8.

3. Præterea, Philosophus (7. *Phys. text.* 34; c. 4) comparat generationes inter se et dicit aliquas esse veloces, aliquas minus veloces; sed velox et tardum conveniunt generationi et motui per ordinem ad tempus, ut patet ex Philosopho (6. *Phys. text.* 12; c. 1): ergo idem quod prius. — 7. *Phys.* l. 8; 6. *Phys.* l. 3.

4. Præterea, experientia patet non simul generari totum animal, sed successive, similiter et successive ex combustione paleæ generari ignem: ergo generatio non fit in instanti, sed successive.

Sed contra est, quod Philosophus (5. *Phys. text.* 8; c. 1) generationem negat esse motum; sed omnis motus est in tempore, et secundum tempus divisibilis est, ut dicitur 6. *Phys.* (*text.* 36; c. 4): ergo generatio non est mutatio successiva. — 5. *Phys.* l. 2; 6. *Phys.* l. 9; *de Pot.* q. 3, a. 9, ad 9.

RESPONDEO DICENDUM, quod illud quod mutatur de non esse in esse, vel e contra, non est simul in non esse, sed (sicut) non est dare ultimum instans, in quo id quod generatur sit non ens, sed est dare primum instans, in quo est; ita quod in tempore præcedenti illud instans, est non ens. Inter tempus autem et instans, quod terminat motum, non est aliquod medium; et sic non oportet quod sit medium inter esse et non esse. Sed quia tempus, quod præcedit instans, quo primo est quod generatur, est terminus præcedentis temporis mensurantis motum, ita incipere esse est terminus præcedentis motus. Si ergo generatio dicatur ipsa inceptio essendi, sic est terminus motus, et sic est in instanti: quia terminari motum, quod est mutatum esse, est in indivisibili temporis. Si autem generatio accipiatur ipsa inceptio essendi cum toto motu præcedente, cujus est terminus, sic non est in instanti, sed in tempore, ita quod in toto tempore præcedenti est non ens illud quod generatur, et in ultimo instanti est ens. Et similiter dicendum est de corruptione. — 6. *Phys.* l. 8; 1. *Sent.* dist. 37, q. 4, a. 3, c.; 1a 2æ, q 113, a. 7, c.; 1. *de Generat.* l. 24.

Ad primum ergo dicendum, quod Philosophus nomen motus late sumit, prout involvit etiam mutationes instantaneas, ut dictum est (supra q. 17. a. 2, c.).

Ad secundum dicendum, quod Philosophus nomen generationis sumit pro alteratione præcedente terminata ad introductionem formæ substantialis; cum enim alteratio habeat duos terminos, formam accidentalem et substantialem, potest denominari ab utraque. — Eodemque modo dicendum *ad tertium.* — 6. *Phys.* l. 8; *Tabula Aurea* voce «alteratio» n. 5.

Ad quartum dicendum, quod animal totum non nisi per partes generatur. Verum generatio partium ratione alterationis præcedentis fit successive, ratione vero introductionis formæ substantialis fit in instanti, ut dictum est (in c.). Et idem dico de generatione ignis ex combustione paleæ vel chartæ. — 6. *Phys.* l. 8; *de Spirit. Creat.* a. 3, ad 13; 1. *de Generat.* l. 24.

ARTICULUS IX

UTRUM GENERATIO UNIUS SIT CORRUPTIO ALTERIUS.

Videtur quod generatio unius non sit corruptio alterius.

1. Dicit enim Philosophus (5. *Phys. text.* 7 sqq.; c. 1), quod generatio est mutatio a non subjecto in subjectum, et corruptio est a subjecto in non subjectum. — 5. *Phys.* l. 2.

2. Præterea, in embrione ante adventum animæ rationalis apparent opera vitæ, ut dicitur in 16. *de Animal.*, quæ non sunt nisi ab anima; sed adveniente anima rationali non est dicere, quod alia anima deficiat, quia neque cadit in nihilum, neque esset dare in quid rediret: ergo in generatione hominis non est corruptio ullius formæ præcedentis. — *de Spirit. Creat.* a. 3, arg. 12 et 13.

3. Præterea, secundum hoc formæ uniuntur materiæ, quod materia est in potentia ad eas; sed materia prius est in potentia ad formas elementorum quam ad alias formas: ergo anima et aliæ formæ non uniuntur materiæ, nisi in illa præexistant et remaneant formæ elementorum, et ita erit generatio unius sine corruptione alterius. — *Quæst. disp. de Anima* a. 9, arg. 9.

4. Præterea, corpus cujuslibet animalis est mixtum; sed in mixto oportet quod remaneant formæ elementorum per essentiam; alioquin esset corruptio elementorum, non mixtio: ergo anima supponit in materia ante sui adventum formas elementorum, et sic generatio animalis non erit compositi præexistentis corruptio. — *Ibid.* arg. 10.

5. Præterea, si generatio unius esset corruptio alterius, totidem entia semper essent in mundo, nec plura nec pauciora; sed ergo et consequens est falsum: ergo et quod generatio unius sit corruptio alterius.

Sed contra est auctoritas Philosophi (3. *Phys. text.* 73; c. 8; et 1. *de Generat. text.* 17; c. 3) dicentis, quod generatio unius est corruptio alterius.

Respondeo dicendum, quod necesse est dicere, quod generatio unius est corruptio alterius, et e contra. Ad cujus manifestationem sciendum est, quod generatio per se quidem est ex ente in potentia, id est ex materia, quæ est sicut subjectum rerum naturalium. Accidit enim materiæ, ex qua aliquid generatur, quod sit subjecta alteri formæ, secundum quam est ens actu, et privationi formæ inducendæ, secundum quam est non ens actu, sed ens in potentia. Et ideo Aristoteles dicit (1. *Phys. text.* 66; c. 7), quod generatur aliquid ex ente quidem actu per accidens, ex ente autem in potentia per se. Et similiter corrumpitur aliquid per se quidem in ens potentia, quod quidem subjicitur alteri formæ, secundum quam est ens actu, et privationi prioris formæ, secundum quam est non ens actu; et ita non dicitur, quod id quod corrumpitur secedat a tota rerum natura, quia quamvis fiat non ens hoc, quod est corruptum, remanet tamen ens aliquid aliud, quod est generatum. Unde non potest materia remanere, quin sit subjecta alicui formæ. Et inde est, quod uno corrupto aliud generatur, et uno genito aliud corrumpitur. — 1. *de Generat.* l. 7; 1. *Phys.* l. 13.

Ad primum ergo dicendum, quod generatio unius non dicitur a Philosopho esse corruptio alterius, eo quod sint unum per se, atque adeo unum ratione; sed *vel* quia sunt unum subjecto, licet differant ratione, quod patet ex eorum terminis, ex quibus motus et mutationes specificantur. Terminus enim generationis est forma, quia est mutatio ad esse; terminus vero corruptionis est privatio, quia est mutatio ad non esse; forma autem unius et privatio alterius, ut forma ignis et privatio aeris, sunt quidem idem subjecto, sed differunt ratione. Unde fit, ut etiam illud, quod corrumpit et generat, non ex eodem habeat, quod generet et corrumpat, sed ex eo quod formam suam inducit, generet, et sic in quantum ens generat; ex eo vero quod forma sua necessario conjungitur privationi alterius formæ, corrumpat. (2. *Sent.* dist. 34, q. 1, a. 2, ad 5.) *Secundo,* quia sunt unum ex parte motus, quia unus motus ad has duas

mutationes terminatur. *Tertio*, dicitur generatio unius corruptio alterius concomitanter, quia una mutatio semper conjungitur cum alia mutatione, quia generatio unius non est sine corruptione alterius, et e contra. Nam motus, per quem agens producit formam similem suæ et corrumpit oppositam, est de contrario in contrarium; et generatio et corruptio sese concomitantes similiter contrariorum sunt. — *de Verit.* q. 28, a. 6, ad 5, et a. 1, c.

Ad secundum dicendum, quod in embrione apparent quædam opera vitæ. Sed quidam dixerunt hujusmodi opera esse ab anima matris. Sed hoc est impossibile, quia de ratione operum vitæ est, quod sint a principio intrinseco, quod est anima. Quidam vero dixerunt, quod a principio inest anima vegetabilis, et illa eadem cum fuerit magis perfecta, fit anima sensitiva, et tandem fit anima intellectiva, sed per actionem exterioris agentis, quod est Deus. Sed hoc est impossibile: *primo*, quia sequeretur, quod forma substantialis reciperet magis et minus, et quod generatio esset motus continuus; *secundo*, quia sequeretur animam rationalem esse corruptibilem, cum vegetabilis et sensibilis corruptibiles sint, dum ponitur fundamentum animæ rationalis esse substantia vegetabilis et sensibilis. Non autem dici potest, quod sint tres animæ in uno corpore. Relinquitur ergo dicendum, quod in generatione hominis vel animalis multæ sunt generationes et corruptiones sibi invicem succedentes. Adveniente enim forma perfectiori deficit imperfectior; et sic cum in embrione primo sit anima vegetativa tantum, cum perventum fuerit ad majorem perfectionem, tollitur forma imperfecta et succedit forma perfectior, quæ est anima vegetiva et sensitiva simul; et hac cedente succedit ultima forma perfectissima, quæ est anima rationalis. Neque est dicendum, quod forma fiat vel corrumpatur, quia ejus est fieri et corrumpi, cujus est esse, quod non est formæ ut existentis, sed sicut ejus quo aliquid est. Unde et fieri non dicitur nisi compositum, in quantum reducitur de potentia in actum. — *de Spirit. Creat.* a. 3, ad 12 et 13.

Ad tertium dicendum, quod materia secundum ordinem est in potentia ad formas; non quod recipiat diversas formas substantiales ordinatim; sed quia id quod est proprium superioris formæ, non recipitur nisi mediante eo quod est proprium inferioris formæ. — *Quæst. disp. de Anima* a. 9, ad 9.

Ad quartum dicendum, quod formæ elementares non sunt actu in mixto secundum essentiam, licet hoc Avicenna posuerit. Non enim possunt esse in una parte materiæ; si autem essent in diversis partibus, non esset mixtio secundum totum, quæ est vera mixtio, sed esset mixtio minima, quæ est mixtio ad sensum. Dicere etiam, quod formæ elementorum accipiant magis et minus, ut Averroes dicit, ridiculum est, cum sint formæ substantiales, quæ magis et minus recipere non possunt. Neque aliquid est medium inter substantiam et accidens ut ipse fingit. Nec iterum dicendum est, quod totaliter corrumpantur, sed quod maneant virtute, ut Aristoteles dicit, et hoc est, in quantum manent accidentia propria elementorum secundum aliquem modum, in quibus manet virtus elementorum. — *Ibid.* ad 10.

Ad quintum dicendum, cum una materia existente contingat, ut dicit Philosophus (8. *Metaphys. text* 11; l. 7, c. 4), fieri diversa propter moventem causam, contingere potest ut plura agentia agant in diversas partes ejusdem compositi substantiales, et sic plures formas specificas producat; unde sequitur quod plures sint species vel individua specierum generata quam corrupta, et non totidem quot corrupta. — 8. *Metaphys.* l. 4.

ARTICULUS X

UTRUM GENERATIONES ET CORRUPTIONES RERUM NATURALIUM SINT NATURALES.

Videtur quod corruptiones et generationes rerum naturalium non sint naturales.

1. Motus enim naturalis est ille, qui est a principio intrinseco; sed generationes ele-

mentorum maxime fiunt ab agente extrinseco : ergo non sunt naturales. — *Tabula Aurea* voce « motus » n. 9 et 11.

2. Præterea, generatio dicitur naturalis, quia est a natura, ut dicit Philosophus (7. *Metaphys. text.* 22; l. 6, c. 7); sed generans elementa non est natura, sed vel habens naturam vel secundum naturam, ut dicitur 2. *Phys.* (*text.* 3, 4, 5; c. 1), cum sit compositum naturale : ergo generationes elementorum non erunt naturales. — 7. *Metaphys.* l. 6; 2. *Phys.* l. 1.

3. Præterea, naturale est illud, ad quod natura inclinat; sed corruptio, sicut et mors et omnis defectus, est contra naturam : ergo corruptio non est mutatio naturalis. — *Tabula Aurea* voce « naturale » n. 11; voce « corruptio » n. 10 et 15.

4. Præterea, impossibile est quod natura intendat aliquod malum; sed corruptio est aliquod malum; est enim non ens, bonum autem et ens convertuntur : ergo corruptio non potest esse mutatio naturalis. — 1a, q. 19, a. 9, c.; *Tabula Aurea* voce « corruptio » n. 10.

Sed contra est, quod Philosophus (5. *Phys. text.* 7; c, 1) generationem et corruptionem ponit inter species mutationis naturalis, et 7. *Metaphys.* (*text.* 22; l. 6, c. 7) vocat generationes elementorum naturales. — 5. *Phys.* l. 2; 7. *Metaphys.* l. 6.

Respondeo dicendum, quod generationes rerum naturalium dicuntur naturales propter tres causas, ut dicit Philosophus (7. *Metaphys. text.* 22; l. 6, c. 7); licet principium activum generationis eorum sit extrinsecum, quod videtur esse contra rationem naturæ : *primo,* ratione materiæ seu principii ex quo fit generatio, quia materia est principium intrinsecum, in quo est naturalis aptitudo ad talem formam; — *secundo,* ratione principii secundum quod fit generatio, id est, ratione formæ geniti, quæ dicitur esse natura; generatio enim naturalis est, quæ est ad naturam, sicut dealbatio est ad albedinem; — *tertio,* ratione principii a quo fit generatio, seu ab agente; nam forma illius, quæ est ei principium principale agendi, est natura dicta secundum speciem, id est, est ejusdem speciei cum natura et forma geniti, licet in alio secundum numerum; homo enim generat hominem, nec tamen generans et genitum sunt idem numero. — 7 *Metaphys.* l. 6.

Corruptiones vero dicuntur naturales : *primo,* quia licet sint contra naturam particularem, sunt tamen de intentione naturæ *universalis,* in quantum defectus unius cedit in bonum alterius vel etiam totius universi; sic enim corruptio unius est generatio alterius, per quam species conservatur. (1a, q. 22, a. 2, ad 2.) *Secundo,* quia natura *particularis* saltem per accidens intendit corruptionem, in quantum consequitur aliquod bonum; non enim intendit agens naturale corruptionem et privationem, sed generationem unius, quæ est corruptio alterius, et formam, cui conjungitur privatio alterius formæ. (1a, q. 19, a. 9, c.) *Tertio,* dicitur *inclinationis materiæ,* quæ proportionaliter attribuitur tali formæ secundum distributionem universalis agentis, ratione cujus etiam res naturales dicuntur naturaliter corruptibiles. — *Tabula Aurea* voce « corruptio » n. 10, 15; 1a 2æ, q. 85, a. 6, c., ubi difficultas bene explicatur.

Ad primum ergo dicendum, quod non omnes motus eodem modo dicuntur naturales, ut dicit Commentator (in 2. *Phys.* et in 1. *de Cœlo*); sed *quidam* dicuntur naturales propter principium activum interius existens, ut motus localis gravium et levium; et *quidam* propter principium passivum, quod est secundum potentiam ab agente naturali natum in actum educi, in generatione et alteratione simplicium corporum. Unde et natura dividitur in materiam et formam. — 2. *Sent.* dist. 18, q. 1, a. 2, c.

Ad secundum dicendum, quod generatio dicitur naturalis, quia est a natura vel tamquam principio passivo vel tamquam principio activo principali, specie eodem cum natura et forma generati, ut dictum est (in c.).

Ad tertium dicendum, quod aliter se habet natura ad generationem et corruptionem. Forma enim, quæ est terminus generationis, est per se intenta tam a na-

tura universali, quam a natura particulari; privatio vero est præter intentionem naturæ particularis, est autem secundum intentionem naturæ universalis, non quidem ut per se intenta, sed quia sine privatione alterius formæ non potest alia forma introduci. Et sic generatio est omnibus modis naturalis; corruptio vero quandoque dicitur contra naturam habito respectu ad naturam particularem, ut dictum est. — Et ex his patet *ad quartum*. — *de Pot.* q. 3, a. 6, ad 19.

(1) ARTICULUS XI

UTRUM EXPULSIO FORMÆ SUBSTANTIALIS PRÆCEDENTIS ET INTRODUCTIO FORMÆ SEQUENTIS SINT IDEM.

Videtur quod expulsio formæ substantialis præcedentis et introductio formæ sequentis sint idem : —

1. quia secundum Philosophum, ut dictum est (supra, a. 9), generatio unius est corruptio alterius; sed eatenus est generatio unius, quatenus introducitur in materia forma substantialis; est autem corruptio alterius, quatenus forma præcedens expellitur : ergo introductio formæ sequentis et expulsio præcedentis sunt idem.

2. Præterea, sicut multiplicato inferiori multiplicatur superius, ita non multiplicato inferiori non multiplicatur superius : ut si est unus homo, est unum animal, si sunt plures homines, sunt etiam plura animalia. Sed mutatio ad motum se habet sicut superius ad inferius; nam omnis motus est mutatio, non e converso. Cum ergo expulsio formæ præcedentis et introductio sequentis sint unus motus, erunt etiam una mutatio, et sic erunt idem. — *de Verit.* q. 28, a. 6, arg. 5.

3. Præterea, unius agentis in unum et idem subjectum non est nisi una actio; sed agens in materiam, expellendo ab illa formam præcedentem et introducendo sequentem, est unum agens, et idem etiam est subjectum : ergo expulsio formæ præcedentis et inductio sequentis sunt idem.

4. Præterea, quæcumque ita se habent, quod unum potest esse sine altero, non sunt idem; sed introductio formæ potest esse sine expulsione præcedentis, ut patet in prima creatione universi : ergo idem quod prius. — *de Verit.* l. c. arg. 2 *Sed contra.*

Sed contra est, quod multo minus sunt idem expulsio tenebræ et inductio lucis, quam expulsio formæ substantialis præcedentis et introductio sequentis; sed expulsio tenebræ et introductio lucis sunt mutationes naturaliter inter se distinctæ : ergo et idem erunt expulsio substantialis formæ præcedentis et introductio sequentis. — *Ibid.* arg. 2. et c.

RESPONDEO DICENDUM, quod expulsio formæ substantialis præcedentis et introductio formæ sequentis sunt duæ mutationes realiter distinctæ, sed sunt unus motus. Et quidem quod sint *duæ mutationes* realiter inter se distinctæ, sic patet. Mutationes enim penes terminos distinguuntur; introductionis autem formæ sequentis terminus est formam sequentem inesse, expulsionis vero formæ præcedentis terminus est formam præcedentem non esse. Est autem oppositorum quantum ad hoc attendenda triplex differentia. Nam *primo*, quædam opposita sunt, quorum alterum tantum est natura quædam, reliquum vero non est nisi remotio vel negatio ipsius, sicut patet in oppositis secundum affirmationem et negationem vel secundum privationem et habitum. Et in talibus negatio oppositi, quod ponit naturam aliquam, est alicujus rei, negatio vero alterius oppositi non est realis, quia non est alicujus rei; est enim negatio negationis, quæ est alterius oppositi. Et ideo hæc negatio negationis nihil differt secundum rem a positione alterius; unde secundum rem idem est generatio albi et corruptio non albi. Sed quia negatio, quamvis non sit res naturæ, est tamen res rationis, ideo negatio negationis secundum rationem seu secundum nostrum modum intellegendi est aliud a positione affirmationis. Et sic corruptio non albi secundum modum intellegendi est aliud quam gene-

(1) Hic articulus, sicut et duo sequentes, in editione Ticiénsi reperiuntur in appendice ad Secundam Secundæ hujus *Summæ Philosophicæ*.

ratio albi; et idem dico de generatione ignis ex non igne, et corruptione non ignis. Et ideo si negatio formæ nihil reale ponit distinctum a forma negata secundum rem, corruptio privationis et introductio formæ idem sunt secundum rem, non tamen secundum rationem.

Secundo, opposita quædam sunt, quorum alterum quidem dicit negationem oppositæ formæ realis et positivæ; verum hæc negatio non solum importat ablationem formæ, sed etiam ponit impedimentum positivum et reale: sicut umbra non solum dicit ablationem lucis, sed etiam ponit corpus impediens; unde negatio umbræ debet importare et negationem tenebræ et ablationem interpositi corporis impedientis; et ideo ablatio umbræ et privatio luminis sunt mutationes realiter distinctæ.

Tertio demum, quædam opposita sunt, quorum utrumque ponit naturam aliquam, ut album et nigrum, ignem et terram, et in talibus oppositis negatio utriusque est negatio realis, id est alicujus rei. Et ideo cum affirmatio non sit negatio, quia non esse nigrum non est idem quod non esse album, sed realiter differunt; ideo corruptio nigri, cujus terminus est non esse nigrum, et generatio albi, cujus terminus est esse album, sunt realiter diversæ mutationes. Et idem dico de corruptione ligni vel terræ, et productione ignis. — *de Verit.* q. 28, a. 6, c.

Quod autem hæ mutationes realiter inter se sint *unus et idem motus* realiter, similiter patet. Nam hoc differunt motus et mutatio, quod motus unus est, quo aliquid affirmative significatum abjicitur, et aliud affirmative significatum acquiritur. Est enim motus de subjecto in subjectum, ut dicitur 5. *Phys.* (*text.* 7; c. 1). Per subjectum autem intelligitur hoc aliquid affirmative significatum et monstratum, ut album et nigrum. Unde unus motus alterationis est, quo album abjicitur et nigrum acquiritur; sed in mutationibus, quæ sunt generatio et corruptio, aliter est. Nam generatio est mutatio de non subjecto in subjectum, ut de non albo in album; corruptio vero est mutatio de subjecto in non subjectum, ut de albo in non album. Et ideo in abjectione unius affirmati et adeptione alterius oportet duas mutationes intelligi, quarum una sit generatio et alia corruptio vel simpliciter vel secundum quid. Sic ergo si in transitu, qui est de una forma in aliam sive substantialem sive accidentalem, consideratur ipse motus, idem motus significatur per ablationem unius et inductionem alterius, non autem significatur eadem mutatio, sed diversa, tamen se invicem comitantes, quia generatio unius non est sine corruptione alterius. Et sic patet expulsionem unius formæ et introductionem alterius esse quidem unum et eundem motum, sed esse mutationes realiter inter se diversas. — *Ibid.* a. 1, c.

Ad primum ergo dicendum, quod generatio unius dicitur esse corruptio alterius a Philosopho per concomitantiam, quia de necessitate sunt simul; vel per unitatem motus, qui ad has duas mutationes terminatur. — *de Verit.* q. 28, a. 6, ad 5.

Ad secundum dicendum, quod dupliciter sumi potest mutatio: *uno modo* logice, ut est genus ad motum et mutationem specifice sumptam, quomodo nihil aliud est quam transitus a termino in terminum, quomodocunque se habeant hi termini, sive affirmative sive negative. *Alio modo* specifice et physice, ut est distincta a motu, quomodo est transitus a subjecto in non subjectum, vel a non subjecto in subjectum. Si priori modo sumitur, sicut expulsio formæ præcedentis et introductio sequentis sunt unus motus, ita et sunt una mutatio. Si vero sumitur posteriori modo, licet sint unus motus realiter, non tunc sunt una realis mutatio, sed duæ inter se realiter distinctæ. — *de Pot.* q, 3, a. 2, c.

Ad tertium dicendum, quod unitas actionis arguit unitatem motus, non autem unitatem mutationis ob differentiam inter motum et mutationem mox allatam.

Ad quartum dicendum, quod de ratione mutationis est, hoc esse post hoc circa aliquid idem, quod non est in creatione. — *de Pot.* l. c. in c. et ad 1; 1a, q. 45, a. 2, ad 2.

ARTICULUS XII

UTRUM EXPULSIO FORMÆ SUBSTANTIALIS PRÆCEDENTIS SIT NATURALITER PRIOR QUAM INTRODUCTIO FORMÆ SEQUENTIS.

Videtur quod in generatione compositi substantialis expulsio formæ substantialis præcedentis sit naturaliter prior introductione formæ sequentis : —

1. quia prius est ordine naturæ intelligere recipiens, quam ipsum receptum ; sed forma non recipitur nisi in propria materia : ergo prius est intelligere materiam primam propriam, quam receptionem formæ. Sed ad hoc quod materia sit propria alicui formæ, requiritur quod sit denudata a forma contraria ; ergo prius naturaliter materia denudatur ab una forma, quam recipiat aliam ; et sic naturaliter erit prior expulsio formæ præcedentis quam introductio sequentis. — *de Verit.* q. 28, a. 7. arg. 2.

2. Sed dices, quod forma adveniens, secundum quod habet respectum ad agens naturale illam inducens, est prior naturaliter quam expulsio formæ præcedentis. — Sed contra, in introductione formæ substantialis sequentis includitur respectus ad suum subjectum, in quo introducitur ; si ergo secundum hunc respectum ad subjectum est posterior, videtur quod simpliciter introductio formæ sequentis sit posterior naturaliter expulsione formæ præcedentis. — *Ibid.* arg. 3.

3. Sed dices, quod forma sequens habet duplicem respectum : unum, secundum quod informat subjectum, et quantum ad hunc respectum est posterior quam expulsio formæ præcedentis ; alium, quo formam expellat a subjecto, et sic introductio formæ sequentis præcedit expulsionem formæ præcedentis. — Sed contra, forma sequens expellit præcedentem ratione oppositionis, quam habet ad ipsam ; opposita autem mutuo se expellunt ex hoc quod non patiuntur se in eodem subjecto : ergo ex hoc ipso quod forma sequens informat subjectum, expellet aliam ; et sic non potest esse, quod forma sequens secundum respectum quem habet ad subjectum quod informat, sit posterior, et secundum respectum quem habet ad formam præcedentem quam expellit, sit prior. — *Ibid.* arg. 4.

4. Præterea, esse rei naturaliter prius est quam agere ipsius ; sed forma, materialis præsertim, cum non subsistat ejus esse, est inexistere : ergo prior est naturaliter respectus quem habet forma sequens ad subjectum quod informat, quam respectus quem habet ad formam contrariam quam expellit, et sic prædicta responsio non videtur posse consistere. — *Ibid.* arg. 5.

5. Præterea, non contingit formas contrarias esse simul ; sed forma præcedens et forma sequens sunt contrariæ : ergo oportet quod forma præcedens intelligatur expulsa, antequam nova facta introducatur ; ergo expulsio formæ naturaliter præcedit introductionem novæ. — *Ibid.* arg. 6.

6. Præterea, secundum ordinem effectuum est ordo causarum ; sed effectus expulsionis formæ præcedentis est materiam esse denudatam ab omni forma ; effectus autem introductionis formæ sequentis est materiam habere talem formam specificam ; prius autem naturaliter est materiam esse denudatam ab omni forma, quam habere talem formam : ergo expulsio formæ præteritæ est naturaliter prior forma sequente. — *Ibid.* arg. 7.

7. Præterea, si successive forma inducatur, ut contingit in successiva combustione chartæ, prius tempore removetur forma præcedens, quam inducatur sequens, ut patet similiter in dealbatione, in qua prius natura agens removet nigredinem quam inducat albedinem ; sed per hoc quod agens in instanti inducit formam substantialem, removetur tantum ordo temporis, non naturæ : ergo naturaliter prius est expulsio formæ præcedentis quam introductio formæ sequentis. — *Ibid.* arg. 13.

8. Præterea, in quolibet motu recessus a termino *a quo* naturaliter præcedit accessum ad terminum *ad quem,* vel tempore, si sit motus successivus, vel natura, si sit mutatio subita ; sed in productione compositi

substantialis forma præcedens est terminus *a quo*, et forma sequens est terminus *ad quem* : ergo expulsio formæ præcedentis naturaliter præcedit introductionem formæ sequentis. — *Ibid.* arg. 9 ; 4. *Sent.* dist. 17, q. 1, a. 4, quæstiunc. 1, arg. 3.

Sed contra : 1. Causa naturaliter præcedit effectum ; sed forma sequens est causa destructionis formæ præcedentis non nisi secundum quod est introducta : ergo introductio formæ sequentis prior est expulsione formæ præcedentis. — 4. *Sent.* l. c. arg. 1 *Sed contra ; de Verit.* q. 28, a. 7, arg. 1 *Sed contra.*

2. Præterea, agens naturale non expellit formam contrariam a materia nisi per hoc quod inducit similitudinem suæ formæ in materia ; ergo inductio formæ est prior expulsione. — *de Verit.* l. c. arg. 2 *Sed contra.*

3. Præterea, forma sequens producendo introducitur, et introducendo producitur ; sed productio formæ est prior naturaliter, quam expulsio formæ præcedentis : ergo introductio formæ sequentis naturaliter præcedit expulsionem formæ præcedentis. — *de Verit.* l. c. arg. 4 *Sed contra.*

4. Præterea, agens naturaliter est prius patiente ; sed in generatione compositi substantialis forma sequens se tenet ex parte agentis, forma præcedens ex parte patientis seu recipientis : ergo prius naturaliter est introductio formæ sequentis, quam expulsio formæ præcedentis. — *de Verit.* l. c. arg. 5 *Sed contra.*

Respondeo dicendum, quod omnis prioritas secundum ordinem naturæ aliquo modo reducitur ad ordinem causæ et causati, quia principium et causa sunt idem ; in quolibet autem genere causæ causa naturaliter est prior causato. Contingit autem secundum diversa genera causarum idem respectu ejusdem esse causam et causatum, sicut ambulatio in genere causæ efficientis est causa sanationis, et sanatio in genere causæ finalis est causa ambulationis. Similiter in genere causæ materialis materia est causa formæ, quatenus sustinet et quasi sustentat formam ; et forma est aliquo modo causa materiæ, quatenus dat materiæ esse actu, seu facit illam esse actu secundum genus causæ formalis. Ex parte autem causæ materialis se tenet secundum quandam reductionem omne illud, per quod materia efficitur propria hujus formæ, sicut dispositiones et remotiones impedimentorum ; et consequenter expulsio formæ præcedentis, ne sequens forma introducatur ; et motus, per quem expellitur talis forma, nam motus est actus existentis in potentia ; et similiter privatio formæ sequentis, nam ratione hujus materia numerabilis, est, ut inquit Philosophus (1. *Phys. text.* 66 ; c. 7).

Verum licet aliquid possit esse prius et posterius altero in diverso genere causæ, quia tamen illud est simpliciter dicendum prius altero ordine naturæ, quod est prius secundum illud genus causæ, quæ est prior in ratione causalitatis (sicut finis dicitur prior naturaliter omnibus causis et causa omnium causarum, quia a causa finali omnes aliæ causæ recipiunt, quod sint causæ, quia efficiens non agit nisi propter finem, et ex actione efficientis forma perficit materiam, et materia sustinet formam); — ideo in generatione naturali compositi substantialis, in qua una forma expellitur a materia, et alia inducitur, simpliciter dicendum est, quod (licet expulsio formæ præcedentis sit naturaliter prior in ratione causæ *materialis ;* et in ratione causæ *formalis* naturaliter sit prior introductio formæ sequentis ; quia tum forma et finis in *idem numero* coincidunt, forma vero et agens in *idem specie*) ideo tam in ordine causæ efficientis quam finalis, atque adeo *simpliciter* introductio formæ sequentis naturaliter præcedit expulsionem formæ præcedentis : in ordine quidem *efficientis,* quia forma introducta est similitudo formæ agentis, per quam agens agit ; in ordine vero causæ *finalis,* quia natura principaliter intendit introductionem formæ, et ad hanc ordinat expulsionem omnis ejus, cum quo non potest stare forma introducta. — 4 *Sent.* dist. 17, q. 1. a. 4, sol. 1 ; *de Verit.* q. 28, a. 7, c. et ad 9.

Ad primum ergo dicendum, quod ratio

illa procedit secundum ordinem causæ materialis, secundum quem in respectu ad subjectum introductio formæ sequentis est posterior expulsione formæ præcedentis. — *de Verit.* q. 28, a. 7, ad 2. — Unde patet *ad secundum.*

Ad tertium dicendum, quod objectio illa procedit secundum ordinem causæ formalis; formaliter enim forma sequens inhærendo expellit præcedentem. — *Ibid.* ad 4.

Ad quartum dicendum, quod forma sequens non expellit præcedentem effective, sed formaliter; unde non est prius, quam expellat præcedentem. — *Ibid.* ad 5, et a. 8, c.

Ad quintum dicendum, quod forma contraria sequens expellit formaliter præcedentem, et ideo in genere *causæ formalis,* et *simpliciter,* est prior ordine naturæ expulsione formæ præcedentis, ut dictum est (in c.).

Ad sextum dicendum, quod genera se habent per modum materiæ in comparatione ad species, et ideo prius tantum est in genere causæ materialis, quod materia sit denudata a forma præcedente, quam quod habeat sequentem. — *Ibid.* ad 7.

Ad septimum dicendum, quod si agens successive introduceret formam substantialem, expulsio formæ præcedentis esset *tempore* prior, sed posterior *natura.* Ordo enim temporis sequitur ordinem motus et materiæ, secundum quem modum Philosophus dicit, quod in eodem actus posterior est tempore quam potentia, sed natura prior; quia secumdum illud dicitur aliquid simpliciter natura prius, quod est prius secundum ordinem causæ finalis. — *Ibid.* ad 13.

Ad octavum dicendum, quod recessus a termino *a quo* est prior in via generationis et motus, cum reducatur ad ordinem materiæ; nam, ut dictum est (supra q. 17, a. 1 et 3), motus est actus existentis in potentia; sed accessus ad terminum *ad quem* est prior secundum ordinem causæ finalis. — *Ibid.* ad 9.

Vel dic ut 1a 2æ, q. 113, a. 8, ad 1.

ARTICULUS XIII

UTRUM EXPULSIO FORMÆ PRÆCEDENTIS ET INTRODUCTIO SEQUENTIS SINT IN INSTANTI.

Videtur quod expulsio formæ præcedentis et introductio sequentis non sint in instanti:

1. quia forma sequens non introducitur in materiam nisi dispositam; sed inter alias dispositiones una est, quod materia sit denudata a quacunque forma, quia duæ formæ non possunt esse simul in materia: ergo sequens non introducitur in materia, nisi jam sit ab illa expulsa forma præcedens; et sic expulsio illius et introductio alterius formæ non erunt simul. — 4. *Sent. dist.* 17, q. 1, a. 5, quæstiunc. 2, arg. 1; *de Verit.* q. 28, a. 9, arg. 7.

2. Præterea, forma sequens expellit præcedentem; sed nihil agit nisi postquam est, forma autem sequens non prius est quam insit: ergo oportet quod forma sequens prius insit in materia, quam forma præcedens expellatur; et ita non erunt simul expulsio formæ præcedentis et introductio sequentis. — 4. *Sent.* l. c. arg. 2; *de Verit.* l. c. arg. 5 et 7.

3. Præterea, forma sequens et præcedens non sunt in eodem instanti in materia, quia contraria non sunt simul in eadem; ergo instans in quo ultimo est forma præcedens, est aliud ab illo instanti in quo primo est forma sequens; sed inter quælibet duo instantia est tempus medium: ergo prius tempore expellitur forma præcedens a materia, quam sequens introducatur. — 4. *Sent.* l. c. arg. 3.

4. Præterea, in qualibet mutatione necesse est ponere duos terminos, scilicet terminum a quo et terminum ad quem; sed cujuslibet contrarietatis duo termini sunt incontingentes, id est qui non possunt simul esse: ergo expulsio formæ præcedentis, et introductio sequentis in generatione compositi substantialis se habent secundum prius et posterius, et sic non erunt in eodem instanti. — *de Verit.* l. c. arg. 9.

5. Præterea, nihil quod prius est in fieri quam in facto esse, fit in instanti; sed

forma sequens prius est in fieri quam in facto esse. Nam in permanentibus, quod fit non est, cum vero factum est jam est; forma autem substantialis cum sit in generatione permanentium, si simul fit et facta est, simul est et non est, quod est impossibile. Ergo introductio formæ sequentis non est in instanti, scilicet cum expulsione formæ præcedentis. — *Ibid.* arg. 10.

Sed contra: 1. Inter prius et posterius temporis cadit medium tempus; sed postquam forma præcedens expulsa est materia, non est in ipsa, nec forma sequens inest materiæ antequam in illam introducatur: ergo si prius tempore forma præcedens expellitur, quam sequens introducatur, erit aliquod tempus, in quo materia utraque forma carebit, quod est impossibile. — 4. *Sent.* l. c. arg. 1 *Sed contra.*

2. Præterea, terminus cujuslibet motus est in instanti; sed tam expulsio formæ quam introductio alterius est terminus motus alterationis, ut dicit Commentator (6. *Phys. text.* 45; c. 5): ergo sunt in eodem instanti. — *Ibid.* arg. 2 *Sed contra.*

Respondeo dicendum, quod expulsio formæ dicit terminum motus illius qui est ad corruptionem ordinatus; et introductio formæ dicit similiter terminum motus illius qui præcedit generationem; quia tam generatio quam corruptio sunt termini motus; omne autem quod movetur, quando est in termino motus, disponitur secundum illud ad quod motus ordinatur; et ideo cum motus corruptionis tendat in non esse, generationis vero ad esse: quando forma introducitur, forma est; quando autem expellitur, non est. Et quia introduci forma dicitur, quando primo est, expelli autem in primo non esse; non potest materia sine forma hac vel illa esse; et ideo simul est ibi expulsio unius formæ et introductio alterius; ac proinde utraque est in eodem instanti. — 4. *Sent.* dist. 17, q. 1, a. 5, sol. 2.

Ad primum ergo dicendum, quod sicut albedo nunquam est in non albo, quia sua præsenti a facit album; ita forma sequens nunquam est in materia indisposita, quia sua præsentia tollit impedimentum formæ præcedentis, quod pertinet ad dispositionem materiæ; unde simul est materia disposita ad formam sequentem et habens formam sequentem. — 4. *Sent.* l. c. ad 1; *de Verit.* q. 28, a. 9, ad 5 et 7.

Ad secundum dicendum, quod forma sequens non agit ad destructionem formæ præcedentis per modum causæ efficientis, sed per modum causæ formalis, quæ simul est cum suo effectu formali, qui est esse hoc et non esse contrarium. — 4. *Sent.* l. c. ad 2.

Ad tertium dicendum, quod non est assignare ultimum instans in quo forma præcedens est, sed primum in quo non est; sed est assignare primum instans, in quo est forma sequens. — *Ibid.* ad 3.

Ad quartum dicendum, quod quando aliqua mutatio dicitur esse in instanti, non intelligitur, quod duo termini ejus sint in instanti (hoc enim est impossibile, cum omnis mutatio sit inter terminos oppositos, per se loquendo); sed intelligitur, quod transitus de uno termino in alium est in instanti, quod maxime contingit, quando inter terminos motus non datur medium, ut est in proposito. — *de Verit.* l. c. in c. et ad 9.

Ad quintum dicendum, quod fieri alicujus rei permanentis potest accipi dupliciter: *uno modo* proprie, et sic dicitur res fieri, quamdiu durat motus, cujus terminus est rei generatio; et sic quod fit, non est in permanentibus, sed fieri est rei per successionem, secundum quod Philosophus dicit (6. *Phys.*), quod fit, fiebat et fiet. *Alio modo* dicitur fieri improprie, ut scilicet dicatur aliquid fieri in illo instanti, in quo primo factum est: et hoc ideo, quia illud instans, in quantum est terminus prioris temporis, in quo fiebat, usurpat sibi hoc quod priori tempori debetur. Et sic non est verum, quod id quod fit, non est; sed quod nunc primo est, et ante hoc non erat. Et sic est intelligendum, quod in his quæ fiunt subito, simul est fieri et factum esse. — *Ibid.* ad 10.

QUÆSTIO XXXVI

DE ALTERATIONE.

Deinde considerandum est de alteratione.

CIRCA QUAM QUÆRUNTUR NOVEM:

1. Utrum recte definiatur a Philosopho alteratio.
2. Utrum alteratio sit tantum ad tertiam speciem qualitatis.
3. Utrum aliqua qualitas possit intendi et remitti.
4. Utrum intensio fiat per additionem.
5. Utrum alteratio sit motus continuus.
6. Utrum in motu alterationis sit tantum unus motus, recessus a frigore et accessus ad calorem.
7. Utrum qualitates summe intensæ possint esse in eodem subjecto.
8. Utrum qualitates remissæ possint esse in eodem subjecto.
9. Utrum indivisibile possit alterari.

ARTICULUS I

UTRUM RECTE TRADITA SIT A PHILOSOPHO DEFINITIO ALTERATIONIS.

Videtur quod definitio alterationis non sit a Philosopho recte tradita, quod sit transmutatio, manente eodem sensibili subjecto, in passionibus aut contrariis.

1. Alteratio enim habet duos terminos, nimirum qualitatem et formam substantialem; nam in eodem instanti terminatur ad utramque; sed motus quilibet debet definiri in ordine ad suum terminum, ut dictum est (supra q. 22, a. 5): ergo alteratiom ale definitur, quod sit transmutatio secundum passiones. — *Tabula Aurea* voce « alteratio » n. 5 et 6.

2. Præterea, alteratio corruptiva corrumpit totum subjectum; si enim nimium calefiat aqua, ipsa corrumpitur, et ex ea generatur aer vel aliquid aliud: ergo male definitur alteratio, quod sit mutatio manente subjecto eodem. — *Tabula Aurea* l. c. n. 3.

3. Præterea, nomine passionum et contrariorum intelligit Philosophus qualitates sensibiles, puta calidum et frigidum, album et nigrum, et similes; sed alteratio fit etiam in aliis accidentibus; est enim etiam in intellectu angeli, cum successive plura intelligit; hic enim motus non nisi ad alterationem revocari potest: ergo male a Philosopho definitur alteratio, quod sit in passionibus et contrariis. — 1. *de Generat.* l. 10; *Sent.* dist. 37, q. 4, a. 1. c. et ad 2.

Sed contra est auctoritas Philosophi (1. *de Generat. text.* 23; c. 4) definientis alterationem, quod sit transmutatio, manente eodem sensibili subjecto, in passionibus vel contrariis. — 1. *de Generat.* l. 10.

RESPONDEO DICENDUM, quod aliud est subjectum, aliud passio, quæ nata est dici de subjecto; differunt enim sicut substantia et accidens; nam subjectum est substantia, passio vero est accidens. Circa utrumque autem contingit esse transmutationem; nam quandoque fit in ipsa substantia, quando nimirum materia accipit aliam formam substantialem, ita ut non maneat aliquod sensibile, quasi idem subjectum numero ens actu, ut quando ex toto semine generatur totus sanguis. Quandoque autem fit in accidentibus, quod est quando manet idem subjectum sensibile, quia scilicet nulla fit transmutatio in ejus substantia, sed tantum in ejus passionibus seu qualitatibus. — 1. *de Generat.* l. 10.

Ad primum ergo dicendum, quod *alteratio* dicitur talis a primo termino, qui est qualitas, dicitur vero *generatio* a secundo termino, qui est forma substantialis. — 6. *Phys* l. 8; *Tabula Aurea* l. c. n. 5.

Ad secundum dicendum, quod alteratio dicitur corruptiva per accidens, quatenus per alterationem producitur aliquid, cum quo non potest consistere, ut dictum est.

Ad tertium dicendum, quod alteratio sumitur dupliciter: *uno modo* communiter, pro quacunque receptione rei; et hoc modo convenit angelis, quandocunque successive plura intelligunt; *alio modo* proprie pro receptione passibilis qualitatis, ad cujus adventum alia qualitas recedit, et hoc modo sumitur a Philosopho, cum illam definit in 1. *de Generat.* (*text.* 23; c. 4). — 1. *de Generat.* l. 10.

ARTICULUS II

UTRUM ALTERATIO SIT TANTUM AD TERTIAM SPECIEM QUALITATIS.

Videtur quod alteratio non sit tantum ad *tertiam speciem* qualitatis.

1. Dicit enim Philosophus (1. *de Generat. text.* 23; c. 4) alterationem definitam esse ad sanitatem et ægritudinem; sed hæ qualitates pertinent ad *primam* speciem: ergo alteratio non est tantum ad *tertiam* speciem. — 1. *de Generat.* l. 10.

2. Præterea, dicit Philosophus (7. *Phys. text.* 11; c. 2), quod omne quale ex eo alteratur, quia sensibile est; et inter sensibiles qualitates, quas statim enumerat, ponit illas, quæ non sunt in tertia specie qualitatis, ut sonum, qui est in prima specie; ergo alteratio non est tantum ad tertiam speciem qualitatis. — 7. *Phys.* l. 4.

3. Præterea, qualitates quartæ speciei, ut forma et figura, de novo removentur et de novo acquiruntur; non enim hoc videtur sine mutatione posse contingere; sed mutatio secundum qualitatem est alteratio, ut dicit Philosophus (5. *Phys. text.* 18; c. 2): ergo alteratio non est tantum ad tertiam speciem qualitatis. — 7. *Phys.* l. 5; 5. *Phys.* l. 4.

4. Præterea, potentia vel impotentia naturalis non acquiruntur nec removentur, nisi transmutata natura; sed hæc transmutatio non fit nisi per alterationem: ergo alteratio tantum est ad tertiam speciem qualitatis. — *Phys.* l. 5.

Sed contra est, quod Philosophus (7. *Phys. text.* 15; c. 3) probat, quod alteratio tantum est ad qualitates *tertiæ speciei* — 7. *Phys.* l. 5.

Respondeo dicendum, quod in qualitatibus primæ, secundæ et quartæ speciei non est alteratio primo et principaliter, sed secundario, quia hujusmodi qualitates consequuntur quasdam alterationes primarum qualitatum; sicut patet, quod cum materia subjecta densatur aut rarescit, sequitur mutatio secundum figuram; et similiter cum calefit aut frigefit, sequitur mutatio secundum sanitatem et ægritudinem, quæ pertinent ad primam speciem qualitatis; rarum autem et densum, calidum et frigidum sunt sensibiles qualitates. Et sic patet, quod non est alteratio ad qualitates *primæ* et *quartæ speciei* primo et per se.

Quod præterea confirmatur, et de *quarta* quidem *specie* manifestum est ex hoc quod in his quæ alterantur subjectum et passio æqualiter de invicem prædicantur, quia dicimus æs esse humidum, aut forte calidum, et e converso humidum vel calidum dicimus esse æs; et similiter dicimus hominem esse album, et album esse hominem. At in formis et figuris materia non æqualiter dicitur cum ipsa figura, ita quod alterum de altero dicatur in principali et recto, sed solum denominative materia prædicatur de forma et figura. Præterea, quia ridiculum est dicere, quod homo vel domus vel quidquid aliud alteretur ex hoc ipso quod accipit finem suæ perfectionis; puta si domus perficitur per hoc quod tegitur, vel per hoc quod lateribus ornatur aut cooperitur, ridiculum est dicere, quod domus alteretur, quando cooperitur aut lateratur. Item manifestum est, quod alteratio non est eorum quæ fiunt, in quantum fiunt, sed unumquodque perficitur et fit, in quantum accipit formam propriam et figuram. Non est ergo alteratio in acceptione figuræ et formæ.

Neque etiam est alteratio in *prima specie.* Neque enim est in habitibus corporeis. Nam hi sunt quædam virtutes et malitiæ. Virtus enim universaliter cujuslibet rei est, quæ bonum facit habentem et opus ejus bonum reddit. Unde virtus corporis dicitur, secundum quam bene se habet et bene operatur, ut sanitas; e contra autem est de malitia, ut de ægritudine. Omnis autem virtus et malitia dicuntur *ad aliquid,* ut patet inductione. Nam sanitas, quæ est virtus quædam corporis, est quædam commensuratio calidorum et frigidorum, quæ fit secundum debitam proportionem humorum, ex quibus componitur corpus, ad invicem et ad totum corpus; et similiter pulchritudo et macies dicuntur ad aliquid, non ita quidem, quod hujusmodi habitus et dispositiones hoc ip-

sum, quod sunt, ad aliquid sint, quia sic non essent in genere qualitatis, sed relationis, sed quia eorum ratio ex aliqua relatione dependet. Quia ergo in *ad aliquid* non est motus, neque generatio, neque alteratio, ut docet Philosophus (5. *Phys.*), neque ad hujusmodi habitus corporis erit alteratio primo et per se; sed eorum transmutatio consequitur aliquam priorem alterationem calidi et frigidi, aut alicujus hujusmodi; sicut etiam relationes esse incipiunt per consequentiam ad reliquos motus.

Neque etiam alteratio primo et per se reperitur in habitibus spiritualibus. Non enim in *appetitivis*, puta in virtute et malitia, quia nihil dicitur alterari, ut dictum est, quando perficitur, et eadem ratione neque quando corrumpitur; sed virtus quædam perfectio est, malitia vero corruptio: ergo secundum virtutem et malitiam non est alteratio primo et per se, sed tantum secundario, quatenus acceptio et remotio virtutis consequitur aliquam alterationem præcedentem, puta qua passiones vel totaliter removentur vel modificantur. — Neque in *intellectivis*, ut in scientia. Non enim in usu scientiæ acceptæ. Nam ex quo in parte intellectiva non est alteratio, non potest dici, quod ipse actus scientiæ, qui est consideratio, sit generatio. Neque in acceptione scientiæ, quia quidquid advenit alicui per solam quietationem et residentiam aliquarum perturbationum vel motionum, non advenit per generationem vel alterationem. Sed scientia, quæ est cognitio speculativa, et prudentia, quæ est ratio practica, adveniunt animæ per quietationem et residentiam corporalium motionum et sensibilium passionum; non ergo scientia et prudentia adveniunt animæ per generationem vel alterationem.

Neque demum est alteratio primo et per se in *secunda specie,* puta in potentia et impotentia naturali, quia manifestum est, quod hæ non accipiuntur aut removentur nisi transmutata natura, quod fit per alterationem. — Unde manifestum est quod tantum ad *tertiam speciem* qualitatis est primo et per se alteratio. — 7. *Phys.* l. 5 et 6; 1. *de Cœlo* l. 7.

Ad primum ergo dicendum, quod alteratio primo et per se terminatur ad qualitates *tertiæ* speciei, secundario vero ad qualitates *primæ*, *secundæ* et *quartæ* speciei, ut dictum est. — 1. *de Generat.* l. 10.

Ad secundum dicendum, quod alteratio sumitur loco citato a Philosopho late, prout comprehendit tam eam, quæ terminatur ad qualitates habentes esse fixum et permanens, quam eam, quæ terminatur ad qualitates in quadam immutatione consistentes. — 2. *de Anima* l. 16

Ad tertium dicendum, quod alteratio est ad qualitates primæ, secundæ et quartæ speciei secundario et minus principaliter, non autem primo et per se, ut dictum est (in c.). — Et sic patet *ad quartum.*

ARTICULUS III

UTRUM ALIQUA QUALITAS POSSIT INTENDI ET REMITTI.

Videtur quod nulla qualitas possit intendi et remitti.

1. Intensio enim est quoddam augmentum; intendi enim aliquid est recipere magis, quod est augeri; sed augmentum est circa quantitatem, ut dicitur 5. *Phys.* (*text.* 18; c. 2): ergo cum qualitas non sit quantitas, non poterit augeri, et per consequens nec intendi aut remitti. — *Tabula Aurea* voce «intensio» n. 4; 1a 2æ, q. 52, a. 1, arg. 1; *de Virtut. in comm.* a. 11, arg. 1.

2. Præterea, habitus est perfectio quædam, ut dicitur 7. *Phys.* (*text.* 18; c. 3); sed perfectio cum importet finem et terminum, non videtur posse recipere magis et minus, atque adeo intendi: ergo habitus et per consequens prima species qualitatis non potest intendi. — 1a 2æ l. c. arg. 2.

3. Præterea, omne illud cujus ratio consistit in maximo, non potest esse majus vel minus, atque adeo intendi vel remitti; sed ratio habitus, puta virtutis, consistit in maximo; est enim virtus ultimum potentiæ, ut Philosophus dicit (1. *de Cœlo text.* 116; c. 11): ergo videtur quod virtus et per

consequens habitus, qui est prima species qualitatis, non potest intendi et remitti. — 1a 2æ, q. 66, a. 1, arg. 2.

4. Præterea, cujus ratio consistit in indivisibili, non potest intendi et remitti; sed ratio formæ et figuræ consistit in indivisibili, ut dicit Philosophus in *Prædicam.* (c. 8, de *quali*): ergo forma et figura, atque adeo qualitates quartæ speciei, non possunt intendi et remitti. — 1a 2æ, q. 52, a. 1, c.

5. Præterea, eadem est ratio potentiarum naturalium atque formarum specificantium, quas ipsæ consequuntur; sed illæ non suscipiunt magis et minus, ut dicit Philosophus in *Prædicam.* (l. c.): ergo nec naturales potentiæ. — Cfr. Cajetanus in 1am 2æ, q. 52, a. 1. Vide in Logica q. 10, a. 3, ad quæst. 5.

6. Præterea, qualitates tertiæ speciei, sicut et aliarum specierum, sunt formæ quædam accidentales; sed forma est simplicissima et invariabilis essentia consistens: ergo nec qualitates tertiæ speciei, sicut nec reliquarum specierum, secundum essentiam variantur, et consequenter nec secundum essentiam intenduntur vel remittuntur. — *de Virt. in comm.* a. 11, arg. 2.

Sed contra: 1. Philosophus (4. *Phys. text.* 84: c. 9) dicit, quod per rarefactionem subjectum ex calido fit magis calidum; sed ideo subjectum fit magis calidum, quia calor intenditur et augetur in subjecto: ergo aliquæ qualitates intenduntur et remittuntur. — 4. *Phys.* l. 14.

2. Præterea, virtutes sunt qualitates quædam; sed virtutes intenduntur et remittuntur, sive in eodem subjecto secundum diversa tempora, sive in diversis subjectis, ut patet: ergo aliquæ qualitates intenduntur et remittuntur. — 1a 2æ, q. 66, a. 1, c.

Respondeo dicendum, quod cum nomina sint signa intellectuum, ut dicitur 1. *Periherm.* (c. 1), sicut ex magis notis cognoscimus minus nota, ita etiam ex magis notis minus nota nominamus. Et inde est quod quia motus localis est notior inter omnes motus, ex contrarietate secundum locum derivatur nomen distantiæ ad omnia contraria, inter quæ potest esse aliquis motus, ut dicit Philosophus (10. *Metaphys.*). Et similiter quia motus secundum quantitatem est sensibilior quam motus secundum alterationem, inde est quod nomina convenientia motui secundum quantitatem derivantur ad alterationem. Dicitur autem in *quantitatibus* corporeis aliquid magnum, secundum quod ad debitam perfectionem quantitatis perducitur. Unde aliqua quantitas reputatur magna in homine, quæ non reputatur magna in elephante.

Unde et in *formis* dicimus aliquid magnum ex hoc quod est perfectum. Perfectio autem formæ dupliciter potest considerari: uno modo, secundum ipsam formam; alio modo, secundum quod subjectum participat formam. In quantum igitur attenditur perfectio formæ secundum ipsam formam, sic non dicitur ipsa esse parva vel magna, puta magna vel parva sanitas vel scientia. In quantum vero attenditur perfectio formæ secundum participationem subjecti, dicitur magis et minus album et sanum. Non autem ista distinctio procedit secundum hoc quod forma habeat esse præter materiam aut subjectum, sed quia alia est consideratio ejus secundum rationem suæ speciei, et alia secundum quod participatur in subjecto.

Secundum hoc igitur circa intensionem et remissionem formarum fuerunt *quatuor opiniones* apud philosophos, ut Simplicius narrat in Comment. *de Prædicam.* Plotinus enim et alii *Platonici* ponebant ipsas qualitates suscipere magis et minus, propter hoc quod materiales erant, et ex hoc habebant indeterminationem quandam, propter materiæ infinitatem. *Alii* vero in contrarium ponebant, quod ipsæ qualitates secundum se non recipiebant magis et minus, sed qualia dicuntur magis et minus secundum diversam participationem, puta quod justitia non dicitur magis et minus, sed justum; et hanc opinionem tangit Aristoteles in *Prædicam.* *Tertia* fuit *opinio* Stoicorum media inter has: posuerunt enim, quod aliqui habitus secundum se recipiunt magis et minus, sicuti artes; quidam autem non, sicut virtutes. *Quarta opinio* fuit quorundam dicentium, quod qualitates et formæ immateriales non recipiunt magis

et minus, materiales autem recipiunt.

Ut igitur hujus rei veritas manifestetur, considerandum est, quod illud secundum quod sortitur aliquid speciem, oportet esse fixum et stans et quasi indivisibile. Quæcunque enim ad illud attingunt, sub specie continentur; quæcunque autem recedunt ab illo vel in plus vel in minus, pertinent ad aliam speciem vel perfectiorem vel imperfectiorem. Unde Philosophus dicit (8. *Metaphys. text.* 10; l. 7, c. 3), quod species rerum sunt sicut numeri, in quibus additio vel diminutio variat speciem. Si igitur aliqua forma vel quæcunque res secundum se ipsam vel secundum aliquid sui sortitur rationem speciei, necesse est quod secundum se considerata habeat determinatam rationem, quæ neque in plus excedere neque in minus deficere possit; et hujusmodi sunt calor et albedo et aliæ hujusmodi qualitates, quæ non dicuntur in ordine ad aliud, et multo magis substantia, quæ est per se ens. Illa vero, quæ recipiunt speciem ex aliquo ad quod ordinantur, possunt secundum se ipsa diversificari plus in vel minus; et nihilominus sunt eadem specie, propter unitatem ejus ad quod ordinantur, ex quo recipiunt speciem; — sicut motus secundum se est intensior et remissior, et tamen remanet eadem species propter unitatem termini, ex quo specificatur. Et idem potest considerari in sanitate. Nam corpus pertingit ad rationem sanitatis, secundum quod habet dispositionem convenientem naturæ animalis, cui possunt dispositiones diversæ convenientes esse; unde potest variari dispositio in plus vel minus, et tamen semper remanet sanitatis ratio. Unde Philosophus dicit (10. *Ethic.* c. 3), quod sanitas ipsa recipit magis et minus; non enim eadem est commensuratio in omnibus, neque in uno et eodem semper, sed remissa permanet sanitas usque ad aliquid. Hujusmodi autem diversæ dispositiones vel commensurationes sanitatis se habent secundum excedens et excessum; unde si nomen sanitatis esset impositum soli perfectissimæ commensurationi, tunc ipsa sanitas non diceretur major vel minor.

Sic igitur patet, qualiter aliqua qualitas vel forma possit *secundum se ipsam* intend vel remitti, seu augeri et minui, et qualiter non.

Si vero consideremus qualitatem vel formam *secundum participationem subjecti*, sic etiam inveniuntur quædam qualitates et formæ recipere magis et minus, et quædam non. Hujusmodi autem diversitatis causam Simplicius assignat ex hoc quod substantia secundum se ipsam non potest recipere magis et minus, quia est ens per se; et ideo omnis forma quæ substantialiter participatur in subjecto, caret intensione et remissione. Unde in genere substantiæ nihil dicitur secundum magis et minus. Et quia quantitas est propinqua substantiæ, et figura consequitur quantitatem: inde est quod neque etiam in istis dicitur aliquid secundum magis et minus. Unde Philosophus dicit (7. *Phys. text.* 15; c. 3), quod cum aliquid accipit formam et figuram, non dicitur *alterari*, sed magis *fieri*. Aliæ vero qualitates, quæ sunt magis distantes a substantia et conjunguntur passionibus et actionibus, accipiunt magis et minus secundum participationem subjecti.

Potest autem et magis explicari hujusmodi diversitatis ratio. Ut enim dictum est, id a quo aliquid habet speciem, oportet manere fixum et stans in indivisibili. Duobus igitur modis potest contingere, quod forma non participatur secundum magis et minus: *uno modo*, quia participans habet speciem secundum ipsam; et inde est quod nulla forma substantialis participatur secundum magis et minus. Et propter hoc Philosophus dicit (8. *Metaphys. text.* 10; l. 7, c. 3), quod sicut numerus non habet magis et minus, sic neque substantia, quæ est secundum speciem, id est quantum ad participationem formæ specificæ; sed si quidem cum materia, id est secundum materiales dispositiones, invenitur magis et minus in substantia. *Alio modo* potest contingere ex hoc quod ipsa indivisibilitas est de ratione formæ. Unde oportet quod si aliquid participat illam formam, quod participet illam secundum rationem indivisibilitatis. Et inde est quod species numeri non dicuntur secundum magis

et minus, quia unaquæque species in eis constituitur per indivisibilem unitatem. Et eadem ratio est de speciebus quantitatis continuæ, quæ secundum numeros accipiuntur, ut bicubitum et tricubitum; et de relationibus, ut duplum et triplum; et de figuris, ut trigonum et tetragonum. Et hanc rationem ponit Aristoteles in *Prædicamentis*, ubi assignans rationem, quare figuræ non recipiunt magis et minus, dicit, quæ quidem recipiunt trigoni rationem et circuli, et similiter trigona vel circuli sunt, quia indivisibilitas est de ipsa eorum ratione. Unde quæcunque participant rationem eorum, oportet quod indivisibiliter participent.

Ex his igitur patet, quomodo et quænam qualitates intendantur et remittantur, et quæ non. — Et ex his patet *ad quartum*. — *de Virt. in com.* a. 11, c.; 1a 2æ, q. 52, a. 1, c.

Ad primum ergo dicendum, quod sicut nomen *magnitudinis* derivatur a quantitatibus corporalibus ad intelligibiles perfectiones formarum et ad qualitates, ita etiam nomen *augmenti*, et per consequens *intensionis*, cujus terminus est magnum. — 1a 2æ, l. c. ad 1; *de Virt. in comm.* l. c. ad 1.

Ad secundum dicendum, quod habitus quidem perfectio est, non tamen talis, quæ sit terminus sui subjecti, puta dans ei esse specificum; neque etiam in sui ratione terminum includit, sicut species numerorum. Unde nihil prohibet, quin recipiant magis et minus. — 1a 2æ, l. c. ad 2.

Ad tertium dicendum, quod illud ultimum, quod pertinet ad virtutem, potest habere rationem magis vel minus boni, cum non sit indivisibile. — 1a 2æ, q. 66, a. 1, ad 2.

Ad quintum dicendum, quod naturales potentiæ, quæ consequuntur immutabiliter substantias cum formis specificantibus connumerantur; secus vero quæ mutabiliter, ut durum et molle; hæc enim suscipiunt magis et minus; alteratione enim facta fiet magis molle aut minus. — Cfr. Cajetanus in 1am 2æ, q. 52.

Ad sextum dicendum, quod forma est invariabilis, quia non est variationis subjectum; potest tamen dici variabilis, prout subjectum secundum eam variatum, plus et minus eam participat. — *de Virt. in comm.* a. 11, ad 2.

ARTICULUS IV

UTRUM INTENSIO QUALITATIS FIAT PER ADDITIONEM SIMILIS FORMÆ.

Videtur quod intensio qualitatis fiat per additionem similis formæ.

Dicit enim Philosophus (3. *de Cœlo text.* 4 et 12; c. 1), quod omnis gravitas major alia gravitate excedit minorem per aliquam gravitatem; sed hoc ideo est, quia per additionem similium fit aliquod majus, et quia gravitas, sicut et levitas et aliæ qualitates, ut calor, albedo et similes, sunt divisibiles in partes homogeneas; nam omne majus dividitur in æquale et plus: ergo intensio formæ accidentalis fit per additionem similis formæ. — *de Cœlo* l. 3.

2. Præterea, nomen augmenti a quantitatibus corporalibus transfertur ad formas; sed in quantitatibus corporalibus non fit augmentum sine additione; unde in 1. *de Generat.* (*text.* 31; c. 5) dicitur, quod augmentum est præexistenti magnitudini additamentum: ergo et in qualitatibus non fit augmentum et intensio nisi per additionem similis formæ. — 1a 2æ, q. 52, a. 2, arg. 1; 1. *Sent.* dist. 17, q. 2, a. 2, arg. 1; 2a 2æ, q. 24, a. 5, arg. 1.

3. Præterea, qualitas non augetur nisi aliquo agente; sed omne agens aliquid facit in subjecto patiente, sicut calefaciens facit calorem in calefacto: ergo non potest esse intensio vel augmentum in qualitate, nisi aliqua fiat additio similis formæ. — 1a 2æ, q. 52, a 2, arg. 2.

4. Præterea, sicut id quod non est album, est in potentia ad album, ita id quod est minus album, est in potentia ad magis album; sed id quod non est album, non fit album nisi per adventum albedinis: ergo id quod est minus album, non fit magis album nisi per aliquam aliam albedinem supervenientem. — 1a 2æ, l. c. arg. 3.

5. Præterea, simile simili augetur, ut dicitur in 2. *de Anima* (*text.* 44; c. 4); ergo si qualitas augetur et intenditur, debet au-

geri et intendi per additionem similis qualitatis. — *de Virt. in com.* a. 11, arg. 6.

6. Præterea, si qualitas augetur, oportet quod ad aliquam speciem motus ejus augmentum reducatur; sed non potest reduci nisi ad alterationem, quæ est motus ad qualitatem: ergo si qualitas intenditur, debet intendi per additionem qualitatis. — *Ibid.* arg. 11.

Sed contra est 1. quod Philosophus dicit (4. *Phys. text.* 84; c. 9), quod ex calido fit magis calidum, nullo facto in materia calido, quod non esset calidum, quando erat minus calidum: ergo pari ratione nec in aliis formis et qualitatibus, quæ augentur, est aliqua additio. — 1a 2æ, l. c. arg. *Sed contra.*

2. Præterea, simplex additum simplici non facit aliquid majus, ut dicitur 3. *Phys.* (*text.* 59; c. 6); sed qualitas est quid simplex: ergo qualitas non potest intendi et augeri per additionem similis formæ. — 2a 2æ, q. 24, a. 5, arg. *Sed contra;* 1. *Sent.* dist. 17, q, 2, a. 2, arg. 1 *Sed contra.*

Respondeo dicendum, quod de hoc augmento qualitatum varie locuti sunt philosophi. *Quidam* enim dixerunt, quod qualitates non augentur secundum essentiam, sed secundum quod radicantur fortius in subjecto, vel in quantum ferventius vel intensius operantur; sed hi penitus irrationabiliter sunt locuti. Nihil enim est aliud qualitatem aliquam augeri, quam subjectum magis participare qualitatem; non enim est aliquod esse qualitatis, nisi quod habet in subjecto. Ex hoc autem ipso quod subjectum magis participat qualitatem, vehementius operatur, quia unumquodque agit in quantum est actu; unde quod magis est reductum in actum, perfectius agit: ponere igitur quod aliqua qualitas non augeatur secundum essentiam, sed secundum radicationem in subjecto, vel secundum intensionem actus, est ponere contradictoria esse simul. — *de Virt. in com.* a. 11, c.

Et ideo *alii* dixerunt, quod qualitas augetur quidem etiam secundum essentiam, sed ita ut augmentum illius fiat per abbitionem. Sed contra hoc est, quia omnis additio est alicujus ad aliquid; unde in omni additione oportet saltem præintelligere distinctionem eorum, quorum unum additur alteri ante ipsam additionem. Si ergo qualitas additur qualitati, oportet præsupponere qualitatem additam, ut distinctam a qualitate cui additur, non quidem ex necessitate secundum esse, sed saltem secundum intellectum. Posset enim Deus etiam quantitatem corporalem augere, addendo aliquam magnitudinem non prius existentem, sed tunc creatam, quæ quamvis prius non fuerit in rerum natura, habet tamen in se unde ejus distinctio intelligi possit a quantitate cui additur. Si ergo qualitas additur qualitati, oportet præsupponere ad minus secundum intellectum distinctionem unius qualitatis ab alia. Distinctio autem in formis est duplex: una quidem secundum speciem, alia secundum numerum. (2a 2æ, q. 24, a. 5, c.) Constat autem, quod non est distinctio secundum speciem, cum omnes calores sint ejusdem speciei, et similiter omnes albedines. Diversitas autem secundum numerum est ex diversitate materiæ; sicut *hæc* albedo differt ab *illa* numero, quia est in diverso subjecto. Unde non potest qualitas addi qualitati, nisi per hoc quod subjectum additur subjecto. Qualitas autem, quæ addi potest, nunquam fuit in alio subjecto antequam in isto; et secundum hoc quod est in isto, non differt numero ab alia qualitate in eodem existente. Unde nullo modo est ibi intelligere additionem. Sed ista positio provenit ex falsa imaginatione, quia augmentum qualitatis imaginati sunt ad modum augmenti corporis, in quo fit additio quantitatis ad quantitatem. — 1. *Sent.* dist. 17, q. 2, a. 2, c.

Et ideo *alii* dicunt, quod augetur secundum intensionem; et hoc sic patet. Ut enim dicit Boethius in libro *de Hebdom.*, quod est, potest aliquid aliud participare, sed ipsum esse nullo alio participat. Et simili ratione nulli formæ potest aliquid addi, quod non sit de essentia ejus. Quod autem additur alicui formæ, ut existens de essentia ejus, variat speciem ejus, sicut sensitiva addita vegetativa mutat speciem; et sic rationalis

addita sensitivæ, ita ut sint eadem essentia in composito, sicut unitas addita numero variat illius speciem, ut dicitur 8. *Metaphys.* (*text*, 10; l. 7, c. 3). Unde per hunc modum invenitur una forma melior alia, et major in bonitate, secundum quod est in altiori specie constituta. — Relinquitur ergo, quod forma in eadem specie manens non potest augeri per hoc quod sibi fiat additio; sed per hoc quod fit additio subjecto. Quæ quidem additio quandoque secundum quantitatem intelligitur, sicut cum corpori albo additur aliud corpus album, et per accidens albedo albedini; et fit majus album, sed non magis album, quod non est in proposito; quandoque vero secundum formam, non autem secundum quod subjecto additur aliqua forma secundum speciem. Eadem vero secundum speciem non potest addi, nisi secundum quod magis inest, seu secundum quod subjectum magis ac magis participat qualitatem (Hannibaldus in 1. *Sent.* dist. 17, q. 1, al. 2, a. 2, c). Magis autem inest, et subjectum magis participat qualitatem, secundum quod potentia subjecti magis terminatur sub actu formæ, seu magis reducitur in actum illius, et magis illi subditur; atque adeo, quia illa qualitas, quæ prius inerat, intenditur secundum propinquitatem ad terminum. — 2a 2æ, q. 24, a. 5, c.; 1. *Sent.* dist. 17, q. 2, a. 2, c.

Quod tamen diversimode contingit in qualitatibus simplicibus et compositis, seu primis et secundis. Nam qualitates compositæ vel secundæ intenduntur secundum intensionem qualitatum primarum, sicut sapor et sanitas et alia hujusmodi secundum intensionem caloris et frigoris, humoris et siccitatis. Qualitates autem primæ et simplices intenduntur ex causis suis, scilicet ex agente et recipiente. Agens enim intendit reducere patiens de potentia in actum suæ similitudinis, quantum potest. Sicut autem non calidum est potentia respectu calidi, ita minus calidum est potentia respectu magis calidi. Unde sicut per potentiam calidi efficitur de non calido calidum, non quod ponatur ibi aliquis calor, sed quia calor, qui est in potentia, educitur in actum; ita etiam efficitur magis calidum per actionem calidi, in quantum educitur calor, qui inerat ut actus imperfectus, in majorem perfectionem et majorem assimilationem agentis. Et hoc contingit, secundum quod potentia subjecta actui, quæ quidem, quantum in se est, ad multa se habet, magis ac magis terminatur ab actu illo, vel quia augetur virtus agentis; sicut ex conjunctione plurium luminarium intenditur illuminatio; vel ex parte ipsius materiæ, secundum quod efficitur susceptibilior illius actus; sicut aer quo plus attenuatur, fit susceptibilior luminis. Utroque enim modo qualitates naturales intendi possunt, ad differentiam donorum gratuitorum seu qualitatum infusarum, quæ non intenduntur priori modo, ex hoc quod virtus agentis fortificatur; sed tantum ex hoc quod natura recipiens, quæ, quantum in se est, dispositionem quandam habet, secundum quod est in potentia ad plura, magis ac magis præparatur ad susceptionem gratiæ, secundum quod ex dicta multitudine, scilicet confusione potentialitatis, in unum colligitur per operationes, quibus ad caritatem suscipiendam præparatur. — 1. *Sent.* dist. 17, q. 2, a. 2, c.; cf. *ibid.* a. 1, c.

Et sic patet, quod augmentum qualitatum infusarum simile est augmento qualitatum naturalium, licet origo harum differat ab origine illarum. Cujus ratio est, quia qualitates naturales educuntur de potentia materiæ, quarum inchoationes quasdam materiæ Deus operi creationis indidit; et ideo quando in actum procedunt, est exitus de imperfecto ad perfectum. Dona autem gratuita non educuntur quasi de potentia naturæ, quia nihil est in potentia naturali, quod per agens naturale educi non possit. Et ideo *origo* gratiæ est per novam infusionem; sed *augmentum* ejus est per hoc quod de imperfecto ad perfectum actus infusus educitur (1. *Sent.* l.c. a. 2, c.); *sicut* similiter, ut dictum est (supra a. 3), contingit in augmento cujuslibet qualitatis naturalis. Non enim est de ratione intensionis alicujus qualitatis, quod sit per remotionem a contrario; sed hoc accidit qua-

litati, secundum quod inest in subjecto participante contrarium. Sed hoc est de necessitate intensionis, quod qualitas educatur de imperfecto ad perfectum; sicut patet de diaphano, in quo nihil est contrarium luci, quod potest lumen intendi secundum incrementum virtutis illuminantis. Hæc autem imperfectio est ex potentialitate ipsius naturæ, quæ subjicitur perfectioni et actui. Cum enim omnis potentia receptiva ad multa se habeat, secundum istam multitudinem ipsius dissimilis est principio agenti, quod est terminatum ad actum unum; et secundum quod ista confusio potentialitatis magis subjicitur actui, perfectior efficitur actus, et ipsum perfectum magis efficitur unum et magis assimilatum principio agenti. Et ex his patet, quomodo intendantur qualitates. — 1. *Sent.* 17, q. 2, a. 2, c. et ad 3.

Ad primum ergo dicendum, quod gravitas præcedens non fit major per novam gravitatem simpliciter, sed per novam perfectionem, ratione cujus præcedens gravitas dicitur perfectior, et subjectum simpliciter gravius, ut dictum est (in c.).

Ad secundum dicendum, quod propositio Philosophi intelligitur de augmento corporali, quod fit semper per additionem quantitatis, quia in hac materia ab ipso proponitur. (1. *Sent.* l. c. ad 1.) — *Vel dic*, quod etiam in magnitudine corporali contingit dupliciter augmentum: uno modo, per additionem subjecti ad subjectum, sicut est in augmento viventium; alio modo, per solam intensionem absque omni additione, sicut est in his quæ rarefiunt, ut dicitur *4. Phys. text.* 84; c. 9. — Et ratio hujus est, quia quantitas corporalis habet aliquid, in quantum est quantitas, et aliquid, in quantum est forma accidentalis. In quantum est *quantitas,* habet quod sit dissimilis secundum situm, et secundum numerum; et ideo hoc modo consideratur augmentum magnitudinis per additionem, ut patet in animalibus. In quantum vero est *forma accidentalis,* est dissimilis solum secundum subjectum; et secundum hoc habet proprium augmentum, sicut et aliæ formæ accidentales, per modum intensionis ejus in subjecto, sicut patet in his quæ rarefiunt, ut dictum est ex Philosopho. — 1a 2æ, q. 52, a. 2, ad 1; 2a 2æ, q. 24, a. 5, ad 1.

Ad tertium dicendum, quod causa augens qualitatem facit quidem semper aliquid in subjecto, non tamen novam formam; facit enim, quod subjectum perfectius participet formam præexistentem, aut quod amplius se extendat, ut patet in habitibus. Et ratio hujus est, quia agens non potest efficere in subjecto nisi id, ad quod subjectum est in potentia; postquam autem subjectum recepit formam, non est amplius in potentia ad illam, sed tantum est in potentia ad perfectum participationis modum. — 1a 2æ, l. c. ad 2 et 3,

Ad quartum dicendum, quod id quod nondum est album, est in potentia ad formam ipsam, tamquam nondum habens formam, et ideo agens causat novam formam in subjecto; sed id quod est minus album aut calidum, non est in potentia ad formam, cum jam actu illam habeat, sed est in potentia ad perfectum participationis modum; et hoc consequitur per actionem agentis. — *Ibid.* ad 3.

Ad quintum dicendum, quod augmentum, quod fit per additionem, est augmentum substantiæ quantæ; sic autem qualitas non augetur, ut dictum est. — *de Virt. in com.* a. 11, ad 6.

Ad sextum dicendum, quod motus augmenti qualitatis reducitur ad alterationem, secundum quod alteratio dicitur secundum receptionem et perfectionem. Nihil enim aliud est intendi qualitatem vel formam, quam subjectum habens illam formam moveri de forma imperfecta ad perfectam; hoc autem nihil aliud est, quam subjectum magis reduci in actum. Nam forma vel qualitas actus est; unde subjectum magis percipere formam nihil aliud est, quam ipsum reduci magis in actum illius formæ; et sicut ab agente reducitur aliquid de pura potentia in actum formæ, ita etiam per actionem agentis reducitur de actu imperfecto in actum perfectum. — *Ibid.* ad 11 et in c.

ARTICULUS V

UTRUM ALTERATIO SIT MOTUS CONTINUUS.

Videtur quod alteratio non sit motus continuus.

1. Dicit enim Philosophus (*de Sensu et Sensibili* c. 7, al. 6), quod aer simul totus et in instanti illuminatur; sed illuminatio est alteratio, ut docet Philosophus ibidem: ergo alteratio non est motus continuus. — *de Sensu et Sensibili* l. 16.

2. Sed dices, quod non omnis alteratio est motus continuus, sed illa tantum, quæ est inter terminos contrarios. — Contra, productio soni fit per alterationem, ut docet Philosophus (l. c.); sed nihil est contrarium sono: ergo productio soni debet fieri in instanti. — *Ibid.*

3. Præterea, dicit Philosophus (8, *Phys. text.* 23; c. 3), quod dicere alterationem continue fieri, est rebus perspicuis admodum adversari: ergo alteratio non est motus continuus. — 8. *Phys.* l. 5.

4. Præterea, dicit Philosophus ibidem, quod alteratio non est partibilis, licet subjectum, quod alteratur, sit partibile, sed fit simul secundum plures partes; sed quæ ita moventur, non moventur in tempore, sed in instanti; alioqui talis motus deberet dividi secundum divisionem temporis et mobilis, ut dicit Philosophus (in 6. *Phys. text.* 24 sqq.; c. 3): ergo alteratio non est motus continuus. — 8. *Phys.* l. 5; 6. *Phys.* l. 5.

5. Præterea, si aliquid alteratur continue in toto aliquo tempore, oportet quod prius alteretur in medio tempore, quam perveniat ad finem temporis; sed cum illud tempus medium sit divisibile, oportet quod etiam alteretur in medio illius medii, et sic in infinitum, cum tempus sit in infinitum divisibile; infinita autem non est transire: ergo alteratio non est motus continuus, nec fit in tempore, sed in instanti. — 6. *Phys.* l. 11.

6. Præterea, dicit Philosophus (6. *Phys. text.* 49; c. 5), quod res permanens incipit per primum sui esse; sed qualitas, quæ est terminus alterationis, est quid permanens: ergo incipit per primum sui esse, et consequens per minimam sui partem, atque adeo in instanti: non ergo alteratio fit in tempore, atque adeo successive. — 6. *Phys.* l. 7.

7. Præterea, si alteratio esset motus continuus, sequuntur *multa inconvenientia:* — et *primo* quidem non dari primum esse alterationis, contra Philosophum 6. *Phys.* (*text.* 49; c. 5), ubi sicut negat dari primum esse in motu locali, et augmentationis, ita illud affirmat de motu alterationis (6. *Phys.* l. 7); — *secundo*, in fine horæ qualitatem esse infinite intensam; nam ex infinitis instantibus, quæ sunt in una hora, in quolibet res secundum qualitatem, puta calorem, est variata; — *tertio*, rem debite applicatam passo non agere in illud in eo instanti, in quo est debite applicata, cum tamen in eo etiam instanti, in quo res incipit esse, possit operari; — *quarto*, non dari minimam qualitatem; nam illa in instanti producitur (cum tamen dari debeat, ut docet Philosophus *de Sensu et Sensibili*, cum detur et maxima, et sint ejusdem rationis summus calor et parvus calor, intensus et remissus); — *postremo*, vel formam accidentalem desinere intrinsece, vel in materia per aliquod tempus inveniri plus quam octo gradus qualitatis. Sequela autem probatur, quia si alteratio, v. g. calefactio, est motus continuus, incipit extrinsece; unde verum est dicere, nunc non est calefactio ligni, sed immediate post erit; at hoc posito sequitur unum ex dictis duobus inconvenientibus. Nam si immediate post erit calefactio, immediate post erit calor, et consequenter immediate post instans non erit frigus oppositum calori; et proinde sequitur quod tale frigus nunc ultimo sit; et sic frigus desinet intrinsece. Quod si dicatur, quod non ultimo est frigus, sequitur quod simul erit immediate post hoc instans, in quo extrinsece ponitur incipere calefactio et calor, et totum frigus; et sic in materia erit major latitudo quam octo graduum qualitatis, quod est falsum. Dicendum est ergo, quod alteratio non est motus continuus. — 6. *Phys.* l. 7; 1a, q. 63, a. 5, c.; *de Sensu et Sensibili* l. 16.

Sed contra est, quod Philosophus 3. *Phys.* (*text.* 1; c. 1) dicit, quod motus est de genere continuorum; et 5. *Phys.* (*text.* 39; c. 4), quod omnis motus est continuus; est autem alteratio motus proprie dictus, ut contradistinguitur motus a mutatione, ut patet ex 5. *Phys.* (*text.* 10 et 17; c. 2). Et 6. *Phys.* (*text.* 60; c. 11) dicit, quod omne quod movetur, in tempore movetur; tempus autem quoddam continuum est et divisibile in infinitum, ut dicitur ibidem: ergo quod alteratur, continue alteratur; nam alteratio est motus. — 3. *Phys.* l. 1; 5. *Phys.* l. 7. et 3; 6. *Phys.* l. 9.

Respondeo dicendum, quod *dupler* est *alteratio: una*, cujus termini sunt esse et non esse, vel privatio et forma, et hæc est instantanea, nec potest esse successiva. Cujus ratio est, quia tempus alterationis commensuratur distantiæ terminorum. Et ideo majus tempus requiritur ceteris paribus ad hoc quod de frigido fiat calidum, quam ad hoc quod de tepido fiat calidum. Et ideo si aliqua extrema sunt, inter quæ non sit accipere medium, oportet quod de uno extremo in aliud fiat transitus absque medio. Contradictio autem est oppositio, cujus non est medium secundum se, ut dicitur in 1. *Poster.* (*text.* 5; c. 2); et eadem ratione de privatione, supposita aptitudine subjecti, cum privatio nihil aliud sit quam negatio in subjecto. Unde alteratio et quæcunque mutatio, cujus termini sunt esse et non esse, fit in instanti, et per consequens non est motus continuus.

Altera est, cujus termini sunt contrarii; et hæc rursum considerari potest *quadrupliciter: primo,* ratione motus in communi, ut distinguitur contra mutationem; *secundo,* ratione terminorum contrariorum, seu ex propria ratione alterationis, quæ proprie est ad tertiam speciem qualitatis; *tertio,* ratione generationis substantialis, qui est secundus terminus alterationis; *quarto,* ratione mobilis. — Si consideretur alteratio *primo modo,* est motus continuus, seu fit successive et non in instanti; quod ex hoc constare potest, quod termini cujuslibet *motus* sunt oppositi ad invicem et incontingentes, ut patet in 1. *Phys. text.* 44; c. 5. Unde oportet quod mobile et alterabile intelligatur, cum prius est in uno termino motus, et posterius in altero, et sic sequitur successio.

Sed transire de uno termino in alterum, in motibus corporalibus contingit dupliciter: *uno modo,* sicut de tempore in instans; et hoc accidit motibus, quorum termini sunt privatio et forma, inter quæ constat medium non esse; unde non potest sic transire de uno extremo in alterum, ut quandoque in neutro extremorum sit; sicut transitur de instanti in instans, ita quod in neutro instantium est, sed in medio tempore. Et hujusmodi motus sunt generatio et corruptio, illuminatio et hujusmodi, in quibus oportet dicere, quod unus terminus erat in toto tempore præcedente, et alius in instanti, ad quod tempus terminatur. Hujusmodi autem mutationes sunt termini motus cujusdam, sicut illuminatio diei est terminus motus localis solis; unde in toto tempore præcedente quo sol movetur ad punctum directe oppositum, erant tenebræ, in ipso vero instanti quo pervenit ad punctum prædictum, est lumen. Et similiter est de generatione et corruptione, quæ sunt termini alterationis. Et quia inter tempus et instans non cadit aliquod medium, nec est aliquod instans accipere immediate præcedens ultimum tempus, inde est quod in hujusmodi mutationibus absque omni medio transitur de uno extremo in aliud. Neque est accipere ultimum tempus, in quo fuerit in termino a quo, sed ultimum tempus, quod terminatur ad instans, in quo est in termino ad quem; et ideo hujusmodi mutationes instantaneæ dicuntur. — *Alio modo* transitur de uno termino motus in alium, sicut de instanti in instans. Hoc autem esse non potest, nisi quando sunt tales termini motus, inter quos est accipere aliquo modo medium: sicut inter duo instantia est tempus medium, ut patet in loci mutatione, augmento et diminutione, et in alteratione. Et hi motus dicuntur continui propter continuitatem ejus, super quod transit motus, cujus est plus et minus accipere: puta magnitudinis in motu locali, et terminorum in

augmentatione et alteratione. Sicut enim in motu locali tempus commensuratur distantiæ magnitudinis, super quam transit motus, et secundum divisionem ejus dividitur, ut probatur 6. *Phys.*, ita etiam in alteratione tempus commensuratur distantiæ terminorum; unde majus tempus requiritur, ut dictum est, ceteris paribus, ad hoc quod de frigido fiat calidum, quam ad hoc quod de tepido fiat calidum. — *de Sensu et Sensibili* l. 16; *Quodl.* 9, a. 9; 5. *Phys.* l. 4 et 6; 2. *Sent.* dist. 5, q. 2, a. 1.

Si vero *secundo* consideretur alteratio *ex ratione propria alterationis*, seu ex ratione proprii termini ad quem primo et per se est, etiam est motus continuus. Et ratio est, quia alteratio est ad qualitates contrarias, quæ successive in subjecto acquiruntur et deperduntur, et ab eodem successive se expellunt. Unde est quod, quia lux non habet contrarium sicut nec forma substantialis, in instanti acquiritur, sicut et forma substantialis. — *de Sensu et Sensibili* l. 16.

Si *tertio* consideretur *ratione generationis*, quæ est secundarius terminus alterationis, est etiam alteratio motus continuus. Et ratio est, quia alteratio non solum habet pro termino qualitatem, sed etiam formam substantialem. Et ideo generatio, quæ terminatur ad formæ substantialis productionem, est terminus alterationis præcedentis. Cum enim generatio fiat in instanti, necessario debet naturalis dispositio ad formam, quæ per alterationem præcedentem inducitur, fieri in tempore. Non enim potest utraque fieri in instanti; nam cum instantia non sint immediata, necessario debet inter utrumque instans intercedere tempus. Tempus autem continuum est; ac proinde quæ fiunt in tempore, continue fiunt. — 2. *Sent.* dist. 13, q. 1, a. 3, ad 9; 4. *Sent.* dist. 17, q. 1, a. 2, sol. 1; 6. *Phys.* l. 5 et 8.

Si demum *quarto comparetur* alteratio *ad mobile*, non similiter se habet loci mutatio et alteratio, quia loci mutationes rationabiliter perveniunt prius ad medium magnitudinis, supra quam est motus, quam ad ultimum, quia in loci mutatione est motus de extremo magnitudinis ad extremum ejus; unde oportet quod mobile in medio temporis pertingat ad medium magnitudinis. Sic sonus quia consequitur quendam motum localem, in quantum scilicet ex percussione causante sonum commovetur aer usque ad auditum, prius pervenit ad medium, quam ad auditum. Sed in his quæ alterantur non similiter se habet. Termini enim alterationis non sunt ipsa extrema magnitudinis. Et ideo non oportet quod tempus alterationis, per se loquendo, commensuretur alicui magnitudini, ita quod in medio temporis motus perveniat ad medium magnitudinis *super quam fit motus;* quia hoc non est dare in alteratione, quæ non est motus in quantitate vel in ubi, sed in qualitate; — neque ad medium magnitudinis *quæ moveatur;* contingit enim aliquando, quod totum corpus simul alteratur, non autem dimidium ejus prius, sicut videmus, quod tota aqua simul congelatur. Et ex his patet, quomodo alteratio sit motus continuus, quomodo non. — *de Sensu et Sensibili* l. 16.

Ad primum ergo dicendum, quod alteratio aliquando est mutatio de non esse ad esse, quia scilicet termini ejus sunt esse et non esse, et hæc fit in instanti, ut illuminatio; aliquando vero est mutatio de contrario in contrarium per determinata media, et hæc fit in tempore et successive. — *de Sensu et Sensibili* l. 16; *Quodl.* 9, a. 9, c.

Ad secundum dicendum, quod productio soni, quæ fit per alterationem, fit in tempore, et non in instanti: quia simul est cum motu locali; nam oritur sonus ex percussione corporum, ut dictum est (in c.). — *de Sensu et Sensibili* l. 16.

Ad tertium dicendum, quod sensus Philosophi est, quod nulla alteratio est continua, ita ut semper duret; nam si aliquis qui infirmatur debet sanari, necesse est, inquit Philosophus, quod in tempore determinato sanetur, et post illud determinatum tempus sanitatem acquirat per talem sanationem; quod idem docet de augmento. Hæc autem dicit contra Heraclitum asserentem, quod omnia quæ sunt, semper moventur, et non solum quædam aut aliquando, sed

quod motus latet sensum nostrum. — 8. *Phys.* l. 5.

Ad quartum dicendum, quod sensus Philosophi est, quod quamvis corpus quod alteratur, sit partibile in infinitum, non tamen oportet quod propter hoc alteratio in infinitum dividatur, ita quod in qualibet parte temporis aliquid alterationis fiat, sed multoties fit velox alteratio, ita quod multæ partes corporis alterati simul alterantur, sicut accidit in densatione et congelatione aquæ. Tota enim aliqua aqua simul congelatur, non pars post partem, licet aliquando, si accipiatur multum de aqua, nihil prohibet partem post partem congelari, quod est dicere, alterationem aliquando esse ratione subjecti seu extensive continuam, quia pars post partem continue alteratur, aliquando vero non continuam, quando simul tota pars subjecti per modum cujusdam subjecti indivisibilis alteratur, quod est, cum totum aliquod subjectum attingitur secundum totum a virtute alterantis, licet successive alteretur ratione termini. Utrovis autem modo fiat congelatio, fit in tempore ratione sui, seu secundum communem rationem motus; cujus signum est, quod una aqua fortius et citius congelatur alia, ut calida quam frigida. — l. c. *de Sensu et Sensibili* l. 16; 6. *Phys.* l. 7 et 5.

Ad quintum dicendum, quod quia quoad divisionem eadem est ratio temporis, magnitudinis motus, et mobilis, ut dicit Philosophus (6. *Phys. text.* 60; c. 7); sicut in motu locali mobile non utitur infinitis, quæ sunt in magnitudine, quasi in actu existentibus (nam sic nunquam veniretur ad finem motus), sed in potentia existentibus: ita et in alteratione alterans in toto tempore determinato per alterationem tendit ad determinatum finem, puta ad sanitatem, utens infinitis, quæ sunt in determinato tempore, ut in potentia existentibus, non in actu. — 6. *Phys.* l. 9 et 11; 8. *Phys.* l. 5.

Ad sextum et septimum dicendum, quod sensus Philosophi (6. *Phys. text.* 49; c. 5) est, quod in motu locali et augmentationis non est dare aliquid, quod primo mutetur ex parte rei, in qua est motus: quia in *motu locali* spatium et in *augmentatione* quantitas per se dividuntur, et eorum divisio est in infinitum; et ideo non datur primum, quod movetur ex parte rei, quæ acquiritur per tales motus. Secus vero *in alteratione.* Nam albedo v. g., quæ est res, in qua fit motus alterationis, non est divisibilis per se, sed tantum per accidens, vel ratione quantitatis cui immediate inest albebo, seu secundum partes quantitativas, vel ratione subjecti quod vario modo potest illam participare; seu secundum intensionem et remissionem. Et ideo in alteratione potest dari aliquid indivisibile per se. Nam quod una et eadem pars sit magis vel minus alba, non est ex ipsa ratione albedinis, quia si esset separata, non diceretur secundum magis et minus (sicut neque substantia suscipit magis et minus); sed est ex diverso modo participandi albedinem, ex parte subjecti divisibilis. Ceterum in quantum in alteratione est aliquid divisibile per accidens, similiter non est accipere primum in tali mutatione, sive accipiatur successio *mutationis,* in quantum pars post partem alteratur (manifestum enim est, quod non erit accipere primam partem albi, sicut nec primam partem magnitudinis); — sive accipiatur successio *alterationis,* secundum quod aliquid idem est albius vel minus album, quia subjectum infinitis modis potest variari secundum magis et minus album. Et sic motus alterationis potest esse continuus et non habens aliquod primum; unde cessat *primum* absurdum. (6. *Phys.* l. 7.) — Ad *secundum* vero dicendum, quod sicut in motu locali, ut dictum est, tempore finito mobile pervenit ad finem magnitudinis, licet in illa sint infinita puncta, quia non pertransit illa ut existentia in actu in magnitudine, sed tantum in potentia; ita et in alteratione determinato tempore quis v. g. sanatur et pervenit ad sanitatem, licet in tali tempore finito sint infinita instantia, quia tale tempus mensurat secundum unum instans continuum in ipso, vel secundum plura in potentia in ipso existentia, non autem ut in actu. — Ad *tertium* dicendum quod actio, quæ est cum motu, non nisi in tempore

fieri potest, sicut et motus; hujusmodi autem est actio alterativa, cum alteratio sit motus, ut dictum est in arg. *Sed contra*. (*Tabula aurea* voce « actio » n. 122.) — Ad *quartum* dicendum, quod dupliciter potest considerari qualitas, puta calor, vel secundum se: et sic non est divisibilis; vel ratione subjecti: et sic dividi potest per accidens, vel quatenus dividitur superficies, quæ immediate sustentat qualitates sensibiles, vel quatenus subjectum vario modo participat illas. Et si quidem sumatur ratione *quantitatis*, sicut hæc divisibilis est per se in infinitum, si mathematice sumatur, finite vero, sumpta physice (nam minimus sapor, ut inquit Philosophus *de Sensu et Sensibili*, si dividatur, resolvitur in ambiens defectu virtutis conservantis); ita qualitas est divisibilis in infinitum, ratione quantitatis mathematice sumptæ; in partes vero finitas, ratione ejusdem physice sumptæ. Si vero sumatur ratione *subjecti*, seu ratione intensionis, potest dividi in infinitum, sicut infiniti sunt modi, quibus subjectum potest eandem qualitatem participare, ut dictum est. (*De Sensu et Sensibili* l. 15.) — Ad *quintum* dicendum, quod calefactio et quælibet alteratio ad primas præsertim qualitates activas est continua; et proinde verum est dicere, quod nunc non est *calefactio*, sed immediate post; non autem verum est, quod immediate post sit *calor*, quia quod fit, nondum est, ut ait Philosophus (8. *Phys. text.* 69; c. 8); quia si esset, non fieret; fit autem calor per motum. — 8. *Phys.* l. 17.

ARTICULUS VI

UTRUM IN MOTU ALTERATIONIS, PUTA CALEFACTIONIS, SIT TANTUM UNUS MOTUS, RECESSUS A FRIGORE ET ACCESSUS AD CALOREM.

Videtur quod recessus a frigore et accessus ad calorem sint duo motus realiter distincti.

1. Dicit enim Philosophus (3. *Phys. text.* 4; c. 1), quod motus non est præter res; sed calor et frigus non sunt realiter idem: ergo et motus ad non esse frigoris non erit realiter idem cum motu ad esse caloris. — 3. *Phys.* l. 1; *de Verit.* q. 28, a. 6, c.

2. Præterea, motus specie diversi non possunt continuari et esse unum numero, ut dicit Philosophus (5. *Phys. text.* 39; c. 4); sed recessus a frigore et accessus ad calorem specie distinguuntur, ut patet; nam alia est ratio utriusque: ergo recessus a frigore et accessus ad calorem non sunt unus numero motus, sed duo. — 5. *Phys.* l. 7; *de Verit.* l. c.

3. Præterea, motus realiter distinguuntur per terminos, sicut et mutationes; sed terminus accessus ad calorem est calorem inesse, terminus vero recessus a frigore est frigus non esse: ergo accessus ad calorem et recessus a frigore sunt motus realiter distincti. — *de Verit.* l. c.

4. Præterea, recessus a frigore sequitur accessum ad calorem, sicut effectus causam; sed effectus non est idem realiter cum sua causa: ergo recessus a frigore et accessus ad calorem non sunt unus et idem motus realiter. — *de Verit.* q. 28, a. 1, arg. 7.

5. Præterea, motus contrarii non sunt unus realiter, sed plures; nam contrarietas est inter duos terminos maxime distantes, et nihil est sibi ipsi contrarium; sed recessus a frigore et accessus ad calorem sunt motus contrarii; est enim hic unus ex quinque modis, quibus dicit Philosophus (5. *Phys. text.* 46; c. 5) posse duos motus invicem opponi. — *Tabula Aurea* voce « contrarium » n. 2, 4, 5, 13; 5. *Phys.* l. 8.

Sed contra est: 1. quod Philosophus (5. *Phys. text.* 47; c. 5) dicit, quod motus a sanitate in ægritudinem, quo scilicet receditur a sanitate, et acceditur ad ægritudinem, est unus numero motus, non duo: ergo recessus a frigore et accessus ad calorem sunt unus motus. — 5. *Phys.* l. 8.

2. Præterea, secundum Philosophum generatio unius est corruptio alterius, atque adeo unus motus; sed recessus a frigore est corruptio frigoris, accessus vero ad calorem est generatio caloris: ergo recessus a frigore et accessus ad calorem sunt unus numero motus. — *de Verit.* q. 28, a. 6, c.

RESPONDEO DICENDUM, quod differentia est

inter motum et mutationem. Nam motus unus est, quo aliquid affirmative significatum abjicitur, et aliud affirmative significatum acquiritur; est enim motus de subjecto, ut dicitur 5. *Phys.* (*lect.* 49; c. 5): per subjectum autem intelligitur *hoc aliquid* affirmative monstratum, ut album et nigrum. Unde unus motus alterationis est, quo album abjicitur, et nigrum acquiritur. Sed in mutationibus, quæ sunt generatio et corruptio, aliter est. Nam generatio est mutatio de non subjecto in subjectum, ut de non albo in album; corruptio vero est mutatio de subjecto in non subjectum, ut de albo in non album. Et ideo in abjectione unius affirmati et adeptione alterius oportet duas mutationes intelligi, quarum una sit generatio et alia corruptio, vel simpliciter vel secundum quid. Sic ergo si in transitu, qui est de albedine in nigredinem, consideratur ipse motus, idem motus significatur per ablationem unius et inductionem alterius; non autem significatur eadem mutatio, sed diversæ, se tamen invicem concomitantes, quia generatio unius non est sine corruptione alterius. Et sic manifestum est, quod recessus a frigore et accessus ad calorem, licet sint mutationes realiter distinctæ, sunt tamen unus et idem motus realiter. — *de Verit.* q. 28, a. 1 et 6; 5. *Phys.* l. 8.

Ad primum ergo dicendum, quod quia de ratione motus est, quod sit mutatio de subjecto in subjectum, propterea licet motus identificetur re cum termino, non tamen sunt duo motus recessus a termino a quo, et accessus ad terminum ad quem. — Il. cit. in c. art.

Ad secundum dicendum, quod accessus ad terminun ad quem, et recessus a termino a quo, licet in ratione mutationis realiter distinguantur, in ratione tamen motus sunt unus et idem motus realiter. — Il. cit. in c. art.

Ad tertium dicendum, quod mutationes quidem per terminos *ad quos* distinguuntur, sed motus per terminos *a quibus* et *ad quos;* nam motus, ut dictum est (in c.), est mutatio de subjecto in subjectum, secus verò mutatio. — *de Verit.* q. 28, a. 6, c.

Ad quartum dicendum, quod recessus frigoris dupliciter potest considerari: *uno modo,* ut est effectus formalis caloris; calor enim formaliter abjicit frigus, sicut albedo formaliter abjicit nigredinem, et sic sequitur accessum ad calorem, et calorem ipsum adeptum; — *alio modo,* ut est motus; et sic præintelligitur acquisitioni caloris. — *de Verit.* l. c. a. 1, ad 7.

Ad quintum dicendum, quod motus contrarii tantum sunt hi, qui habent oppositos terminos *a quibus* et *ad quos,* ut dicit Philosophus (5. *Phys. lect.* 48; c. 5). — 5. *Phys.* l. 8.

ARTICULUS VII

UTRUM QUALITATES CONTRARIÆ SUMME INTENSÆ POSSINT ESSE IN EODEM SUBJECTO PER POTENTIAM DEI.

Videtur quod per divinam potentiam possint in eodem subjecto poni qualitates contrariæ summe intensæ.

1. Deus enim potest facere præter ordinem et cursum totius naturæ; sed quod duo contraria summe intensæ non sint simul in eodem subjecto est secundum ordinem et cursum naturæ: ergo poterit Deus facere præter hunc ordinem. — *Tabula Aurea* voce « Deus » n. 411.

2. Præterea, tempore passionis in superiori parte animæ Christi fuit summa delectatio et summus dolor; sed hæc sunt contraria summe intensa: ergo contraria in gradu intenso possunt simul esse in eodem subjecto. — *de Verit.* q. 26, a. 9 et 10; 3. *Sent.* dist. 15, q. 2, a. 3, quæstiunc. 2, arg. 5; 3a, q. 46, a. 8, arg. 1.

3. Præterea, potest Deus facere ea, quæ non implicant contradictionem; sed quod duo contraria in gradu intenso sint simul in eodem subjecto, contradictionem non involvit; nam contrarietas non est contradictio, ut patet ex multiplicitate oppositionum: ergo duo contraria in gradu intenso possunt simul esse in eodem subjecto. — *Tabula* l. c. n. 370.

4. Præterea, magis distat Deus et homo, quam duo contraria summe intensa; sed

Deus univit naturam humanam divinæ in una hypostasi : ergo et poterit simul in eodem subjecto ponere duo contraria summe intensa. — 1. *Sent.* dist. 42, q. 2, a. 2, arg. 7.

Sed contra est, quod Philosophus (4. *Metaphys. text.* 27; l. 3, c. 6; cfr. 11. *Metaphys.* sum. 2, c. 3; l. 10, c. 5) dicit, quod contraria simul esse non possunt in eodem, sicut nec contradictorie opposita. — 4. *Metaphys.* l. 15; cfr. 11. *Metaphys.* l. 5.

Respondeo dicendum, quod per potentiam divinam possunt duæ qualitates contrariæ in gradu intenso poni in eodem subjecto. Et ratio est, quia ea solum sunt divinæ potentiæ impossibilia, quæ contradictionem involvunt; at esse duas contrarias qualitates in gradu intenso simul in eodem subjecto non implicat contradictionem. Nam hæc est secundum idem et respectu ejusdem, eodem modo sumpti; at si esset aliquod corpus simul intense album et intense nigrum, licet idem subjectum simul esset album et non album, non tamen hæc eidem convenirent secundum idem, sed secundum diversa. Nam esset album ratione albedinis, et esset non album ratione nigredinis; sicut idem suppositum Verbi divini dicitur homo et Deus; et consequenter homo et non homo sine ulla contradictione, quia convenit illi esse hominem ratione humanitatis assumptæ, et non esse hominem ratione divinæ naturæ. — 1. *Sent.* dist. 42, q. 2, a. 2, c. et ad 7; 3. *Sent.* dist. 1, q. 1, a. 1, ad 4; 3a, q. 46, a. 8, ad 1; 1. *Periherm.* l. 9.

Naturaliter autem non possunt simul esse in eodem subjecto duo contraria summe intensa. Cujus ratio est, quia naturaliter unum contrarium concomitatur privatio alterius, ut dicitur 4. *Metaphys.* (*text.* 26; l. 3. c. 6). Potentia enim naturalis materiæ magis limitata est et finita, quam potentia obedientialis respondens immediate causæ primæ universalissimæ. Privatio autem, cum sit formaliter negatio formæ oppositæ, non potest stare simul cum forma in eodem subjecto. Præterea contraria sunt, quæ sub eodem genere maxime distant, et ab eodem subjecto mutuo se expellunt. Patet etiam experientia numquam visas esse in subjecto duas qualitates contrarias in summo, ut summum calorem et frigus. Addo, quod sequeretur nullam substantiam materialem posse corrumpi; nam corruptio fit ex pugna contrariorum, quæ non compatiuntur se in gradu summo. — 4. *Metaphys.* l. 15; 11. *Metaphys.* l. 5; *Tabula Aurea* voce « potentia » n. 17.

Et ex his patet *ad objecta* utriusque partis. Nam argumenta *prioris partis* tantum probant, per divinam potentiam absolutam posse simul poni in eodem subjecto duo contraria summe intensa; nisi quod, cum in secundo argumento dicitur in Christi Domini parte animæ superiori fuisse duo contraria, summum gaudium et summum dolorem, falso dicitur illa duo fuisse contraria, quia non erant de eodem objecto. (*de Verit.* q. 26, a. 10, ad 9.) — Argumentum vero *in contrarium* tantum probat non posse naturaliter duo contraria simul esse in eodem subjecto, quod concedimus.

ARTICULUS VIII

UTRUM NATURALITER POSSINT IN EODEM SUBJECTO ESSE QUALITATES CONTRARIÆ IN GRADU REMISSO.

Videtur quod naturaliter non possint in eodem subjecto esse duæ qualitates contrariæ in gradu remisso.

1. Dicit enim Philosophus (4. *Metaphys. text.* 26; l. 3, c. 6), quod si contraria essent simul, simul etiam essent contradictoria; calor autem et frigus, cum secundum se sint contraria, in quolibet gradu sunt contraria. — 4. *Metaphys.* l. 15.

2. Præterea, dicit Philosophus ibidem, quod impossibile est aliquem opinari contradictoria simul esse vera, per hoc, quod impossibile est eundem simul habere contrarias opiniones; opiniones enim de contradictoriis sunt contrariæ; ergo idem quod prius. — *Ibid.*

3. Præterea, contraria remissa in duobus subjectis existentia, si sint approximata,

mutuo agunt et patiuntur, ut patet experientia; inde enim est, quod aqua calefacta ab igne tanto minus retinet de frigore, quanto plus recipit de calore; ergo multo magis agent et se expellent, si sint in eodem subjecto; ergo contraria in nullo gradu possunt esse in eodem subjecto. — *de Malo* q. 2, a. 12, c.

4. Præterea, durities et mollities non possunt esse simul in quocunque gradu, quia alioqui contradictoria essent simul, ut patet ex definitionibus eorum, ut constat ex 4. *Meteorol. Durum* enim est, quod non cedit in se ipsum secundum superficiem, *molle* vero, quod cedit. Sed eadem est ratio aliorum contrariorum; ergo contraria in nullo gradu possunt simul esse in eodem subjecto. — 4. *Meteorol.* l. 7.

5. Præterea, non minus contraria sunt calor et frigus, atque error et scientia circa eandem conclusionem, et duæ formæ substantiales, puta ignis et aquæ; sed in nullo gradu potest in eodem subjecto, puta homine, simul esse scientia et error de eadem conclusione, et in eadem materia non possunt simul esse duæ formæ substantiales: ergo nec possunt simul esse duæ qualitates contrariæ in quocunque gradu.

6. Præterea, eadem est ratio qualitatis in fieri et in facto esse; sed in eodem subjecto non possunt esse simul duæ qualitates in fieri, seu duo motus contrarii, ut calefactio et frigefactio: ergo nec poterunt simul esse duæ qualitates in facto esse in quocunque gradu sint.

Sed contra est, quod Philosophus (10. *Metaphys. text.* 22 et 23; l. 9. c. 7) dicit, quod media contrariorum componuntur ex contrariis, et (5. *Phys. text.* 19; c.2) quod quando aliquid mutatur de magis albo in minus album, talis mutatio est inter contraria; quia eatenus in tali alteratione aliquid dicitur mutari de magis albo in minus album, vel e contra, quatenus plus vel minus habet de altero contrariorum: ergo in eodem subjecto sunt duo contraria in gradu remisso. — 10. *Metaphys.* l. 9; 5. *Phys.* l. 4.

Respondeo dicendum, quod necesse est dicere, quod in eodem subjecto possunt esse qualitates contrariæ in gradu remisso. Potest autem hoc esse manifestum ex multis: et *primo* quidem ex natura intensionis. Ex hoc enim causatur intensio, quod illud, quod intenditur, puta subjectum, quod dicitur fieri magis calidum ex minus calido per alterationem, magis perfectum invenitur et suo opposito impermixtius. Non potest autem unum oppositum magis vel minus misceri cum aliquo, nisi utrumque simul esse possit in aliquo gradu in subjecto. Unde etiam fit, ut habilitas potentiæ passivæ ad actum suum minuatur per appositionem contrarii, ita ut quanto plus fuerit appositum de calore, tanto minuatur habilitas ad frigus. (2. *Sent.* dist. 42, q. 1, a. 1, ad 2; *de Malo* q. 2, a. 12, c.) — *Secundo,* ex causa successionis motus, alterationis præsertim, puta calefactionis vel frigefactionis: hæc enim est distantia unius contrarii ab alio, resistens actioni alterantis, ne simul possit aliquod corpus, v. g. calidum, simul et subito frigefieri; non resisteret autem successive alterationi agentis, nisi simul possent in eodem subjecto esse duo contraria. (Cfr. *de Sensu et Sensibili* l. 16; 6. *Phys.* l. 5.) — *Tertio,* ex mixtione: hæc enim, ut inquit Philosophus (1. *de Generat. text.* 90; c. 10), definitur miscibilium alteratorum unio; quia qualitates contrariæ elementorum remanent in mixto refractæ, atque adeo in gradu remisso. (1. *de Generat.* l. 25; 1a, q. 76, a. 4, ad 4.) — Unde manifestum est quod qualitates contrariæ possunt simul esse in eodem subjecto in gradu remisso.

Ad primum ergo dicendum, quod sensus Philosophi est, quod contraria simul esse non possunt in eodem subjecto, si intelligantur *intensæ,* secus vero, si sint *remissæ.* Et ratio est ex dictis (in c.), quia cum ad mixtionem necessario concurrant elementa secundum qualitates refractas, ut inde resultet qualitas media, quæ est necessaria dispositio ad formam substantialem mixti, oportet ut in eadem materia sint oppositæ qualitates in gradu remisso, et per consequens quod qualitatem oppositam remissam non comitetur privatio alterius oppositæ in eo gradu, in quo potest remanere

cum illa in eodem subjecto, ad hoc ut in illo resultet qualitas prædicta. E contra vero, cum nequeat misceri unum elementum retinens qualitatem in summo, quia absorberet alias qualitates, et sic esset generatio, non autem mixtio, ut dicit Philosophus in 1. *de Generat.* versus finem : text. 82 sqq. ; c. 10), necessario debet qualitatem intensam contrariam consequi privatio alterius qualitatis secundum eos gradus, secundum quos cum ipsa non potest in eodem subjecto consistere. — 1a, q. 76, a. 4, ad 4; 4. *Sent.* dist. 44, q. 1, a. 1, sol. 1, ad 4; *Opusc.* 33 *de Mixtione.*

Ad secundum dicendum, quod ideo duæ opiniones contrariæ non possunt simul esse in eodem homine, duæ vero qualitates contrariæ remissæ possunt esse in eodem subjecto; quia opiniones contrariæ cum sint de contradictoriis, ut cum quis opinatur de Socrate, quod sedet, contrariatur ei, qua quis opinatur de eodem, quod non sedet, necessario debet opinionem contrariam ratione sui objecti comitari et consequi privatio opinionis oppositæ de objecto contradictorie opposito. At unam qualitatem contrariam, sed remissam, non comitatur et consequitur privatio alterius oppositæ in quocunque gradu, ut dictum est (ad 1). — 11. *Metaphys.* l. 5.

Ad tertium dicendum, quod cum simile in gradu, non possit agere in simile in gradu, sed tantum in dissimile, ut dicit Philosophus (1. *de Generat. text.* 46 sqq. ; c. 7), sicut qualitates remissæ in æqualibus gradibus se compatiuntur in eodem subjecto, ita et patiens habens tot gradus qualitatis, quod habet agens, non potest ab illo pati. Ideo vero in eodem subjecto possunt esse duæ qualitates contrariæ in diversis gradibus, modo non excedatur latitudo octo graduum, ita ut una non expellat aliam; quia ad mixtionem illæ sic oppositæ requiruntur, ut dictum est (ad 1), in eodem subjecto, ad hoc ut ex illis resultet qualitas media, quæ est necessaria dispositio ad formam substantialem mixti. At vero eædem existentes in diversis subjectis pertinent ad diversam complexionem qualitatum, quæ est opposita complexioni qualitatum alterius subjecti, cum sint dispositiones alterius formæ substantialis requirentis contrarias dispositiones. Cujus signum est, quod diversæ formæ substantiales non possunt esse in eadem parte materiæ, quia in illa haberent dispositiones qualitatum omnino contrarias, unde necessario oriretur contradictio. — 1. *de Generat.* l. 19 et 11. cit. ad 1, præsertim *Opusc. de Mixtione.*

Ad quartum dicendum, quod cum durities et mollities mutabiliter consequantur substantiam rei, ut dictum est (supra a. 3, ad 5), recipiunt magis et minus. Unde idem de illis dicendum est, quod de primis qualitatibus activis.

Ad quintum dicendum, quod scientia corrumpitur per argumentationem falsam, ut inquit Philosophus (*de Longit. et Brevit. Vitæ* c. 2). Et ratio hujus est, quia argumentatio falsa ut sic non habet gradus, sed est indivisibilis et tota simul, cum sit actus intellectus, et secum fert privationem veritatis ex parte subjecti; unde non potest simul stare cum scientia in eodem intellectu; sicut e contra scientia, cum sit evidens cognitio rei per causam, quam sciens scit aliter se habere non posse, ut dicit Philosophus (1. *Poster. text.* 5 ; c. 2), non potest stare cum errore. Quod non contingit in qualitatibus contrariis remissis, ut dictum est (ad 3). Cur autem duæ formæ substantiales non possint simul esse in eadem materia, secus vero duæ qualitates contrariæ in gradu remisso, jam dictum est. — 1a, q. 89, a. 5; 1. *Poster.* l. 4 (3).

Ad sextum dicendum, quod idem potest moveri duobus motibus contrariis, puta frigefactionis et calefactionis, modo tendant ad terminos secundum illos gradus, in quibus se compatiuntur in eodem subjecto. Et hoc necessario dicendum est, quia alterans subjectum alterat illud successive, corrumpendo nimirum successive et in tempore contrariam qualitatem, efficienter per suam actionem, et formaliter per contrariam qualitatem, ut dictum est (in c.).

ARTICULUS IX

UTRUM INDIVISIBILE POSSIT ALTERARI.

Videtur quod indivisibile possit alterari.

1. Idem enim est subjectum alterationis et termini alterationis; nam antequam aliquid moveatur, est in potentia ad duos actus, ad imperfectum, qui est motus, et ad perfectum, qui est terminus motus; sed subjectum motus ad colores, qui est alteratio, est indivisibile, puta superficies corporis, unde et a Philosopho definitur color, quod sit extremitas perspicui in corpore terminato (*de Sensu et Sensibili* c. 3) : ergo indivisibile potest alterari. — 3. *Phys.* l. 2; *de Sensu et Sensibili* l. 6.

2. Præterea, indivisibile potest moveri localiter, ut angelus, ut manifestum est (cfr. 1a, q. 53, a. 1); ergo similiter poterit indivisibile alterari ; nam eadem videtur esse ratio motus localis et alterationis.

3. Præterea, anima est indivisibilis, saltem anima perfecti animalis; sed illa recipit varias alterationes, quia, ut inquit Philosophus (1. *de Anima text.* 41; c. 3), anima movetur illis motibus, quibus movetur corpus; corpus autem movetur motu alterationis, ut patet: ergo et anima movebitur tali motu. — 1. *de Anima* l. 6.

4. Præterea, dicit Philosophus (6. *Phys. text.* 86; c. 10), quod indivisibile secundum quantitatem potest per accidens moveri localiter; ergo etiam poterit moveri motu alterationis; nam etiam motus hic est in loco, ut dicit Philosophus (1. *de Anima text.* 39; c. 3): ergo indivisibile potest alterari. — 6. *Phys.* l. 12; 1. *de Anima* l. 6.

5. Præterea, actio fit per contactum, ut dicit Philosophus (*de Generat. text.* 43 sqq.; c. 6); sed tactus est extremorum, atque adeo indivisibilium; ea enim se tangunt, quorum extrema sunt simul, ut dicit Philosophus (5. *Phys. text.* 22; c. 3): ergo actio alterantis debet recipi in extremitate patientis, atque adeo in indivisibili. — 1. *de Generat.* l. 18; 5. *Phys.* l. 5.

Sed contra est, quod Philosophus 1. *de Generat.* (*text.* 64; c. 8) dicit, quod necesse est quod indivisibilia sint impassibilia, et 3. *de Cœlo* (*text.* 7; c. 1) dicit, quod impossibile est in indivisibili esse divisibile; omnes autem qualitates materiales sunt divisibiles, ut dicit Philosophus ibidem, et 6. *Phys.* (*text.* 87; c. 10) dicit, quod indivisibile neque movetur neque omnino mutatur; at si alteraretur, mutaretur; ergo indivisibile non potest alterari. — 1. *de Generat.* l. 22; 3. *de Cœlo* l. 3; 6. *Phys.* l. 12.

Respondeo dicendum, quod impossibile est, indivisibile quantitativum posse alterari. Cujus rei *ratio duplex* afferri potest: — *prima* quidem ex natura qualitatis materialis. Quod enim inest alicui, quodammodo comprehenditur ab ipso; divisibile autem non potest inesse rei quantitativæ indivisibili. Omnes enim qualitates materiales dupliciter divisibiles sunt: *uno modo* secundum speciem, quomodo divisibiles sunt colores medii, qui componuntur ex duabus speciebus, puta ex albo et nigro; et hujusmodi qualitates non videtur possibile inesse rei indivisibili, quia cum passiones propriæ causentur a subjecto, necesse est quod passionis compositæ sint diversa et composita principia, quod repugnat simplicitati et indivisibilitati subjecti. *Altero modo*, ad divisionem subjecti divisibilis; et hoc modo nullum divisibile est in indivisibili, cum ab illo comprehendi non possit. (3. *de Cœlo* l. 3.)

Secunda ex subjecto alterationis. Hoc enim est, inquit Philosophus (1. *de Generat. text.* 23 et 24; c. 4), ens in actu et sensibile. Sed indivisibilia quantitative non sunt sensibilia, nec in actu. Non quidem *sensibilia;* ut enim ait Philosophus (*de Sensu et Sensibili* c. 6), impossibile est videre album, quod non sit quantum; et eadem est ratio de aliis qualitatibus sensibilibus. Hujus autem ratio est, quia sensus est virtus in magnitudine, cum sit actus organi corporei; et ideo non potest pati nisi ab habente magnitudinem; activum enim debet esse proportionatum passivo. (*de Sensu et Sensibili* l. 15.) Neque sunt *in actu,* quia non sunt composita ex actu et potentia,

cujusmodi debet esse subjectum in actu, ut constat ex Philosopho (1. *de Generat. text.* 29; c. 5). Et ratio hujus est, quia cum qualitates sint accidentia, non insunt in materia prima, nisi quatenus est informata forma substantiali, ut dictum est (supra q. 35, a. 6). Unde manifestum est, quod indivisibile non potest alterari. — 1. *de Generat.* l. 13.

Ad primum ergo dicendum, quod coloris subjectum est totum corpus actu; nisi quod sicut corpus intrinsecus habet superficiem in potentia, non autem actu, ita etiam intrinsecus non est coloratum actu, sed in potentia, quæ reducitur ad actum facta corporis divisione. Et ratio est, quia color intrinsecus defectu luminis non est visibilis in actu, sed in potentia, color autem extrinsecus ratione luminis est visibilis actu. — *de Sensu et Sensibili* l. 6 et 7.

Ad secundum dicendum, quod angelus non est indivisibile quantitativum, de quo procedit argumentum, sed est substantia spiritualis.

Ad tertium dicendum, quod similiter anima rationalis non est indivisibile quantitativum, ut dictum est de angelo. Philosophus autem loco citato contra philosophos asserentes, animam non aliter mobilem esse, nisi secundum quod movet corpus, probat ex tali positione sequi hoc inconveniens, quod deberet illis motibus movere corpus, quibus ipsa movetur, et e contra ,quod illis motibus moveatur, quibus ipsa movet corpus. — 1. *de Anima* l. 6.

Ad quartum dicendum, quod ideo potest moveri localiter indivisibile conjunctum, quia moto toto corpore localiter, necesse est moveri ea quæ sunt in toto, ut mota navi moventur ea quæ sunt in navi; non tamen potest alterari per accidens, quia quod sic movetur per accidens, vere mutat locum in se saltem respectu aeris, a quo prius circumdabatur. At indivisibile nullo modo potest esse capax in se ullius qualitatis materialis, ut dictum est. — 6. *Phys.* l. 12.

Ad quintum dicendum, quod contactus est tantum conditio agentis ad hoc, ut possit agere in patiens: quia omne movens debet esse conjunctum cum mobili, ad hoc ut ipsum moveat; nam alioqui agens producit intrinsece in subjecto patiente suam formam sive substantialem sive accidentalem, ut dictum est de coloribus. — 1. *de Generat.* l. 18; 4. *Sent.* dist. 10, q. 1, a. 4, sol. 1; 7. *Phys.* l. 3.

QUÆSTIO XXXVII

DE RAREFACTIONE.

Deinde considerandum est de rarefactione.

CIRCA QUAM QUÆRUNTUR DUO:

1. Utrum rarefactio sit alteratio.
2. Utrum in rarefactione acquiratur nova quantitas.

ARTICULUS I

UTRUM RAREFACTIO SIT ALTERATIO.

Videtur quod rarefactio non sit alteratio. 1. Dicit enim Philosophus (4. *Phys. text.* 84; c. 9), quod *rarefieri* aliquid nihil aliud est, quam ejus materiam recipere majores dimensiones, per reductionem de potentia in actum; *condensari* autem e contra. Sed hoc est rarefactionem pertinere potius ad augmentum, cujus terminus est quantitas; dicit enim Philosophus (1. *de Generat. text.* 25; c. 5), quod generatio est circa substantiam, augmentum vero circa quantitatem, et alteratio circa passiones. Ergo rarefactio non est alteratio. — 4. *Phys.* l. 14; 1a, q. 92, a. 3, ad 1; 2. *Sent.* dist. 18, q. 1, a. 1, arg 2 et in c.; 1. de Generat. l. 11.

2. Præterea, quantitas non solum augetur, in quantum est quantitas, sed etiam in quantum est forma accidentalis: nisi quod, in quantum est quantitas, augetur per additionem, ut patet in viventibus; in quantum vero forma accidentalis, augetur per intensionem, ut est in rarefactione. Sed per utramque mutationem quod est quantum, fit magis quantum: ergo sicut augmentum quantitatis priori modo terminatur ad quan-

titatem, ita et augmentum quantitatis posteriori modo terminabitur ad quantitatem; et sic rarefactio non erit alteratio, sed potius augmentatio. — 1a 2ae, q. 52, a. 2, ad 1; 2a 2ae, q. 24, a. 5, ad 1; 1. *Sent.* dist. 17, q. 2, a. 1.

3. Præterea, si rarefactio est alteratio, maxime quia immediatus et primus terminus rarefactionis est raritas, quæ est qualitas; sed raritas et densitas non sunt qualitates, ut colligitur ex Philosopho. Nam in 2. *de Generat. text.* 8 (c. 2) inter contrarietates secundum tactum, quas septem enumerat, non ponit rarum et densum; et non nisi quia non sunt qualitates physicæ, sed positio partium materiæ, secundum propinquum in denso et secundum remotum in raro. Et *text.* 38 (c. 6) ideo comparat quantitatem elementorum quantitati stellarum, licet non sit eadem materia utrorumque, quia tantum facit comparationem secundum rarum et densum, quæ non addunt super partes materiæ entitatem, quæ sit essentialiter qualitas, sed potius situm in partibus materiæ. Ergo rarefactio, quæ est motus ad raritatem, non est alteratio. — 2. *de Generat.* l. 2 et 7.

4. Præterea, dicit Philosophus (4. *Phys. text.* 84; c. 9), quod rarefieri nihil aliud est quam materiam accipere majores dimensiones per reductionem de potentia in actum, condensari autem et contrario; ergo raritas et densitas non sunt qualitates, sed quantitates. — 4. *Phys.* l. 14.

5. Præterea, dicit Philosophus (8. *Phys. text.* 55; c. 7), quod raritas et densitas sunt congregatio et disgregatio; sed ex eodem ibidem hæc pertinent ad motum localem: ergo rarefactio non est alteratio. — 8. *Phys.* l. 14.

Sed contra est, 1. quod Philosophus (7. *Phys. text.* 11; c. 2) dicit, quod motus ad raritatem et densitatem est alteratio, eo quod raritas et densitas sunt qualitates; sed rarefactio et condensatio sunt motus ad raritatem et densitatem: ergo rarefactio est alteratio; hæc enim est motus ad qualitatem, ut dicitur 5. *Phys.* (*text.* 18; c. 2). — 7. *Phys.* l. 4; 4. *Phys*, l. 14; 5. *Phys.* l. 5.

2. Præterea idem Philosophus (7. *Phys. text.* 14; c. 3) ex eo probat in qualitatibus primæ et quartæ speciei non esse alterationem primo et principaliter, sed secundario, quia hujusmodi qualitates consequuntur alterationes primarum qualitatum sensibilium. Mutatio enim secundum figuram, inquit, consequitur mutationem secundum rarum et densum; et ad mutationem secundum calorem et frigus sequitur mutatio secundum sanitatem et ægritudinem. Raritas enim et densitas, sicut calor et frigus, sunt qualitates sensibiles ad tertiam speciem pertinentes; figura vero pertinet ad quartam speciem; sanitas autem et ægritudo ad primam. Ergo rarefactio, quæ terminatur ad raritatem et densitatem, est alteratio. — 7. *Phys.* l. 5.

3. Præterea, illæ sunt qualitates, quæ diversificant qualitates et non quantitates, seu quæ sunt immediata principia diversarum qualitatum. Sed hujusmodi sunt raritas et densitas. Sunt enim immediata principia gravitatis et levitatis; ex differentia enim raritatis et densitatis sequitur differentia gravitatis et levitatis, ut dicit Philosophus (4. *Phys. text.* 85; c. 9; et 3. *de Cœlo text.* 10; c. 1). Ergo raritas et densitas sunt qualitates; et per consequens rarefactio, quæ ad raritatem tendit tamquam ad proprium terminum, erit alteratio. — 4. *Phys.* l. 14; 3a, q. 77, a 7, ad 1 et 2; 3, *de Cœlo* l. 3.

Respondeo dicendum, quod rarefactio per se primo est ad qualitatem, puta ad raritatem, secundario vero ad quantitatem; et per consequens rarefactio est per se motus alterationis. Ad cujus evidentiam sciendum est, quod quantitas dimensiva est quorumdam *per accidens,* sicut albedinis, quæ dicitur quanta secundum quantitatem superficiei, ut dicitur in *Prædicam.* (cap. de quanto, c. 7, al. 6); unde non augetur nisi per accidens, sed *per se* invenitur in corporibus, quæ per se augentur. Hoc autem dupliciter contingit: quia aliquando id, quod accipit majorem quantitatem, movetur de quantitate minore in majorem; aliquando est sine motu illius, quod augeri dicitur. Et hoc contingit, quando efficitur major quantitas per additionem quantitatis, sicut quando

additur quantum quanto, ut lignum ligno vel linea linæ; unde hoc est augmentum, sed non motus augmenti.

Quod autem aliquid moveatur ad majorem quantitatem, contingit dupliciter: vel ita quod quantitas sit per se terminus motus, vel consequatur terminum. Quando quantitas est per se terminus motus, oportet quod ibi sit additio ad totum et ad quamlibet partem, ut totum augeatur et quælibet pars ejus, ut in animali et planta; et tunc est proprie motus augmenti. Unde motus augmenti non est nisi in habentibus nutritivam. Consequitur autem quantitas terminum motus, quando est ad formam aliquam quam consequitur aliqua quantitas; cuilibet enim formæ debetur quantitas determinata. Et quia motus non specificatur nisi ab eo, quod est per se terminus motus; ideo talis motus non dicitur per se motus augmenti, sed vel generatio, si sit forma substantialis, sicut quando ex aere fit ignis; vel alteratio, si sit forma accidentalis, puta raritas; sicut patet in rarefactione aeris. Unde manifestum est, quod rarefactio, per se spectat ad motum alterationis; nam in rarefactione variatio quantitatis se habet ex consequenti: sicut ex motu qui est secundum locum, variatur motus secundum situm, quia variatio situs consequenter se habet ad variationem loci. — 4. *Phys.* l. 14. 7. *Phys.* l. 4 et 5; 1. *Sent. dist.* 17, q. 2, a. 1, c.; 4. *Sent. dist.* 12, q. 1, a. 1, sol. 3, ad 6; 3a, q. 77, a. 2, ad 3; 1. *de Generat.* l. 14; 8. *Phys.* l. 14.

Ad primum ergo dicendum, quod definitio rarefactionis a Philosopho allata 4. *Phys.* est ab effectu. Nam variatio quantitatis et acquisitio majoris extensionis ipsius est effectus raritatis. Nam consequenter se habet ad illius acquisitionem, ut dictum est ex Philosopho : ad rarum enim sequuntur leve, molle, porosum et frangibile; ad densum vero sequuntur grave, durum et sonabile. — 4. *Phys.* l. 14; 7. *Phys.* l. 4; 3a, q. 77, a. 7, ad 1 et 2.

Ad secundum dicendum, quod rarefactio est augmentum improprie dictum et secundario et ex consequenti, non autem proprie et primo ac per se; nam per se primo est alteratio, ut dictum est (in c.).

Ad tertium dicendum, quod in rarefactione, cum variatio quantitatis fiat ex consequenti, necesse est quod acquisitio quantitatis saltem in genere causæ efficientis sit posterior acquisitione raritatis, ut dictum est (in c.; cf. 4. *Phys.* l. 14; 1. *de Generat.* l. 14). Ideo vero raritas et densitas non ponuntur inter qualitates tangibiles, quia licet illæ sint qualitates, ut ostendit Philosophus locis supra citatis et supponit in eodem 2. *de Generat. text.* 17; c. 3 (cf. 2. de *Generat.* l. 3); non tamen sunt qualitates physicæ, quippe quæ reperiuntur etiam in corporibus cœlestibus, in quibus non reperiuntur qualitates tangibiles, cum non conveniant cum corporibus sublunaribus in genere physico corporis, sed tantum in genere logico, ut sæpius dictum est. Et quia raritas consequitur materiam ex eo, quod est pauca sub magnis dimensionibus; propterea raritas non dicitur addere supra partes materiæ entitatem, quæ sit essentialiter qualitas, quia qualitas essentialiter sumpta est accidens consequens formam substantialem, sicut quantitas et raritas materiam. Unde est quod philosophi attendentes ordinem passibilium qualitatum secundum propinquitatem ad materiale principium, dixerunt raritatem et densitatem esse principium omnium qualitatum sensibilium. — V. supra q. 33, a. 2, c.; 3a, q. 77, n. 2, ad 3; 4. *Sent.* dist. 12, q. 1, a. 1, sol. 3, ad 6; *Tabula Aurea* voce «quantitas» n. 4; 8. *Phys.* l. 14.

Ad quartum dicendum, quod definitio rari posita a Philosopho non est formalis, sed vel ab effectu, ut dictum est (in c.), vel a causa; quia raritas consignificat vel connotat parvam materiam sub magnis dimensionibus, ut dictum est (ad 3).

Ad quintum dicendum, quod congregatio et disgregatio corporum existentium in actu ad motum localem pertinent; sed congregatio et disgregatio, secundum quod eadem materia continetur sub magnis vel parvis dimensionibus, ut contingit in rarefactione, non pertinent ad motum localem, sed ad motum alterationis. — 8. *Phys.* l. 14.

ARTICULUS II

UTRUM PER RAREFACTIONEM ACQUIRATUR NOVA QUANTITAS.

Videtur quod per rarefactionem non acquiratur nova quantitas.

1. Dicit enim Philosophus (7. *Phys. text.* 11; c. 2), quod rarefactio est alteratio; sed per hanc non acquiritur quantitas, sed qualitas: ergo per rarefactionem non acquiritur quantitas. — 7. *Phys.* l. 4.

2. Præterea, dicit Philosophus (4. *Phys. text.* 84; c. 9), quod ita in rarefactione augetur quantitas, sicut in alteratione augetur qualitas; quia nimirum sicut in alteratione calidum fit magis calidum nullo adveniente calido in materia, quod non esset calidum; ita in rarefactione quantum fit magis quantum, nullo adveniente quanto; ergo in rarefactione non acquiritur quantitas. — 4. *Phys.* l. 14.

3. Præterea, in rarefactione quantum acquirit majorem locum. Sed major locus non debetur quantitati, sed extensioni quantitatis. Ideo enim quantitas acquirit majorem locum, quia extenditur magis. Sed extensio quantitatis non est quantitas, *tum* quia nec intensio qualitatis est qualitas, ut dictum est; *tum* quia Corpus Christi in Eucharistia habet quantitatem et partibilitatem, non tamen habet ibi extensionem, licet illam habeat in cœlo. Unde posset Deus creare unam substantiam quantam, quæ non haberet extensionem, haberet tamen partibilitatem et quantitatem. Ergo per rarefactionem non acquiritur quantitas. — Cf. supra q. 36, a. 3 et 4; Capreolus in 2. *Sent.* dist. 18, q. 1, ad secundum Aureoli contra primam conclus.

4. Præterea, si in rarefactione acquiritur nova quantitas, sequuntur multa absurda. Nam *primo,* vel quantitas nova advenit materiæ habenti quantitatem vel non habenti. Si detur primum, sequitur penetratio dimensionum, cum in eadem parte materiæ ponantur duæ quantitates; præterea sequitur duo accidentia solo numero distincta esse in eodem subjecto, quod est absurdum, quia accidentia numerantur per subjecta, ut dictum est. Secundum vero dici non potest, quia materia naturaliter existere non potest sine quantitate, ut dicitur 1. *de General.* (*text.* 31 et 32; c. 5). *Secundo* sequitur rem, quæ rarefit, semper fieri duplo majorem, quia nova quantitas advenit cuilibet parti materiæ quantæ. *Tertio,* minorem quantitatem tantum loci occupare, quantum occupat major. *Quarto,* Christi Domini Corpus incipere esse sub quantitate vini consecrati rarescentis, quod tamen est falsum, cum illa quantitas non sit consecrata. *Quinto,* vi agentis naturalis produci quantitatem extra subjectum in rarefactione vini consecrati, quod tamen est impossibile. Ergo idem quod prius. — 1. *de Generat.* l. 13 et 14.

Sed contra est: 1. quod Philosophus (1. *de General. text.* 33; c. 5) dicit, quod quando ex aqua generatur aer, major quantitas acquiritur; sed illa generatio aeris ex aqua fit per alterationem rarefacientem aquam ad hoc ut possit suscipere quantitatem requisitam ad formam substantialem aquæ, ut dicit Philosophus (1. *Meteorol.* sum. 1, c. 3): ergo in rarefactione acquiritur qualitas. — 1. *de Generat.* l. 14; 1. *Meteorol.* l. 3.

2. Præterea, ad raritatem necessario sequitur quantitas, sicut et levitas et mollities, ut dictum est (art. præced.); sed per rarefactionem acquiritur raritas, ut dictum est (ibid.): ergo per rarefactionem acquiritur nova quantitas.

3. Præterea, materia non potest multiplicari nisi vel secundum quantitatem vel secundum substantiam materiæ. Sed non potest multiplicari materia secundum quantitatem nisi per rarefactionem: sicut posteriori modo multiplicatur vel per creationem vel per conversionem alterius in ipsum. Ergo in rarefactione acquiritur nova quantitas. — 1a, q. 119, a. 1, c.

Respondeo dicendum, quod per rarefactionem non acquiritur quantitas, sed nova extensio, seu majus et minus. Potest autem hoc esse manifestum ex multis: — et *primo* quidem, quia per rarefactionem et conden

sationem quantum fit majus vel minus, vel magnum et parvum, sive sumantur hæc absolute sive respective; magnum autem et parvum seu majus et minus quomodocumque sumpta non sunt quantitas, sed passio quantitatis secundum se, ut dicit Philosophus (5. *Metaphys. text.* 18; l. 4, c. 13). — 5. *Metaphys.* l. 15, al. 18. — *Secundo*, ita variatur quantitas in rarefactione, sicut qualitas in alteratione, ut patet ex Philosopho (4. *Phys. text.* 84; c. 9). In alteratione autem, per quam verbi gratia aer fit rarior, calor aeris non fit major per acquisitionem novi caloris; sed per hoc quod calor præcedens perfectius actuat subjectum, quia nimirum dat perfectius esse quam prius. Cum enim ibi non sit nova forma, debet esse novum et perfectius esse. Ergo similiter in rarefactione quantitas præcedens non fit major per generationem vel additionem novæ quantitatis, sed novæ perfectionis præcedentis quantitatis. — 4. *Phys.* l. 14; 1. *de Generat.* l. 14; Capreolus in 2. *Sent.* dist. 18, q. 1, a. 3, ad primum Scoti contra quartam conclus. — *Tertio*, cum rarefactio quanti sit quoddam ejus augmentum, dupliciter potest in quantitate contingere augmentum: uno modo, per additionem subjecti ad subjectum, sicut est in augmento viventium; alio modo per solam intensionem, absque omni additione, sicut est in his quæ rarefiunt. Si autem acquireretur in rarefactione nova quantitas, necessario deberet hæc addi alteri. Et ratio hujus est, quia quantitas et habet aliquid in quantum est quantitas, et aliquid in quantum est forma accidentalis. In quantum enim est quantitas, habet quod sit distinguibilis secundum situm vel secundum numerum. Et ideo consideratur hoc modo augmentum magnitudinis per additionem, ut patet in animalibus; et hoc modo considerata non suscipit magis et minus, ut docet Philosophus in *Prædicam.* In quantum vero est forma accidentalis, est distinguibilis solum secundum subjectum; et secundum hoc habet augmentum, sicut et aliæ formæ accidentales, per modum intensionis in subjecto, sicut patet in his quæ rarefiunt, ut probat Philosophus 4. *Phys.* (*text.* 80 sqq; c. 9). Unde manifestum est, quod in rarefactione non acquiritur nova quantitas, sed novus modus novaque perfectio, qua quantitas præcedens in materia fit perfectior et extensior, ita ut fiat major moles majorque dimensio, sicque præcedens quantitas occupet majorem locum. — 1a 2æ, q. 52, a. 2, ad 1; 2a 2æ, q. 24, a. 5, ad 1; Capreolus in 4. *Sent.* dist. 12, q. 1, a. 3, ad quartum Scoti quoad primam conclus.

Ad primum ergo *primæ partis* dicendum, quod per rarefactionem, cum sit alteratio, per se primo acquiritur raritas; secundario vero et consecutive major moles et dimensio quantitatis, seu variatio quantitatis; sicut variatio secundum situm consequitur motum secundum locum, ut dictum est supra (art. præced. in c.).

Ad secundum dicendum, quod hoc objectum probat intentum, nimirum quod in rarefactione non producitur quantitas, sicut nec in alteratione seu intensione qualitatis producitur nova qualitas, sed utrobique acquiritur major perfectio, seu perfectius esse, ut dictum est (in corp. et art. præced.).

Ad tertium dicendum, quod locus debetur quantitati determinatæ; nam locus est mensura extrinseca corporis, ut dictum est; mensura autem debet esse res determinata et certa, quantum fieri potest in suo genere. — V. Logica q. 11, a. 3; *Tabula Aurea* in voce « mensura » n. 5.

Ad quartum dicendum, quod in rarefactione non acquiritur nova quantitas, sed nova perfectio seu novus modus, atque adeo perfectius esse, ut dictum est (in c. et ad argumenta, et art. præced.). — Neque inde sequitur ullum absurdum ex allatis in objecto. Non enim *primum*, quia tunc est penetratio dimensionum, quando duæ quantitates occupant eundem locum, ut patet in corpore glorioso penetrante corpus cœleste; at in rarefactione non additur quantitas quantitati, ut dictum est. Unde multo minus sequitur, quod sint duo accidentia solo numero distincta in eadem parte materiæ. — 4. *Sent.* dist. 44, q. 2, a. 2, quæstiunc. 2, 3, 4. — Neque

secundum, quia non semper in rarefactione res, quæ rarefit, efficitur duplo major: sicut nec in intensione qualitatis per alterationem qualitas fit duplo perfectior et intensior quam prius, ut per se manifestum est. — Neque *tertium*, quia cum in rarefactione non acquiratur nova qualitas, non occupat minor quantitas adæquate locum majoris, sed quantitas præcedens occupat majorem locum quam prius, ratione majoris perfectionis acquisitæ, ut dictum est. — Neque *quartum*, quia corpus Christi tamdiu manet in Sacramento, quamdiu manent dimensiones eædem, secundum quod indeterminatæ intelliguntur. Per rarefactionem autem eadem dimensio indeterminata manet, et tantum variatur secundum determinationem (terminationem), quia fit præcedens quantitas major, quam erat antea. — 4. *Sent.* dist. 12, q. 1, a. 2, sol. 6, ad 5. — Neque *quintum*, quia in rarefactione non producitur quantitas, ut dictum est, sed præcedens fit major; et ideo non producitur quantitas extra subjectum. — 1. *de Generat.* l. 14.

Ad primum secundæ partis dicendum, quod rarefactio tam accidit in generatione quam in alteratione: in illa quidem, quia ad hoc ut ex aqua fiat aer, debet aqua rarefieri, et per talem rarefactionem non producitur nova quantitas, sed quantitas præcedens aquæ fit major; in hac vero similiter cum aer rarefit, quantitas illius efficitur major et extensior, nulla quantitate superaddita, ut dictum est (in c. et a. 1).

Ad secundum dicendum, quod raritatem consequitur variatio quantitatis, non autem quantitas, ut dictum est (in c. et a. 1).

Ad tertium dicendum, quod per rarefactionem multiplicatur materia secundum quantitatem, quatenus præcedens quantitas fit major et intensior, ut dictum est (in c. et a. 1).

QUÆSTIO XXXVIII

DE AUGMENTATIONE.

Deinde considerandum est de augmentatione.

CIRCA QUAM QUÆRUNTUR SEPTEM:

1. Utrum augmentatio recte definiatur a Philosopho.
2. Utrum augmentatio formaliter consistat in additione quantitatis alimenti ad quantitatem viventis, an vero in extensione viventis consequente prædictam additionem.
3. Utrum augmentatio sit motus continuus.
4. Utrum idem vivens numero maneat ante et post augmentationem.
5. Utrum vivens augeatur secundum omnes partes.
6. Utrum alimentum convertatur in substantiam aliti.
7. Utrum alimentum sit simile nutrito.

ARTICULUS I

UTRUM RECTE DEFINIATUR A PHILOSOPHO AUGMENTATIO.

Videtur quod non recte definiatur a Philosopho 1. *de Generatione* (*text.* 24; c. 4) augmentatio, quod sit transmutatio de contrario in contrarium secundum quantitatem.

1. Dicit enim Philosophus in *Prædicam.* cap. de quantitate (c. 7, al. 6), quod quanto nihil est contrarium: ergo augmentatio male definitur, quod sit motus a contrario in contrarium. — V. in Logica q. 11, a. 4, quæstiunc. 1.

2. Præterea, in rarefactione corpus ex minus quanto fit magis quantum, ut dictum est (supra q. 37, a. 1 et 2); sed rarefactio non est augmentio; nam illa est alteratio, ut dictum est: ergo male definitur augmentatio, quod sit transmutatio secundum quantitatem.

3. Præterea, Philosophus 1. *de Generat.* *text.* 38 (c. 5) dicit, quod augmentatio est, quando totum majus genitum est adveniente nutrimento; et *text.* 39 dicit, quod per-

augmentationem id, quod est potentia caro, fit actu caro, et desinit esse per corruptionem quod actu prius erat, puta panis. Sed panis non potest fieri caro, si desinit esse panis per corruptionem, nisi per generationem. Nam caro est substantia, quæ est terminus generationis, ut dicitur 1. *de Generat. text.* 25 (c. 5), et quia corruptio unius est generatio alterius, ut dicitur ibid. *text.* 17 (c.3). Ergo augmentatio non est transmutatio secundum quantitatem. — *de Generat.* l. 16, 11 et 7.

4. Præterea, Philosophus 1. *de Generat.* (*text.* 41; c. 5) dicit, quod augmentatio idem est cum nutritione; sed nutritio, ex eodem ibidem, terminatur ad substantiam, non autem ad quantitatem: ergo augmentatio non est transmutatio secundum quantitatem. — 1. de *Generat.* l. 17.

5. Præterea, dicit Philosophus (1. *de Generat. text.* 32; c. 5), quod generatio potest etiam terminari ad quantitatem; ut quando materia potentia quanta, fit actu quanta; sed motus distinguuntur ex terminis, ut dictum est: ergo augmentatio non est transmutatio secundum quantitatem. — 1. *de Generat.* l. 13.

6. Præterea, caro quanta auget, sicut caro in quantum substantia, nutrit, ut dicitur 1. *de Generat. text* 41 (c. 5,) et 2. *de Anima text.* 47 (c. 4); sed oportet, ut dicit Philosophus ibidem, generari et carnem et quantam: ergo augmentatio, quæ est via ad carnem quantam, male definitur, quod sit transmutatio secundum quantitatem, cum tam quantitas quam substantia sint termini generationis. — 1. *de Generat.* l. 17; 2. *de Anima* l. 9.

Sed contra est auctoritas Philosophi definientis augmentationem 1. *de Generat.* (*text.* 24; c. 4), quod sit transmutatio viventis a contrario in contrarium secundum quantitatem; et rursum 5. *Phys.* (*text.* 18; c. 2) definit augmentationem, quod sit motus ab imperfecta magnitudine ad perfectam magnitudinem; sed imperfecta et perfecta magnitudo sunt contraria, ut dicitur 3. *Phys.* (*text.* 6; c. 1): ergo augmentatio bene definitura Philosopho, quod sit transmutatio a contario in contrarium secundum quantitatem. — 1. *de Generat.* l. 10; 5. *Phys.* l. 4; 3. *Phys.* l. 2.

Respondeo dicendum, quod recte definitur a Philosopho augmentatio, quod sit transmutatio viventis a contrario in contrarium secundum quantitatem. Explicat enim hæc definitio quidditatem augmentationis, eamque recte distinguit ab omnibus aliis mutationibus, quod est proprium bonæ definitionis, ut dicit Philosophus 4. *Phys.* (*text.* 31; *c.* 4). — 3. *Phys.* l. 2; 4. *Phys.* l. 5. — Dicitur enim *primo, transmutatio,* loco generis, quia in hac tamquam in genere convenit augmentatio cum generatione, latione, alteratione; mutatio enim in has quatuor species dividitur a Philosopho 5. *Phys. text.* 7; c. 1. (5. *Phys.* l. 2.) Dicitur *secundo, a contrario in contrarium,* ut per hanc particulam distinguatur a generatione, licet in illa conveniat cum latione et alteratione, quia omnis motus, cujus species est augmentatio, est inter contraria, ut dicit Philosophus 5. *Phys.* (*text.* 7 et 10; c. 1 et 2); generatio autem non est inter contraria, quia generatio est ad substantiam, cui nihil est contrarium. Est autem motus augmenti inter contraria, quia licet quantitati, secundum communem rationem quantitatis, nihil sit contrarium, invenitur tamen in quantitate contrarietas, si accipiatur quatenus est in aliqua re determinata, ut in aliqua specie animalis vel plantæ. (5. *Phys.* l. 2 et 3.) Dicitur *tertio, secundum quantitatem,* quia per hanc distinguitur augmentatio a ceteris mutationibus et motibus: nam a generatione distinguitur, quia hæc terminatur per se ad substantiam, alteratio ad qualitatem, motus localis ad locum, augmentatio ad quantitatem. (1. *de Gener.* l. 11.) Dicitur *quarto, viventis,* quia augmentatio solis viventibus convenit, si proprie sumatur. Ut enim ait Philosophus 2. *de Anima* (*text.* 39, 41, 46; c. 4), id vere et proprie augetur, quod nutritur; solum autem vivens proprie nutritur, quia nutriri est accipere aliquid ad sui conservationem, quod non est in inanimatis. (2. *de Anima* l. 8 et 9.) Unde manifestum est, quod recte

tradita fuit a Philosopho definitio augmentationis.

Ad primum ergo dicendum, quod quantitati nihil est contrarium, si sumatur communis ratio quantitatis; secus vero, si sumatur ut est in re determinata, ut dictum est (in c.).

Ad secundum dicendum, quod rarefactio est non viventium, augmentatio vero est viventium, ut dictum est. Deinde, augmentatio requirit additamentum quantitatis extrinsecus advenientis; at in rarefactione non advenit nova quantitas, sed quantitas præcedens fit major. — 1. *de Generat.* l. 14.

Ad tertium dicendum, ad *priorem* textum Philosophi (1. *de Generat.*), quod dicitur generari aliquid majus in augmentatione, sumpto nomine generationis improprie, pro eo, quod est fieri. Ad *posteriorem* textum dicendum, quod ad augmentationem concurrit generatio; nam cibus convertitur in carnem viventis, non tamen consistit in tali conversione, sed vel in additione carnis quantæ ad carnem quantam vel in extensione consequente talem additionem. — II. cit. in arg.; 2. *de Anima* l. 1.

Ad quartum dicendum, quod augmentatio dicitur esse eadem cum nutritione, quia subjecto sunt eadem, sed differunt ratione. Quatenus enim id, quod advenit, est in potentia ad utrumque, id est ad hoc quod sit quanta caro, secundum hoc est augmentum carnis; in quantum vero est in potentia ad hoc solum quod sit caro, secundum hoc est nutrimentum et cibus. — 1. cit. in arg.; 2. *de Anima* l. 9.

Ad quintum dicendum, quod augmentatio non est quæcunque transmutatio ad quantitatem (nam si talis transmutatio tantum fiat ex eo, quod solum est in potentia ad magnitudinem, non proprie pertinet ad augmentum); sed magis ad generationem, quia de ratione augmentationis est, quod fiat additio ad præexistentem magnitudinem. Dicitur enim aliquid augeri ex eo quod fit majus; quod non esset, nisi aliquid prius esset magnum; et per oppositum de ratione diminutionis est, quod fiat quædam minoratio magnitudinis præexistentis. Unde patet, quod oportet quod id, quod augetur, habeat aliquam magnitudinem; et per consequens ad hoc quod augmentatio fiat, non oportet quod materia, quæ erat sine magnitudine in actu, perveniat ad hoc quod habeat magnitudinem in actu: hoc enim non esset augmentatio corporis, sed generatio, de cujus ratione est, quod fiat aliquid in actu, quod prius fuerit in potentia. — 1. *de Generat.* l. 13.

Ad sextum dicendum, quod augmentatio non est generatio, qua cibus adveniens per generationem recipit formam, v. gr. carnis; sed est mutatio, qua virtus naturalis id, quod plus ex alimento generatum est, extendit in majorem quantitatem secundum aliquam dimensionem. — 1. *de Generat.* l. 15.

ARTICULUS II

UTRUM AUGMENTATIO FORMALITER CONSISTAT IN ADDITIONE QUANTITATIS ALIMENTI AD QUANTITATEM VIVENTIS, AN VERO IN EXTENSIONE VIVENTIS CONSEQUENTE TALEM ADDITIONEM.

Videtur quod augmentatio formaliter consistat in additione quantitatis alimenti ad quantitatem viventis. — 1. Dicit enim Philosophus 1. *de Generat. text.* 33 (c. 5), quod augmentatio est existentis magnitudinis augmentum; et *text.* 39 (c. 5), quod sicut ignis dicitur augeri, quando ligna igniuntur adjuncta igni præexistenti, ita vivens dicitur augeri, quando generatur caro adjuncta alteri præexistenti; ergo augmentatio formaliter consistit in additione quantitatis alimenti ad quantitatem viventis. — 1. *de Generat.* l. 14 et 16.

2. Præterea, dicit Philosophus (1. *de Generat. text.* 34; c. 5), quod sola caro, cui additur cibus, augetur; et hic dicitur augens, quatenus illi additur: sicut quando vinum miscetur aquæ, vinum dicitur augeri, quatenus illi superadditur aqua, quam in se convertit, non autem aqua dicitur augeri. Ergo augmentatio consistit in aggeneratione et additione cibi ad substantiam viventis. — 1. *de Generat.* l. 14.

3. Præterea, dicit Philosophus (7. *Phys. text.* 13; c. 2), quod augmentum nihil est aliud quam appositio quædam, sicut et decrementum ablatio quædam est; per appositionem enim alicujus quanti aliquid augetur, et per ablationem decrescit; et ideo oportet, inquit, quod augens et auctum sint simul. Ergo augmentatio consistit in additione, sicut decrementum formaliter consistit in ablatione. — 7. *Phys.* l. 4.

4. Præterea, extensio consequens aggenerationem est quædam rarefactio; nam per illam non acquiritur quantitas nova, sed præcedens fit major; sed augmentatio non est rarefactio, ut dicit Philosophus (1. *de Generat. text.* 33; c. 5): ergo augmentatio non est extensio, sed aggeneratio vel additio cibi quanti ad substantiam quantam. — 1. *de Generat.* l. 14.

5. Præterea, dicit Philosophus (1. *de Generat. text.* 34; c. 5), quod non augetur id quod additur, sed sola pars viventis, cui cibus in carnem viventis conversus additur; sed extensio convenit tam parti quæ additur, quam cui additur: ergo augmentatio non est extensio, sed additio, ratione cujus soli parti, cui fit additio, convenit augeri. — *Ibid.*

Sed contra est: 1. quod Philosophus (1. *de Generat. text.* 25; c. 5) dicit, quod id quod augetur, est sicut id quod extenditur; ergo augmentatio est quædam extensio. — 1. *de Generat.* l. 11.

2. Præterea, dicit Philosophus (2. *de Generat. text.* 14; c. 2), quod vivens augetur secundum omnes differentias loci; sed per solam additionem non augetur vivens sursum, secus vero per extensionem: ergo augmentatio formaliter consistit in extensione. — 2. *de Anima* l. 3.

Respondeo dicendum, quod ad augmentationem proprie sumptam, quæ solis viventibus competit, ut dictum est (art. præced. in c.), necessario concurrunt plures ac varii motus vel mutationes. *Concurrit* enim, *primo, motus localis;* nam quod augetur aut diminuitur, inquit Philosophus (1. *de Generat. text.* 25; c. 5), necesse est secundum locum transmutari; non sic, quod alteratur vel generatur. Et ratio est, quia locus commensuratur locato, et hoc secundum magnitudinem, non autem secundum qualitatem vel substantiam. Et ideo necesse est quod quando mutatur magnitudo locati, id fiat transmutatione secundum locum, non autem quando transmutatur aliquid secundum substantiam vel secundum qualitatem. — Quamquam quia transmutat alio modo locum id quod augetur vel diminuitur, quam id quod fertur sive motu recto sive sphærico; ideo *augmentatio formaliter non est motus localis.* Illud enim quod fertur *motu recto,* secundum totum variat locum; illud autem quod augetur, mutat locum suum sicut id quod extenditur, puta metallum per malleationem. *Sphæra* vero licet mutet locum tantum secundum partes, sicut et id quod augetur: partes tamen sphæræ et variant locum, tum ratione, ut dicitur 6. *Phys.* (*text.* 84; c. 9), tum subjecto; pars enim cœli quæ modo est in oriente, postmodum erit in occidente; et tales partes semper sunt in simili loco, id est neque in majori neque in minori. Sed partes corporis, ut dicit Philosophus (1. *de Generat. text.* 25; c. 5), extenduntur in majorem locum; ejus vero quod diminuitur, semper retrahuntur in minorem. — 1. *de Generat.* l. 11; 1. *de Cœlo* l. 7.

Secundo, concurrit alteratio, qua vivens alterat cibum, ut inquit Philosophus (1. *de Generat. text.* 34; c. 5). — Et per consequens, *tertio, concurrit generatio,* qua materia cibi amittit formam cibi et recipit formam carnis, ut ait Philosophus (1. *de Generat. text.* 39; c. 5). Cum enim caro sit *id quod* augetur, oportet *id quo* augetur, esse in potentia carnem, quia id quo aliquid augetur, est in principio dissimile, in fine autem simile. Et quia nihil est in potentia ad unum, quin sit in actu aliquid aliud, oportet id quo augetur caro, quod est in potentia ad carnem, esse actu aliquid aliud quam carnem, puta panem; quod autem est aliquid actu, non fit actu nisi per prioris corruptionem et sequentis generationem. Quare oportet quod augmentum fiat corrupto eo quod prius erat actu, puta pane, genito eo quod auge-

tur, puta carne. Et sic manifestum est, quod in augmentatione concurrit generatio, et per consequens alteratio, qua alteratur cibus dissimilis ad hoc ut fiat similis carni, quæ debet augeri. — Verum in neutra mutatione consistit formaliter augmentatio. Nam, ut ait Philosophus (1. *de Generat. text.* 25; c. 5), alterationis terminus est qualitas, generationis substantia, augmentationis vero quantitas. Præterea, id quod alteratur non necessario transmutatur secundum locum, similiter etiam neque quod generatur; necesse autem est id quod augetur aut diminuitur, secundum locum transmutari, ut dictum est ex Philosopho ibidem. Deinde, quod generatur, separatim generatur; at in augmentatione generatur aliquid in aliquid, puta caro in carnem, quæ augetur, ut inquit Philosophus (1. *de Generat. text.* 39; c. 5). Demum, generatio non est motus continuus, nec consequenter forma substantialis educitur successive de potentia in actum; et ideo ad substantiam, qui est terminus generationis, non est motus; augmentatio autem est motus continuus. — 1. *de Generat* l. 16 et l. 11; 2. *c. Gent.* c. 89; 1a, q. 118, a. 2, ad 2; 5. *Phys.* l. 3. Cf. etiam locos citandos art. sequenti.

Quarto, concurrit additamentum cibi in carnem conversi *ad ipsam carnem,* quæ augetur, ut docet Philosophus textu citato, et *text.* 33 (c. 5) et 7. *Phys. text.* 13 (c. 2). Verum neque in tali mutatione, licet reducatur ad augmentationem, formaliter consistit augmentatio, *tum* quia cibus conversus in carnem eatenus auget carnem, cui additur, quatenus est in potentia ad majorem quantitatem; est autem in potentia ad majorem quantitatem, quatenus calor naturalis animalis, quæ est virtus speciei, illum extendit in majorem quantitatem, quam fuerit deperdita; — *tum* quia propterea non semper animal augetur, licet semper nutriatur, ut dicitur 1. *de Generat.* (*text.* 41; c. 5) et 2. *de Anima* (*text.* 47 c. 4), quia tamdiu tantum augetur, quamdiu cibus conversus potest extendi in majorem quantitatem. — *Non enim sufficit* illa quantitas, quam acquirit cibus per *conversionem in substantiam viventis.* Nam illa acquiritur in materia cibi in carnem conversi per *generationem,* ut dicit Philosophus (1. *de Generat. text.* 31; c. 5). Unde est terminus generationis; *augmentatio* autem primo et per se est ad quantitatem, ut dicitur 5. *Phys.* (*text.* 18; c. 2). *Præterea,* et illa non est major, ut plurimum, quam sit deperdita, puta si impediatur calor naturalis, seu virtus speciei, ne possit cibum conversum in majorem quantitatem extendere ad operationes viventis perfectius exercendas. *Præterea,* tale additamentum, cum simul sit cum generatione carnis ex materia alimenti, fit in *instanti,* sicut et generatio; at extensio fit *successive,* sicut et augmentatio; cum augmentatione enim simul est necessario motus localis, ut dictum est ex Philosopho (1. *de Generat. text.* 25; c. 5); motus localis necessario fit in tempore, ut dicitur 6. *Phys.* 50 et sqq.; c. 6). — 1. *de Generat.* l. 13, 15, 16, 17; 2. *de Animal.* 9; 5. *Phys.* l. 4; 6. *Phys.* l. 8; 7. *Phys.* l. 4.

Denique, concurrit ad augmentationem *extensio* tum carnis tum cibi in carnem conversi *in majorem quantitatem;* et hæc est ultima mutatio. Et in hac *consistit formaliter augmentatio viventis.* Quod patet *primum* a sufficienti partium enumeratione. *Deinde,* quia in hac extensione reperiuntur tria, quæ Philosophus (1. *de Generat. text.* 35; c. 5) dicit esse de ratione augmenti: nimirum ut quod augetur, permaneat; ut augmentum fiat adveniente aliquo; et ut quælibet pars sensibilis ejus quod augetur, secundum speciem sumpta et non secundum materiam, fiat in augmento major et in decremento minor; et illud quod præterea requirit (2. *de Anima text.* 14; c. 2), scilicet ut vivens augeatur secundum omnes differentias loci. Cum enim ita se habeat vivens, quod augetur, sicut metallum, quod per malleationem extenditur, sicut in hac extensione metallum idem manens acquirit majorem quantitatem; ita et in augmentatione eadem caro præexistens permanet, et per extensionem tum carnis tum cibi conversi acquirit majorem quantitatem. Quamdiu enim quis conservatur in vita, nutritur, quia semper oportet restitui per nu-

trimentum id, quod continue solvitur; non autem semper animal augetur, sed quamdiu cibus conversus in carnem potest extendi in majorem quantitatem, ut dicitur 1. *de Generat.* (*text.* 41; c. 5). *Præterea*, talis extensio cum sit cibi in carnem conversi, supponit additam carnem carni; est enim extensio carnis additæ in carnem. *Item*, quælibet pars formæ seu speciei per carnem sibi additam, quatenus in majorem quantitatem per virtutem naturalem extenditur, fit major. *Demum*, per solam extensionem augetur vivens secundum omnes differentias loci, quia per solam additionem vel aggenerationem non augetur vivens sursum, ut per se constat, secus vero per extensionem. Unde manifestum est, quod *in sola extensione consistit formaliter augmentatio.* — 1. *de Generat.* l. 15, 16, 17; 2. *de Anima* l. 3.

Ad primum ergo dicendum, quod augmentatio est additamentum præsuppositive, quia nimirum ad extensionem, in qua formaliter consistit augmentatio, præsupponitur additamentum alimenti ad carnem viventis, ut dictum est (in c.). — Et eodem modo respondetur *ad secundum* et *tertium*.

Ad quartum dicendum, quod rarefactio est inanimatorum, extensio vero viventium, ut dictum est (in c.). Præterea, rarefactio non præsupponit additamentum, sicut illud præsupponit extensio, atque adeo augmentatio viventium formaliter sumpta, ut dictum est (in c.).

Ad quintum dicendum, quod id quod additur, puta cibus, dupliciter potest considerari: *uno modo*, secundum quod est dissimilis viventi, cui additur; et hoc modo non augetur, sed auget, quia ut dicit Philosophus loco citato, ejus quod augetur debet manere substantia; at cibi, qui additur, non manet substantia, quia convertitur in substantiam viventis. *Alio modo*, secundum quod est factus similis carni per conversionem in ipsam; et hoc modo augetur eo modo, quo vivens, quia jam pertinet ad substantiam viventis, cujus quælibet pars formæ seu speciei debet augeri secundum omnes differentias loci, ut dictum est (in c.), sicut et cuilibet aliquid advenit. — 1. *de Generat.* l. 14.

ARTICULUS III

UTRUM AUGMENTATIO SIT MOTUS CONTINUUS.

Videtur quod augmentatio non sit motus continuus.

1. Dicit enim Philosophus (8. *Phys. text.* 23; c. 3), quod neque augeri neque minui possibile est continue; ergo augmentatio non est motus continuus. — 8. *Phys.* l. 5.

2. Præterea, si augmentatio esset continua, cuilibet parti sensibili temporis augmentationis responderet aliqua pars sensibilis quantitatis acquisitæ; sed hoc est falsum, inquit Philosophus l. c.; dicit enim, quod augmentatio est sicut gutta, quæ multiplicata excavat lapidem, non autem singula gutta excavat. — *Ibid.* et 1a 2æ, q. 52, a. 3, c.; 2a 2æ, q. 24, a. 6, c.

3. Præterea, augmentatio simul est cum nutritione, ut dicit Philosophus (2. *de Anima text.* 47; c. 4; et 1. *de Generat. text.* 41; c. 5); sed nutritio fit in instanti, cum fiat per generationem, quæ simul est cum generatione nova carnis ex materia alimenti, quæ, ut dictum est (art. præc.), fit in instanti: ergo. — 2. *de Anima* l. 9; 1. *de Generat.* l. 17.

4. Præterea, ita augetur animal, sicut augetur habitus, et excavatio lapidis facta per aquam per additionem guttarum; sed habitus crescit ex multiplicatis actibus non continuis inter se, et non quælibet gutta cavat lapidem: ergo similiter non quodlibet alimentum assumptum actu auget animal, sed tantum multiplicatum; hæc autem multiplicatio non fit continue, sed interrupte: ergo augmentatio non est motus continuus. — 1a 2æ, q. 52, a. 3, c.

Sed contra: 1. Philosophus 6. *Phys. text.* 49 (c. 5) dicit, quod quantitatis mutatio in continuo est; et *text.* 57 (c. 6) dicit, quod in motu locali et augmenti verum est, quod id quod est mutatum, prius mutabatur; hoc autem est motum augmenti esse continuum. — 6. *Phys.* l. 7 et 8.

2. Præterea, omnis motus, ut distinguitur a mutatione, est continuus, ut dicit Philosophus 4. *Phys.* (*text.* 129 et 132; c. 14) et 5. *Phys.* (*text.* 34, 39, 44; c. 4), ubi ait omnem motum esse velocem vel tardum; velox autem et tardum fiunt in tempore et continue, ut dicitur 4. *Phys.* (*text.* 129; c. 14); sed augmentatio est species motus, ut distinguitur a mutatione, ut constat ex 5. *Phys.* (*text.* 9 et 18; c. 1 et 2): ergo idem ut prius.

Respondeo dicendum, quod augmentatio est motus continuus. Quod potest esse manifestum ex multis: — et *primo* quidem ex passione motus. Nam impossibile est quod tempus sit sine motu, sicut impossibile est quod passio sit sine proprio subjecto, et e contra subjectum sine propria passione, ut dictum est (in Logica q. 6, a. 3); tempus autem est quid continuum: quare et augmentationis motus debet esse continuus (2. *de Generat.* l. 10). — *Secundo*, ex motu locali, qui necessario concomitatur motum augmenti. Nam id quod augetur, necesse est, ut inquit Philosophus (1. *de Generat. text.* 25 et sq.; c. 5; et 8. *Phys. text.* 56; c. 7), quod moveatur localiter. Necesse enim est, quod ejus, quod augetur et decrescit, magnitudo mutetur secundum locum, quia quod augetur, excrescit in majorem locum, quod autem decrescit, in minorem contrahitur; ad dictinctionem alterationis et generationis, quæ non sunt necessario conjunctæ cum tali motu. Motus autem localis continuus est, ut docet Philosophus 4. et 5. *Phys.*, ubi probans motum fieri in tempore et esse continuum, id maxime probat in motu locali. (1. *de Generat.* l. 11; 8. *Phys.* l. 14.) — *Tertio*, ex propria ratione motus augmenti tum ex parte termini tum ex parte modi transmutationis. *Ex parte* quidem *termini*, quia termini augmentationis sunt imperfecta et perfecta magnitudo, ut dicit Philosophus (5. *Phys. text.* 18; c. 2), inter quos terminos cum sit contrarietas et maxima distantia determinatorum extremorum, secundum quod saltem accipiuntur in re determinata, puta in specie animalis vel plantæ, nil requiritur, quominus augmentatio sit motus continuus. *Ex parte* vero *modi* transmutationis, quia quod augetur ex modo suæ transmutationis, ita acquirit perfectam quantitatem, ut ad illam acquirendam extendatur, eo modo, quo metallum, ut dictum est, per malleationem extenditur ad majorem quantitatem acquirendam. Hic autem modus transmutationis necessario exigit continuitatem, cum in tali modo successive acquirat id, quod augetur, majorem locum, et per consequens moveatur localiter, quod non nisi in tempore fieri potest, ut dictum est. (5. *Phys.* l. 3 et 4; 1. *de Generat.* l. 11.) Unde manifestum est, quod augmentatio est motus continuus.

Ad primum dicendum est, quod sensus Philosophi l. c. est, quod augmentatio non est motus continuus in hoc sensu, quod si aliquid tantum augetur in tanto tempore, necesse sit quod proportionaliter in qualibet parte illius temporis augeatur aliquid, sicut contingit in motu locali. Nam per aliquod tempus natura operatur disponens ad augmentum, et nihil auget actu, et postmodum perducit in effectum id, ad quod disposuerat, augendo ipsum animal vel plantam in actu, quod fit per extensionem, ut dictum est (art. præc. in c.) — 2a 2æ, q. 24, a. 6, c.; 1a 2æ, q. 52, a. 3, c.

Ad secundum dicendum, quod similitudo guttarum eo spectat, ut intelligamus ita fieri augmentationem, ut non quodlibet alimentum assumptum actu augeat animal, sicut nec quælibet gutta cavat lapidem; sed multiplicato alimento tandem fit augmentatio, sicut multiplicata gutta cavat lapidem; quia nimirum quando fuerit plus, quod ex alimento generatum est, virtus naturalis extendit id ad majorem quantitatem secundum aliquam dimensionem, et ita occupat majorem locum. — 1a 2æ, l. c.; 2. *de Anima* l. 9; 1. *de Generat.* l. 15.

Ad tertium dicendum, quod augmentatio sumpta pro additamento simul est cum nutritione, non autem sumpta formaliter pro extensione, ut dictum est (supra a. 1 et 2).

Ad quartum dicendum, quod augmentatio sumi dupliciter potest: *uno modo* præsuppositive et materialiter; et sic consistit

ut plurimum in multiplicatis additionibus alimenti; nam una additio non ponit tantam quantitatem, quanta fuit deperdita. *Alio modo* formaliter; et sic consistit in extensione consequenti additionem, quæ extensio fit continue. Augmentum autem habitus fit ad modum augmenti materialis animalium. — 1a 2æ, q. 52, a. 3, c.

ARTICULUS IV

UTRUM IDEM VIVENS NUMERO MANEAT ANTE ET POST AUGMENTATIONEM, SEU IN TOTO VITÆ TEMPORE.

Videtur quod idem vivens numero non maneat ante et post augmentationem, seu in toto vitæ tempore.

1. Dicit enim Philosophus 1. *de Generat.* (*text.* 36; c. 5), quod in toto vitæ tempore non manet in vivente eadem materia numero, quia ad modum aquæ continue fluit, et nova advenit ex conversione alimenti; sed varietas individui est ex varietate materiæ: ergo non est idem vivens numero in toto vitæ tempore. — 1. *de Generat.* l. 15; 2. *Sent.* dist. 30, q. 2, a. 1, arg. 2 et 4.

2. Præterea, dicit Philosophus ibidem, quod eodem modo vivens manet idem in toto vitæ tempore, sicut eadem aqua manere dicitur in vase, si ex illo pleno aqua guttatim effluat, et semper guttatim infundatur; et sicut fluvius dicitur idem manere, quia aqua semper est in illo; sed in utroque exemplo nunquam eadem numero aqua manet, sed semper est alia et alia numero: ergo et vivens non erit idem numero in tota vita. — 1. *de Generat.* l. 15; *de Motu Animalium* l. 8.

3. Præterea, si toto aliquo igne exstincto alius totus accendatur, esset novus ignis numero, non idem præexistens; sed eodem modo se res habet, si paulatim priores partes individui viventis consumantur et tollantur, et novæ succedant: ergo idem vivens numero non manet ante et post augmentationem. — *Quodl.* 4, a. 5.

4. Præterea, ubi est alia materia et alia forma numero, ibi non est idem numero compositum. Nam sicut compositum constituitur ex unione materiæ et formæ, ita *hoc* numero compositum constituitur ex unione *hujus* numero materiæ et *hujus* numero formæ, ut dictum est (v. in Metaphysica q. 24, a. 3 et 4; q. 25, a. 5); et ex forma præsertim sortitur compositum suam speciem, et est unum simpliciter. Sed in toto vitæ tempore non manet eadem numero materia, ut dictum est; neque etiam manet eadem numero forma, quia nulla forma materialis potest deserere suam materiam et recipi in alia materia; ergo non est idem numero vivens ante et post augmentationem, atque adeo in toto vitæ tempore. — 7. *Metaphys.* l. 13; 1. *de Generat.* l. 15; 1a, q. 119, a. 1, c.; *Quodl.* 4, a. 5.

Sed contra est: 1. quod Philosophus 1. *de Generat.* (*text.* 23 et 24; c. 4) dicit, quod subjectum idem numero manet in tota augmentatione, sicut et in alteratione, ad differentiam generationis, in qua non manet idem numero subjectum, licet maneat eadem numero materia; ergo idem vivens numero manet in toto vitæ tempore. — 1. *de Generat.* l. 10.

2. Præterea, Philosophus 1. *de Generat.* (*text.* 33 et 35; c. 5) dicit, quod de ratione augmentationis est, quod id quod augetur, conservetur et in suo esse permaneat; eo quod augmentatio non est transmutatio circa substantiam, sed tantum circa quantitatem; et 2. *de Anima* (*text.* 47 et 49; c. 4) dicit, quod potentia generativa est ad simile in specie generandum, augmentativa vero est ad idem numero conservandum, et quod de ratione alimenti est conservare substantiam ejus quod alitur. — 1. *de Generat.* l. 14 et 15; 2. *de Anima* l. 9.

Respondeo dicendum, quod idem numero vivens manet in toto vitæ tempore. Quod manifestum esse potest ex tribus: — et *primo* ex fine augmentationis. Hic enim est, ut dicit Philosophus (5. *Phys. text.* 18; c. 2), perducere vivens præexistens ad quantitatem perfectam; qui finis certe haberi non posset, si non maneret idem numero vivens in toto vitæ tempore: quia tunc non perduceretur idem numero subjectum ab uno termino in alium, sed produceretur novum vivens et novum subjectum, et corrumperetur sub-

jectum, atque adeo vivens imperfectum. (5. *Phys.* l. 4.) *Secundo*, ex additione quantitatis alimenti ad quantitatem viventis præexistentis, quæ necessario antecedit augmentationem formaliter sumptam. Nisi enim idem numero vivens permaneret in toto vitæ tempore, non fieret additio quantitatis quantitati viventis præexistentis, sed novum quantum generaretur. *Tertio*, ex ratione formali augmentationis. Cum enim hæc consistat in extensione præexistentis viventis ad modum metalli, quod extenditur ad majorem quantitatem, necessario requirit, quod idem numero vivens præexistens extendatur ad majorem quantitatem acquirendam: sicut idem numero metallum est, quod ante extensionem habebat parvam quantitatem, et post extensionem habet magnam quantitatem, ut dictum est. — V. supra art. 1, 2, 3 huj. quæst.

Verum *quomodo* idem vivens ante et post augmentationem, atque adeo in toto vitæ tempore permaneat, non omnes philosophi consentiunt. *Quidam* enim dicunt, quod est idem numero vivens ratione formæ, quæ remanet invariabilis, quæque extenditur ad informandam novam materiam alimenti, quod convertitur in vivens. — Verum hæc positio repugnat Philosopho et rationi: *Philosopho* quidem, quia 1. *de Generat.* (*text.* 38, c. 5) dicit, quod vivens augetur, quia alimentum convertitur per generationem in carnem, et hæc caro addita carni præexistenti illam auget. Communiter autem generatio terminatur ad novam formam animatam, si quod augetur sit vivens vel animal imperfectum. Et (*text.* 39; c. 5) comparat augmentationem viventium augmento vini per superinfusam aquam, quam in se convertit, et augmento ignis per apposita ligna. At certum est aquam in vinum converti per formam substantialem novam vini per generationem productam, et similiter materiam lignorum acquirere novam formam substantialem ignis distinctam a forma substantiali ignis in se ligna convertentis; ergo similiter in augmento viventis, caro generata ex materia alimenti habet novam formam substantialem, præsertim in viventibus et animalibus imperfectis. — Repugnat etiam hæc positio *rationi*, quia si loquamur de plantis et animalibus imperfectis, licet hæc habeant unam tantum animam in actu, habent tamen plures in potentia; unde decisa vivunt (*Tabula Aurea* voce «anima» n. 347); et ideo necesse est quod anima, quæ actuat unam partem materiæ, non sit omnino et simpliciter tam actu quam potentia eadem, alioqui partes decisæ horum animalium non viverent.

Alii ergo dicunt, quod idem numero vivens permanet ante et post augmentationem et in toto vitæ tempore: *tum* quia semper manet eadem species et forma singularum partium per totam vitam, licet materia partium et resolvatur per actionem caloris naturalis, et de novo adveniat per alimentum; *tum* quia nunquam contingit, quod omnes partes quæ præerant, abscedant, ita ut nihil prioris materiæ remaneat, sed semper manet aliquid, et illud quod advenit viventi ex alimento, efficitur unum quid cum partibus quæ præerant.

Et hæc positio mihi videtur vera; et confirmari potest *primum* a simili in resurrectione. Dicitur enim idem homo numero resurgere, quia licet non quidquid materialiter fuit in homine secundum totum vitæ suæ tempus, resumatur, resumitur tamen ex eo quantum sufficit ad complementum debitæ quantitatis, et præcipue illud, quod perfectius fuit sub forma et specie humanitatis consistens. Si quid vero defuit ad complementum debitæ quantitatis (vel quia aliquis præventus est morte, antequam natura ipsum ad perfectam quantitatem deduceret; vel quia forte aliquis mutilatus est membro), aliunde hoc divina supplebit potentia. Quare similiter in opere naturæ idem homo numero dicetur, licet super id quod puer habet, addatur aliquid aliunde, ut ad perfectam ætatem perveniat. — *Deinde* idem patet in augmento ignis ex lignis appositis, cui comparat Philosophus augmentum viventium. Sicut enim ignis qui continue ardet, unus numero dicitur, propter hoc quod species ejus manet, licet ligna consumantur et de novo apponantur, et quod additur, transit in præexistens; ita

idem homo numero dicetur, dum vivit puer et adultus, quia licet non sint eædem partes secundum materiam, sed fluant et refluant, sunt tamen eædem partes secundum speciem et formam, quæ consideratur in determinato situ, figura et virtute. — Et sic patet, quod idem numero vivens manet in toto vitæ tempore, atque adeo ante et post augmentationem. — *4. c. Gent.* c. 81, n. 4; 2. *Sent.* dist. 30, q. 2, a. 1, c. et ad 4; 1a, q. 119, a. 1, ad 5; *Quodl.* 8, a. 5.

Ad ergo *primum* dicendum, quod sicut Philosophus dicit in 1. *de Generat.*, quando aliqua materia per se convertitur in ignem, tunc dicitur ignis de novo generari; quando vero aliqua materia convertitur in ignem præexistentem, dicitur ignis nutriri. Unde si tota materia simul amittat speciem ignis, et alia materia convertatur in ignem, erit alius ignis numero. Si vero paulatim combusto uno ligno aliud substituatur, et sic deinceps, quousque omnia prima consumantur, semper remanet idem numero ignis, quia semper quod additur, transit in præexistens. Et similiter intelligendum est in corporibus viventibus, in quibus ex nutrimento reparatur id, quod per calorem naturalem consumitur. Quamquam quia ignis improprie et tantum secundum quandam similitudinem nutriri dicitur inter cetera elementa, ideo tantum secundum quandam similitudinem dicitur idem numero præexistens perseverare, ut dicemus infra (q. 45, ad 4). — 1a, q. 119, a. 1, ad 5; 2. *Sent.* l. c. ad 4; 2. *de Anima* l. 9.

Ad secundum dicendum, quod maximum discrimen est inter identitatem fluvii et vasis, et identitatem numericam viventis. Nam in fluvio et vase non manet aliquod idem secundum numerum, sed secundum speciem, sed in animalibus semper manet aliquid secundum numerum: — quia aqua quæ advenit, non cedit in eandem substantiam numero cum aqua quæ prius advenit, sed est extra ipsam, quamvis continua; in partibus autem eorum quæ nutriuntur, illud quod advenit, transmutatur in illud cui advenit, et efficitur unum numero cum illo, ita ut nihil unius sit extra aliquid alterius, et ideo manent eædem numero in actu toto tempore, quamvis aliquid resolvatur ab eis, et aliquid adveniat. — *de Motu Animalium* l. 8.

Ad tertium dicendum, quod si uno igne exstincto novus alius producatur, hic erit propter omnimodam diversitatem materiæ numero a præcedenti diversus; at si in ignem præexistentem ex lignis appositis alius generetur, qui ei continuetur, erit unus numero ignis, saltem secundum aliquam rationem et similitudinem, quia qui generatur transit in præexistentem, et ideo præexistens dicitur aliquo modo remanere idem numero, et consequenter per appositionem nutriri et conservari. Vivens vero quia proprie nutritur, dicitur omnino idem numero remanere ante et post augmentationem, seu in toto vitæ tempore. — Il. cit. ad 1.

Ad quartum dicendum, quod remane eædem species et forma in determinato situ, figura et virtute consistens; et hoc sufficit, licet partes materiales fluant et refluant, ad hoc ut dicatur idem numero vivens permanere in toto vitæ tempore. — Il. cit. in c. et ad 1 et 2.

ARTICULUS V

UTRUM VIVENS AUGEATUR SECUNDUM OMNES PARTES.

Videtur quod vivens non augeatur secundum omnes partes.

1. Dicit enim Philosophus 1. *de Generat. text.* 34 (c. 5), quod caro quæ additur, non augetur, sed tantum illa cui cibus in carnem conversus additur; sed utraque caro est pars totius viventis, nam ex utraque vivens fit majus: ergo non augetur vivens secundum omnes partes; — et *text.* 39 (c. 5), quod cibus conversus in carnem est augens, id vero quod alitur est caro præexistens viventis; ergo non augetur vivens secundum omnes partes. — 1. *de Generat.* l. 14 et 16.

2. Præterea, si quælibet pars viventis augetur, necesse est, cum augmentum fiat per additionem alicujus, quod cuilibet parti ejus quod augetur, aliquid addatur; *vel* ergo id

quod additur, quo dicitur vivens augeri, est corporeum, *vel* incorporeum, separatum ab omni quantitate corporali. *Non secundum*, quia impossibile est, quod materia separatsit a magnitudine; et præterea, quia si esset incorporeum, non esset quantum in actu; unde sui appositione non faceret majus sea cundum quantitatem. *Neque primum*, quia sequeretur duo corpora esse simul in eodem loco: nimirum corpus quod augetur, et corpus additum quod auget; non enim potest dici, quod collocetur seorsum corpus quod augetur, et corpus quod auget, quia oportet additamentum fieri cuilibet parti ejus quod augetur; impossibile autem est quod duo corpora sint simul in eodem loco. Ergo non augetur vivens secundum omnes partes. — 1. *de Generat.* l. 15.

3. Præterea, si quælibet pars augetur, sequitur in singulis augmentis vivens duplo majus fieri; quod est aperte contra experientiam; ergo vivens non augetur secundum omnes partes.

Sed contra est, quod Philosophus 1. *de Generat.* (*text.* 32; c. 5) dicit, quod quælibet pars viventis augetur. — 1. *de Generat.* l. 14.

Respondeo dicendum cum Philosopho 1. *de Generat. text.* 35 et 36 (c. 5), quod viventis omnes partes augentur, si considerentur secundum formam et speciem, non autem secundum materiam. Quod manifestum est, quia de ratione ejus quod augetur est quod permaneat, ut dicitur l. c. *text.* 34 (c. 5); et quod extendatur in majorem quantitatem, quia de ratione augmenti est, quod fiat additio ad præexistentem magnitudinem; dicitur enim aliquid augeri ex eo quod fit majus, quod non esset, nisi aliquid prius esset magnum. Quælibet autem pars secundum formam et speciem considerata permanet, et cuilibet parti sic consideratæ tamquam permanenti additur aliquid; non autem cuilibet parti secundum materiam consideratæ fit additio, sicut nec quælibet sic sumpta permanet. Quælibet ergo pars secundum formam et speciem augetur, non autem quælibet secundum materiam. Quod manifeste patet — *tum* in partibus heterogeneis, in quibus evidentius apparent augmentum et prædicta distinctio, puta in manu, digito et articulo: — proportionaliter enim augetur tota manus et quilibet digitus et quilibet articulus: semper enim remanet eadem manus et idem digitus, licet non maneant eædem partes materiales, cum aliæ per calorem naturalem resolvantur, et aliæ per alimentum adveniant; — *tum* in partibus homogeneis, puta in carne, osse et in aliis partibus similaribus; nam semper manet eadem ratio carnis et ossis, puta secundum id quod est formale in ipsis, quia semper manet natura carnis et dispositio naturalis ipsius; similiter et natura et naturalis dispositio ossis; licet non maneant eædem partes materiales, sed paulatim consumantur et restaurentur, sicut patet in igne fornacis, cujus forma manet, sed materia paulatim consumitur, et alia in locum ejus substituitur. Unde manifestum est, quomodo quælibet pars viventis augeatur, et quomodo non. — 1. *de Generat.* l. 13, 14, 15; 1a, p. 113, a. 1, ad 2; 2. *Sent.* dist. 30, q. 2, a. 1, c.; *Quodl.* 8, a. 5.

Ad primum ergo dicendum, quod ad augmentationem, ut dictum est (art. 2), duæ mutationes concurrunt, nimirum additio quantitatis, et extensio. Si consideretur prior mutatio, sola caro præexistens dicitur augeri; si vero consideretur posterior mutatio augetur etiam caro, quæ additur; nam ex utraque fit unum vivens, cujus quælibet pars secundum formam augetur per extensionem ad majorem quantitatem, ut dictum est. — V. supra art. 2 et 4.

Ad secundum dicendum, quod quando aliquod corpus augetur, augmentatur quidem materia carnis: quia plus generatur per nutrimentum, quam perdatur per actionem caloris; et ita multiplicata materia vis augmentativa, quæ pertinet ad speciem, extendit proportionabiliter totam materiam in majorem quantitatem. Non tamen ita augmentatur materia carnis, quod cuilibet parti materiæ aliquid addatur: quia neque quælibet pars materiæ manet, sed quædam defluit consumpta, scilicet per calorem, et quædam advenit restituta, scilicet per nu-

trimentum; et ita non oportet incorpoream esse, neque esse corpoream omnino simul; neque corpus quod augetur esse vacuum, quia non minus fuit id quod restituitur per alimentum, quam id quod fuit per calorem consumptum. Virtus enim caloris naturalis, quæ pertinet ad speciem, restituit id (quod advenit) in locum ejus quod perit. Si autem fuerit plus quod ex alimento generatum est, virtus naturalis extendit id in majorem quantitatem secundum aliquam dimensionem, et ita occupat majorem locum. Sed quia species semper manet, necesse est dicere, quod cuilibet parti formæ vel speciei aliquid advenit, et quælibet augetur. Neque propter hoc sequitur duo corpora esse in eodem loco: quia formæ et speciei non debetur locus nisi ratione materiæ, in qua fundatur, quæ est proprie subjectum quantitatis dimensivæ. — 1. *de Generat.* l. 15.

Ad tertium dicendum, quod non quælibet pars quæ augetur est minima, cum non augeatur quælibet pars materiæ, sed formæ et speciei, ut dictum est (in c.); debet tamen quælibet pars quæ augetur esse sensibilis, ut dicitur 1. *de Generat. text.* 35 (c. 5). Addo, quod neque quod additur, semper est tantum, quantum est id quod per calorem naturalem resolutum est, sed aliquando minus, ut quando fit diminutio et decrementum. — 1. *de Generat.* l. 15 et 17.

ARTICULUS VI

UTRUM ALIMENTUM CONVERTATUR IN NATURAM ALITI.

Videtur quod alimentum non convertatur in naturam aliti.

1. Natura enim uniuscujusque rei est in eo quod secundum speciem est; illud autem quod per modum nutrimenti advenit, per modum materiæ se habet, ut dicitur in 2. *de Generat.* (*text.* 50; c. 8); sed caro secundum materiam non fit caro secundum speciem, ut habetur 1. *de Generat.* (*text.* 35; c. 5): ergo alimentum non transit in naturam aliti. — 2. *Sent.* dist. 30, q. 2, a. 1, arg. 2; 1a, q. 119, a. 1, arg. 2; *Quodl.* 8. a. 5, arg. 1.

2. Præterea, illud ad naturam nutriti pertinet, in quo calor convenienS radicatur; sed tale humidum, ut medici dicunt, consumptum non restauratur, ut patet in his qui tertia specie hecticæ laborant, quæ incurabilis est ex eo quod tale humidum non restauratur. Cum igitur omne illud in quod alimentum convertitur, post consumptionem restaurari possit, videtur quod nutrimentum in id quod proprie ad naturam nutriti pertinet, non mutetur. — 2. *Sent.* l. c. arg. 3; 1a, l. c. arg. 3.

3. Præterea, illud quod pertinet ad naturam nutriti, oportet quod semper permaneat, alias non remaneret idem homo numero; sed illud quod generatur ex alimento, non semper manet, sed semper fluit et refluit, ut patet ex 1. *de Generat.*: ergo quod generatur ex alimento, non spectat ad naturam nutriti. — *Quodl.* 8, l. c. arg. 2.

4. Præterea, si alimentum transiret in naturam nutriti, quidquid in nutrito deperditur, restaurari posset; sed mors hominis, verbi gratia, non accidit nisi per deperditionem alicujus: posset igitur homo per sumptionem alimenti in perpetuum se contra mortem tueri. — 1a, l. c. arg. 4.

5. Præterea, si alimentum in naturam viventis transiret, nihil esset in vivente, quod non posset recedere et reparari; quia id quod in homine generatur ex alimento, et recedere et reparari potest. Si ergo diu viveret, sequeretur quod nihil quod in eo fuit materialiter in principio suæ generationis, finaliter remaneret in ipso; et sic non esset idem vivens numero per totam suam vitam, cum ad hoc quod sit idem numero, requiratur identitas materiæ. Hoc autem est inconveniens. Non ergo alimentum convertitur in naturam aliti. — 1a, l. c. arg. 5; 2. *Sent.* l. c. arg. 4.

6. Præterea, nulla virtus naturalis debilitatur multiplicata sibi materia convenienti; sed solum per admixtionem alicujus extranei; sed virtus conversiva in vivente debilitatur in fine vitæ, alias vivens posset in infinitum augeri et vivere: ergo hoc contingit

per admixtionem extranei; sed nihil admiscetur ad materiam illam, in qua virtus conversiva prius fundabatur, nisi quod ex alimento est generatum: ergo hoc quod est ex alimento generatum, est extraneum naturæ viventis, et sic idem quod prius. — 2. *Sent.* l. c. arg. 5.

7. Præterea, natura facit unumquodque faciliori modo quo fieri potest; Deus autem multo ordinatius quam natura operatur; cum igitur facilior modus augendi aliquid sit per multiplicationem materiæ, quam per conversionem alterius in id quod augetur, videtur quod iste modus divinæ providentiæ competat, ut scilicet corpus viventis augeatur nullo exteriori in illud transeunte, sed sola ejus natura multiplicata. — 2. *Sent.* l. c. arg. 6.

Sed contra est: 1. quod secundum Philosophum (1. *de Generat. text.* 41; c. 5) nihil nutrit carnem, nisi quod est potentia caro; sed omne quod est in potentia ad aliquid, mutatur in id per actionem ejus quod est actu: ergo nutrimentum in illam carnem, quæ ad naturam viventis pertinet, transmutatur. — 2. *Sent.* l. c arg. 1 *Sed contra.*

2. Præterea, nutrimentum in principio est dissimile, sed in fine est simile, cum nihil nisi suo simili nutriatur et foveatur; sed illa sunt similia, quæ eamdem formam communicant: cum igitur natura rei a forma sit, videtur quod illud quod nutrit, in finem ad naturam ipsius nutriti perducatur. — *Ibid. arg.* 2 *Sed contra.*

3. Præterea, semen, ex quo fit generatio, maxime videtur ad naturam viventis pertinere; sed semen, secundum Philosophum 15. *de Animalibus* (sive 1. *de Generat. Animal.* c. 18), est de superfluo alimenti: ergo et alimentum convertitur in naturam viventis. — *Quodl.* 8, a. 5, arg. 2 *Sed contra.*

Respondeo dicendum, quod secundum Philosophum (2. *Metaphys. text.* 4; l. 1 min., c. 1) hoc modo se habet unumquodque ad veritatem, sicut se habet ad esse. Illud ergo pertinet ad veritatem naturæ alicujus, quod est de constitutione naturæ ipsius. Sed natura dupliciter considerari potest: uno modo in communi, secundum naturam speciei; alio modo secundum quod est in hoc individuo. Ad veritatem igitur naturæ alicujus in communi consideratæ pertinet forma et materia ejus in communi accepta; ad veritatem autem naturæ in hoc particulari consideratæ pertinet materia individualis signata, et forma per hujusmodi materiam individuata. Sicut enim de veritate humanæ naturæ in communi est anima humana et corpus, ita de veritate humanæ naturæ in Petro et Martino est hæc anima et hoc corpus. Sunt autem quædam, quorum formæ non possunt salvari nisi in una materia, sicut forma solis non potest salvari nisi in materia quæ actu sub ea continetur.

Et secundum hunc modum *aliqui* posuerunt, quod forma humana non potest salvari nisi in materia quadam signata, quæ scilicet a principio fuit tali forma formata in primo homine, ita ut quidquid aliud præter illud, quod ex primo parente in posteros derivatur, additum fuerit, non pertineat ad veritatem naturæ humanæ, quasi non vere accipiat formam humana naturæ; sed illa materia, quæ in primo homine formæ humanæ fuit subjecta, in seipsa multiplicetur. Et hoc modo, inquiunt, multitudo humanorum corporum a corpore primi hominis derivatur. Et secundum hos alimentum non convertitur in veritatem humanæ naturæ. Sed dicunt, quod alimentum accipitur ut quoddam fomentum naturæ, id est ut resistat actioni caloris naturalis, ne consumat humidum radicale, sicut plumbum vel stamnum adjungitur argento, ne consumatur per ignem.

Sed hæc positio est multipliciter irrationabilis: — *primo* quidem, quia ejusdem rationis est, quod aliqua forma possit fieri in alia materia, et quod possit propriam materiam deserere; et ideo omnia generabilia sunt corruptibilia, et e converso. Manifestum est autem, quod forma humana potest deficere ab hac materia, quæ ei subjicitur; alioqui corpus humanum corruptibile non esset. Unde relinquitur quod et alii in ma-

teria advenire possit, aliquo alio in veritatem humanæ naturæ transeunte. — *Secundo*, quia in omnibus quorum materia invenitur nata sub uno individuo, non est nisi unum individuum in una specie, sicut patet in sole et luna et hujusmodi. Sic igitur non esset nisi unum individuum humanæ speciei. — *Tertio*, quia non est possibile quod multiplicatio materiæ attendatur, nisi *vel* secundum quantitatem tantum, sicut accidit in confectis, quorum materia suscipit majores dimensiones; *vel* etiam secundum substantiam materiæ. Sola autem eadem substantia materiæ manente non potest fieri, quod sit multiplicata, quia idem ad se ipsum non constituit multitudinem, cum necesse sit omnem multitudinem ex aliqua divisione causari. Unde oportet quod aliqua alia substantia materiæ adveniat, vel per creationem, vel per conversionem alterius in ipsum. Unde relinquitur quod non potest aliqua materia multiplicari nisi vel per rarefactionem, sicut cum ex aqua fit aer; vel per additionem alterius rei, sicut multiplicatur ignis per additionem lignorum; vel per creationem materiæ. Sed manifestum est multiplicationem materiæ in humanis corporibus non accidere per rarefactionem, quia sic corpora hominum perfectæ ætatis essent imperfectiora quam corpora puerorum. Nec iterum per creationem novæ materiæ, quia secundum D. Gregorium (lib. 32. *Moral.* c. 12, al. 9 vel 10; — Migne PP. L. t. 76. col. 644 sq.) omnia sunt simul creata secundum substantiam materiæ, licet non secundum speciem formæ. Unde relinquitur quod multiplicatio corporis humani non fit nisi per hoc, quod alimentum convertitur in veritatem corporis humani. — *Quarto*, quia, cum homo non differat ab animalibus et plantis secundum animam vegetabilem, sequeretur quod etiam corpora animalium et plantarum non multiplicantur per conversionem alimenti in corpus nutritum; sed per quandam multiplicationem, quæ non potest esse naturalis, cum materia non extendatur secundum naturam nisi usque ad certam quantitatem; nec iterum inveniatur aliquid naturaliter crescere, nisi per rarefactionem vel conversionem alterius in ipsum. Et sic totum opus generativæ et nutritivæ, quæ dicuntur vires naturales, esset miraculosum: quod est omnino inconveniens.

Unde *alii* dixerunt, quod forma humana potest quidem fieri de novo in aliqua alia materia, si consideretur natura humana in communi, non autem si accipiatur prout est in hoc individuo, in quo forma humana fixa manet in quadam materia determinata, cui primo imprimitur in generatione hujus individui, ita quod illam materiam nunquam deserit usque ad ultimam individui corruptionem; et hanc materiam dicunt principaliter pertinere ad veritatem humanæ naturæ. Sed quia hujusmodi materia non sufficit ad quantitatem debitam, requiritur ut adveniat alia materia per conversionem alimenti in substantiam nutriti, quantum sufficit ad debitum augmentum; et hanc materiam dicunt secundario pertinere ad veritatem humanæ naturæ, quia non requiritur ad primum esse individui, sed ad quantitatem ejus. Jam vero si quid aliud advenit ex alimento, non pertinet ad veritatem humanæ naturæ proprie loquendo.

Sed hoc etiam est inconveniens: — *primo* quidem, quia hæc opinio judicat de materia corporum non viventium ad modum corporum animatorum, in quibus etsi sit virtus ad generandum sibi simile in specie, non tamen est virtus in eis ad generandum aliquid sibi simile secundum individuum; quæ quidem virtus in corporibus viventibus est virtus nutritiva. Nihil ergo per virtutem nutritivam adderetur corporibus viventibus, si alimentum in veritatem naturæ ipsorum non converteretur. — *Secundo*, quia virtus activa, quæ est in semine, est quædam impressio derivata ab anima generantis; unde non potest esse majoris virtutis in agendo, quam ipsa anima, a qua derivatur. Si ergo ex virtute seminis vere assumit aliqua materia formam naturæ humanæ, multo magis anima in nutrimentum conjunctum poterit veram formam naturæ humanæ imprimere per potentiam nutritivam. — *Tertio*, quia nutrimento indigetur non solum ad augmentum (alioquin augmento terminato necessarium

non esset), sed etiam ad restaurandum illud, quod deperditur per actionem caloris naturalis. Non autem esset restauratio, nisi id quod ex alimento generatur, succederet in locum deperditi; unde sicut id quod primo inerat, est de veritate humanæ naturæ, ita id quod ex alimento generatur.

Et ideo secundum *alios* dicendum est, quod alimentum vere convertitur in id quod est principaliter de veritate humanæ naturæ, et quantum ad speciem et quantum ad individuum. Utrumque enim, scilicet et quod ex alimento generatur, et quod a parentibus trahitur, indifferenter et æqualiter forma humana perficitur, et utrumque indifferenter manet vel consumitur: manet quidem secundum speciem, consumitur autem et restauratur secundum materiam. Sicut in aliqua republica diversi homines numero ad communitatem pertinent, quibusdam morientibus et aliis in locum eorum succedentibus; et sic non manet una respublica secundum materiam, quia sunt alii et alii homines; manet tamen una numero quantum ad speciem sive formam, propter unitatem ordinis in officiis distinctis; — ita etiam in corpore humano et cujuslibet animalis manet caro et os, et unaquæque partium manet eadem numero quantum ad speciem et formam, quæ consideratur in determinato situ et virtute et figura; non autem manet quantum ad materiam, quia illa materia carnis, in qua talis forma erat prius, consumpta est, et alia ei in locum successit: sicut patet de igne, qui continuatur secundum eandem formam et modum, per hoc quod consumptis quibusdam lignis alia supponuntur, quæ ignem sustinent. Et secundum hanc opinionem, quæ ceteris probabilior est, de utroque indifferenter, scilicet genito ex alimento et a parentibus tracto, tantum resurget, quantum est necessarium ad speciem et quantitatem debitam humani corporis. — 1a, q. 119, a. 1, c.; 2. *Sent.* dist. 30, q. 2, a. 1, c.; *Quodl.* 8, a. 5, c.

Secundum hanc ergo opinionem:

Ad primum dicendum, quod non est diversa caro secundum materiam distincta, quæ dicitur caro secundum materiam et caro secundum speciem; sed eadem secundum numerum caro dicitur secundum speciem, in quantum participat formam et proprietates consequentes speciem; secundum materiam dicitur, in quantum ex materia consistit. Et quod hic sit intellectus Aristotelis, patet tum ex verbis Commentatoris exponentis hoc modo, tum ex verbis Philosophi in littera positis. Dicit enim, quod hoc modo est distinguere, quod est secundum speciem et secundum materiam in carne et osse, sicut et in unoquoque alio, quod habet formam in materia. Constat autem, quod talis distinctio non potest fieri in lapide et aqua, ut dicatur pars secundum speciem, quæ ex primis generantibus tracta est, et pars secundum materiam, quæ ex nutrimento advenit. Et ita patet, quod nec in carne et osse hoc intelligendum est, sed modo prædicto; unde objectio procedit ex malo intellectu verborum Philosophi (2. *Sent.* l. c. ad 2).

Dicendum igitur est, quod alimentum convertitur in carnem, quæ est secundum speciem, id est quæ habet speciem; non tamen ita, quod alimentum fiat species carnis, sed fit carnis materia, ratione cujus potest dici, quod convertitur in carnem quantum ad materiam et non quantum ad speciem. — *Quodl.* 8, a. 5, ad 1; 1a, l. c. ad 2.

Ad secundum dicendum, quod secundum medicos humidum, quod ex primis generantibus trahitur, non oportet ut dicatur radicale, quia semper maneat distinctum secundum materiam et proprietatem ab humido nutrimentali seu ex alimento aggenerato; sed quia calor naturalis in illo humido prius exstitit, et illud quod permiscetur non participat speciem, nisi ex virtute illius humidi cui permiscetur. Unde est quasi radix totius illius quod postmodum ex alimento convertitur; non autem ita, quod utrumque humidum post finem digestionis ultimæ distinctum remaneat, sed totum permixtum accipit unam proprietatem; et utraque materia, scilicet quæ prius suberat primo humido, et secundo advenienti, æqualiter se habet ad hoc quod transeat, et ad hoc quod virtutem speciei participet. Nec dicitur con-

sumi humidum radicale propter discessum talis materiæ, sed propter hoc quod non permanet proprietas, quam totum mixtum habebat ex virtute primi humidi; tunc enim non potest fieri restauratio, quia virtus speciei non manet; sicut etiam si tota manus amputetur, non restauratur per nutrimentum, quia non manet virtus speciei determinata huic organo: et propter hanc etiam causam dicuntur quædam membra ex humido radicali composita, non quod nihil nutrimenti in substantiam illorum transeat, cum quodlibet membrum corporis proportionabiliter augeatur; sed quia in illis membris principaliter virtus speciei consistit, quæ est ex humido radicali. Nec potest aliqua abscessio ab eis fieri, quin auferatur virtus speciei quantum ad aliquam partem determinatam; et propter hoc etiam talia membra decisa non sanantur. — 2. *Sent.* l. c. ad 3.

Ad tertium dicendum, quod ratio et veritas naturæ humanæ et cujuslibet alterius rei est a specie, et ideo cum id, quod est in homine, manet secundum speciem, quamvis non maneat secundum materiam, nihilominus ratio et veritas naturæ, atque adeo natura ipsa humana manere dicitur; nec desinit esse idem homo numero propter mutationem, quæ est secundum materiam, quia non tota materia simul a forma abstrahitur, ut alia tota simul formam accipiat. Hæc enim generatio esset et corruptio, [sicut] si totus ignis unus exstinguatur, et alius totus accendatur; sed aliqua pars materiæ consumitur, et alia in locum ejus substituitur, quæ efficitur una materia cum præexistenti, per hoc quod ei adjungitur ad sustinendam eandem formam humani corporis; sicut si unum lignum ignis consumat, et aliud loco ejus apponatur, erit idem ignis numero. — *Quodl.* 8, a. 5, ad 2.

Ad quartum dicendum, quod omnis virtus in corpore passibili per continuam actionem debilitatur, quia hujusmodi agentia etiam patiuntur. Et ideo virtus conversiva in principio quidem tam fortis est, ut possit convertere non solum quod sufficit ad restaurationem deperditi, sed etiam ad augmentum; postea vero non potest convertere, nisi quantum sufficit ad restaurationem deperditi, et tunc cessat augmentum; demum nec hoc potest, et tunc fit diminutio; deinde deficiente hujusmodi virtute totaliter animal moritur: sicut virtus vini convertentis aquam admixtam paulatim per admixtionem aquæ debilitatur, ut tandem totum fiat aquosum, ut Philosophus exemplificat 1. *de Generat.* (*text.* 39 et 88; c. 5 et 10). — 1a, l. c. ad 4.

Ad quintum dicendum, quod sicut dicit Philosophus (in 1. *de Generat. text.* 39; c. 5), quando aliqua materia per se convertitur in ignem, tunc dicitur ignis de novo generari. Quando vero aliqua materia convertitur in ignem præexistentem, dicitur ignis nutriri. Unde si tota materia simul amittat speciem ignis, et alia materia convertatur in ignem, erit alius ignis numero. Si vero paulatim combusto uno ligno aliud substituatur, et sic deinceps, quousque omnia ligna consumantur, semper remanet idem ignis numero, quia semper quod additur transit in præexistens. Et similiter est intelligendum in corporibus viventibus, in quibus ex nutrimento restauratur id, quod per calorem naturalem consumitur. — 1a, l. c. ad 5.

Vel dic, quod cum illud, quod advenit ex alimento, aggeneratum sit permixtum ei, quod prius erat, et similiter unum effectum ex ambobus sit, semper fit deperditio in utroque proportionaliter; et ideo nunquam contingit, quod totum illud, quod prius erat, abscedat, ita quod nihil prioris materiæ remaneat; sed semper manet aliquid; et illud, quod advenit, est unum cum eo, quod præerat effectum. Et ideo est materia una et unum individuum per totam vitam, sicut patet etiam in igne, qui nutritur lignis: semper enim manet unus numero ignis, quamvis aliquibus lignis appositis alia consumantur, quia illud, quod advenit, semper efficitur unum cum eo, quod præerat; et magis esset simile, si fieret commixtio secundum totum, sicut est in nutrimento. Secus autem esset, si ex materia adveniente generetur ignis vel caro seorsum; tunc enim propter omnimodam diversitatem

materiæ esset etiam diversitas secundum numerum. — 2. *Sent.* l. c. ad 4.

Ad sextum dicendum, quod illud, quod ex nutrimento aggeneratur, non ita perfecte consequitur naturam speciei, sicut illud, quod primo per virtutem formativam in carnem vel os conversum est: *tum* quia prima generatio erat carnis secundum se, secunda autem est carnis in alio quasi per commixtionem; *tum* etiam quia quanto virtus animæ magis diffunditur et spargitur, debilior redditur, ut patet in corde, quod quanto majus est, tanto minus calidum est; unde animalia habentia magnum cor sunt timida naturaliter, ut Philosophus in libro 13. *de Animalibus* (seu 3. *de Partibus Animal.* c. 4) dicit, et ideo aliquo modo est extraneum, et propter hoc permixtum ei, quod prius erat, est causa debilitatis virtutis, sicut aqua admixta vino, ut ponit exemplum Philosophus in 1. *de Generat.* Et ideo ad ultimum oportet quod sequatur diminutio et corruptio. — 2. *Sent.* l. c. ad 5.

Ad septimum dicendum, quod modus ille, scilicet per multiplicationem materiæ, non est possibilis, ad minus naturæ; quæ quoniam non secundum se totam agit, sed secundum formam tantum, ideo multiplicat tantum formam et non materiam; et propter hoc, ut opus naturæ servaretur, oportuit modum illum in augmento esse qui virtuti naturæ competat. — 2. *Sent.* l. c. ad 6

ARTICULUS VII

UTRUM ALIMENTUM SIT SIMILE NUTRITO.

Videtur quod alimentum non sit simile nutrito.

1. Alimentum enim, ut dicit Philosophus (2. *de Anima text.* 43; c. 4), est contrarium nutrito; convertitur enim nutrimentum in nutritum, generationes autem fiunt ex contrariis; sed quod est contrarium alicui, non est illi simile: ergo alimentum non est simile nutrito. — 2. *de Anima* l. 9.

2. Præterea, simile non patitur a simili, ut dicit Philosophus (l. c. *text.* 44; c. 4); sed alimentum patitur ab eo, quod nutritur; alteratur enim ab eo et digeritur: ergo alimentum non est simile ei, quod nutritur. — *Ibid.*

3. Præterea id, quod nutritur, est actu animatum; nihil enim proprie nutritur, quod non participet vitam, ut inquit Philosophus (l. c. *text.* 46; c. 4); sed alimentum non est actu animatum, sed tantum in potentia, ut dicit Philosophus (ibidem et 1. *de Generat. text.* 41; c. 5): ergo idem quod prius. — 2. *de Anima* l. 9; 1. *de Generat.* l. 17.

4. Præterea, similitudo augmenti et nutrimenti præcipue apparet in igne, quia ignis habet plus de forma quam alia elementa, et est potentior in virtute activa; unde per hoc, quod manifeste alia convertit in se, videtur nutriri et augeri; sed ignis non nutritur igne, sed lignis, quæ sunt dissimilia: ergo et vivens nutritur dissimili, non autem simili. — 2. *de Anima* l. 9.

5. Præterea, dicit Philosophus (1. *de Generat. text.* 41; c. 5), quod idem est nutrimentum et augmentum; sed id, quod auget vivens, est quid extrinsece adveniens, ut dicit Philosophus 1. *de Generat. text.* 35; c. 5): ergo et id, quod nutrit, debet esse quid extrinsece adveniens; si autem esset simile viventi, esset vivens atque adeo pars viventis: ergo nutrimentum non est simile nutrito. — 1. *de Generat.* l. 17 et 15.

Sed contra est: 1. quod Philosophus (1. *de Generat. text.* 41; c. 5) dicit, quod cibus est nutriens, in quantum convertitur in carnem, sicut est augens, in quantum suscipit majorem quantitatem; sed caro est similis carni viventis, quod augetur: ergo nutrimentum debet esse simile nutrito. — 1. *de Generat.* l. 17.

2. Præterea, 2. *de Anima* (*text.* 44; c. 4) et 1. *de Generat.* (*text.* 38; c. 5) laudat Philosophus eos, qui dicunt simile similiali; ergo nutrimentum, quod est id, quo vivens alitur, debet esse simile nutrito. — 2. *de Anima* l. 9; 1. *de Generat.* l. 16.

Respondeo dicendum, quod circa hanc dubitationem *quibusdam* videtur, quod alimentum oportet esse simile ei, quod alitur. Alimentum enim est causa augmenti; opor-

tet autem quod simile simili augeatur; si enim aliquid diversum apponeretur alicui, non esset ejusdem augmentum, sed naturæ extraneæ adjunctio. *Aliis* autem videtur, quod alimentum oportet esse contrarium ei, quod alitur; et ad hoc inducuntur duabus potissimum rationibus primo loco supra allatis: quarum prior sumitur ex contrarietate quam oportet esse inter mutationis terminos; posterior autem ex contrarietate quam oportet esse inter agens et patiens. — 2. *de Anima* l. 9.

Verum utrique aliquo modo dicunt recte, et aliquo modo non recte. Ad cujus evidentiam sciendum, quod alimentum necessario debet esse in potentia ad hoc, ut sit *vivens quantum*. Cum enim vivens per augmentum fiat majus, necessario debet alimentum, quo vivens augetur, esse in potentia *vivens quantum*, nisi quod secundum quod est in potentia *vivens*, puta caro, nutrit, in quantum vero est in potentia *quanta* caro, auget. Quoniam vero quod est in potentia aliquid, necessario debet esse actu aliquid aliud, propterea alimentum, quod est in potentia ad carnis substantiam et quantitatem, debet esse aliquid aliud actu quam caro, puta panis. Quod autem est actu aliquid, non fit aliud, ad quod est in potentia, nisi per prioris corruptionem et sequentis generationem. Unde oportet augmentum et nutrimentum fieri corrupto eo, quod alimentum prius erat actu, puta pane, et generato eo, ad quod erat in potentia, puta carne. — Unde fit, ut dupliciter possit alimentum considerari: *uno modo* ante concoctionem, alterationem et digestionem, atque adeo a principio alterationis, *alio modo* post decoctionem et digestionem, atque adeo in fine alterationis; utroque enim modo sumptum vere dicitur alimentum. Si consideretur alimentum *priore modo*, debet esse dissimile nutrito et illi contrarium; hoc enim est, quod patitur et mutatur. Unde fit etiam, ut non sufficiat ad rationem alimenti, quod sit quomodocumque contrarium nutrito; nam oportet quod sit de illis contrariis, quæ habent generationem ex se invicem; nutrimentum enim convertitur in substantiam nutriti. Unde quæcunque contraria sunt in substantia, secundum quæ fiunt alterationes ad invicem et non generationes, non pertinent ad rationem alimenti; non enim dicimus, quod infirmum sit nutrimentum sani vel album nigri, aut aliquid hujusmodi. Præterea oportet quod sit de illis contrariis, quæ augmentum suscipiunt ex se invicem, quia ad alimentum videtur sequi augmentum. Si vero consideretur alimentum *posteriori modo*, sic alitur simile simili; agens enim assimilat sibi patiens; unde in fine passionis oportet passum esse simile agenti; et per hunc modum potest augere id, quod alitur. — Unde manifestum est, quod utraque opinio quodammodo vera est, quodammodo falsa.

Et ex his patet *ad objecta* utriusque partis. Nam objecta *primæ partis* tantum probant, quod nutrimentum in principio alterationis debet esse dissimile, secus vero in fine. *Objecta* vero *secundæ partis* tantum probant, quod alimentum in fine alterationis debet esse simile nutrito. Utrumque autem verum est. — 2. *de Anima* l. 9; 1. *de Generat.* l. 16.

QUÆSTIO XXXIX

DE CONTACTU.

Deinde considerandum est de nonnullis pertinentibus ad motum generationis et corruptionis in communi, et ad motum augmenti et alterationis; quæ sunt quatuor: contactus, actio, reactio, mixtio.

CIRCA PRIMUM QUÆRITUR:

Utrum movens et motum, seu agens et patiens debeant se tangere, atque adeo esse simul.

ARTICULUS

UTRUM AGENS ET PATIENS DEBEANT SE TANGERE, ATQUE ADEO SIMUL ESSE.

Videtur quod agens et patiens non necessario debeant esse simul et se tangere.

1. Dicit enim Philosophus (1. *de Generat. text.* 78; c. 9), quod non solum ignis tangens calefacit, sed etiam si sit longe distans, natus est agere; ergo non est necesse quod agens tangat passum et sit simul cum eo — 1. *de Generat.* l. 23.

2. Præterea, dicit Philosophus (1. c. *text.* 44; c. 6), quod illa se tangunt, quorum extrema sunt simul, et per consequens, quæ sunt quanta; nam tactus est in habentibus positionem, positio vero est in habentibus locum, locus autem debetur ratione quantitatis; sed substantiæ spirituales, ut angeli et Deus, carent quantitate : ergo saltem ista non requirent contactum ad hoc, ut agant. — 1. *de Generat.* l. 18.

3. Præterea, quanto aliquod agens est virtuosius, tanto magis distans ejus actio procedit; sed inter omnia agentia datur unum virtuosius alio: ergo ad hoc, ut agens agat in passum, non necessario requiritur illorum contactus. — 1a, q. 8, a. 1, arg. 3; 1. *Sent.* dist. 37, q. 1, a. 1, arg. 2.

4. Præterea, sol producit suos effectus in passo a se distante, ut in visceribus terræ generat mineralia, et multi homines generantur sole in alio hemisphærio existente, cum tamen sol et homo generent hominem, ut dicit Philosophus (2. *Phys. text.* 26; c. 8); item stellæ superiores imprimunt in corpora inferiora calorem et frigus, et tamen orbes medii non recipiunt ab illis impressionem dictarum qualitatum; et sic idem quod prius. — 1. *Sent.* l. c.; 2. *de Generat.* l. 2; 2. *Phys.* l. 4.

5. Præterea, sphæræ cœlestes specialem effectum producunt in elementis, quæ non tangunt. Nam sphæra solis est nata movere ignem, sphæra vero lunæ aquam, et aliæ sphæræ quinque planetarum aerem, et ideo aer tot diversis motibus movetur. Est enim in aere frigus congelativum ex sphæra saturni, et æstus ex sphæra martis, et temperies in calido ex sphæra jovis, et temperies in frigido ex sphæra veneris, commiscibilitas et passibilitas facilis ex sphæra mercurii, et sphæra octava stellarum fixarum, in qua sunt multæ imagines et figuræ, movet terram; unde et in ipsa figurantur imagines multæ in generatis. Sed sphæræ prædictæ, ut patet, non tangunt passa, in quibus producunt suos effectus: ergo non est necesse ut agens et patiens sint simul et se tangant. — 1. *de Generat.* l. 24.

6. Præterea, gravia et levia moventur effective a generante, ut dicit Philosophus (8. *Phys. text.* 33; c. 4); sed generans non simul est cum generato, quando movetur, quia potest fieri, ut tunc non amplius sit in rerum natura, ut patet: ergo non est necesse ut movens et motum, et consequenter ut agens et passum se tangant et simul sint, dum illud agit, et hoc patitur. — 8. *Phys.* l. 8.

7. Præterea, magnes trahit ferrum, ut patet ad sensum; sed ferrum tractum a magnete est loco distans ab illo, ut etiam patet; ergo agens et patiens non necessario se tangunt. — *Tabula Aurea* voce « magnes » n. 1, 2, 3.

8. Præterea, projecta moventur a projiciente; sed dum moventur, non simul sunt projectum et projiciens, ut patet: ergo non necessario requiritur, ut agens et patiens simul sint. — 7. *Phys.* l. 3; 8. *Phys.* l. 22; 3. *de Cœlo* l. 7.

9. Præterea, si ad actionem agentis in passum requireretur contactus, sequeretur quod, si detur æs aut ferrum, cujus medietas sit calida et altera medietas frigida, una pars non ageret in aliam, quia ad contactum oportet quod partes sint contiguæ, ut dicit Philosophus 1. *de Generat. text.* 43, 44 et 78 (c. 6 et 9), ubi dicit, quod agens et patiens debent esse divisa et non continua, quia id, quod est continuum, non est passibile; præterea, quia Philosophus ibidem ait, quod agens et patiens debent esse simul; continua vero non sunt simul, sed unum, ut dicitur 5. *Phys. text.* 20 (c. 5). Illæ vero partes unius æris vel ferri sunt continuæ, ut patet, et non contiguæ; sed ad sensum patet, quod illæ partes invicem agunt et patiuntur: ergo est necesse ut agens et patiens sint simul et se tangant. — 1. *de Generat.* l. 18 et 23; 5. *Phys.* l. 5.

10. Præterea, dicit Philosophus (2. *de*

Anima text. 59; c. 5), quod objecta externa sunt causa effectiva sensationum existentium in sensibus; sed sensus et objecta externa non se tangunt, nec simul sunt, ut patet: ergo inter agens et passum non est necessarius contactus. — 2. *de Anima* l. 2.

11. Præterea, sol illuminat aerem contiguum terræ sine medio, quia in illuminatione una pars medii non illuminat aliam; nec qualitas existens in una parte potest esse principium actionis in alia, ut patet ex Philosopho (*de Sensu et Sensibili* c. 6); ergo agens et patiens non necessario debent se tangere. — *de Sensu* l. 16.

Sed contra est: 1. quod Philosophus (1. *de Generat. text.* 44, 45 et 78; c. 6 et 9) dicit, quod inter agens et patiens necessario requiritur contactus. — 1. *de Generat.* l. 18 et 23.

2. Præterea, dicit Philosophus (7. *Phys. text.* 10; c. 2), quod movens et motum debent esse simul et se tangere; sed agens physicum agit cum motu, ut dictum est: ergo agens physicum saltem eget contactu ad hoc ut agat in passum. — 7. *Phys.* l. 3.

Respondeo dicendum, quod necesse est dicere, quod agens et patiens quodcunque debent esse simul et se tangere, vel tactu quantitativo, si sit agens corporeum, vel tactu virtutis, si sit agens incorporeum, cujusmodi est substantia spiritualis, ut Deus et angeli. Potest autem hoc esse multipliciter manifestum; et *primo* quidem *experientia*, *tum* in actionibus physicis: sic enim ignis, inquit Philosophus (1. *de Generat. text.* 78; c. 9), primo calefacit aerem proximum, tum remotum; — *tum* in actionibus intentionalibus: nam objectum visus, puta color, prius immutat aerem proximum, tum oculum distantem, ut dicit Philosophus (2. *de Anima text.* 74; c. 7).

Secundo ratione; et *primum* quidem, quia quodcunque agens est præsens tantum uni suorum effectuum, ejus actio non potest derivare ad alia nisi illo mediante, sicut patet inductione. Sic enim vis motiva non movet alia membra nisi mediante corde. Hujus autem rei nulla alia ratio est, quam quia agens et patiens oportet esse simul; nam si hoc non esset necessarium, agens præsens uni suorum effectuum posset etiam esse præsens omnibus aliis non mediante illo (3. *c. Gent.* c. 68, n. 4). *Præterea*, quia necesse est ut causa agens sit simul cum suo effectu proximo et immediato; quod patet, — *tum* quia omne agens sua virtute tangit effectum, et per effectum tangit subjectum, in quo producitur effectus; modus autem agendi sequitur modum essendi, sicut et operatio sequitur esse; unde ubi res non est, nec erit ejus operatio; et si est agens corporeum et habens situm, actio etiam illius prius in medio corporeo contiguo recipitur quam in remoto; si vero est agens spirituale, mediante actione ipsum passum ingreditur; — *tum* quia omne agens corporeum actione sua intendit sibi assimilare passum, et illud in se convertere et seipsum augere; augmentum enim, ut dictum est, non solum viventibus competit, sed etiam non viventibus; sic enim ignis crescit per appositionem materiæ, quam in se convertit et in quam agit. At vero quod augetur, fit omnino unum cum eo, quod additur et quo augetur; hoc enim transit in præexistens; unde necesse est ut sit illi præsens atque contiguum. (*Tabula Aurea* voce « tactus » n. 16; *de Pot.* q. 3, a. 9, c.; 4. *Sent.* dist. 49, q. 2, a. 3, ad 6; 2. *Sent.* dist. 15, q. 1, a. 2, ad 6.) Et ita manifestum est, quod omne agens debet simul esse cum patiente.

Ad primum ergo dicendum, quod quando ignis agit in remotum, non est causa proxima ejus, quod fit, sed remota, ut dictum est. — 1. *Sent.* dist. 37, q. 1, a. 1, ad 2.

Ad secundum dicendum, quod moventia immobilia, ut dicit Philosophus (1. de *Generat. text.* 45; c. 6), tangunt ipsa mobilia per ultimum virtutis egredientis ab esse ipsorum; sed non tangunt per ultimum suæ quantitatis, quia si sunt immobilia simpliciter, ut substantiæ separatæ, non habent ultimum; si vero sunt ab his, quæ movent immobilia, sicut astra, tunc non habent ultima cum ultimis illorum. — 1. *de Generat.* l. 18.

Vel dic, quod Deus tangit suos effectus et subjecta, in quibus illi recipiuntur, tactu virtutis; agens vero corporeum tangit passum tactu quantitativo. Est autem triplex discrimen inter utrumque tactum; nam *primo*, tactu virtutis id, quod est indivisibile, potest tangere divisibile, quod in tactu corporeo non potest accidere. *Secundo*, tactus quantitatis est solum secundum ultima, tactus autem virtutis est ad totum, quod tangitur. *Tertio*, in tactu quantitatis, qui fit secundum extrema, oportet tangens esse extrinsecum ei, quod tangitur, et non potest incedere per ipsum, sed impeditur ab eo; tactus autem virtutis, qui competit substantiis spiritualibus, cum sit ad intima, facit substantiam tangentem esse intra id, quod tangitur, et incedentem per ipsam absque impedimento. — 1a, q. 105, a. 2, ad 1; 2. *c. Gent.* c. 56.

Ad tertium dicendum, quod nullius agentis quantumcunque virtuosi actio procedit ad aliquod distans, nisi in quantum in illud per media agit. Unde illud, quod agit per suam absentiam, non est causa proxima ejus, quod fit, sed remota; virtus enim solis primo imprimitur in corpore sibi conjuncto, et sic deinceps usque ad ultimum. Hoc autem ad maximam Dei virtutem pertinet, quod immediate in omnibus agit; unde nihil est distans ab eo, quasi in se illud Deum non habeat. Dicuntur tamen res distare a Deo per dissimilitudinem naturæ vel gratiæ, sicut et ipse est super omnia per excellentiam suæ naturæ. — 1a, q. 8, a. 1, ad 3; 1. *Sent.* dist. 37, q. 1, a. 1, ad 2.

Ad quartum dicendum, quod virtus solis primo imprimitur in corpore sibi conjuncto, et sic deinceps usque ad ultimum, licet non eosdem effectus habeat utrobique: — 1. *Sent.* l. c.; 2. *Sent.* dist. 15, q. 1, a. 2, ad 6.

Ad quintum dicendum, quod virtutes superiorum stellarum prius recipiuntur in mediis orbibus quam in inferioribus corporibus, quamvis non eosdem effectus habeant. Ut enim dictum est, cœlum agit in hæc inferiora non solum per motum et lucem, sed etiam per alias qualitates. — 2. *Sent.* l. c.

Ad sextum dicendum, quod gravia et levia moventur a generante per hoc, quod dat eis formam, per quam moventur ad locum, sicut sagitta dicitur moveri a projiciente, quatenus illi imprimit impulsum. Et ideo sicut sufficit in motu projecti, ut movens et motum sint simul in principio motus, ita et in motu gravis et levis, nisi quod generans movet grave et leve per alterationem, et projiciens movet projectum sine ulla alteratione, imprimendo motum mediante aere. — Et ex his patet *ad octavum*. — 7. *Phys.* l. 3; *de Pot.* q. 3, a. 11, ad 5; 3. *de Cœlo* l. 7.

Ad septimum dicendum, quod magnes trahit ferrum immediate alterando aerem et mediante aere ferrum, nisi quod non eodem modo agit in ferrum, quo in aerem, sicut sol calefacit sublunaria per orbes intermedios, qui non sunt capaces caloris sed alterius qualitatis; et piscis obstupefacit manum piscatoris mediante rete, quod non est capax talis effectus sed alterius. Et ratio est, quia agens agit secundum dispositionem passi. — 7. *Phys.* l. 3; 2. *Sent.* dist. 15, q. 1, a. 2, ad 6.

Ad nonum dicendum, quod duæ partes ejusdem corporis sunt continuæ in ratione quantitatis, sed non in natura subjecti, ut dictum est (q. 22, a. 7, c.); et hoc sufficit ad hoc, ut possint agere ad invicem.

Ad decimum dicendum, quod etiam in actione objecti, quæ est intentionalis et non realis, verum est, quod requiritur contactus inter agens et patiens; color enim, qui est objectum visus, ut dicit Philosophus (2. *de Anima text.* 74; c. 7), movet diaphanum in actu, puta aerem vel aliquid hujusmodi, et ab hoc movetur sensitivum, id est organum visus, sicut a corpore sibi continuato; corpora enim non se immutant, nisi se tangant. — 2. *de Anima* l. 15.

Ad undecimum dicendum, quod totum medium inter solem et terram est unum illuminatum et una illuminatio, non autem plura illuminata et plures illuminationes. — *de Sensu et Sensibili* l. 16.

QUÆSTIO XL

DE ACTIONE.

Deinde considerandum est de actione.

CIRCA QUAM QUÆRUNTUR DUO:

1. Utrum idem possit agere in seipsum.
2. Utrum simile possit agere in simile.

ARTICULUS I

UTRUM IDEM POSSIT AGERE IN SEIPSUM.

Videtur quod idem non possit agere in seipsum. — 1. Dicit enim Philosophus 9. *Metaphys. text.* 2 (c. 1) et 1. *de Generat. text.* 48, 49, 50 (c. 7), quod idem non potest pati a seipso, et *text.* 77 (c. 9), quod agens et patiens debent esse loco et subjecto distincta; ergo idem non potest agere in seipsum. — 9. *Metaphys.* l. 1; 1. *de Generat.* l. 19 et 23.

2. Præterea, Philosophus (8. *Phys. text.* 40 sqq.; c. 5) dicit, quod idem non potest esse movens et motum, quia sic, cum in quantum est movens sit actu, in quantum motum, sit in potentia, idem simul erit calidum et non calidum, quod implicat: ergo idem quod prius. — 8. *Phys.* l. 9 et 10.

3. Præterea, agens debet esse aliquo modo dissimile patienti; nam si essent omnino similia, non esset major ratio, cur unum ageret et alterum pateretur; sed idem neque est simile, neque dissimile sibi, sed alteri: ergo idem non potest agere in seipsum. — 1. *de Generat.* l. 19.

4. Præterea, 9. *Metaphys.* (*text.* 13; l. 8, c. 8) definitur potentia activa, quod sit principium transmutationis in alio, prout est aliud; sed idem non potest esse aliud a seipso: ergo idem non potest agere in seipsum. — 9. *Metaphys.* l. 7.

5. Præterea, cujuslibet patientis ad agens est relatio realis, et e converso; sed relatio realis requirit terminos realiter distinctos, ut dictum est: ergo idem non potest agere in seipsum; ejusdem enim ad seipsum non est relatio realis. — *de Pot.* q. 7, a. 10, ad 1.

6. Præterea, Philosophus (3. *de Anima text.* 17; c. 5) ex eo, quod oportet agens esse diversum a patiente, cum illud sit isto nobilius (nam hoc habet rationem materiæ, illud efficientis, quæ duo nunquam in idem specie et numero coincidunt), docet in anima esse intellectum agentem et patientem. — 2. *Phys.* l. 11; 3. *de Anima* l. 10.

7. Præterea, 2. *de Generat.* (*text.* 53; c. 9) dicitur, quod materiæ est pati et moveri; movere autem et facere est alterius potentiæ: ergo idem non potest agere in seipsum; alioqui materia et efficiens coinciderent in idem numero, quod negat Philosophus. — 2. *de Generat.* l. 9.

Sed contra est: 1. quod Philosophus (9. *Metaphys. text.* 2; l. 8, c. 1) dicit, quod est una potentia activa et passiva; dicit enim, quod aliquis dicitur habere potentiam patiendi eo quod habet potentiam ut aliud patiatur ab ipso; sed ex eo quod aliquis habet potentiam activam, habet potentiam ut aliud patiatur ab ipso: ergo eadem erit potentia activa et passiva, et per consequens idem erit agens et patiens, et sic idem aget in seipsum. — 9. *Metaphys.* l. 1.

2. Præterea, dicit Philosophus (2. *de Anima text.* 47; c. 4; et *de Motu Animalium* c. 3, al. 5), quod idem potest nutrire et augere se; sed nutritio et augmentatio sunt actiones quædam: ergo idem potest agere in seipsum. — 2. *de Anima* l. 9; *de Motu Animalium* l. 3.

3. Præterea, 8. *Phys.* (*text.* 27; c. 4) dicit Philosophus, quod eorum, quæ moventur per se, alia moventur a se ipsis, sicut animata; alia vero moventur ab aliis, sicut inanimata: ergo idem potest pati a se ipso. — 8. *Phys.* l. 7.

4. Præterea, aqua se reducit ad pristinam frigiditatem; sed talis reductio fit per actionem: ergo idem potest agere in se ipsum.

5. Præterea, in antiperistasi, eadem qualitas se auget, ut patet in grandine, quæ generatur ob circumstantem calorem, quem fu-

giens frigus se ipsum auget; similiter in calce, quæ effervescit superinfusa aqua; et aliis exemplis idem probari potest; ergo idem potest agere in se ipsum.

Respondeo dicendum, quod idem secundum idem non potest esse agens et patiens, sed necessario debent agens et patiens inter se differre. Quod multipliciter potest esse manifestum; et *primum* quidem ex ratione passionis et actionis. Nam de ratione *actionis* est esse actum ab agente in aliud; de ratione vero propriæ *passionis* est esse actum hujus ab alio, sicut pati est suscipere aliquid ab alio; idem autem non potest esse aliud a se; quare nec idem poterit esse agens et patiens secundum idem.

Præterea, ex ratione potentiæ activæ et passivæ. Hæc enim est principium patiendi ab alio, illa vero principium transmutandi aliud. Ideo vero non patitur aliquid a se ipso, quia, ut dicit Philosophus (9. *Metaphys. text.* 2; l. 8, c. 1), per se loquendo alicui uni et eidem inest unum tantum principium, puta vel agendi vel patiendi. Cui enim inest principium agendi, non inest principium patiendi nisi secundum accidens, sicut cum medicus sanat se ipsum; sanat enim se non ut medicum, sed ut infirmum. — 3. *Phys.* l. 5 (4); 11. *Metaphys.* l. 9; 2a 2ae, q. 59, a. 3; 9. *Metaphys.* l. 1. — *Demum,* idem patet inductione in omnibus actionibus, tam iis quæ sunt communes rebus animatis et inanimatis, quam iis quæ sunt propriæ animatorum. *Communes* autem utrisque sunt *generatio* et *alteratio.* Et quidem si loquamur de *generatione,* manifestum est, quod nihil potest seipsum generare, ut dicit Philosophus (2. *de Anima text.* 47; c. 4). Et ratio est, quia quod generat jam est, quod vero generatur nondum est; impossibile autem est idem simul esse et non esse. (2. *de Anima* l. 9; de *Motu Animalium* l. 3.) Si vero loquamur de *alteratione,* cum hæc duplex sit, perfectiva et corruptiva, si sermo sit de *perfectiva,* cujusmodi est illa, qua elementum recuperat pristinam qualitatem deperditam, ut aqua frigiditatem, quam per calefactionem amiserat; *sicut* hujusmodi alteratio, ut dictum est (in Logica q. 6, a. 2, ad 2), non fit proprie per actionem vel transmutationem, cum qua tamen omnis actio corporea conjuncta est, ut dictum est (supra q. 9, a. 4, ad 8), sed per naturalem quandam resultantiam (sicut ex uno naturaliter resultat aliud, ut ex luce color); — *ita* neque etiam exigit proprie aliquid, quod sit agens et patiens. Neque vero dari potest actio directa, qua qualitas in subjecto perfective se alteret se augendo, quia nullum accidens actione directa potest effective agere in suum subjectum, sed tantum formaliter; quia quod patitur, est potentia ens, quod autem subjicitur accidenti, jam est actu ens secundum illud accidens. — Si vero loquamur de *corruptiva,* hæc necessario exigit distinctionem inter agens et patiens. Nam corruptio non contingit, nisi ubi est contrarietas; contraria autem non possunt eidem inesse, ut dictum est, quia nunquam corrumpitur aliquid nisi propter victoriam corrumpentis super ipsum ex debilitate virtutis ejus; impossibile autem est eidem competere virtutem debilem et multam seu firmam. — 1a 2æ, q. 85, a. 1, ad 4; *Tabula Aurea* voce « corruptio » n. 2 et 4.

Propriæ autem actiones animatorum sunt *nutritio, augmentatio, sensatio* et *intellectio.* Et primæ quidem duæ necessario requirunt agens et patiens distincta subjecto. Nam eatenus vivens seipsum nutrit et auget, quatenus per virtutem in se existentem alterat alimentum, quod deinde in fine alterationis simile factum viventi convertitur in ejus substantiam. *Nutritio* enim est actio viventis in alimentum, per quam vivens in suam substantiam illud convertit. Et idem dico de *augmentatione* sumpta pro aggeneratione. Nam idem cibus alteratus a vivente et in carnem conversus, in quantum est caro, nutrit, in quantum caro quanta, auget, ut dictum est (q. 38 de augment. a. 7, c.). *Sensatio* autem requirit agens efficienter et patiens realiter distincta. Nam effectiva sensationum sunt objecta ad extra, ut dicit Philosophus (2. *de Anima text.* 59; c, 5). Agens autem formale, seu principium elicitivum sensationis, non exigit realem distinctionem sui a principio mate-

iali receptivo ejusdem. Nam ejusmodi principium elicitivum est anima, ut dicitur 2. *de Anima* (*text*. 37 ; c. 4); principium autem receptivum est eadem anima seu potentia ; non enim datur sensus agens et sensus patiens, sed idem sensus agit et patitur, ut dictum est (v. in Psychologia q. 63, c.). Et idem dico de appetitione, nisi quod totale patiens sensationis et appetitionis est anima vel potentia animæ ; at totale agens productivum non est sola anima vel ejus potentia, sed respectu sensationis sunt species sensibiles vel intentionales. (2. *de Anima* l. 7.) Et idem dico proportionaliter de *intellectione*. Appetitionis vero, sicut et volitionis, præter animam vel potentiam, principium productivum est objectum cognitum seu cognitio objecti, ut dictum est in Psychologia q. 104, a. 1, c. et ad 2). — 1a, q. 84, a. 1, 2, 3. — Unde manifestum est, quomodo verum sit, quod idem possit agere in seipsum, et quomodo non.

Ad primum ergo *primæ partis* dicendum, quod tantum probat objectio, quod idem per se et proprie agere in seipsum non potest, quod verum est, ut dictum est (in c.), de actione directa. Et eodem modo respondendum est ad reliqua objecta ejusdem partis.

Ad primum secundæ partis dicendum, quod dupliciter dicitur aliquid habere potentiam passivam seu patiendi : *uno modo* communiter et *improprie*, ex eo nimirum quod habet potentiam ut aliud patiatur ab ipso, et hoc modo potentia passiva est una et eadem realiter cum potentia activa ; ex eo enim quod aliquid habet potentiam activam, habet potentiam ut aliquid patiatur ab ipso. *Alio modo* aliquis potest dici habere potentiam passivam et patiendi *proprie*, videlicet quia ipsum per se habet potentiam ut patiatur, et hoc modo potentia activa et passiva sunt quodammodo una, quodammodo non ; sunt enim una potentia unitate ordinis, cum una ordinetur ad aliam ; non sunt una potentia realiter, quia potentia activa et passiva, ut dicit Philosophus (9. *Metaphys. text.* 2 ; l. 8, c. 1 ; et 1. *de Generat. text.* 77 ; c. 9), sunt in diversis subjectis. — 9. *Metaphys.* l. 1.

Ad secundum dicendum, quod vivens dicitur se nutrire et augere, quatenus convertit in se alimentum, in quod agit, ipsum alterando et disponendo ad prædictam conversionem, ut dictum est (in c.).

Ad tertium dicendum, quod motus localis non est actio, de qua agimus, ut dicitur 1. *de Generat.* (*text.* 45 ; c. 6), ubi Philosophus dicit, quod movere est quid superius ad agere ; nam omne agens est movens, non tamen omne movens est agens, cujusmodi est movens localiter. — 1. *de Generat.* l. 18.

Vel dic, quod etiam in motu locali verum est, quod idem non potest movere seipsum secundum totum, ut probat Philosophus 8. *Phys.* (*text.* 40 sqq ; c. 5) duabus rationibus : et *primum* quidem, quia moventis seipsum simul et semel est unus numero motus ; si igitur hoc modo aliquid moveat seipsum, quod totum moveat totum, sequitur, quod idem erit movens et motum secundum unum et eumdem motum, sive sit loci mutatio sive alteratio. Quod videtur inconveniens, quia movens et motum habent oppositionem ad invicem ; opposita autem non possunt eidem inesse secundum idem ; unde non est possibile, quod secundum eundem motum sit aliquid idem movens et motum. Cum enim aliquid simul movet et movetur, alius est motus secundum quem movet, et alius secundum quem movetur, sicut cum baculus motus a manu movet lapidem, alius numero est motus baculi et motus lapidis. Unde sequitur ulterius, quod aliquis docebit et docebitur simul secundum unum et idem scibile ; et similiter, quod aliquis sanabit et sanabitur secundum unam et eandem numero sanitatem. — *Deinde*, quia id, quod movetur, est mobile in potentia existens, quia quod movetur, in quantum est in potentia et non in actu, movetur. Ex hoc enim movetur aliquid, quod cum sit in potentia, tendit in actum ; nec tamen id, quod movetur, est ita in potentia, ut nullo modo sit in actu, quia motus ipse est quidam actus mobilis, in quantum movetur, sed est actus imperfectus,

quia est actus ejus, in quantum est adhuc in potentia. Sed illud, quod jam movet, jam est in actu; non enim reducitur quod est in potentia in actum nisi per id, quod est actu; hoc autem est movens; sicut calefacit calidum et generat illud, quod habet speciem generativam, sicut hominem generat quod habet speciem humanam, et sic de aliis. Si ergo totum moveat se totum, sequitur, quod idem secundum idem simul sit calidum et non calidum, quia in quantum est movens, erit actu calidum, in quantum motum, erit calidum in potentia; et similiter est in omnibus aliis; et consequenter quod idem sit actu et potentia, quod est impossibile. — 8. *Phys.* l. 10.

Ad quartum dicendum, quod reductio aquæ ad pristinam frigiditatem non fit per veram et propriam actionem, sed per naturalem quandam resultantiam, ut dictum est (in c.).

Ad quintum dicendum, quod grando non fit per augmentum frigoris, sed per vaporem siccum inclusum in aqua densata ex eo, quod propter circumstantiam caloris guttæ aquæ uniuntur. Inclusa vero aqua calci constringitur, et unitur exhalatio in calce inclusa, quia fugit contrarium, et præcluditur, ne exhalet; fit autem aqua infusa talis præclusio, quia in extima parte calcis fit quasi gluten, et calx actu habet multam exhalationem, quia fit ab igne, et est in materia sicca, et sæpe calefacit actu aqua sine igne; quod si paulatim illabatur aqua, non circumdatur calx; quare ex alia parte evolat exhalatio. Ita calx vetus et dissoluta parum ardet, amissa exhalatione: unde calx subcineritia plus ardet et habet plus exhalationis, alba vero habet plus aeris, qui facit albedinem, ut patet in spuma. — *Vel dic*, quod sicut lumen reflectitur ex opacitate corporis solidi, quod sua densitate obsistit illuminationi, ita et aliæ qualitates objectu contrariæ qualitatis reflectuntur et se per actionem reflexam augent. — Expositio *in Psalmum* 17, v. 8 et 9; 2. *Sent.* dist. 13, q. 1, a. 3, ad 5.

ARTICULUS II

UTRUM SIMILE POSSIT AGERE IN SIMILE.

Videtur quod simile non possit agere in simile.

1. Dicit enim Philosophus (1. *de Generat. text.* 46; c. 7), quod simile a simili nullum pati potest, propterea quod unum non magis habet rationem agentis quam aliud, neque e contra unum habet magis rationem patientis quam aliud; ergo simile non potest agere in simile. — 1. *de Generat.* l. 19.

2. Præterea, si simile agit in simile, ubi major est similitudo, ibi major est ratio actionis et passionis; sed nihil est similius alteri, quam idem sibi ipsi: ergo idem a seipso patietur et seipsum corrumpet, quod est falsum: ergo simile non potest pati a simili. — *Ibid.*

3. Præterea, dicit Philosophus (1. *de Generat. text.* 68; c. 8), quod patitur leviter calidum ab excedenti calido, non in quantum sunt similia in calido, sed in quantum excedens est magis calidum, et aliud, quod exceditur, est magis frigido permixtum: ergo simile non potest agere in simile. — 1. *de Generat.* l. 22.

4. Præterea, dicit Philosophus (1. *de Generat. text.* 50; c. 7), quod agens et patiens contraria sunt; sed contraria sunt dissimilia secundum speciem, ut dicitur ibidem, licet sint similia et eadem genere: ergo idem quod prius. — 1. *de Generat.* l. 19.

5. Præterea, dicit Philosophus (*ibid.* et 2. *de Anima text.* 54; c. 5), quod omne agens agit, ut assimilet sibi passum, et quod in fine actionis passum est simile; ergo simile non potest agere in sibi simile. — *Ibid.* et 2. *de Anima* l. 10.

6. Præterea, patiens est in potentia id quod actu est agens, ut dictum est (art. præced. ad 3); unde Philosophus (1. *de Generat. text.* 55; c. 7) dicit, quod patiens ad causam materialem reducitur, quia materia passiva est, agens vero ad principium unde motus, quod habet actu formam, secundum quam agit, quamque vult communicare agendo; hoc enim est agere; se-

simile in qualitate et gradu, licet dissimile in potentia, quia scilicet est densum, non habet plures gradus, quam habeat aliud simile, sed rarum: ergo non poterit simile agere in simile. — 1. *de Generat* l. 20; *de Pot.* q. 2, a. 1, c.

7. Præterea, dicit Philosophus (*de Motu Animal.* c. 2), quod impossibile est, quod duo contraria æqualia in virtute mutuo agant; ergo simile non potest agere in simile. — *de Motu Animal.* l. 2.

Sed contra est: 1. quod Philosophus (1. *de Generat. text.* 49; c. 7) dicit, quod id, quod est omnino alterum, et nullatenus idem, non agit in alterum; ergo agens et patiens debent esse similia, et ita simile aget in simile. — 1. *de Generat* l. 19.

2. Præterea, ex duobus luminaribus æqualibus fit unum intensius; sed hoc non potest esse, nisi unum agat in aliud: ergo simile potest agere in simile. — *Tabula Aurea* voce « lumen » n. 13, 14, 15.

3. Præterea, dicit Philosophus (1. *de Generat. text.* 46; c. 7), quod multus sive magnus ignis corrumpit parvum ignem, quia sunt similes et unius naturæ; ergo simile potest agere in simile. — 1. *de Generat.* l. 19.

4. Præterea, ferrum ignitum comburit stuppam calidam; sed ferrum ignitum est corpus habens tantum aliquas proprietates ignis: ergo simile potest agere in simile in natura et gradu. — *Opusc.* 70, q. 4, a. 3, ad 5.

5. Præterea, dicit Philosophus (8. *Phys. text.* 80 et 81; c. 10), quod in majore quantitate est major virtus, et ita si augeatur quantitas aeris, habebit aer majorem virtutem, quam idem aer in minori quantitate existens; sed aer major et minor possunt esse similes in qualitate et gradu: ergo simile potest agere in simile, etiamsi conveniant in qualitate et gradu. — 8. *Phys* l. 21.

Respondeo dicendum, quod aliquo modo simile agit in simile, aliquo modo non. — Ad cujus evidentiam sciendum, quod quia non quæcunque apta nata sunt agere et pati ad invicem, sed solum illa, quæ sunt contraria vel habent contrarietatem, necesse est quod agens et patiens in genere naturali sint eadem et *similia*, seu quod in materia communicent. Impossibile enim est, quod ea, quæ non communicant in materia, agant et patiantur ad invicem: — ut patet tum *inductione* in naturalibus: quia enim linea et albedo non communicant in materia, impassibilia sunt ad invicem, nisi forte per accidens, sicut quando linea sit alba vel nigra; — et *ratio* est, quia illa, quæ non sunt contraria nec ex contrariis, non transmutant se ad invicem, ut dicit Philosophus (1. *de Generat text.* 49; c. 7), contraria vero debent convenire in materia; hæc enim per corruptionem unius contrarii alterius actione peractam abjicit unam formam et aliam induit. — Præterea, debent esse *dissimilia* et diversa specie, et contraria; quod similiter patet, — *tum inducendo* in singulis: corpus enim natum est pati a corpore, quod est ejusdem generis in substantia, si tamen communicent in materia; similiter et sapor natus est pati a sapore, et calor a calore, quæ sunt ejusdem generis in qualitate, et universaliter res ejusdem generis a rebus naturalibus ejusdem generis; — *tum ratione,* quia quæcunque agunt et patiuntur ad invicem, sunt contraria; contraria autem sunt in eodem genere, ut probatur 10. *Metaphys.* (*text.* 14; l. 9, c. 4), et diversa specie; — *deinde,* quia omne agens intendit semper assimilare sibi passum; ergo in principio actionis debet esse dissimile, et in fine actionis simile, ut manifeste constat in augmentatione viventis, ut dictum est (supra q. 38, a. 7); — *demum*, quia actio agentis naturalis proportionatur naturæ agentis; tanta enim procedit calefactio, quantus est calor; nullum enim agens naturale nititur ad agendum id, quod excedit suam facultatem. Unde manifestum est, quod simile non potest agere in simile; solvenda tamen sunt objecta utriusque partis, ut videatur, quid probent. — 1. *de Generat.* l. 19; 8. *Phys.* l. 21.

Ad primum ergo *primæ partis* dicendum, quod simile in qualitate et gradu, atque adeo omnino simile non potest agere in simile, ut dictum est; et hoc probat auctoritas Philosophi. Eodemque modo dicen-

dum *ad secundum*. Sunt enim hæc duo objecta philosophorum asserentium agens et patiens debere esse omnino dissimilia; quorum positio eatenus non est vera, quatenus in agente et patiente consideraverunt tantum terminum et formam; sicut e contra asserentes agens et patiens debere esse similia, consideraverunt eadem tantum secundum materiam; cum tamen oporteat considerare naturam activorum et passivorum ex utraque parte, scilicet tam ex parte terminorum quam ex parte subjecti, sive tam ex parte materiæ quam ex parte formæ, quod idem est. Et ex his patet etiam ad *quartum, quintum, sextum* et *septimum*. — 1. *de Generat* l. 19.

Ad tertium dicendum, quod objectio procedit in habentibus contrarium, et tantum probat, quod in his agens et patiens debent esse dissimilia secundum speciem, et quod ratio agendi est contrarietas formæ, quod verum est. — 1. *de Generat.* l. 22.

Ad primum secundæ partis dicendum, quod Philosophus loco citato tantum probat, quod quæ sunt omnino dissimilia, ita ut non communicent in eadem materia, non possunt mutuo agere et pati, ut dictum est (in c.).

Ad secundum dicendum, quod magnus ignis non corrumpit parvum propter similitudinem, quam habent, sed propter contrarietatem in qualitate ipsorum; magnum enim contrariatur parvo. — 1. *de Generat.* l. 19.

Ad tertium dicendum, quod lumina vel sunt ejusdem intensionis vel diversæ; si sunt *diversæ,* ita ut unum sit majus, alterum minus, quia diversa luminaria nata sunt informare easdem res, et sunt ejusdem rationis in illuminando, ideo effectus minoris lucis non perficitur, sed subjectum repletur luce majore; unde impeditur effectus alterius; sic ad præsentiam solis lux stellarum obscuratur et evacuatur; et lumen solis offuscat lumen candelæ. Si vero sunt *ejusdem* intensionis, producent tamquam unum totale agens unum effectum et unum numero lumen, quia duo accidentia ejusdem speciei non possunt esse in eodem subjecto. Verum est tamen, quod lumen productum a duobus luminosis et intensis est majoris efficaciæ, quam si ab uno tantum produceretur; nam idem effectus non potest naturaliter fieri a duabus causis efficientibus completis et perfectis, ut dictum est (supra q. 14, a. 5). — 3. *Sent.* dist. 14, q. 1, a. 1, quæstiunc. 1, ad 2; cfr. Capreolus in 1. *Sent.* dist. 7, q. 2, a. 3, ad primum Adæ; Flandrius 5. *Metaphys.* q. 9, a. 7.

Ad quartum dicendum, quod ferrum ignitum habet proprietates ignis, et ratione multitudinis caloris potest ignire; densum enim calidum ut octo, potest agere in calidum ut sex rarum, et illud ignire. Et ratio est, quia densum habet majorem activitatem; unde potest augere calorem calidi rari. Ideo autem habet majorem activitatem et virtutem, *primo,* quia habet plures partes materiæ calidas; in majore autem quantitate major virtus existit, ut dicitur 8. *Phys. text.* 80 (c. 10), et virtus unita fortior est se ipsa dispersa, ut dicit Philosophus 1. *Meteorol.* c. 12, ubi propterea docet in antiperistasi, cum frigidum circumstat calidum, s non potest omnino ipsum exstinguere, illuc congregat, et sic ex congregatione calidi vigoratur et fortificatur effectus ejus. *Secundo* quia tales partes sunt omnes magis approximatæ passo, et ideo debent producere majorem effectum; agens enim producit intensiorem effectum in subjectum sibi proximius quam in remotius, ut sæpe dictum est. — 8. *Phys.* l. 21]; 1. *Meteorol.* l. 14 et 16.

Ad quintum dicendum, quod objectum probat id, quod dictum est (ad objectum præcedens), quod activitas formæ non solum sumitur ex intensione formæ, sed etiam ex pluralitate formæ et majori approximatione partium agentis ad passum, u dictum est.

QUÆSTIO XLI

DE REACTIONE.

Deinde considerandum est de reactione.

CIRCA QUAM QUÆRITUR:

Utrum omne agens agendo repatiatur.

ARTICULUS

UTRUM OMNE AGENS AGENDO REPATIATUR.

Videtur quod non omne agens, dum agit, repatitur, et consequenter quod non omne patiens, dum patitur, reagit.

1. Dicit enim Philosophus (1. *de Generat. text.* 50; c. 7), quod ea tantum nata sunt agere, quæ sunt invicem contraria; sed contrarium inventum in subjecto eatenus resistit actioni agentis, quatenus præstat impedimentum in ipso susceptibili ad receptionem formæ, quod fit sine ulla reactione et repassione agentis: ergo non omne agens, dum agit, repatitur. — 1. *de Generat.* l. 19; 4. *Sent.* dist. 11, q. 1, a. 3, quæstiunc. 3, ad 2, et dist. 17, q. 1, a. 5, quæstiunc. 1, ad 2; *de Pot.* q. 3, a. 4, ad 15.

2. Præterea, cœlum agit in hæc inferiora, ut dicit Philosophus (2. *de Cœlo text.* 42; c. 7; et 1. *Meteorol.* c. 2); sed cœlum est inalterabile et impassibile, ut dicitur 1. *de Cœlo text.* 21 (c. 3): ergo non omne agens, dum agit, repatitur. — 2. *de Cœlo* l. 10; 1. *Meteorol.* l. 2; 1. *de Cœlo* l. 7.

3. Sed dices, quod corpora cœlestia non communicant in materia cum corporibus inferioribus, et ideo in illa agunt, sed ab illis non patiuntur. — Sed contra dicit Philosophus (*de Motu Animal.* c. 2, al. 3), quod actio non provenit, nisi agens sit potentius passo; dicit enim, quod si contraria sint æqualis virtutis, non possunt agere ad invicem; sed si debet unum agere in aliud, oportet quod illud excedat in virtute: ergo non omne agens communicans in materia cum passo potest ab illo repati. — 1. *de Generat.* l. 19; *de Motu Animal.* l. 2.

4. Præterea, si omne agens, dum agit, patitur, sequitur quod nunquam agens poterit in se convertere passum, quod est falsum. Sequela vero probatur, quia non potest forma substantialis introduci, donec inducti sint octo gradus qualitatis et dispositionis; at hi gradus, cum sint effectus virtutis agentis, præsupponunt in agente totidem gradus ejusdem qualitatis; sed si agens, dum agit, patitur, necessario perdit aliquos gradus vel aliquam partem gradus, et ita non poterit habere omnes octo gradus, et per consequens non poterit inducere formam substantialem in passum.

5. Præterea si agens, dum agit, patitur, sequitur idem per se moveri duobus motibus contrariis, quod est impossibile. Sequela autem probatur, quod vel agentia sunt *mediata,* et tunc, cum agant per medium, tale medium simul movebitur duobus motibus contrariis, puta calefactionis et frigefactionis; vel sunt *immediata,* et tunc, cum totum agat in partem totius passi sibi proximiorem, talis pars, cum sit alteri suæ comparti dissimilis, ab illa simul patietur motu contrario illi, quem recipit, et patitur ab agente, et ita sequetur quod eadem pars simul movebitur duobus motibus contrariis.

Sed contra est: 1. quod Philosophus (1. *de Generat. text.* 53; c. 7) dicit, quod sicut in moventibus primum non movetur, dum movet, sed ultimum, ita et in efficientibus primum dum agit, non patitur, sed ultimum. — 1. *de Generat.* l. 20.

2. Præterea, 3. *Phys.* (*text.* 8: c. 1) dicit Philosophus, quod multa agunt et patiuntur ad invicem, in quantum scilicet utrumque est in potentia et actu respectu alterius secundum diversa. — 3. *Phys.* l. 2.

3. Præterea, dicit Philosophus (3. *Phys. text.* 16; c. 2), quod omne movens in movendo movetur; sed hoc est agens repati et passum reagere; ergo omne agens, dum agit, repatitur. — 3. *Phys.* l. 4.

Respondeo dicendum, quod necesse est dicere, quod omne agens communicans in

materia cum passo, dum agit, patitur secundum eamdem contrarietatem et partem. Quod potest esse manifestum ex multis; et *primo* ex ratione actus et potentiæ, quæ in eodem subjecto inveniuntur. Quia enim quædam eadem sunt et in potentia et in actu, licet non simul aut secundum idem; ex hoc sequitur, quod multa agunt et patiuntur ad invicem, in quantum scilicet utrumque est in potentia et actu respectu alterius secundum diversa; et quia omnia corpora inferiora naturalia communicant in materia, ideo in unoquoque est potentia ad id, quod est actu in altero; et ideo in omnibus talibus aliquid simul agit et patitur, et movet et movetur, quia secundum eandem partem et contrarietatem agendo patitur, et movendo movetur: sicut ignis cum agit in ligna, patitur in quantum ingrossatur per fumum, quia flamma non est nisi fumus ardens. Quamquam non ex eo præcise quod movet, convenit moventi quod moveatur, ut dicit Philosophus (3. *Phys. text.* 16; c. 2), sed ex hoc quod movet tangendo, quia movere est agere ad hoc quod aliquid moveatur. Id autem, quod sic a movente patitur, movetur; sed hoc quod est agere, facit tactu; nam corpora tangendo agunt; unde sequitur, quod simul et patiatur, quia quod tangit patitur, dummodo et ipsum ab eo quod patitur tangatur, ut contingit in his, quæ communicant in materia, quorum utrumque ab altero patitur, dum se tangunt. (3. *Phys.* l. 4.) *Secundo,* idem constat ex differentia inter primum agens et ultimum; nam illud est impassibile, ut dicit Philosophus 1. *de Generat.* (*text.* 53; c. 7), hoc vero patitur ab eo, in quod agit. (1. *de Generat.* l. 20.) *Tertio,* ex mixtione; nam hæc contingit ex eo, quod elementa mutuo agunt et patiuntur secundum eandem partem et contrarietatem, et secundum illam se refrangunt. Unde manifestum est, quod omne agens in materia cum passo communicans agendo repatitur. (1. *de Generat.* l. 25.)

Ad primum ergo dicendum, quod contrarium dupliciter resistit alteri: *uno modo,* agendo in alterum, et hoc modo corpora inferiora communicantia in materia ratione sensibilium qualitatum sibi invicem resistunt; *altero modo,* præstando impedimentum in ipso susceptibili ad receptionem formæ, quomodo contrarium impedit formaliter et non active, ne suum contrarium in subjecto recipiatur, in quantum facit potentiam non esse propriam illius formæ. — 4. *Sent.* dist. 17, q. 1, a. 5, quæstiunc. 1, ad 2.

Ad secundum dicendum, quod cœlum non communicat in materia cum inferioribus, et ideo non tangitur ab illis, nec consequenter patitur, licet in illa agat. — 3. *Phys.* l. 4.

Ad tertium dicendum, quod agentia contraria si fuerint omnino æqualia secundum virtutes suas, secundum quas agunt et patiuntur, impossibile est quod unum agat in aliud primo, quamvis possit in ipsum agere secundum partem. — *de Motu Anim.* l. 2.

Ad quartum dicendum, quod *sicut* augmentatio non continue et semper fit, ut inquit Philosophus (1. *de Generat. text.* 42; c. 6), quia virtus speciei debilitatur cum sit in materia contrarietati subjecta (unde quando non potest amplius tantum convertere de nutrimento, quod sit in potentia non solum ad speciem et ad majorem quantitatem, sed nec etiam ad æqualem; tunc fit diminutio quantitatis, et tunc conservatur species in quantitate minori, et finaliter etiam cessat species; sicut si aqua magis et magis vino misceatur, fiet vinum aquatum, et finaliter vinum corrumpetur, et fiet totaliter aqua. — *ita* similiter in mutua actione contrariorum, contrarium potentius ita debilitabit actionem patientis, ut tandem non possit agere, et interim recuperabit suos gradus deperditos quibus recuperatis poterit deinde contrarium in se convertere. — 1. *de Generat.* l. 17.

Ad quintum dicendum, quod nullum sequitur absurdum ex reactione. Nam si contraria mutuo agentia et patientia sint *mediata* vel hæc sunt *æqualis* intensionis, scilicet ambo ut octo, et tunc medium prope calidum efficietur calidius, et prope frigidum frigidius, et tunc pars calidior aget in pa

em frigidiorem tamquam in suum contrarium sibi immediatum; si vero sint *inæqualis* ntensionis, tunc agens potentius plus de medio in se convertet, et mediante illo aget in eliquum conversum in alterum contrarium, t sic fient similiter agentia immediata. Si ero contraria sint *immediata*, tunc pars assa non movetur duobus mot ibus contrariis, quia cum una sit actio totius corporis, uamdiu totum agit, pars non repassa non git in passam, quia tunc fierent duo tota et on unum. Manifestum enim est, quod corus alterans non alterat solum secundum uam extremam superficiem, qua tangit orpus alteratum, sed secundum suam totam rofunditatem et grossitiem. Cujus signum st, quod corpus tenue non est ita efficax d alterandum, sicut corpus habens prouditatem vel grossitiem supposita identite naturæ. Et ratio hujus est, quia agens git quatenus est actu; pars autem in connuo sicut non est actu, sed tantum in potentia, et sicut non est una actu, sed tantum n potentia, ita nec agit, sed tantum totum. unc autem incipiunt fieri duo tota, quando gens incipit superari ab altero; nam tunc esinit agens agere in passum, sed reflectit uam actionem supra partem passam ad lam ab hoste vindicandam. — 2. *de Cœlo* 10; 7. *Phys.* l. 9.

QUÆSTIO XLII

DE MIXTIONE.

Deinde considerandum est de mixtione.

CIRCA QUAM QUÆRUNTUR SEPTEM:

. Utrum mixtio sit possibilis.
. Utrum mixtio recte definiatur a Philosopho.
. Utrum a productionem mixti necessario requirantur plura elementa.
. Utrum in mixto maneant actu elementa secundum formas substantiales.
. Utrum in mixto maneant elementa secundum proprias qualitates.
. Utrum forma accidentalis mixti sit qualitas simplex, an vero sit composita.
. Utrum dari possit mixtum æquale ad pondus.

ARTICULUS I

UTRUM MIXTIO SIT POSSIBILIS.

Videtur quod mixtio non sit possibilis.

1. Dicit enim Philosophus (1. *de Generat. text.* 89; c. 10; et 2. *de Generat. text.* 48; c. 7), quod miscibilia debent habere æquales virtutes et potentias; sed ubi est æqualitas virtutum, ibi non est actio, ut dictum est (supra q. 41, a. 3), quia cum tanta sit virtus resistendi, quanta agendi, nec agent nec patientur ad invicem, et ita non fiet mixtio, præterquam quod si miscibilia adæquantur in mixto, non magis inclinabitur illud mixtum sursum quam deorsum, vel ad aliquam aliam loci differentiam, cum nullum sit in ipso prædominans elementum: ergo mixtio non est possibilis. — 1. *de Generat.* l. 25; 2. *de Generat.* l. 8; *de Motu Animal.* l. 2.

2. Præterea, non est mixtio possibilis, nisi concurrant elementa ex propriis locis; nam mixtio definitur a Philosopho, quod sit alteratorum elementorum unio; sed hoc est elementis violentum; nam cum naturaliter moveantur ad propria loca, nonnisi violenter ex illis possunt recedere, ut in 1. *de Cœlo* (*text.* 76; c. 8) habetur: ergo mixtio non est possibilis — 1. *de Generat.* l. 25; 2. *Sent.* dist. 14, q. 1, a. 5, arg. 4.

3. Præterea, quando miscibilia veniunt ad mixtionem, aut manent sicut prius in forma et specie, aut non manent, sed corrumpuntur ambo vel alterum. Si ambo manent in forma et specie sicut prius, et non alterantur, tunc non sunt magis mixta quam prius, sed consimiliter se habent. Si autem alterum corrumpatur, nec etiam tunc erit mixtio, sed corruptio unius et conservatio alterius non corrupti. Si autem ambo invicem corrumpuntur, tunc etiam non erit mixtio, quia non possunt esse mixta, quæ nullo modo sunt entia: ergo. — 1. *de Generat.* l. 24; 2. *de Generat.* l. 8.

4. Præterea, mixtio neque est generatio neque augmentatio neque alteratio, ut dicitur 1. *de Generat.* (*text.* 83; c. 10); sed si esset possibilis, esset in aliqua specie mutationis

ex prædictis: ergo mixtio non est possibilis. — 1. *de Generat.* l. 24.

5. Præterea, si mixtio est possibilis, cum quælibet pars mixti sit mixta, ut dicit Philosophus 1. *de Generat.* (*text.* 86; c. 10), in qualibet parte essent omnia elementa, et sic daretur penetratio corporum naturaliter; sed hoc est impossibile; ergo mixtio non est possibilis.

6. Præterea, mixtio vel terminatur ad substantiam vel ad accidens: non primum, quia sic esset generatio, contra Philosophum (1. *de Generat. text.* 83; c. 10); neque secundum, quia sic esset vel ad quantitatem vel ad qualitatem vel ad ubi, et sic esset vel augmentatio vel alteratio vel motus localis, quod negat Philosophus (l. c.): ergo mixtio non est possibilis.

7. Præterea, mixtio debet fieri per miscibilium divisionem; sed talis fieri non potest. Nam *vel* dividuntur in omnem sui partem, et hoc est impossibile; nam cum miscibilia sint elementa, quæ sunt homogenea et continua, non possunt dividi in omnem partem; — *vel* dividuntur tantum in partes minimas, et hoc etiam esse non potest; nam vel erunt minima quoad sensum, et sic non erit mixtio; vel quoad veritatem, et sic erit juxtapositio et non mixtio, ut dicit Philosophus (1. *de Generat. text.* 86; c. 10): ergo mixtio non est possibilis.

Sed contra est: 1. quod Philosophus (1. *de Generat. text.* 90; c. 10) definit mixtionem; sed definitio et *quod quid rei* supponit *quod sit* illius, atque adeo rem esse possibilem: ergo mixtio est possibilis. — 1. *de Generat.* l. 25.

2. Præterea, posita causa necessaria et non impedita ponitur effectus; sed causa mixtionis, puta passio et actio mutua contrariorum, ut dicit Philosophus in 1. *de Generat. text.* 90 (c. 10), datur in rerum natura, ut patet per se: ergo et datur mixtio, et sic est possibilis. — *Ibid.*

Respondeo dicendum, quod sermo negantium dari mixtionem quærere videtur differentiam mixtionis a reliquis mutationibus. Manifestum enim est, quod si est mixtio, oportet eam differre ab aliis motibus; cognita enim differentia ipsius a ceteris mutationibus, proposita dubitatio dissolvetur. Differt ergo *mixtio* a *generatione* et *corruptione*. Cum enim lignum in ignem convertitur, non dicitur misceri cum igne, nec ignis cum ligno, sed ignis dicitur generari et lignum corrumpi. Differt etiam ab *alteratione*, ut patet, *tum* in artificialibus: nam figura non miscetur ceræ neque quantitati, quia utrumque eorum manet salvatum, id est distinctum in suo effectu; *tum* in naturalibus: quia nec albedo miscetur corpori, cum utrumque maneat, nec albedo miscetur disciplinæ, nec accidens accidenti; nam omne miscibile oportet prius esse per se et postea misceri; accidentia autem non possunt esse per se, quia nullum accidens est separabile a subjecto. Differt etiam ab *augmentatione;* non enim dicimus cibum misceri corpori cibato, quia cibus convertitur in dominans corpus, quod manet secundum formam; neutrum autem miscibilium ita manet sicut corpus cibatum, id est indivisum et specie nullo modo alteratum. Verum quoniam mixtio ad generationem mixti ordinatur, licet non sit generatio, ut dictum est, propterea sciendum est, quod miscibilia, puta elementa, quæ concurrunt ad mixtum constituendum, aliquo modo sunt in mixto, aliquo modo non. Sunt in mixto actu secundum proprias materias et virtutes, non tamen sine aliqua alteratione; non enim corrumpuntur omnino, sicut contingit in generatione et corruptione; nam salvatur virtus eorum. Sunt autem in potentia secundum formas substantiales, quia hæ corrumpuntur ad adventum formæ mixti. Unde manifestum est dari mixtionem, nedum possibilem esse. — 1. *de Generat.* l. 24 et 25.

Ad primum ergo dicendum, quod, quia omnis mixtio naturalis est propter generationem, non sic sunt intelligenda verba Philosophi, quod in mixto sit æqualitas virtutum et potentiarum, ut ratio procedit; sicut nec oportet quod ibi sit æqualitas quantitatis ipsorum miscibilium; sed est intelligendum, quod ibi sit æqualitas proportionis, quam requirit forma rei generandæ, propter quam est mixtio. — 1. *de Generat.* l. 25.

Ad secundum dicendum, quod corpora inferiora præter motus proprios sequuntur quodammodo motum superiorum, et quanto est perfectius corpus inferius, tanto magis consequitur de motu superioris. Quod patet ex hoc, quod in corporibus cœlestibus orbis inferior præter motum proprium retinet motum superioris orbis, quo defertur. Ita etiam est in elementis, quod ex motu cœlestium corporum aliquid consequuntur de motu circulari, præter motus proprios naturales; quod evidentissime apparet in fluxu et refluxu maris, qui sequitur motum lunæ. Non tamen hoc fit per motum violentum, quia dicit Commentator (1), quod motus, quibus elementa sequuntur impressiones corporum cœlestium, non sunt violenti, cum sit secundum naturalem ordinem corporum, quod inferiora impressionem superiorum sequantur, et tanto plus, quanto perfectius fuerit in natura corpus inferius. Et per hunc modum ex impressione cœli moventis elementa ad mixtionem aqua subingreditur terram, ut sit apta ad generationem mineralium et animalium et plantarum, et exinde in locum proprium naturali motu revertitur, ut dicitur Eccle. 1, 7 : « ad locum, unde exeunt flumina, revertuntur ». — 2. *Sent.* dist. 14, q. 1, a. 5, ad 4; dist. 30, q. 1, a. 1, ad 4; 1. *de Generat.* l. 24.

Ad tertium dicendum, quod hæc objectio quærit modum, quo ex elementis generantur mixta. Ad cujus manifestationem *sciendum primo,* quod differentiæ accidentales et tamquam propriæ passiones elementorum, puta calidum et frigidum, humidum et siccum, sunt contrariæ et suspiciunt magis et minus. *Sciendum secundo,* quod quando alterum elementorum fuerit simpliciter actu, et alterum simpliciter in potentia, tunc non potest esse mixtio; quando vero unum non est omnino actu, nec per excessum prædominatur alteri elemento, tunc generatur quoddam medium, quod nec est simpliciter calidum neque simpliciter frigidum, sed quodammodo participans naturam utriusque; et hoc ideo, quia quando elementa miscentur, intentiones sive formæ elementorum corrumpuntur et remanent in virtute. Et tunc illud medium generatum non est sic in potentia, sicut materia, nec simpliciter alterum elementorum sed medium inter ea. Quod quidem medium diversificatur, secundum quod diversificantur virtutes miscibilium. Si enim potentia ignis excessit virtutem aquæ, medium generatum est magis calidum quam frigidum, et sic secundum proportionem virtutis unius elementi ad virtutem alterius : ut si in duplo, si in triplo excessit caliditas frigiditatem, et medium dupliciter est calidius et tripliciter. Secundum hunc ergo modum erunt mixta ex contrariis elementis, et per compositionem vel mixtionem, et elementa erunt ex illis per resolutionem; ipsa enim mixta sunt potentia quatuor elementa.

His positis dicendum, quod, quia omnia contraria patiuntur ad invicem (quia quod est actu calidum, est potentia frigidum, et e contra), si ipsa elementa non adæquantur potentiis suis, sed unum alteri omnino prædominatur, tunc transmutantur ad invicem, et non fit mixtio, sed corruptio debilioris, et generatio sive augmentum prædominantis. Et quod dictum est de calido et frigido, intelligendum est similiter in aliis contrariis, scilicet sicco et humido. Sed elementa prius invicem transmutantur in generatione : adæquatis vero potentiis eorum, secundum quandam proportionem generatur quoddam medium, sicut carnes et ossa et hujusmodi alia. Fit enim mixtum calido secundum quid nfrigidato, et frigido secundum aliquid caleiacto, quia in mixto materia uniuscujusque fcontrarii partem capit alterius, quando veniunt ad medium; medium enim est contrarii : medium autem illud non est unius proportionis tantum, scilicet quod sit per æqualem contrariorum participationem ; neque est indivisibile, id est non est uno modo tantum, sed diversis modis secundum diversitatem proportionis contrariorum; et sic est medium inter calidum et frigidum secundum multiplicem proportionem ipsorum. Et ita etiam intelligendum inter humidum et siccum quæ secundum mediorum diversitatem quan-

(1) 4. *de Cœlo.*

dam (1) aliqua proportione convenientia faciunt carnem, et in alia proportione faciunt os, et in alia faciunt alia, quorum complexiones variantur, sicut est homo, cujus complexio maxime vicina est temperamento; et leo, qui est calidæ complexionis; et asinus, qui est frigidæ complexionis. (2. *de Generat.* l. 8.) Et ex his patet ad objectionem: *manent* enim elementa seu miscibilia, ut dictum est, secundum materias et secundum qualitates sensibiles, per alterationem et actionem mutuam elementorum refractas et ad proportionem quandam redactas, qualem requirit forma mixti; *non manent* secundum formas substantiales; nam hæ corrumpuntur, et salvatur tantum virtus illarum. — 1. *de Generat.* l. 24 et 25.

Ad quartum dicendum, quod cum mixtio sit propter formam rei generandæ, dupliciter sumitur mixtio: uno modo, pro unione elementorum alteratorum et corruptorum secundum formas substantiales; altero modo, pro generatione mixti participantis virtutes omnium miscibilium et requirentis ratione suæ formæ æqualitatem proportionis eorundem. — 1. *de Generat.* l. 25.

Ad quintum dicendum, quod mixtio non fit per hoc, quod in eodem loco sint elementa singula secundum materias et formas; nam sic contingeret penetratio dimensionum; sed per hoc, quod elementa contigua invicem agunt et patiuntur, donec perveniant ad quandam æqualitatem proportionis secundum calidum et frigidum, humidum et siccum, quam requirit forma rei generandæ; nam tunc elementorum formæ corrumpuntur, et producitur mixtum, quod est ejusdem rationis in omnibus suis partibus. — *Ibid.*

Ad sextum dicendum, quod mixtio terminatur ad formam substantialem mixti; neque tamen est generatio, quia in generatione fit transmutatio totius in totum; at inmixtione salvatur virtus elementorum, ut dictum est (in c.). — 1. *de Generat.* l. 24 et 25.

Ad septimum dicendum, quod mixtio non est ex divisione minimorum, quia in minima simpliciter impossibile est dividere corpus, ita quod in eis stet divisio. Si autem minima essent physica, tunc esset congregatio et non mixtio. Fit ergo alio modo mixtio, puta per hoc, quod miscibilia dividuntur in partes parvas; nam quando parva miscentur parvis, tunc facilius fit mixtio, quia talia facilius et citius transeunt per se invicem alterando; sicut quando multum miscetur multo, tunc tardius et difficilius commiscentur, quia difficilius ad invicem alterantur et tardius transeunt per se invicem. Præterea per hoc, quod miscibilia concurrentia ad mixtionem sunt bene terminabilia ad invicem passiva, quia bene terminabilia, cum sint subtilia et humida, facilius dividuntur in parva, quæ facilius commiscentur quam magna; hoc enim est bene terminabile, quod est bene divisibile in parva, verbi gratia humida, quæ sunt inter cetera corpora bene miscibilia; et hoc ideo, quia humidum inter alia corpora est magis divisibile in parva, nisi illud humidum sit viscosum, quia, sicut dicitur in 4. *Meteorol.* (c. 5 et 6), partes humidi viscosi conjacent, sicut glutinum, propter mixtum eis subtiliter siccum, quod apprehendit undique humidum et non sinit elabi oleum. — 1. *de Generat.* l. 25.

(1) Al. quadam vel quædam.

ARTICULUS II

UTRUM MIXTIO RECTE DEFINIATUR, QUOD SIT MISCIBILIUM ALTERATORUM UNIO.

Videtur quod non recte definiatur mixtio, quod sit miscibilium alteratorum unio.

1. Dicit enim Philosophus (1. *de Generat. text.* 84; c. 10), quod miscibilia sunt actu in mixto tantum secundum virtutes, non autem secundum formas substantiales, quia scilicet tantum salvatur virtus eorum; sed illa, quæ sic remanent in alio, vere in se ratione propriarum formarum corrumpuntur: ergo mixtio non est unio alteratorum, sed corruptorum. — 1. *de Generat.* l. 24.

2. Præterea, per alterationem tollitur qualitas, atque adeo virtus miscibilis; alteratio enim terminatur ad qualitatem, ut dictum est (q. 35, a. 1), qua posita in subjecto formaliter corrumpitur qualitas opposita; nam unum contrarium in subje-

cto formaliter destruit suum oppositum; sed virtus elementorum seu miscibilium salvatur in mixto: ergo mixtio non est miscibilium alteratorum unio. — 4. *Sent.* dist. 17, q. 1, a. 5, sol. 1, ad 2; 1. *de Generat.* l. 24.

3. Præterea, unio est relatio quædam; sed mixtio non est relatio, sed generatio quædam, ut dicit Philosophus 2. *de Generat.* (*text.* 46 sqq.; c. 7): ergo mixtio non est unio. — *Tabula Aurea* voce « unio » n. 13.

Sed contra est auctoritas Philosophi, qui 1. *de Generat.* (*text.* 90; c. 10) definit mixtionem, quod sit miscibilium alteratorum unio. — 1. *de Generat.* l. 25.

Respondeo dicendum, quod ex dictis patet, quod mixtio non est nisi miscibilum alteratorum unio. Cum enim ad hoc, quod sit mixtio, necessarium sit quod miscibilia non sint simpliciter corrupta, nec sint simpliciter eadem ut prius — debent enim corrumpi quantum ad formas, et remanere quantum ad virtutes, ut supra ostensum est —; præterea, cum mixtio, ut etiam ostensum est (art. præced.), non sit compositio minimorum secundum naturam nec minimorum secundum sensum — quia talia minima non sunt miscibilia, sed illud est miscibile, quod, cum sit bene terminabile, est activum et passivum, et illud, quod miscetur cum tali miscibili, facit cum illo mixtum, quod est ejusdem rationis in toto et in partibus —: sequitur quod mixtio sit miscibilium alteratorum unio, proprie nimirum sumendo alterationem, quia hæc solum est intelligenda in virtutibus sive qualitatibus eorum; nam si sumatur improprie mixtio, est miscibilium alteratorum, id est corruptorum, unio. — 1. *de Generat.* l. 25. — Et sic patet *ad primum.*

Ad secundum dicendum, quod in mixto ita salvantur virtutes elementorum, ut per mutuam actionem et passionem illorum aliquos gradus amittant; nam per illam, ut dictum est, devenitur ad talem æqualitatem proportionis, qualem requirit forma mixti generandi. — 1. *de Generat.* l. 24 et 25.

Ad tertium dicendum, cum mixtio ad generationem spectet, ut dicit Philosophus l. c. supra arg. 3, mixtio dicetur consecutive unio, secundum quod unio significat relationem; nam sicut hæc consequitur unionem activam, ita et consequitur mixtionem sumptam pro generatione mixti, formaliter vero secundum quod actionem vel passionem, nisi quod mixtio superaddit motum; at unio active sumpta non necessario involvit motum. — Cfr. Hannibaldus in 3. *Sent.* dist. 2, a. 3 et 4.

ARTICULUS III

UTRUM AD PRODUCTIONEM MIXTI NECESSARIO REQUIRANTUR OMNIA QUATUOR ELEMENTA.

Videtur quod ad mixti generationem non necessario requirantur omnia quatuor elementa.

1. Dicit enim Philosophus (1. *de Anima text.* 81; c. 5), quod omne quod est, aut est elementum, aut ex elemento uno vel pluribus vel omnibus constat: ergo non omnia elementa requiruntur ad mixti productionem. — 1. *de Anima* l. 12.

2. Præterea, dicit Philosophus (1. *de Generat. text.* 34; c. 5), quod si admisceatur param aquæ multo vino, ex tali fit vinum præcedens majus; sed hoc non esset, nisi ex aqua sola fieri posset mixtum: ergo ad generationem mixti non necessario requiruntur omnia elementa. — 1. *de Generat.* l. 14.

3. Præterea, aqua nutrit, et propterea solvit jejunium naturæ et Ecclesiæ; sed aqua est unum elementum: ergo unum elementum potest nutrire et consequenter constituere mixtum; nam ex eodem res componitur, ex quo nutritur, ut dicit Philosophus (2. *de Generat. text.* 50; c. 8): ergo idem quod prius. — 2. *de Generat.* l. 8.

4. Præterea, animalia quædam nutriuntur odoribus, nam mirabiliter illis confortantur; et si illis non nutrirentur, ad nihil esset odor utilis; sed eadem est ratio unius qualitatis et unius elementi: ergo si animal potest nutriri una qualitate, poterit nutriri uno elemento, et per consequens ex illo solo

constitui. — *de Sensu et Sensibili* l. 14.

Sed contra est, quod Philosophus (2. *de Generat. text.* 49; c. 8) dicit, quod omnia mixta, quæ sunt circa terram, sunt composita ex quatuor elementis. — 2. *de Generat.* l. 8.

2. Præterea, dicit Philosophus (7. *Metaphys. text.* ultimo; l. 6, c. 17), quod illud, quod est ex uno elemento, non differt ab ipso; quod enim est aqua tantum, vere est aqua; sed mixtum non est elementum: ergo debet constare ex pluribus, et consequenter ex omnibus, quia non est major ratio unius quam alterius. — 7. *Metaphys.* l. 17 (15).

Respondeo dicendum, quod omnia mixta perfecta, quæ sunt circa terram, et præsertim animata, requirunt ad sui generationem omnia elementa. Quod probatur *primum* inductione ipsorum elementorum. Quod enim necessaria sit terra, patet, quia locus et locatum vel sunt ejusdem naturæ, vel prædominatur natura loci in locato; sed omnia mixta perfecta naturaliter quiescunt in terra sicut in loco: ergo oportet quod in quolibet mixto sit terra, vel quod ipsa prædominetur. Quod autem necessaria sit etiam aqua, constat ex hoc, quod terra pura non habet continuationem nec in ipsa aliqua figura potest consistere; partes autem cujuslibet mixti oportet esse terminatas; sola autem aqua est bene terminabilis. Quod vero necessario requirantur etiam aer et ignis, probatur, quia terra et aqua alterantur in mixto; cum autem unumquodque miscibilium alteretur a suo contrario, oportet ignem et aerem esse in composito; nam aer contrariatur terræ et ignis aquæ. — 2. *de Generat.* l. 8.

Secundo probatur ex nutrimento viventium. Ut enim argumentatur Philosophus (*de Sensu et Sensibili* c. 5) contra asserentes animalia nutriri odoribus: ex iisdem nutriuntur animalia, ex quibus constant; sed cibus, quo nutriuntur animalia, est compositus ex quatuor elementis: cujus signum est, quod ex cibis generatur aliqua superfluitas interius, sicut patet in animalibus, intra quorum corpora sunt quædam loca deputata ad congregationem superfluitatum; vel exterius, sicut in plantis, quarum superfluitas statim exterius emittitur, sicut patet de gummis arborum et de aliis hujusmodi. Si autem aliquod animal vel planta nutriretur simplici elemento, nulla fieret superfluitas, cum non sit ibi aliqua difformitas partium. Ergo animalia constant ex quatuor elementis. Verum adhuc cum nullum elementum sit aptum nutritioni propter simplicitatem, amplius aqua habet speciale impedimentum, quare sola non possit nutrire sine commixtione alicujus terrestris; sicut agricultores adhibent fimum, ut aqua commixta nutriat plantas: quia nutrimentum constituit et generat aliquid in substantia nutriti, et ideo oportet quod sit aliquid corporale et solidum; quod non competit aquæ; unde aqua sola non potest nutrire et multo minus aer. Unde relinquitur quod odor nutrire non possit, et per consequens, quod mixtum perfectum, animatum præsertim, non possit constare uno, altero vel paucioribus elementis quam quatuor. — 2. *de Generat.* l. 8; *de Sensu et Sensibili* l. 14.

Quod confirmatur, quia minus videtur quod plantæ, quæ sunt magis terrestres, nutriantur ex omnibus elementis quam alia nutrita; sed illæ licet videantur nutriri ex sola aqua, nutriuntur tamen ex omnibus elementis. Manifestum enim est, quod nutriuntur ex terra et aqua; rustici enim colentes plantas injiciunt terram cum aqua ad nutrimentum illarum. Si autem inest terra et aqua, necesse est esse alia duo extrema, scilicet aerem et ignem, eadem ratione qua supra. Dicendum ergo est, quod ad mixta perfecta, quæ sunt circa terram, generanda necessaria sunt omnia quatuor elementa. — 2. *de Generat.* l. 8.

Ad primum ergo dicendum, quod Philosophus l. c. *de Anima* loquitur de omnibus mixtis, sive perfectis sive imperfectis; at vero 2. *de Generat.* (*text.* 49; c. 8) loquitur de mixtis perfectis, et præsertim animatis, quæ sunt perfectissima, ut patet ex postrema ratione, quæ est Philosophi ibidem. — 2. *de Generat.* l. 8.

Ad secundum dicendum, quod ad vinum generandum requiruntur omnia elementa,

ut patet ex rationibus supra (in c.) allatis; non tamen est necesse quod concurrant omnia secundum materias et qualitates, sed sufficit unum vel alterum cum qualitatibus reliquorum.

Ad tertium dicendum, quod de aqua duplex est opinio. Quidam enim dicunt, quod quia nullo modo nutrit, non solvit jejunium neque naturæ neque Ecclesiæ; sed quamvis aqua in se non nutriat, tamen commixta nutrit; in stomacho enim oportet quod aliis humoribus commisceatur; et ideo in nutrimentum cedere potest. Et propter hoc alii probabilius et securius dicunt, quod etiam post aquæ potum Corpus Christi non est sumendum. — 4. *Sent.* dist. 8, q. 1, a. 4, sol. 2, ad 2.

Ad quartum dicendum, quod odor nutrire non potest. Cum enim sit qualitas, secundum se non potest nutriendo constituere substantiam, nisi forte ratione susceptivi, quod est aer vel aqua. Confortat autem propter immutationem, quæ est a calido humido et sicco, et propter delectationem, sicut et malus odor corrumpit; et maxime confert ad sanitatem, ut manifeste patet ad sensum, et ratione confirmatur. Nam cum homo habeat majus cerebrum, secundum quantitatem sui corporis, inter cetera animalia, cerebrum autem secundum suam naturam sit frigidum, et sanguis, qui circa cerebrum continetur in quibusdam subtilibus venis, sit de facili infrigidabilis et ideo contingat, quod fumi resoluti a cibo sursum ascendentes, propter loci infrigidationem, inspissentur infrigiditati, et ex hoc causentur rheumaticæ infirmitates in hominibus; — propterea in adjutorium sanitatis, contra superfluam cerebri frigiditatem, attributa est species odoris secundum se delectabilis hominibus. Quod si quandoque hujusmodi odores gravant cerebrum, hoc est quia non adhibentur secundum quod debent, sed superflue ipsum calefacientes faciunt nimiam resolutionem. Sed si modo debito adhibeantur, conferunt ad sanitatem, ut manifeste apparet ex effectu. Unde est quod sicut sapor a natura ordinatur ad nutritionem, ita odor ad sanitatem, ut dicit Philosophus *de Sensu et Sensibili* c. 5. — *de Sensu et Sensibili* l. 13 et 14.

ARTICULUS IV

UTRUM ELEMENTA MANEANT IN MIXTO ACTU SECUNDUM FORMAS SUBSTANTIALES.

Videtur quod elementa maneant in mixto actu secundum formas substantiales.

1. Dicit enim Philosophus 1. *de Generat. text.* 83 et 84 (c. 10), quod miscibilia non corrumpuntur, et propterea dicit materiam *ex qua* non misceri rei ad quam concurrit, ut ligna igni; et *text.* 88 (c. 10) ait guttam vini non misceri decem millibus congiis aquæ, quia solvitur forma, et mutatur in aquam; et *text.* 84 expresse dicit elementa non corrumpi, sed ita remanere, ut possint iterum segregari, quod idem docet 2. *de Generat. text.* 47 et 48 (c. 7); ergo elementa remanent in mixto secundum formas substantiales. — 1. *de Generat.* l. 24 et 25.

2. Præterea, 4. *Meteorol.* (c. 12) dicit Philosophus quod elementa sunt materia mixtorum; quod idem docet 12. *Metaphys. text.* 15 (l. 11, c. 3); sed materia actu est in composito; unde definitur a Philosopho 1. *Phys.* (*text.* 82; c. 9), quod sit subjectum ultimum uniuscujusque, ex quo fit aliquid, cum insit; ergo et elementa erunt actu secundum suas formas. — 4. *Meteorol.* l. ult.; 12. *Metaphys.* l. 3; 1. *Phys.* l. ult.

3. Præterea, 1. *de Generat.* (*text.* 90; c. 10) dicit Philosophus, quod mixtio est unio elementorum alteratorum; sed quod tantum est alteratum, non est secundum formam corruptum, sed remanet secundum illam; ergo elementa manent in mixto secundum formas substantiales. — 1. *de Generat.* l. 25.

4. Præterea, 2. *de Generat.* (*text.* 50; c. 7) dicitur, quod ex iis nutrimur, ex quibus constamus; sed vero nutrimur omnibus elementis actu, ut dictum est (art. præced.); ergo et ex illis actu constamus, et ita erunt elementa actu secundum formas substantiales. — 2. *de Generat.* l. 8.

5. Præterea, 2. *de Anima* (*text.* 39; c. 4) dicitur, quod nisi esset anima in animali, elementa dissolverentur et unumquodque discederet; at ista consequentia non est bona, nisi sint elementa in mixto actu secundum formas substantiales; nam quod non est, non dissolvitur; ergo idem quod prius. — 2. *de Anima* l. 8.

6. Præterea, elementum definitur a Philosopho (5. *Metaph. text.* 4; l. 4, c. 3): « ex quo fit aliquid, cum insit, indivisibile secundum speciem »; sed corpora simplicia sunt elementa mixtorum: ergo sunt actu in illis. — 5. *Metaphys.* l. 4; *Opusc.* 33.

7. Præterea, mixtum movetur motu elementi prædominatis in ipso, ut dicit Philosophus (1. *de Cœlo text.* 7; c. 2); sed omne movens debet esse actu; nam eatenus movet, quatenus est actu; sicut eatenus aliquid est mobile, quatenus est in potentia, ut dictum est; præterquam quod non datur, a quo elementum prædominans possit corrumpi: ergo elementa sunt actu in mixto. — 1. *de Cœlo* l. 3.

8. Præterea, resolutio per segregationem fit in ea, quæ actu insunt; quod enim est ultimum in tali resolutione, est primum in compositione; sed mixtum resolvitur in quatuor elementa per segregationem, ut dicitur 3. *de Cœlo* (*text.* 32; c. 3); si enim comburitur lignum, emittitur aqua, remanent cineres, qui sunt terra, evolat fumus, qui est aeris, fit flamma, quæ est ignis: ergo in mixto præerant elementa actu. — 5. *Metaphys.* l. 4; 3. *de Cœlo* l. 8.

9. Præterea, passio non potest separari a suo subjecto, ut dictum est (in Logica q. 6, a. 3); sed primæ quatuor qualitates sunt passiones elementorum; unde Philosophus (2. *de Anima text.* 113; c. 11) de humiditate dicit, quod non potest esse sine aqua: ergo cum in mixto sint qualitates elementorum, erunt et ipsa elementa actu secundum formas substantiales. — 2. *de Anima* l. 23.

10. Præterea, dicit Philosophus (2. *de Generat. text.* 49 et 50; c. 8), quod mixtum non potest generari ex uno elemento; sed id sequeretur, si elementa non essent actu in mixto secundum formas; nam si sola materia remaneret, non esset ratio, quare materia unius non posset sufficienter disponi ad mixti formam: ergo dicendum est, quod elementa maneant in mixto actu secundum formas. — 2. *de Generat.* l. 8.

11. Præterea, mixtio non fit secundum materiam tantum, quia tunc esset corruptio sola; ergo oportet quod remaneant in mixto formæ elementorum. — *Opusc.* 33; 1a, q. 76, a. 4, arg. 4; *Quodl.* 1, a. 6, arg. 3; *Quæst. disp. de Anima* a. 9, arg. 10.

Sed contra: 1. Philosophus (1. *de Generat. text.* 84; c. 10) dicit, quod elementa non manent actu in mixto, ut corpus album, nec corrumpuntur, nec ambo nec alterum, totaliter scilicet, quo modo fit in generatione simplici; nam quod corrumpitur, corrumpitur secundum formam et qualitates; at in generatione mixti corrumpuntur elementa secundum formas, et salvatur eorum virtus. — 1. *de Generat.* l. 24.

2. Præterea, 3. *de Cœlo text.* 31 (c. 3) proponit quæstionem, an elementa sint actu in mixto vel potentia, dicens hoc esse ambiguum, quia id erat solvendum in proprio loco, puta in 1. *de Generat.* Verum textu sequenti suam sententiam significans dicit in carne et ligno esse ignem et aquam in potentia; quod idem docet 1. *de Generat. text.* 84 (c. 10), ubi fuse agens de hac materia dicit, quod miscibilia sunt in mixto in potentia et non in actu, licet sint actu virtutes elementorum: ergo. — 3. *de Cœlo* l. 8; 1. *de Generat.* l. 24.

3. Præterea, 1. *de Generat. text.* 83 (c. 10) dicit Philosophus, quod quæ remanent actu, sicut materia et forma, non miscentur; et *text.* 86 dicit, quod si elementa remaneant in mixto divisa in parvas partes salvatas secundum speciem et virtutem, non erit mixtio, sed juxtapositio; sed elementa debent concurrere ad mixti generationem divisa in partes parvas, et debet salvari virtus elementorum, ut dicit Philosophus 1. *de Generat. text.* 84 *et* 89 (c. 10): ergo idem quod prius. — 1. *de Generat.* l. 24 et 25.

4. Præterea, 2. *de Generat.* (*text.* 47 et 48; c. 7) contra Empedoclem asserentem, fieri compositionem ex elementis intransmutatis et salvatis secundum speciem et virtutem, argumentatur Philosophus, quod si hæc opinio esset vera, sequeretur quod non ex quacunque parte carnis generabitur quodlibet elementum, sed ex una parte unum, et ex alia aliud, quia nimirum, cum in una parte materiæ non possint esse plures formæ substantiales, debet quælibet forma informare propriam materiam, et ita deberet fieri mixtio ex elementis loco et situ distinctis; quod tamen, inquit Philosophus, est falsum; nam cum mixtum sit homogeneum, debent in qualibet ejus parte potentia contineri omnia elementa, ita ut ex quacunque possint generari : ergo secundum Philosophum elementa non sunt actu in mixto. — 2. *de Generat.* l. 8.

5. Præterea, principiis essentialibus manentibus in aliquo, non possunt in illo deficere qualitates talium principiorum secundum suas excellentias, nisi per violentiam, quod non potest esse diuturnum; sed in mixto naturaliter conservantur qualitates et virtutes elementorum refractæ et deficientes, quamdiu durat mixtum; ergo non possunt esse in mixto formæ substantiales elementorum. — *de Pot.* q. 5, a. 7, c.

Respondeo dicendum, quod circa hanc difficultatem diversi diversimode opinantur. *Quidam* enim, ut Avicenna, posuit formas substantiales elementorum integras remanere in mixto, mixtionem autem fieri secundum quod contrariæ qualitates elementorum reducuntur ad medium.

Sed hoc est impossibile. Impossibile enim est materiam secundum eandem partem simul suscipere diversas formas substantiales. Quod patet, quia forma substantialis, cum det esse simpliciter, denominat simpliciter compositum, quod constituit; mixtum autem, puta caro vel os, non potest dici quod sit ignis vel aer vel aqua vel terra.

Præterea, quia inde sequerentur multa absurda: nimirum *primo,* quod tales formæ non possent comprehendi unica differentia, cum diversarum naturarum diversæ sint differentiæ, contra Philosophum 7. *Metaphys. text.* 43; l. 6, c. 12 . (7. *Metaphys.* l. 12.) *Secundo,* quod mixtum non esset simpliciter unum, quia nihil est simpliciter unum nisi per formam unam, per quam res habet esse; ab eodem enim res habet quod sit ens et quod sit una; et ideo quæ denominatur a diversis formis, non sunt unum simpliciter, sicut homo albus. (*Ibid.* et 1a, q. 76, a. 3, c.) *Tertio,* quod una operatio intensa non impediret aliam, contra sensum et experientiam; cujus ratio est, quia principium actionum est per essentiam unum; unde sequitur quod in unoquoque una sit tantum forma. (1a, q. 76, a. 3, c.) *Quarto,* quod ex una parte unius rei *sint plura esse substantialia,* cum quælibet forma substantialis det esse substantiale; et ex altera, quod esse substantiale sit accidentale: quia cum forma adveniens enti in actu sit accidentalis, si plures formæ substantiales essent in eadem parte materiæ, prima daret esset substantiale, et ceteræ accidentale, cum tamen sint formæ substantiales. Si ergo impossibile est materiam secundum eandem partem simul suscipere diversas formas substantiales elementorum, sed oportet quod, si insunt eidem materiæ, quod insint diversis partibus illius (1a, q. 76, a. 3, c.; 2. *Sent.* dist. 18, q. 1, a, 2, c.); — impossibile autem est materiam diversas partes accipere nisi præintellecta quantitate in ipsa; nam sublata quantitate materia indivisibilis permanet, sicut patet in 1. *Physicorum;* ex materia autem sub quantitate existente et forma substantiali præintellecta corpus physicum constituitur: — necesse est quod diversæ partes materiæ formis elementorum subsistentes *plurium corporum rationem* suscipiant. Multa autem corpora impossibile est esse simul. Non igitur in qualibet parte corporis mixti erunt quatuor elementa, et per consequens non erit vera mixtio, sed ad sensum, sicut accidit in congregatione corporum insensibilium propter parvitatem. *Præterea,* quælibet forma substantialis propriam *dispositionem* requirit in materia, sine qua esse non potest; unde altera est via ad generationem,

altera ad corruptionem. Impossibile autem est eandem esse dispositionem, quam requirit forma ignis, et quam requirit forma aeris vel aquæ, sed sunt contrariæ; contraria autem esse non possunt in eodem subjecto: impossibile est igitur quod in eadem parte mixti sint formæ substantiales ignis et aquæ. Si igitur mixtio fiat remanentibus formis simplicium corporum, sequitur quod non sit mixtio, sed solum ad sensum, quasi juxta se positis partibus insensibilibus propter parvitatem. — 1a, q. 76, a. 3, c.; 2. *Sent.* dist. 18, q. 1, a. 2, c.; 1. *de Generat.* l. 24.

Quidam autem alii, inter quos est Averroes (3. *de Cœlo text.* 67), positæ opinionis rationes vitare volentes in majus inconveniens inciderunt. Ut enim mixtionem ab elementorum corruptione distinguerent, dixerunt formas substantiales elementorum aliqualiter remanere in mixto; sed rursus, ne cogerentur mixtionem ad sensum, et non secundum veritatem ponere, posuerunt, quod formæ elementorum non manent in mixto secundum suum complementum. Dicunt enim, quod formæ elementorum suscipiunt magis et minus, et habent contrarietatem ad invicem. Et quia hæc manifeste repugnant communi opinioni, et dictis Aristotelis dicentis in *Prædicam.* (c. 1), quod substantiæ nihil est contrarium, et quod non recipit magis et minus, ulterius procedunt dicentes, quod formæ elementorum sunt imperfectissimæ, utpote materiæ primæ propinquiores; unde sunt mediæ inter formas substantiales et accidentales, et sic in quantum accedunt ad naturam formarum accidentalium, suscipere possunt magis et minus.

Unde hæc positio multipliciter est improbabilis: *primo,* quia esse aliquid medium inter substantiam et accidens, est omnino impossibile; esset enim aliquid medium inter affirmationem et negationem. Proprium enim accidentis est in subjecto esse, substantiæ vero in subjecto non esse; formæ autem substantiales sunt quidem in materia, sed non in subjecto; nam subjectum est *hóc aliquid,* forma autem substantialis est, quæ facit *hoc aliquid. Item,* ridiculum es dicere, medium esse inter ea, quæ nont sunt unius generis, ut probatur in 10. *Metaphys.* (*text.* 22; l. 9, c. 7); medium enim et extremum in eodem genere esse oportet. Nihil ergo medium esse potest inter substantiam et accidens. Unde impossibile est formas elementorum suscipere magis et minus. Omnis enim forma recipiens magis et minus est divisibilis per accidens, in quantum scilicet subjectum potest eam participare vel magis vel minus; secundum autem id, quod est divisibile vel per accidens vel per se, contingit esse motum continuum, ut patet in 6. *Phys.* (*text.* 15; c. 2); si igitur formæ substantiales elementorum suscipiunt magis et minus, tam generatio quam corruptio erit motus continuus, quod est impossibile; nam motus continuus non est nisi in tribus generibus, scilicet in quantitate, qualitate et ubi. *Demum,* esse substantiale cujuslibet rei in indivisibili consistit, sicut et forma substantialis, quæ est terminus esse specifici; unde in indivisibili est ratio formæ, sicut ratio numeri et figuræ; nec est possibile ut intendatur vel remittatur, sed omnis additio vel subtractio facit aliam speciem.

Et ideo aliter dicendum secundum Philosophum (1. *de Generat. text.* 84; c. 10), quod formæ elementorum non manent in mixto actu, sed virtute; manent enim qualitate propriæ elementorum, licet remissæ, in quibus est virtus formarum elementarium. Qualitates enim elementares agunt in virtute formarum substantialium, alioqui actio, quæ est per calorem ignis, non terminaretur ad formam substantialem. — 1a, q. 76, a. 4, ad 4; 1. *de Generat.* l. 24; *Quodl.* 1, a. 6, ad 3; *Quæst. disp. de Anima* a. 9, ad 10.

Ad primum ergo dicendum, quod miscibilia dicentur non corrumpi, quia non corrumpuntur omnino, sicut accidit in generatione, quando nimirum ex aqua fit ignis; nam salvatur virtus eorum, propter quam possunt etiam segregari, quando mixtum corrumpitur. Unde et recte Philosophus negavit materiam misceri rei, quia totaliter permanet in rei; miscibilia vero debent corrumpi tantum secundum formas, non se-

cundum virtutes, quæ salvantur in mixto; et recte negavit guttam vini misceri decem millibus congiis aquæ, quia tunc vinum omnino corrumpitur et secundum formam et secundum virtutes. — 1. *de Generat.* l. 24 et 25, et l. c. in corp. art. præced.

Ad secundum dicendum, quod elementa non sunt materia mixtorum secundum formas substantiales, atque adeo secundum se tota; quæ fuit opinio Empedoclis. Nam sic sequeretur non posse ex elementis fieri mixta; nam si sic remaneant, ignis in una parte compositi erit adurens, et aqua fluens, et terra incontinua, et aer exspirans; similiter ignis non ligatus evolabit sursum, et terra deorsum descendet, et sic nunquam constabit, ut faciat ossa et carnes et hujusmodi; sed erunt elementa materia mixtorum ratione propriæ materiæ et propriarum qualitatum, quæ remanent in mixto. — 2. *de Generat.* l. 8.

Ad tertium dicendum, quod mixtio dicitur unio miscibilium alteratorum, quia in mixtione debent elementa alterari secundum qualitates; nam hæ debent remanere in mixto, ut dictum est (art. 2).

Ad quartum dicendum, quod cum nutrimentum debeat in fine alterationis esse simile viventi, ut dictum est (q. 38, a. 5), sicut vivens et quodlibet aliud mixtum dicitur constare ex elementis, quia constat ex materia et virtutibus elementorum, ita et vivens nutritur elementis, quia nutritur cibis constantibus ex materia et virtutibus elementorum.

Ad quintum dicendum, quod Philosophus l. c. reprobat opinionem Empedoclis augmentum viventium non attribuentis animæ, sed motui gravium et levium. Dicebat enim, quod augmentum plantarum in deorsum causatur ex motu terræ, quæ est in compositione plantæ, et naturaliter deorsum fertur propter sui gravitatem; augmentum autem sursum causatur ex motu ignis, qui propter sui levitatem naturaliter fertur sursum. Contra quem Philosophus argumentatur, quod cum elementa non sint actu in mixto, sed in virtute, non habet elementum sursum proprium motum, sed totum mixtum movetur motu elementi prædominantis in ipso. Nam si elementa sunt actu in mixto, et quodlibet habet proprium motum, ut vult Empedocles, cum naturalis motus elementorum sit ad contraria loca, sequitur quod totaliter ab invicem separentur, nisi sit aliquid continens elementa, quod non sinit totaliter illa ab invicem abscedere. Illud autem, quod continet elementa, ne totaliter ab invicem segregentur, maxime videtur esse causa augmenti; sed augmentum secundum diversas partes contingit ex diversis motibus elementorum.

Non enim posset imaginari, qualiter esset augmentum elementis in contraria motis, nisi per hoc, quod manent invicem conjuncta, quia si totaliter separarentur, esset divisio, non augmentum. Illud igitur principaliter est causa augmenti, quod continet elementa, ne totaliter ab invicem separentur; hoc autem est anima in rebus viventibus; unde et anima est principium augmenti. — 2. *de Anima* l. 8.

Ad sextum dicendum, quod ad hoc, ut corpora simplicia dicantur elementa mixtorum et illis inesse, sufficit, quod sint in illis actu vel potentia, ut patet ex Philosopho 3. *de Cœlo* (*text.* 31; c. 3), ubi sic definit elementum: sit itaque elementum illud corporum, in quod alia corpora dividuntur, quod inest potentia aut actu; hoc enim utro modo ambiguum est. Nam hanc quæstionem fusius tractaturus erat suo loco 1. *de Generat.* (*text.* 84: c. 10), ubi eam dissolvit, ut diximus. Imo l. c. *de Cœlo* significans suam sententiam subdit: si itaque quod dictum est, elementum sit, necesse est esse aliqua talium corporum; in carne enim et ligno et unoquoque talium inest potentia ignis ac terra. — 3. *de Cœlo.* l. 8.

Ad septimum dicendum, quod ex hoc, quod mixtum movetur motu elementi prædominantis, sequitur elementa non esse actu in mixto, sed virtute, ut dictum est (ad 5); quia si essent actu, quodlibet elementum haberet proprium motum; et sic non posset mixtum conservari, sed dissolveretur, elementis in contraria motis. — 2. *de Anima* l. 8.

Ad octavum dicendum, quod mixta non resolvuntur immediate in quatuor elementa, sed in mixta imperfecta. Cum enim duplex sit forma: una perfecta, quæ complet speciem alicujus rei naturalis, sicut forma ignis vel aquæ, aut hominis, aut plantæ; alia incompleta, quæ neque perficit aliquam speciem naturalem, neque est finis intentionis naturæ, sed se habet in via generationis vel corruptionis; — sicut manifestum est in generatione compositorum, puta animalis, quod inter primum principium generationis, quod est in semine, et ultimam formam animalis completam, sunt multæ generationes mediæ, ut Avicenna dicit in sua *Sufficientia*, quæ necessario terminantur ad aliquas formas, quarum nulla facit ens completum secundum speciem, sed ens incompletum, quod est via ad speciem aliquam; — ita etiam ex parte corruptionis sunt multæ formæ mediæ, quæ sunt forma mediæ incompletæ. Non enim separata anima corpus animalis statim resolvitur in elementa, sed hoc fit per multas corruptiones medias, succedentibus sibi in materia multis formis imperfectis, sicut est forma corporis mortui, et postmodum putrefacti, et sic tandem fit ultimum complementum successive. — 1. *de Generat.* l. 9.

Ad nonum dicendum, quod calor in summo est proprius ignis, nec potest ab illo separari totus remanente igne; potest tamen remitti quoad aliquos gradus; et potest etiam convenire aliis ab igne; nam, ut dictum est (in Logica q. 6, a. 1, ad 3), quod est proprium unius speciei, participative potest aliis convenire.

Ad decimum dicendum, quod mixtum perfectum circa terram existens non potest ex uno tantum elemento constare, reliqua vero mixta possunt constare ex uno elemento secundum materiam, sed necesse est ut adsint qualitates ceterorum elementorum, ut dictum est (a. 3. hujus q.).

Ad undecimum dicendum, quod mixtio non fit secundum materiam tantum elementorum, sed etiam secundum qualitates proprias illorum, formis substantialibus corruptis in quoddam medium, quod est mixtum, ut dictum est (in c.). — V. ll. cit. in arg.

ARTICULUS V

UTRUM IN MIXTO REMANEANT ELEMENTA SECUNDUM PROPRIAS QUALITATES.

Videtur quod elementa non maneant in mixto secundum proprias qualitates.

1. Dicit enim Philosophus (7. *Metaphys. text.* 7; l. 6, c. 3), quod prima substantia est primum subjectum, de quo alia dicuntur vel sicut superiora de inferioribus, vel sicut accidens de subjecto; unde illa corrupta debent alia corrumpi; sed in mixtione ad productionem formæ mixti corrumpuntur ipsa elementa, ut dictum est (art. præced.). — 7. *Metaphys.* l. 2; 5. *Metaphys.* l. 10.

2. Præterea, accidentia propria sunt inseparabilia a propriis subjectis, ut dictum est (in Logica q. 6); sed quatuor primæ qualitates sunt accidentia propria elementorum: ergo elementis corruptis in productione mixti debent et illæ corrumpi.

3. Præterea, qualitates elementorum, ut dictum est (art. præced.), sunt contrariæ; sed contraria non possunt esse in eodem, ut dicit Philosophus 4. *Metaphys.* (*text.* 27; l. 3, c. 7); ergo qualitates elementorum non possunt remanere in mixto. — 4. *Metaphys.* l. 15.

Sed contra: Philosophus (1. *de Generat. text.* 84; c. 10) dicit, quod in mixtione elementa non corrumpuntur omnino, quia salvatur virtus eorum. — 1. *de Generat.* l. 24.

Respondeo dicendum, quod necesse est dicere, elementa remanere in mixto secundum proprias qualitates. Et ratio est, quia, ut dictum est, (ll. cit. art. præced. arg. 11 et in c.), mixtio non fit tantum secundum materiam, quia sic esset generatio; neque secundum formas elementorum, quia hæ corrumpuntur, ut dictum est; ergo necessario debet fieri secundum proprias qualitates elementorum. Præterea, elementa remanent virtute et potentia in mixto, ut dictum est ex Philosopho; sed id propterea est, quia remanent in mixto virtutes elementorum,

quæ sunt propriæ qualitates ipsorum; agunt enim hæ in virtute formarum substantialium elementorum ad illorum generationem, ut dictum est.

Ad primum ergo dicendum, quod in mixto remanent qualitates elementorum eædem *specie*, et non eædem *numero*, et remanent in gradu remisso; nihil enim prohibet, id, quod est proprium unius speciei, participative aliis speciebus et præsertim in gradu remisso convenire, ut dictum est (art. præced. ad 9). — Cf. supra q. 35, a. 5, 6, 7.

Ad secundum dicendum, quod qualitates remanentes in mixto non sunt illæ eædem *numero*, quæ fuerunt in elementis, sed *specie*: neque sunt eædem specie in eodem gradu, ut dictum est (ad arg. præced.): nam illæ in gradu requisito ab elementorum singulorum formis simul cum illis corruptæ sunt, ut dictum est (supra art. 4 hujus q.).

Ad tertium dicendum est, quod contraria possunt esse simul in eodem subjecto in gradu remisso, ut dictum est (q. 36, a. 8).

ARTICULUS VI

UTRUM DISPOSITIO AD FORMAM SUBSTANTIALEM MIXTI SIT QUALITAS SIMPLEX, AN VERO COMPOSITA EX QUALITATIBUS ELEMENTORUM AD MEDIUM REDUCTIS.

Videtur quod dispositio ad formam mixti sit qualitas simplex.

1. Hujusmodi enim dispositio pertinet ad primam speciem qualitatis, quæ dicitur *dispositio*, contradistincta ab habitu; sed talis species est qualitas simplex, sicut et habitus: ergo dispositio ad formam mixti est simplex qualitas. — 1a 2æ, q. 54, a. 4, arg. *Sed contra; de Virt.* q. 1, a. 1, ad 9.

2. Præterea, dispositio ad formam mixti ita se habet ad qualitates elementares, sicut pallidum ad album et nigrum, et sicut se habet forma mixti ad formas elementares; sicut enim hæ virtualiter continentur in illa, ita et qualitates elementares continentur in qualitate quæ est dispositio formæ mixti; sed pallidum est qualitas simplex, et forma substantialis est una simplex entitas: ergo et dispositio formæ mixti erit una simplex qualitas. — 1. *de Generat.* l. 24.

3. Præterea, quælibet forma substantialis elementaris habet unam numero simplicem qualitatem, quæ est dispositio ad ipsam; sed eadem videtur ratio de forma mixti: ergo et illa habebit unam numero simplicem qualitatem, quæ sit dispositio ad ipsam. — *Ibid.*

4. Præterea, si dispositio formæ mixti est composita ex pluribus qualitatibus, sequitur nullum mixtum diu permanere posse, quin corrumpatur; cum enim qualitates prædictæ sint activæ et passivæ, ad has autem naturaliter sequatur corruptio (agens enim naturaliter assimilat sibi patiens), hoc facto necesse est corrumpi passum, et per consequens mixtum; sed patet experientia multa mixta diutissime manere incorrupta: ergo dispositio formæ mixti est simplex qualitas, et non composita ex pluribus. — *de Malo* q. 5, a. 5, arg. 6.

5. Præterea, natura est determinata ad unam operationem, sicut ipsa est una; sed si dispositio formæ mixti esset composita ex pluribus qualitatibus, non esset determinata ad unam operationem, sed ad multas: ergo dispositio formæ mixti est simplex qualitas. — 1a 2æ, q. 10, a. 1, ad 3.

Sed contra est: 1. quod Philosophus 2. *de Anima text.* 117 et 118 (c. 11) docet, quod sensus tactus non potest sentire nisi excedentes qualitates, quoniam in ipso sunt quatuor qualitates, puta calidum et frigidum, siccum et humidum, quamvis ad medium redactæ. Et *text.* 123 et 124 (c. 12) dicit, sensus consistere in harmonia qualitatum, quæ læditur a vehementi sensibili. Ergo in mixto sunt vere qualitates quatuor elementorum, et sic dispositio formæ mixti erit qualitas composita, non autem simplex. — 2. *de Anima* l. 23 et 24.

2. Præterea, dicit Philosophus 2. *de Part. Animal.* (c. 1), quod prima compositio viventium, quæ sunt mixta, perfecta est ex quatuor primis qualitatibus; et 1. *de Generat.* (*text.* 84; c. 10) dicit, in productione mixti

corrumpi formas elementorum, et manere virtutes illorum; et 2. *de Generat.* (*text.* 49; c. 8) probat in omnibus mixtis quæ circa terram sunt, esse omnia elementa, quia sunt primæ quatuor qualitates. — 1. *de Generat.* l. 24; 2. *de Generat.* l. 8.

Respondeo dicendum, quod dispositio formæ mixti non est qualitas simplex, sed composita et contemperata ex mixtione simplicium qualitatum, quæ ita se habet ad formam substantialem corporis mixti, sicut se habet qualitas simplex ad formam substantialem corporis simplicis. — 4. c. *Gent.* c. 81; 1a, q. 76, a. 4, ad 4; 2. *de Generat.* l. 8; 1. *de Generat.* l. ult.; *de Malo* q. 5, a. 5, ad 6.

Potest autem hoc esse manifestum ex multis: et *primo* ex corruptione elementorum prærequisita ad mixtionem. Propterea enim elementa non totaliter corrumpuntur, ut dicit Philosophus (1. *de Generat text.* 84 et 90; c. 10), quia, licet non salvetur species illorum, salvantur tamen illorum qualitates, quæ sunt eorundem virtutes; alioqui mixtio non esset unio elementorum, sed simplex generatio. (1. *de Generat.* l. 24 et 25.)

Secundo, ex dispositione requisita ad generationem mixti. Tunc enim formæ substantiales elementorum corrumpuntur in generatione mixti, et transmutantur non ad invicem, ut dicit Philosophus (1. *de Generat. text.* 89; c. 10), sed in medium (puta in mixtum), quando per alterationem qualitates elementorum pervenerunt ad illam æqualitatem proportionis, quam requirit forma mixti generandi; talis autem æqualitatis proportio non potest esse nisi inter plura, ut per se manifestum est: ergo dispositio mixti non est simplex qualitas sed composita. (1. *de Generat.* l. 25.)

Tertio, ex segregatione elementorum. Propterea omne mixtum resolvitur in elementa, et hæc ex illo, quando corrumpitur, segregantur, quia, ut dicit Philosophus (3. *de Cœlo text.* 31 et 32; c. 3 et 4; 1. *de Generat. text.* 84; c. 10), remanent actu in mixto qualitates elementorum, quæ agere possunt ad productionem eorundem, quando mixtum corrumpitur. (1. *de Generat.* l. 24; 3. *de Cœlo* l. 8.)

Quarto, ex definitione mixtionis. Ideo enim hæc dicitur « elementorum alteratorum unio », quia in mixtione elementa debent alterari secundum qualitates; alteratio autem non tollit totaliter terminum, sed tantum vel minuit vel auget excellentiam illius, et ideo qualitates elementorum vi alterationis ad quandam medietatem reducuntur. (1. *de Generat.* l. ult.)

Quinto, ex ipsa compositione mixti. Necesse enim est quodlibet mixtum perfectum, circa terram consistens, ex quatuor elementorum qualitatibus constare. Cum enim consistat in terra tamquam in loco, debet habere eandem naturam cum illa; non habet autem eandem secundum speciem, ut patet: ergo habet illam secundum qualitates. Quia vero terra pura non habet continuationem, partes autem mixti oportet esse terminatas, et sola aqua est bene terminabilis; ideo siccum debet uniri cum humido, ne decidat et convertatur in pulverem. Cum autem aqua et terra in mixto alterentur, et unumquodque elementorum alteretur a suo contrario, necessario debet esse in mixto ignis et aer, atque adeo illorum qualitates; quod si hæ reperiuntur, et requiruntur in mixto, frustra requiretur alia qualitas quæ obeat illarum actiones. (2. *de Generat* l. 8.)

Sexto, ex diversitate complexionum ipsorum mixtorum. Cum enim elementa prius se invicem transmutent in generatione, adæquatis vero potentiis eorum secundum quandam proportionem generetur quoddam medium, sicut carnes et ossa et similia (calido nimirum secundum aliquid infrigidato, et frigido secundum aliquid calefacto, quia in mixto materia uniuscujusque contrarii partem capit alterius, quando veniunt ad medium); — propterea medium illud non est unius proportionis tantum (scilicet quod semper sit per æqualem contrariorum participationem), neque est indivisibile, id est non uno modo tantum; sed est *diversis* modis secundum diversitatem proportionis contrariorum; diversificatur enim

hoc medium, seu mixtum, secundum quod diversificantur virtutes elementorum. Si enim potentia ignis excedet virtutem aquæ, medium generatum erit magis calidum quam frigidum; et sic secundum proportionem unius elementi ad virtutem alterius, ut si in duplo vel in triplo excedit caliditas frigiditatem, medium erit dupliciter et tripliciter calidius; et idem dicendum de humido et sicco. Hæc enim quatuor contraria in quadam proportione faciunt carnem, et in alia proportione faciunt os, et in alia faciunt alia, quorum complexiones variantur; quæ certe variari nequaquam possent, si dispositio mixti esset qualitas simplex, distincta a qualitatibus elementorum ad medium redactis. Cujus illud signum est satis manifestum, quod propter prædictam proportionem qualitatum elementarium contrariarum (ad mixti generationem concurrentium et in mixto remanentium) mixtum dicitur fieri per mixtionem et compositionem contrariorum elementorum, et non per simplicem generationem. (2 *de Generat.* l. 8)

Septimo, ex actione elementorum. Quando enim ad mixti generationem concurrunt, unumquodque producit tantum suas qualitates in quolibet; actio enim et passio non est nisi inter contraria vel habentia contrarietatem, ut dicit Philosophus 1. *de Generat. text.* 50 et 51; c. 7. (1. *de Generat.* l. 19.) *Vel* ergo præter qualitates elementares productas producitur aliqua alia qualitas simplex (quæ sit dispositio ad formam mixti generandi), *vel* non. — Si *primum* detur, sequitur quod in quolibet elemento præter qualitates primas sint aliæ qualitates; — quod est contra Philosophum, qui nullas alias qualitates novit elementorum proprias, præter prædictas quatuor, ut patet ex 2. *de Generat. text.* 22; c. 3; — et contra rationem: quia cum elementa sint *prima corpora,* illis debentur *qualitates* omnium *primæ,* per quas tamquam per proprias passiones et effectus manifestantur illorum differentiæ; hæ vero sunt tantum quatuor qualitates prædictæ. Nam ex illis causantur gravitas et levitas, quæ sunt principia motus elementorum, et ceteræ tangibiles qualitates; et per illas innotescunt propriæ elementorum differentiæ, unde ex illis tamquam differentiis dicit Philosophus (1. *de Generat. text.* 18; c. 3) elementa constare. — Si vero detur *secundum,* superflua erit qualitas distincta a qualitatibus elementaribus. Unde manifestum est, quod dispositio mixti non est qualitas simplex, sed composita ex qualitatibus elementorum. Verum est tamen, quod hæc qualitas potest dici una qualitas *unitate ordinis et proportionis,* quia constat ex qualitatibus elementorum secundum æqualitatem proportionis ad invicem contemperatis, ut dictum est. — 4. *c. Gent.* c. 81; 1a, q. 76, a. 4, ad 4. Cfr. Bannes in 1. de *Generat.* c. 10, q. 3; Ferrariensis in l. 2 *c. Gent.* c. 36, et in l. 4, c. 81.

Ad primum ergo dicendum, quod dispositio sicut et habitus involvunt in se multitudinem entium. Quod patet manifeste, quia plura requiruntur ad disponendum subjectum ad unum eorum ad quæ est in potentia, quæ diversis modis commensurari possunt, ut sic bene disponatur vel ad operationem vel ad formam (ut in proposito). Unde qualitates simplices elementorum, quæ secundum unum modum determinatum naturis elementorum conveniunt, non dicimus dispositiones vel habitus, sed simplices qualitates. Dicimus autem dispositiones vel habitus: sanitatem, pulchritudinem et alia hujusmodi, quæ important quandam commensurationem plurium, quæ diversis modis commensurari possunt; propter quod Philosophus dicit (in 5. *Metaphys. text.* 24 et 25; l. 4, c. 19 et 20), quod habitus est dispositio, et dispositio est ordo habentis partes vel secundum locum vel secundum potentiam vel secundum speciem. — 1a 2æ, q. 49, a. 4, c.

Ad secundum dicendum, quod non est eadem ratio inter dispositionem mixti et medios colores, et inter formam elementarem et mixti. Nam qualitas disponens ad formam mixti necessario debet esse composita ex qualitatibus elementaribus ad temperiem quandam redactis; nam ex illarum diversa temperie causatur diversitas

mixtorum. Unde forma mixti necessario requirit tadem temperiem qualitatum tamquam propriam dispositionem; secus vero forma substantialis mixti.

Vel dic, quod pallidum est quoddam compositum ex albo et nigro, ut dicit Philosophus (10. *Metaphys. text.* 23; l. 9, c. 7). — 10. *Metaphys.* l. 9.

Ad tertium dicendum, quod non est eadem ratio formæ mixti, et formæ elementaris: nam mixtum constat ex contrariis qualitatibus, cum omnia elementa ad illud producendum concurrant, ut dictum est (in c.); sed singula elementa non constant ex contrariis qualitatibus, sed quodlibet habet qualitatem unam simplicem sibi propriam, ut ignis calorem, terra siccitatem, aer humiditatem, et aqua frigiditatem, ut dicit Philosophus (2. *de Generat. text.* 23; c. 3). — 2. *de Generat.* l. 3.

Ad quartum dicendum, quod ita sunt contrariæ qualitates in mixto, sicut sunt contraria elementa in mundo; et sicut contraria elementa non se invicem corrumpunt, quia conservantur per virtutem corporis cœlestis, a quo actiones eorum regulantur; ita contrariæ qualitates in corpore mixto regulantur et conservantur (ne se invicem corrumpant) per formam substantialem, quæ est impressio quædam corporis cœlestis. Nihil enim in istis inferioribus agit ad speciem nisi per virtutem corporis cœlestis. Unde quamdiu forma habet suum vigorem ex impressione corporis cœlestis, conservatur corpus mixtum in esse; et inde est, quod corpus cœleste per accessum et recessum causat generationem et corruptionem in istis inferioribus, et quod durationes omnium corporum inferiorum mensurantur periodo corporum cœlestium. Unde si aliqua forma esset, cujus vigor semper remaneret ex impressione suæ causæ, nunquam sequeretur corruptio per actionem qualitatum activarum et passivarum. Similiter sicut agentis physici virtus, licet patiendo diminuatur, potest tamen reparari; unde videmus in partibus universi reparationem fieri virtutis activæ per hoc, quod elementa calida, quorum *irtus* diminuitur in hieme per solis absentiam, reparatur in æstate per solis propinquitatem; — ita et in quolibet mixto fit reparatio virtutis, quæ patiendo diminuitur, quamdiu durat virtus formæ conservantis elementorum mixtionem. — *de Malo* q. 5, a. 5, ad 6 et 7.

Ad quintum dicendum, quod in mixtis natura est determinata ad unum; mixta enim semper moventur motu prædominantis elementi, ut dictum est (art. 5).

ARTICULUS VII

UTRUM DARI POSSIT MIXTUM ÆQUALE AD PONDUS.

Videtur quod dari possit mixtum æquale ad pondus.

1. Dicit enim Philosophus 2. *de Generat.* (*text.* 48; c. 7), quod tunc generatur mixtum, quando *ita* calidum efficitur frigidum (et e contra), ut veniant ad medium; sive, ut dicitur 1. *de Generat.* (*text.* 89; c. 10), quando elementa potentiis adæquantur æqualiter; sed tunc est æqualitas ad pondus: ergo dari potest mixtum æquale ad pondus. — 2. *de Generat.* l. 8.

2. Præterea, datur mixtum magis calidum quam frigidum, et rursum aliud quod est magis frigidum quam calidum, ut dictum est (art. præced.). Sed ubi datur majus et minus, ibi datur æquale. Cum enim hoc sit medium inter duo extrema, antequam materia elementorum perveniat ad susceptionem magis calidi, debet suscipere formam æqualis in caliditate. Sic enim definitur medium a Philosopho (5. *Phys. text.* 22; c. 3): « in quod primo aptum natum est pervenire id, quod continue mutatur secundum naturam, quam in ultimum terminum motus, in quem mutatur ». Ergo dari potest mixtum æquale ad pondus. — 5. *Phys.* l. 5.

3. Præterea, ubi est unum contrariorum, ibi est et aliud, ut dicitur 2. *de Cœlo* (*text.* 18; c. 3); sed inæquali contrarium est æquale, ut dicit Philosophus 10. *Metaphys. text.* 18; l. 9. c. 5): ergo sicut datur mixtum inæquale ad pondus (puta quod est magis calidum quam frigidum, et e contra), dabitur

etiam mixtum æqualead pondus. — 1. *de Cœlo* l. 12; 2. *de Cœlo* l. 4; 10. *Metaphys.* l. 7.

4. Præterea, contraria possunt esse simul in eodem subjecto in gradu remisso, modo non excedatur latitudo octo graduum, ut dictum est (supra q. 36, a. 8, ad 3); sed in mixto æquali ad pondus dantur hujusmodi contraria: ergo potest dari mixtum æquale ad pondus.

5. Præterea, si datur mensuratum, debet et dari mensura — nam sunt relativa, ut dicit Philosophus (5. *Metaphys. text.* 20; l. 4, c. 15); relativorum autem proprium est, quod sint simul natura, atque adeo si unum est, alterum sit, ut dictum est (in Logica q. 13, a. 10) —; sed mensura omnium inæqualium est æquale: ergo cum dicuntur mixta inæqualia ad pondus (ut per se manifestum est), debent etiam dari mixta æqualia ad pondus. — 5. *Metaphys.* l. 17.

6. Præterea, dicit Philosophus (2. *de Generat. text.* 48; c. 7), quod tunc generatur mixtum, quando unum miscibile non excedit alterum nec illi prædominatur; sed nisi detur mixtum ad pondus, semper unum elementum prædominabitur alteri, illudque in virtute excedet: ergo datur mixtum æquale ad pondus. — 2. *de Generat.* l. 8.

7. Præterea, corporis humani temperies optima est, sicut philosophi tradunt; sed hujusmodi temperies non esset optima et excedens temperiem ceterorum omnium animalium, nisi esset æqualis ad pondus: ergo datur mixtum æquale ad pondus. — 3. *Sent.* dist. 16, q. 1, a. 1, arg. 4; 2. *de Anima* l. 8.

Sed contra: 1. Philosophus dicit (1. *de Cœlo text.* 7; c. 2), quod mixtum movetur motu elementi prædominantis; sed ubi prædominatur unum elementum, non potest esse mixtio æqualis ad pondus: ergo non datur tale mixtum, nec dari potest. — 1. *de Cœlo* l. 3; 2. *de Anima* l. 8.

2. Præterea, mixtio fieri non potest, nisi unum contrarium agat in alterum dominans ad medium reducendo, altero resistente; et præcipue hoc oportet in corpore humano, quod calor dominetur propter operationes animæ, quæ indigent calore sicut instrumento, ut dicitur 2. *de Anima* (*text.* 41; c. 4): ergo non est possibile mixtum æquale ad pondus. — 3. *Sent.* dist. 16, q. 1, a. 1, ad 4.

Respondeo dicendum, quod impossibile est aliquod mixtum esse, in quo non prædominetur alterum contrariorum, sed omnia sint æqualia in gradu, multis de causis: et *primo* quidem, quia cum naturæ elementares se habeant quasi materialiter ad formam mixti, non posset mixtum consequi unam formam simpliciter, nisi elementa aggregarentur in unum, hoc modo, quod unum sit formale et prædominans; — *secundo,* quia ad mixtionem exigitur elementorum alteratio, quam esse non contingeret, si ponerentur eorum æquales virtutes (oportet enim quod virtus alterantis virtutem alterati excedat, quod esse non potest, si miscibilium potentiæ adæquentur; nam tanta esset virtus resistendi, quanta est virtus ad agendum, et ita nec agerent nec paterentur ad invicem); — *tertio,* quia nullum locum naturalem haberet, si nullum in eo elementum prædominaretur, et ita nec motum naturalem; in quo deficeret a proprietate corporis naturalis; — *quarto,* quia in animatis specialiter calor est instrumentum animæ; unde oportet calorem prædominari, ut dictum est (arg. 2 *Sed contra*); et sic oportet quod in quolibet mixto tandem sequatur corruptio; — *quinto,* quia si elementa concurrunt adæquatis potentiis et virtutibus, non magis mixtum, ex elementorum corruptione productum, inclinaretur sursum quam deorsum (vel ad aliquam aliam loci differentiam), cum nullum sit in ipso prædominans elementorum; — *sexto,* quia inde sequeretur quod quilibet motus secundum triplum esset magis violentus quam naturalis; et similiter est de loco; — *postremo,* quia sequeretur quod omnis mixtio esset una, et ita ex similibus in quantitate et qualitate essent caro et ossa et lapis et cetera mixta; quod est impossibile. — Unde manifestum est, quod non est possibile dari mixtum æquale ad pondus. — 3. *Sent.* dist. 16, q. 1, a. 1, ad 4; 2. *Sent.*

dist. 19, q. 1, a. 4, ad 2; 1. *de Generat.* l. 25; 2a 2æ, q. 179, a. 2, ad 2, ubi v. Cajetanum.

Ad primum ergo dicendum, quod sensus Philosophi utrobique est: quod quia omnis mixtio naturalis est propter mixtionem, neque requiritur in mixto omnimoda æqualitas virtutum et potentiarum quoad intensionem; neque requiritur æqualitas quantitatis ipsorum miscibilium, sed tantum requiritur æqualitas proportionis, quam postulat forma mixti generandi, propter quam est mixtio. — 1. *de Generat.* l. 25.

Ad secundum dicendum, quod repugnat dari mixtum æquale in calore et frigiditate et reliquis qualitatibus, ob rationes allatas (in c.). Nam licet in simplicibus valeat consequentia: « si datur major calor et minor, dabitur et æqualis »; non tamen valet in compositis. Non enim, si datur in complexione calor intensior et remissior, dabitur æqualis cum contrario; quia hoc impeditur non ob ipsum calorem solum, sed ob naturam et modum mixtionis, ut dictum est (in c.), cui illud repugnat.

Ad tertium dicendum, quod æquale et inæquale non sunt vere contraria, ut docet Philosophus (10. *Metaphys. text.* 19; l. 9, c. 5). Si enim sumantur æquale et inæquale formaliter, opponuntur inter se relative; si vero sumantur materialiter pro eo, quod est magnum vel parvum, tunc æquale opponitur magno et parvo, atque adeo inæquali privative: æquale enim est, quod neque magnum neque parvum est, aptum tamen est esse aut magnum aut parvum. Unde æquale opponitur ambobus ut negatio privativa. Propositio autem allata in objecto, vera tantum est de veris contrariis, cujusmodi sunt qualitates elementorum, ut patet ex Philosopho ll. ibi cit. — 10. *Metaphys.* l. 7.

Ad quartum dicendum, quod licet non repugnet qualitatibus, esse simul in eodem subjecto secundum gradus æquales, si ipsæ qualitates spectentur et latitudo subjecti; repugnat tamen simul esse in mixto spectata natura ipsius mixti et mixtionis per ordinem ad mixtum: quia non ita possunt elementa convenire ad mixtionem, ut resultent qualitates in æquali pondere, ut dictum est (in c.).

Ad quintum dicendum, quod mensura est duplex: realis, et secundum apprehensionem tantum; mixtum æquale ad pondus est mensura secundum apprehensionem, non autem realis; nam, ut dictum est, impossibile est tale mixtum secundum rem, licet non secundum apprehensionem. — 1a, q. 10, a. 2, ad 3.

Ad sextum dicendum quod tunc generatur mixtum, quando unum elementum non est omnino actu, nec per excessum prædominatur alteri. Cum quo tamen stat, quod in mixto oportet unum elementum alteri prædominare, ut dictum est (in c.). — 2. *de Generat.* l. 8.

Ad septimum dicendum, quod licet corpus humanum sit valde temperatum, non tamen ita, ut sit æquale ad pondus. Quod patet, quia in eo debet dominari calor propter operationes animæ, quæ indigent calore sicut instrumento. Est tamen ejus complexio vicina temperamento ad pondus. — Cum quo tamen stat, quod quoad actum odorandi, ut Philosophus dicit 2. *de Anim.* cap. de odore (*text.* 92 sqq; c. 9), homo non habet bonum sensum odoratus, qui perspicaciter et per certitudinem cognoscit suum objectum; sed habet illum pejorem multis aliis animalibus. Cujus ratio est, quia cum instrumentum sensus debeat esse proportionatum suo sensibili, sicut odor causatur ex calido et sicco, ita ad bonitatem instrumenti odoratus exigitur victoria calidi et sicci. Homo autem habet cerebrum, in cujus vicino positum est instrumentum olfactus, majus omnibus aliis animalibus secundum proportionem sui corporis, ut Philosophus dicit 2. *de Part. Animal.* (c. 7). Unde cum cerebrum sit humidum et frigidum in se consideratum, impeditur in homine bonitas olfactus; et propter hoc prave odorat homo, et nihil odorabilium percipit nisi quod est secundum quandam excellentiam inducens delectationem vel contrarium, quod contingit propter sensum, qui non est perspicax ad certitudinaliter sciendum de suo objecto. Unde rationabile est, quod

hominum genus sic se habeat ad percipiendos odores, sicut se habent animalia habentia duros oculos (ut locustæ et quidam pisces) ad percipiendos colores, quos propter debilitatem visus ex ineptitudine organi non percipiunt nisi in quadam excellentia, prout ex eis ingeritur illis aliquis terror vel ejus contrarium. Unde fit, ut sicut hujusmodi animalia non habent organum visus temperatum ad pondus, sed valde remotum ab illa temperie, quæ requiritur ad organum visus; ita et homines non habeant illam temperiem, quæ requiritur ad optimum sensum olfactus, quia nimirum habent organum magis humidum quam siccum, cum tamen illud habere deberent magis siccum juxta proportionem calidi et sicci, ex quibus causatur odor. — 3. *Sent.* dist. 16, q. 1, a. 1, ad 4; 2. *de Generat.* l. 8; 2. *de Anima* l. 19.

IN LIBRUM SECUNDUM

DE GENERATIONE ET CORRUPTIONE

Post considerationem de generatione et corruptione in communi sequitur considerandum de generatione et corruptione corporum naturalium in particulari; et *primum* quidem de generatione elementorum, quia omnes substantiæ, quæ generantur et corrumpuntur, non sunt sine istis sensibilibus corporibus; *deinde* de generatione aliorum corporum naturalium. De elementis autem primum agemus *in communi,* deinde *in particulari.* Quinque autem considerabimus de elementis in communi: numerum, quidditatem, quantitatem, qualitates, et mutuam illorum generationem et corruptionem. — 2. *de Generat.* l. 1.

QUÆST. XLIII — PARS PRIOR

DE NUMERO ELEMENTORUM.

CIRCA PRIMUM QUÆRITUR:

Utrum elementa sint quatuor.

ARTICULUS

UTRUM ELEMENTA SINT QUATUOR.

Videtur quod elementa sint *plura* quam quatuor.

1. Philosophus enim (1. *de Cœlo text.* 91; c. 8) numerat cœlum inter elementa; sed præter cœlum sunt alia quatuor corpora, quæ dicuntur elementa, nimirum ignis, aer, aqua et terra: ergo elementa sunt plura quam quatuor. — 1. *de Cœlo* l. 18.

2. Præterea, tot sunt elementa, quot conjugationes quatuor primarum qualitatum ut dicitur 2. *de Generat.* (*text.* 16; c. 3); sed sex sunt combinationes possibiles. Cum enim in eodem subjecto possint esse duo contraria remissa (ut dictum est supra q. 36, a. 8), dabuntur hæ duæ conjugationes calidi et frigidi et humidi et sicci, præter alias quatuor: calidi et sicci, calidi et humidi, frigidi et sicci, frigidi et humidi. — 2. *de Generat.* l. 3.

3. Præterea, numerus elementorum dignoscitur ex motibus simplicibus, ut patet ex Philosopho 1. *de Cœlo* (a *text.* 8; c. 2); sed isti motus simplices sunt plures quam quatuor (sicut enim motus simplices sunt motus sursum et deorsum, ita et motus qui dextrorsum vel sinistrorsum et qui ante et qui retro): sunt ergo elementa plura quam quatuor. — 1. *de Cœlo* l. 4.

Videtur quod elementa sint *pauciora* quam quatuor.

4. Dicit enim Philosophus (1. *de Cœlo text.* 91; c. 8), quod tria sunt elementa corporea; ergo sunt pauciora quam quatuor. — 1. *de Cœlo* l. 18.

5. Præterea, ex numero locorum colligit Philosophus numerum elementorum 1. *de Cœlo* (*text.* cit.); sed duo tantum sunt loca, ut dicitur *ibidem* et 2. *de Generat.* (*text.* 22; c. 3), sursum et deorsum; nam locus circa medium convenit corpori cœlesti: ergo idem quod prius. — *Ibid.* et 2. *de Generat* l. 3.

6. Præterea, non datur elementum ignis. Neque enim hujusmodi elementum est *vel* ignis noster existens in his inferioribus, *vel* corpus existens in concavo lunæ. Non ignis noster, quia est mixtum, ut dicit Philosophus (2. *de Generat. text.* 20; c. 3). Neque ille

ni existere dicitur in concavo lunæ: — *primo,* nia ille non est elementum, ut dicit Philo-ophus 1. *Meteorol.* c. 4 (3); — *secundo,* quia eberet ad mixtionem concurrere; sunt enim ementa principia mixtorum; præterea de-eret lucere (nam habet ignis in sua natu-a lumen), et deberet esse activior ceteris ementis, quia quanto plus habent elementa e specie, ut habet ignis, tanto plus habent e virtute agendi; et quia elementa quanto unt subtiliora, tanto majora sunt secundum uantitatem, quæ juvat ad agendum, nam n majore quantitate est major virtus, ut icitur 8. *Phys.* (*text.* 80 et 81; c. 10). Sed ihil prædictorum illi igni convenit. Non uidem *primum,* quia violenter e cœlo re-ederet (ut dictum est supra q. 42, a. 1) d mixta in terra producenda, cum ibi na-uraliter maneat; neque *secundum,* quia ideretur a nobis, cum objectum visus sit ucidum; neque *tertium,* quia, cum quanti-ate superet aliqua elementa, sua activitate la consumeret. Ergo non datur ignis, qui it elementum; et ita erunt pauciora. — . *de Generat.* l. 3; 1. *Meteorol.* l. 4; 1. *de Generat.* l. 1; *Opusc.* 51; *Tabula Aurea* oce «elementum» n. 20, 21.

7. Præterea, elementa sunt loca natura-a mixtorum, ut patet ex Philosopho 2. *e Generat.* (*text.* 49; c. 8), et ita in eis liqua animalia vivunt; sed in igne non po-est aliquod animal vivere, sicut neque ge-erari, ut dicitur 2. *de Generat.* (*text.* 21; . 3): ergo ignis non est elementum. — 2. *e Generat.* l. 8 et 3.

8. Præterea, nullum elementum habet porem. Sapor enim est passio mixtorum, um causetur ex actione primariarum qua-tatum: sicut et odor, et durum et molle et ia, quæ determinantur in 4. *Meteorol.* c. 5 4); sed aqua est sapida, sentitur enim dulcis el amara, ut dicit Philosophus (2. *de Ani-a text.* 101; c. 10): ergo non datur ele-entum aquæ. — 2. *Sent.* dist. 18, q. 2, 3, ad 2; 4. *Meteorol.* l. 7; 2. *de Anima* l. 21.

9. Præterea, tot sunt elementa, quot prin-pia motiva; hæc enim sunt differentiæ ementorum, ut dicit Philosophus (4. *de œlo text.* 26; c. 4); sed principia motiva sunt duo tantum, gravitas et levitas, ex eodem (*ibidem text.* 35 et 36; c. 4 et 5): ergo elementa sunt pauciora quam quatuor. — 4. *de Cœlo* l. 3, 4, 5.

10. Præterea, dicit Philosophus (2. *de Generat. text.* 35; c. 5), quod ignis, aer, aqua et terra ad invicem transmutantur, quia differunt in albedine et nigredine, quæ sunt contraria; contraria autem ad invicem transmutantur; sed albedo et nigredo non conveniunt corporibus simplicibus, sed mixtis: ergo non dantur ulla corpora simplicia, quæ sint elementa. — 2. *de Generat.* l. 6.

Sed contra: Philosophus 2. *de Generat.* (*text.* 16; c. 3), 1. *de Cœlo* (a *text.* 23; c. 3), 3. *de Cœlo* (*text.* 42; c. 5) et 4. *de Cœlo* (*text.* 27 et 36; c. 4 et 5) docet, elementa quatuor esse nec plura nec pauciora. — 2. *de Generat.* l. 3; 1. *de Cœlo* l. 8; 3. *de Cœlo* l. 9; 4. *de Cœlo* l. 3.

Respondeo dicendum, quod elementa sunt tantum quatuor. Quod potest esse manifestum ex quatuor: — et *primo,* ex possibili combinatione quatuor qualitatum. Cum enim sensu ipso pateat, dari quatuor qualitates tangibiles, puta calorem, frigus, humorem et siccitatem; et hæ tantum sint qualitates primæ (quia ad has reducuntur omnes aliæ), et sint activæ et passivæ, ut patet ex earum definitionibus, ut docet Philosophus (2. *de Generat.* a *text.* 8; c. 2); oportet illas esse principia primorum corporum, scilicet elementorum. Quot ergo modis possibiles erunt combinationes prædictarum qualitatum, tot erunt elementa; in unoquoque enim elemento duas qualitates inesse, sensu ipso manifestum est. Ex sex autem combinationibus (calido frigido, humido sicco, calido sicco, calido humido, frigido sicco, frigido humido) duæ primæ naturaliter impossibiles sunt; contraria enim in eodem subjecto esse naturaliter impossibile est. *Vel* enim ambæ qualitates erunt in summo gradu et intenso; *vel* una in gradu intenso et altera in remisso; *vel* utraque in remisso. *Primum* dici non potest, nec similiter *secundum,* quia sic excederetur latitudo subjecti, quæ cujusque contrarietatis octo tantum gradus recipere potest, ut

patet experientia; quantum enim caloris recipit aqua ab igne, tantum frigoris deperdit, quia unum contrarium expellit alterum formaliter a subjecto, ut dictum est (supra q. 36, a. 8); unde contraria tantum in gradu remisso possunt esse in eodem subjecto, ut dictum est cum communi Philosophorum sententia. Neque *tertium*, quia cum qualitates activæ et passivæ sint per se elementorum accidentia, oportet quod a principiis essentialibus causentur; unde non potest esse, quod principiis essentialibus manentibus in elementis qualitates deficiant et sint remissæ nisi per violentiam, quod non potest esse diuturnum. — Reliquæ vero quatuor combinationes sunt naturaliter possibiles, ut patet ex his, quæ apparent in simplicibus corporibus, scilicet in igne, aere, aqua et terra. Ignis enim calidus est et siccus, et ita constituitur per tertiam combinationem; aer calidus et humidus per quartam; aqua frigida et humida per quintam; terra frigida et sicca per sextam. — 2. *de Generat.* l. 2 et 5; *de Pot.* q. 5, a. 7, c.

Secundo, ex mixtorum compositione et resolutione. Cum enim elementa sint principia componentia et constitutiva mixtorum, tot sunt elementa, quot necesse est ad perfectam mixtorum generationem *concurrere*, et in quot mixta per corruptionem *resolvuntur* (quod enim est ultimum in resolutione, est primum in compositione). Omnia vero mixta perfecta, ut dictum est (supra q. 42, a. 3), sunt *composita* ex quatuor corporibus simplicibus, puta ex igne, aere, aqua, terra; debent enim esse terra et aqua, quia hæc duo dant corpulentiam, continuitatem et consistentiam mixtis, et ex his fit incrassatio; debent præterea esse alia duo, ignis et aer, quia omne contrarium alteratur a suo contrario, et quia, nisi refrangerentur ab illis, in omni mixto prædominarentur terra et aqua, cum tamen in multis prædominentur aer et ignis. — Similiter et in hæc quatuor corpora mixtum *resolvitur*, cum resolvatur in ea, quæ maxime similia sunt prædictis elementis, in quæ deinde illa ultimo resolvuntur. — 5. *Metaphys.* l. 4 (3); 2. *de Generat.* l. 8.

Tertio, ex qualitatibus motivis. Nam hæ sunt quatuor: quædam enim moventur sursum simpliciter, ut ignis; quædam vero deorsum simpliciter, ut terra; quædam vero sursum secundum quid, ut aer; quædam deorsum secundum quid, ut aqua. Quorum qualitates non sunt compositæ ex gravitate et levitate simpliciter, quia tunc oporteret, quod ipsa essent corpora composita ex duobus extremis, et sic essent mixta, et non corpora simplicia; unde sequeretur, quod velocius moveretur deorsum multum aeris, quam parum aquæ, et ita incideremus in opinionem Parmenidis asserentis duo tantum elementa esse, ignem scilicet et terram; aerem enim et aquam dicit esse mixta ex extremis; quem confutat Philosophus 2. *de Generat* (*text.* 18; c. 3). — 4. *de Cœlo* l. 3; 2. *de Generat.* l. 3.

Postremo patet sensu, dari aquam et terram; locus autem medius inter cœlum et globum terræ non potest repleri solo aere, quia sine proportione superaret alia duo elementa, ut docet Philosophus (1. *Meteorol.* c. 3). — Unde manifestum, est, quod elementa nec sunt plura nec pauciora quam quatuor. — 1. *Meteor.* l. 3.

Ad primum ergo dicendum, quod Philosophus cœlum inter elementa computavit, cum tamen elementum sit « ex quo componitur res », ut dicitur 5. *Metaphys.* (*text.* 4, l. 4, c. 3); quia licet cœlum non veniat in compositionem corporis mixti, venit tamen in compositionem totius universi quasi quædam pars ejus. — 1. *de Cœlo* l. 18.

Vel dic, quod Philosophus elementa large nominat quæcumque simplicia corpora, quæ quidem vocat *corporalia elementa*, ad differentiam materiæ primæ, quæ est elementum non tamen corporale, sed absque omni forma, prout in se consideratur. — *Ibid.*

Ad secundum dicendum, quod tantum quatuor sunt possibiles combinationes quatuor qualitatum, ut dictum est.

Ad tertium dicendum, quod cum corpora simplicia sint essentiales et primæ partes universi, oportet quod motus simplices qui sunt naturales corporibus simplicibus attendantur secundum conditionem univer

si; quod cum sit sphæricum, oportet quod motus ejus attendatur per comparationem ad medium, quod est immobile, quia omnis motus fundatur supra aliquod immobile, ut dicitur in lib. *de Motu Animalium*. Et ideo oportet esse solum tres motus simplices, secundum diversas habitudines ad medium, eum scilicet qui est *a* medio, et eum qui est *ad* medium, et eum qui est *circa* medium. Dextrum autem et sinistrum, aut ante et retro considerantur in animalibus, et non in toto universo, nisi secundum quod ponuntur in cœlo, ut dicitur 2. *de Cœlo* (*text.* 7; c. 2); et secundum hoc motus circularis cœli est secundum dextrum et sinistrum, ante et retro. — 1. *de Cœlo* l. 4.

Ad quartum dicendum, quod Philosophus . c. tria elementa numerat, puta cœlum, erram, et quod intermedium est, de quo lamquam de uno elemento loquitur; quamquam statim subdit (indicans, hoc intermedium esse dividendum in tria elementa: in ignem, aerem et aquam), quod posterius id est in 3. et 4. *de Cœlo*) dicetur, quæ sunt differentiæ istius medii; dividitur enim n ignem, aerem et aquam, quæ levis est ıer respectum ad terram. — 1. *de Cœlo* . 18.

Ad quintum dicendum, quod locus *a medio* duplex est, sicut et locus *ad medium*, ıt patet ex Philosopho (3. et 4. *de Cœlo*). — 2. *de Generat.* l. 3.

Ad sextum dicendum primo, dari elementum ignis in mundo. Quod multipliciter probari potest: et *primo* quidem, quia si unum contrarium est in natura, ut dicitur 2. *de Cœlo* (*text.* 18; c. 3), debet dari et aliud, si præsertim illud est activum et passivum; latur autem elementum frigidum et humidum, quod est aqua: ergo et debet dari elementum calidum et siccum, quod est ignis. *Secundo,* similiter datur corpus gravissimum, quod est terra; ergo et dabitur corpus levissimum, quod est ignis, ut dicitur 2. *de Cœlo* (*text.* 18; c. 3). *Tertio,* combinatio calidi et sicci est possibilis, ut dictum est (supra in c.); sed ista combinatio non potest convenire nisi igni, ut etiam patet. *Quarto,* datur motus simpliciter sursum, ut probat Philosophus (1., 3. et 4. *de Cœlo*); ergo dabitur corpus levissimum, quod tali motu movetur, quod vocamus ignem. — 2. *de Cœlo* l. 4; 1. *de Cœlo* l. 18; 3. *de Cœlo* l. 9; 4. *de Cœlo* l. 3.

Dicendum secundo, quod elementum ignis est tam noster ignis quam qui existit in concavo lunæ. — De *nostro igne* probatur, quia neque est mixtum ex quatuor elementis neque unum ex tribus; ergo est quartum elementum. Antecedens probatur, quia habet conditiones contrarias aliis elementis: habet enim calorem et siccitatem in summo; est enim hic noster ignis omnium calidorum calidissimus, ut dicitur 2. *Metaphys.* (*text.* 4; l. 1 min., c. 1). Præterea est siccior quam terra. Duæ enim sunt causæ siccitatis: una est frigus condensans et comprimens humidum; alia causa est caliditas consumens humidum; manifestum est autem, quod noster ignis est calidissimus omnium calidorum, ut dictum est, et quod est potentior ejus caliditas ad consumendum humidum quam terræ frigiditas: quare debet et esse siccior quam terra. — Mixtum autem habet qualitates quatuor elementorum refractas; fit enim per mixtionem, quæ est elementorum secundum qualitates alteratorum unio, ut dictum est (supra q. 42, a. 2, 3, 4). Præterea, flamma est maxime ignis, ut dicitur 2. *de Generat. text.* 27; c. 4 (ignis enim oritur ex aere et terra, quando nimirum aeris humiditas et terræ frigiditas corrumpuntur, et remanent caliditas aeris et siccitas terræ; eodem autem modo generatur flamma: est enim flamma fumus ardens, fumus autem est ex terra et aere); item flamma movetur supra aerem licet calidissimum et purissimum, ut est in æstate; ergo habet levitatem majorem quam habeat aer; levitas autem ista est levitas simpliciter, quæ nulli mixto convenit ut sic (cum omne mixtum moveatur motu prædominantis elementi, ut dicitur 1. *de Cœlo text.* 7; c. 2), sed soli elemento, ut dicitur in 3. et 4. *de Cœlo;* ergo. — 2. *de Generat.* l. 3 et 4.

De *igne* vero existente *in concavo lunæ,* quod etiam ille sit elementum ignis, proba-

tur, quia est calidissimus, levissimus et siccissimus, ut probat Philosophus (1. *Meteor.* c. 3, al. 4, et 3. *de Cœlo* a *text.* 42; c. 5). Et probatur, quia corpus naturale quodlibet movetur ad suum locum, et ibi naturaliter quiescit; sicut et e contra, in quo loco naturaliter quiescit, ad illum naturaliter fertur, ut dicitur 1. *de Cœlo* (*text.* 76; c. 8); flamma autem et exhalatio calida et sicca naturaliter movetur ad concavum lunæ supra aerem, ut patet in impressionibus ignitis et cometis; cujus autem motus et locus est, illius est et forma, quam motus et locus sequuntur; ergo est ignis (corpus enim calidissimum, siccissimum et levissimum vocamus elementum ignis). — 1. *de Cœlo* l. 16; 2. *de Generat.* l. 1.

Et ex his patet *ad objectionem*. Nam ignis noster vere secundum suam speciem est ignis elementum, licet sit in aliena materia, ratione cujus venit in usum nostrum (in quem venire non posset in materia propria existens, quia est a nobis valde remotus); et in particulari flamma maxime ignis vocatur a Philosopho (ll. cit. supra). Unde cum alibi ab eodem dicitur mixtus, id dicitur secundum opinionem Empedoclis; et quia est in aliena materia, ratione cujus dividitur ignis in tres species: in *lucem* seu ignem existentem in materia propria, seu in ignem existentem in concavo lunæ; in *flammam*, id est in ignem existentem in humido aereo; et *carbonem*, id est in ignem existentem in sicco terrestri; qui tamen ignes omnes sunt ejusdem speciei, cum omnes habeant caliditatem et siccitatem in summo. — Ceterum ignis in concavo lunæ existens concurrit ad mixtionem naturaliter et non violenter (ut dictum est supra q. 42, a. 1). Propterea vero ibi non lucet (sicut nec quando est in aliqua materia aliena, ut cum est in materia opaca terrestri, ut in sulfure; similiter etiam quando ex aliquo fumo crasso ejus claritas offuscatur), quia lucere non convenit igni secundum quemlibet modum existendi, sed quando ita existit in corpore, ut in eo sit congregatio partium diaphani; tunc enim emittit radios, et lucet, ut dicunt Avicenna (6. *Natural.* p. 3, c. 1, 3, 4 et 5) et Commentator (*de Substantia Orbis* c. 2). Propterea vero ignis prædictus, licet sit activior ceteris elementis, illa non corrumpet, quia — cum ita sint contraria elementa in mundo sicut contrariæ qualitates in mixto — sicut hæ in mixto regulantur et conservantur, ne se invicem corrumpant per formam substantialem (quæ est impressio corporis cœlestis), ita contraria elementa non se invicem corrumpunt, nec consequenter ignis existens in concavo lunæ corrumpit reliqua tria elementa, quia conservatur per virtutem corporis cœlestis, a quo actiones eorum regulantur. — 4. *Sent.* dist. 47, q. 2, a. 1, sol. 2 et ad 1; *Tabula Aurea* voce « ignis » n. 2 et 5; *de Malo* q. 5, a. 5, ad 6, 12 et 13.

Ad septimum dicendum, quod omnia mixta naturalia quiescunt in terra. Cujus signum est, quod omnia mixta sunt composita ex terra, ut dicit Philosophus (2. *de Generat. text.* 49; c. 8). Et ideo, si quæ sunt in igne vel aere, sunt mixta imperfecta, quæ non distinguuntur essentialiter ab elementis, ut de vapore et aqua dicit Philosophus 1. *Meteorol.* c. 4 (3). — 2. *de Generat.* l. 8.

Ad octavum dicendum, quod aqua non est sapida ex se, sed fit talis a corpore saporoso; non tamen sic intense, sicut est ipsum corpus; nam debilitatur sapor per admixtionem aquæ. — 2. *de Anima* l. 21.

Ad nonum dicendum, quod qualitates motivæ sunt quatuor; nam alia est levitas simpliciter, alia secundum quid, et similiter dicitur de gravitate; ut probat Philosophus 4. *de Cœlo* (*text.* 26; c. 4). — 4. *de Cœlo* l. 3.

Ad decimum dicendum, quod albedo et nigredo non sunt propriæ qualitates elementorum, sed utitur illis Aristoteles gratia exempli. Parum enim curavit de exemplis. Unde dicit Commentator (2. *de Anima text.* 67), quod in exemplo non intenditur verificatio, sed tantum manifestatio. — 2. *de Generat.* l. 6.

QUÆST. XLIII — PARS ALTERA

DE QUIDDITATE ELEMENTORUM.

Deinde considerandum est de quidditate seu essentia elementorum.

CIRCA QUAM QUÆRUNTUR DUO:

1. Utrum recte sit assignata definitio elementi.
2. Utrum qualitates sive activæ sive motivæ sint formæ substantiales elementorum.

ARTICULUS I

UTRUM RECTE SIT ASSIGNATA DEFINITIO ELEMENTI.

Videtur quod non sit recte assignata definitio elementi, quod sit « id ex quo aliquid componitur primo inexistente, indivisibili specie in aliam speciem ».

1. Cœlum enim inter elementa numeratur a Philosopho 1. *de Cœlo* (*text.* 91; c. 8); sed cœlum non inexistit ulli rei, ut patet: ergo male definitur elementum « ex quo inexistente aliquid componitur ». — 1. *de Cœlo* l. 18.

2. Præterea, simplicia corpora maxime dicuntur elementa, ut patet ex Philosopho 3. *de Cœlo* (*text.* 31; c. 3); sed ex illis non componitur res primo, quia illa sunt resolubilia in materiam et formam, ex quibus constant, cum sint corpora naturalia, ut patet ex 3. *de Cœlo* (*text.* 1; c. 1): ergo male definitur elementum, quod sit ex quo primo inexistenti. — 3. *de Cœlo* l. 8 et 1.

3. Præterea, dicit Philosophus (12. *Metaphys. text.* 23; c. 2), quod, quia præter causas intrinsecas sunt etiam aliæ extrinsecæ, ideo principium et elementum inter se differunt; quod principium proprie dicitur de causa efficiente extrinseca rei, elementum vero dicitur de causis intrinsecis; et hæ sunt materia et forma, ut patet ex eodem, 2. *Phys.* (*text.* 12 sqq.; c. 1), quæ non sunt species, sed principia speciei, ut dictum est (in Logica q. 3, a. 2, c.; a. 4, c.): ergo male definitur elementum « quod sit indivisibile specie in aliam speciem ». — 12. *Metaphys.* l. 4 (3).

4. Præterea, Philosophus 3. *Metaphys.* (*text.* 10; l. 2, c. 2) vocat genera elementa; sed genera non insunt rebus illas componentia tamquam partes (nam ut dicitur *ibidem*, non est eadem ratio definitiva, quæ datur per genera, et quæ datur per partes, ex quibus aliquid componitur): ergo elementum male definitur, quod sit « id ex quo inexistente ». — 3. *Metaphys.* l. 8.

Sed contra: Philosophus 5. *Metaphys.* (*text.* 4; l. 4, c. 3) definit elementum, quod sit « id ex quo aliquid componitur primo inexistente, indivisibili specie in aliam speciem »; et 3. *de Cœlo* (*text.* 31; c. 3) definit idem, quod sit « id corporeum, in quod alia dividuntur, quod inest potentia auactu, ipsum autem est indivisibile in divertsa specie ». — 5. *Metaphys.* l. 4 (3); 3. *de Cœlo* l. 8.

Respondeo dicendum, quod *elementum* dupliciter sumi potest: — *uno modo, proprie.* Et sic de ratione ejus sunt quatuor: *primum* est, ut sit « causa sicut ex quo »; per quod patet, quod elementum ponitur in genere causæ materialis. *Secundum* est, quod sit « principium ex quo » aliquid fiat « primo »; cuprum enim est ex quo fit statua, non tamen est elementum, quia habet aliquam aliam materiam, ex qua fit. *Tertium* est, quod sit « intrinsecum et inexistens »; per quod differt elementum ab omni eo, ex quo fit aliquid sicut ex transeunte, sive sit privatio sive contrarium sive materia privationi et contrarietati subjecta, quæ est materia transiens (ut cum dicimus, quod homo musicus fit ex homine non musico, vel musicum ex non musico); elementa enim oportet manere in his, quorum sunt elementa. *Quartum* est, quod habeat « aliquam speciem, quæ non dividitur in diversas species »; per quod differt elementum a materia prima, quæ nullam speciem habet, et ab omnibus materiis, quæ in diversas species resolvi possunt, sicut san-

guis et hujusmodi. — Et hæc quatuor designantur in descriptione elementi a Philosopho allata. Cum enim dicitur, quod elementum est « *ex quo* » aliquid componitur, designatur primum requisitum ad rationem elementi; cum dicitur « primo », designatur secundum; cum additur « inexistente », designatur tertium; cum demum additur « indivisibili specie in aliam speciem », designatur quartum. — 5. *Metaphys.* l. 4.

Quæ quatuor esse de ratione elementi, ex hoc patet, quod in quatuor utimur nomine elementi, quibus prædicta quatuor conveniunt. Dicimus enim, *primo, ipsas litteras* esse elementa vocis, quia ex eis omnis vox componitur primo: quod ex hoc patet, quia omnes voces in litteras resolvuntur sicut in ultima (quod enim est ultimum in resolutione, est primum in compositione; litteræ autem ulterius non resolvuntur in alias voces specie diversas. — *Secundo, prima quatuor corpora* dicimus elementa; et merito: quia illa dicuntur esse corporum elementa, in quæ ultimo resolvuntur omnia corpora mixta, et per consequens ea sunt, ex quibus primo componuntur hujusmodi corpora; ipsa autem corpora, quæ elementa dicuntur, non dividuntur in alia corpora specie differentia, sed in partes consimiles, sicut quælibet pars aquæ est aqua. — *Tertio,* utimur nomine elementi in *demonstrationibus* omnibus; illæ enim demonstrationes, quæ constant ex tribus terminis tantum, dicuntur esse elementa aliarum; nam ex his componuntur aliæ demonstrationes, et in ea resolvuntur. Secunda enim demonstratio accipit pro principio conclusionem primæ demonstrationis; — inter cujus terminos intelligitur medium, quod fuit primæ demonstrationis principium; et sic secunda demonstratio erit ex quatuor terminis (prima ex tribus tantum), tertia vero ex quinque, quarta ex sex; et sic quælibet demonstratio unum terminum includit, et primæ demonstrationes in postremis includuntur. — *Postremo,* transumptive nomen elementi usurpatur ad aliquibus etiam ad significandum aliquid, quod est *unum et parvum et ad multa utile.* Ex hoc enim quod elementum est indivisibile in diversas species, acceperunt quod sit unum; ex eo vero quod est primum, acceperunt quod sit simplex; ex eo vero quod ex elementis alia componuntur, acceperunt quod sit utile ad multa. — Unde dixerunt elementi nomen competere maxime *universalibus* (nam universale est unum secundum rationem; et est simplex, quia ejus definitio non componitur ex diversis; et est in multis et sic est ad multa utile, sive sit in omnibus, sicut unum et ens, sive in pluribus, sicut alia genera); et similiter *puncto* et *unitati,* quia utrumque eorum est unum simplex, et ad multa utile. Sed in hoc decepti sunt; nam de ratione elementi est, quod sit materia ejus, quod ex illo componitur; at nec universalia sunt materia, ex quibus componuntur particularia, sed prædicant eorum substantiam; nec punctus est materia linearum, nam linea non componitur ex punctis.

Alio modo potest sumi elementum *improprie,* pro eo cui aliqua prædictarum conditionum quomodocunque, licet non omnes, conveniunt. Et hoc modo sumitur aliquando pro *sola materia,* quia ex illa primo componuntur corpora omnia, et in illam ultimo resolvuntur; — et hoc modo sumitur a Philosopho 7. *Metaphys. text.* ult. (l. 6, c. 17), ubi negat formam seu naturam esse elementum; secus vero id quod habet rationem materiæ. (7. *Metaphys.* l. ult.). — Aliquando vero sumitur pro *generibus,* quæ dicuntur elementa specierum, quia genera non habent rationes divisibiles in alias (nam genus non componitur ex genere et differentia sicut species); — et hoc modo sumitur a Philosopho elementum 3. *Metaphys. text.* 10; l. 2, c. 2. (3. *Metaphys.* l. 8.) — Postremo sumitur aliquando pro *cœlo,* quia cœlum venit in compositionem universi, quasi pars quædam ipsius.

Unde sequitur, quod elementum ejusque definitio proprie tantum corporibus simplicibus competit; secus vero aliis, et in particulari materiæ primæ. Nam licet hæc possit dici elementum simpliciter; non tamen est elementum corporale, cujusmodi est elementum proprie dictum, quod proinde

Philosopho 3. *de Cœlo* (*text.* 31 ; c. 3) definitur, quod sit « id corporeum, in quod alia dividuntur, quod inest potentia aut actu » ; nam materia secundum se considerata est absque omni forma. — 3. *de Cœlo* l. 8 ; 1. *de Cœlo* l. 18.

Et ex his patet *ad objecta*.

ARTICULUS II

UTRUM QUALITATES SIVE ACTIVÆ SIVE MOTIVÆ ELEMENTORUM SINT FORMÆ SUBSTANTIALES ILLORUM.

Videtur quod qualitates *motivæ* sint formæ substantiales elementorum.

1. Dicit enim Pholosophus (3. *de Cœlo* *text.* 77 ; c. 8), quod propriissimæ differentiæ elementorum sunt virtutes eorum, puta gravitas et levitas, ut patet ex 4. *de Cœlo* *text.* 1 sqq.) ; sed propriissimæ differentiæ maxime sumuntur a forma substantiali, ut dictum est (in Logica q. 3, a. 4, c.) : ergo qualitates motivæ sunt formæ substantiales elementorum. — 3. *de Cœlo* l. ult. ; 4. *de Cœlo* l. 1.

2. Præterea, cuilibet corpori debetur locus secundum exigentiam suæ formæ ; sed cuilibet elemento convenit locus juxta propriam gravitatem vel levitatem, quam habet : ergo gravitas et levitas sunt formæ substantiales elementorum. — 2. *Sent.* dist. 14, q. un., a. 5, arg. 2.

Videtur quod qualitates *activæ* sint formæ substantiales elementorum.

3. Dicit enim Philosophus (1. *de Generat. text.* 18; c. 3), quod terra et ignis differunt his differentiis, scilicet calido et frigido ; oportet autem hoc intelligi de differentiis substantialibus (alioquin non pertinerent ad generationem et corruptionem, sed magis ad alterationem) ; principia autem differentiarum substantialium, quæ sunt constitutivæ specierum, oportet esse formas substantiales, quæ sunt specificæ ; ergo calor et ignis sunt formæ substantiales ignis et terræ. — 1. *de Generat.* l. 8.

4. Præterea, Philosophus 2. *de Generat.* *text.* 8 ; c. 2) qualitates activas vocat principia formalia elementorum ; sed principium formale compositi substantialis, cujusmodi est corpus elementare, est forma substantialis : ergo qualitates activæ sunt formæ substantiales elementorum. — 2. *de Generat.* l. 2.

5. Præterea, ignis definitur a Philosopho per calorem 2. *de Generat.* (*text.* 21 ; c. 3), ubi dicit, quod ignis est superabundantia caliditatis ; sed definitio datur per essentialia, cum sit oratio explicans *quod quid* seu essentiam rei : ergo calor est de essentia, et per consequens forma substantialis ignis.— 2. *de Generat.* l. 3 ; 8. *Metaphys.* l. 2.

6. Præterea, cum ignis producit ignem, principium talis productionis non est forma accidentalis, quia alioqui forma accidentalis ageret ultra vires ; sed ignis non agit ut ignis, sed ut calidus, sicut et cetera elementa, ut dicit Philosophus *de Sensu et Sensibili* (c. 4.) : ergo calor et reliquæ qualitates activæ sunt formæ substantiales elementorum. — *de Sensu et Sensibili* l. 10.

Sed contra est : 1. quod gravitas et levitas consequuntur calorem et frigus, ut dicitur 1. *de Generat* (*text.* 65 ; c. 8) et 4. *de Cœlo* (*text.* 36 ; c. 5) ; sed forma substantialis est illa, quam consequuntur omnes propriæ passiones rei — unde definitio data per materiam et formam dicitur essentialis, quia includit principia omnium proprietatum rei, ut dictum est (in Logica q. 26, a. 2 et q. 30, a. 2), cum sint causæ intrinsecæ rei — : ergo gravitas et levitas non sunt formæ substantiales elementorum. — 1. *de Generat.* l. 21 et 22 ; 8. *Metaphys.* l. 2.

2. Præterea, 3. *Metaphys.* (*text.* 17 ; l. 2, c. 5) dicit Philosophus, quod in elementis calor et frigus, humor et siccitas non sunt formæ substantiales illorum ; et 1. *de Generat.* (*text.* 84 ; c. 10), quod in mixto non manent elementa secundum formas substantiales, sed virtute — quia salvantur virtutes eorum, puta calor, frigus et reliquæ qualitates, ut dictum est (supra q. 42, a. 2, et 5) — : ergo qualitates activæ non sunt formæ substantiales elementorum. — 3. *Metaphys.* l. 13 ; 1. *de Generat.* l. 24.

RESPONDEO DICENDUM, quod impossibile

est qualitates sive activas sive motivas elementorum esse formas substantiales illorum. Quod probatur, *primo,* quia substantia nec suscipit magis et minus, nec habet contrarium, et propterea ad illam non est motus, ut docet Philosophus 5. *Phys.* (*text.* 10; c. 2); — et si habet contrarium, habet ratione qualitatum, ut dicitur 2. *de Generat.* (*text.* 22 et 49; c. 3 et 8); — sed qualitates elementares suscipiunt magis et minus, et habent contrarium, ut dicit Philosophus 1. *de Generat.* (*text.* 65 et 66; c. 8). — 5. *Phys.* l. 3; 1. *de Generat.* l. 8 et 22; 2. *de Generat.* l. 3 et 8.

Secundo, non est possibile, quod idem in uno sit accidens et in alio forma substantialis, quia quod vere est, nulli accidit, ut dicitur 1. *Phys.* (*text.* 27; c. 3), nisi æquivoce dicatur; calidum autem et frigidum in aliis corporibus sunt accidentia, de quibus tamen univoce dicuntur cum elementis, ex quorum mixtione in eis hujusmodi qualitates inveniuntur: non ergo potest esse, quod calidum et frigidum in elementis sint formæ substantiales.

Tertio, quia nulla forma substantialis est sensu perceptibilis, sed solum intellectu, cujus objectum est *quod quid est,* ut dicitur in 3. *de Anima* (*text.* 9 sqq.; l. 3, c. 4); formæ autem, quæ sunt sensu perceptibiles, sunt qualitates speciei, quæ ob id dicuntur passibiles, quia sensibus inferunt passiones, ut dicitur in *Prædicam.* cap. de qualitate, c. 9 (8): cum igitur calidum ignis, et frigidum terræ vel aquæ sint sensu perceptibilia, non possunt esse formæ substantiales.

Postremo, quia inde sequerentur plura absurda: nimirum ad substantiam esse motum, contra Philosophum 5. *Phys.* (*text.* 10, 11 et 18; c. 2), ex quo tamen (*ibidem*) datur motus ad qualitates activas; — *præterea,* non distingui generationem simpliciter a generatione secundum quid, seu ab alteratione, contra Philosophum 2. *de Generat.* (*text.* 31; c. 5); — *item,* substantiam esse per se sensibilem, contra Philosophum 2. *de Anima* (*text.* 65; c. 6): namcalor et frigus, cum sint qualitates tangibiles, ut dicitur 2. *de Generat.* (*text.* 7 et 8; c. 2), sunt per se sensibiles; — *demum* materiam esse subjectum motus proprie dicti, contra Philosophum 5. *Phys.* (*text.* 8; c. 1.) et 2. *de Generat.* (*text.* 55; c. 9); nam materia est subjectum formæ substantialis, ac proinde esset subjectum caloris et reliquarum qualitatum activarum, et per consequens calefactionis et frigefactionis, quæ tamen sunt motus secundum Philosophum (5. *Phys.* l. c.). — Unde manifestum est impossibile esse, quod qualitates sive activæ sive motivæ sint formæ substantiales elementorum. — 5. *Phys.* l. 2, 3, 4; 2. *de Generat.* l. 2, 5, 9; 2. *de Anima* l. 13. — *de Sensu et Sensibili* l. 10; 2. *Sent.* dist. 14, q. un., a. 5, ad 2.

Ad primum ergo dicendum, quod qualitates motivæ dicuntur propriissimæ differentiæ elementorum, quia cum sint ignotæ formæ substantiales elementorum, per illas optime potest cognosci differentia elementorum, secundum quod determinatur illis situs in universo, nam hic determinatur illis ex gravitate et levitate. — 1. *de Cœlo* in proœmio; 1. *de Generat.* l. 2.

Ad secundum dicendum, quod sicut calor et frigus non sunt formæ substantiales elementorum, ita nec gravitas et levitas, quia non possent esse aliis corporibus accidentales. Unde sicut substantia non est principium alterationis nisi mediante calore vel frigore, ita nec est principium motus et quietis localis nisi mediante gravitate et levitate; et ideo locus debetur elemento primo ratione suæ formæ substantialis, secundario ratione qualitatum. — 2. *Sent.* dist. 14, q. un., a. 5, ad 2.

Ad tertium dicendum, quod (sicut dictum est, et habetur ex 8. *Metaphys.*) differentiæ substantiales, quia sunt ignotæ, per differentias accidentales manifestantur, et ideo multoties utimur differentiis accidentalibus loco substantialium; et hoc modo Philosophus (l. c.) dicit calidum et frigidum esse formas substantiales ignis et terræ. Calidum enim et frigidum, cum sint propriæ passiones horum corporum, sunt proprii effectus formarum substantialium

eorundem; et ideo sicut aliæ causæ intelligibiles innotescunt per effectus sensibiles, ita ex perfectione calidi et imperfectione frigidi perpendimus, quod forma substantialis ignis est perfectior quam forma substantialis terræ. Omnes enim formæ substantiales differunt secundum magis et minus perfectum; unde in 8. *Metaphys.* (*text.* 10; l. 7, c. 3) dicitur, quod species rerum sunt sicut numeri, quorum species variantur secundum additionem et subtractionem. — 1. *de Generat.* l. 8.

Ad quartum dicendum, quod Philosophus l. c. inquirit principia corporum sensibilium, in quantum sensibilia sunt, ut ipse dicit in littera. Si autem dicatur, quod velit inquirere principia formalia substantialia, tunc dicendum est, quod, quia formæ substantiales sunt ignotæ, ut dictum est (quia sunt insensibiles), ideo per istas qualitates, quæ sunt immediata principia transmutationis substantialis, dat intelligere ipsa principia formalia substantialia. — 2. *de Generat.* l. 2.

Ad quintum dicendum, quod Philosophus l. c. non definit ignem, sed tantum explicavit, quid senserit Empedocles de igne nostrate, quidque per illum intellexerit, quod potest esse descriptio. — 2. *de Generat.* l. 3.

Ad sextum dicendum, quod calor et frigus, quatenus instrumenta formarum substantialium, possunt agere ad productionem formæ substantialis, ut dictum est (supra in Physica q. 9, a. 4, in c. et ad 4; cf. in Logica q. 10, a. 3. ad quartam quæst.). — *de Sensu et Sensibili* l. 10.

QUÆSTIO XLIV

DE QUANTITATE ELEMENTORUM.

Deinde considerandum est de quantitate elementorum.

CIRCA QUAM QUÆRITUR :

Utrum elementa habeant terminos magnitudinis et parvitatis.

ARTICULUS

UTRUM ELEMENTA HABEANT TERMINOS MAGNITUDINIS ET PARVITATIS.

Videtur quod non habeant elementa terminos magnitudinis et parvitatis.

1. Dicit enim Philosophus (3. *Phys. text.* 69; c. 7; et 5. *Metaphys. text.* 18; l. 4, c. 13), quod continuum est divisibile in infinitum in partes, quarum quælibet nata est esse hoc aliquid; sed elementum quodlibet est quoddam continuum, cum sit quoddam quantum: ergo elementa non sunt determinata quoad parvitatem. — 3. *Phys.* l. 12; 5. *Metaphys.* l. 15.

2. Præterea, dicit Philosophus (*de Sensu et Sensibili* c. 6), quod oportet qualitates sensibiles in infinitum dividi, alioqui dabitur corpus minimum transcendens divisionem sensibilium qualitatum, nullam habens sensibilem qualitatem; ergo dicendum est, quod elementa, cum sint corpora, sint divisibilia in infinitum, et consequenter non habeant terminum parvitatis. — *de Sensu et Sensibili* l. 15.

3. Præterea, dicit Philosophus (*de Sensu et Sensibili* c. 6), quod si minimum aquæ dividatur, corrumpetur ab ambiente; unde si in vacuo ponatur, ubi non est ambiens, non corrumpetur; ergo tunc poterit aqua dividi in infinitum, et sic non habebit terminum parvitatis. — *Ibid.*

4. Præterea, dicit Philosophus (2. *de Anima text.* 41; c. 4), quod ignis augmentum in infinitum est, quousque fuerit combustibile; ergo ignis non habet terminum magnitudinis; sed eadem est ratio aliorum elementorum: ergo elementa non habent terminum magnitudinis. — 2. *de Anima* l. 8.

5. Præterea, si igni apponatur combustibile, hoc convertetur in illud, et remanebit ignis idem numero, ut dictum est (supra q. 38, a. 4): quia ignis potest nutriri et conservari, nutritur autem et conservatur per continuam appositionem combustibilis: ergo ignis non habet terminum magnitudinis; nam si haberet, non posset nutriri et conservari.

Sed contra est : 1. quod Philosophus li-

bro *de Sensu et Sensibili* (c. 6) dicit, quod datur minimum visibile, ita ut non possit dividi in infinitum, sicut nec ipsum sentire; et quod alioqui si dividatur, resolvetur in continens; sed elementa, præsertim ignis, aqua et terra visibilia sunt: ergo elementa habent terminos magnitudinis et parvitatis. — *de Sensu et Sensibili* l. 15.

2. Præterea, dicit Philosophus 2. *de Anima* (*text*. 41; c. 4), quod omnium natura constantium terminus est et ratio magnitudinis et augmenti; sed elementa constant natura, ut patet ex Philosopho 2. *Phys.* (*text*. 1 et 4; c. 1): ergo elementa habent terminum magnitudinis et parvitatis. — 2. *Phys.* l. 1.

3. Præterea, dicit Philosophus 1. *Phys.* (*text*. 36, c, 4), quod tam animal et planta quam quælibet pars ejus habet determinatam quantitatem quoad magnitudinem et parvitatem, eo quod in corpore naturali invenitur forma naturalis, quæ requirit determinatam quantitatem, sicut et alia accidentia; sed hæc ratio militat in omnibus elementis, nam etiam in illis est forma naturalis: ergo et in illis reperitur determinata quantitas quoad magnitudinem et parvitatem. — 1. *Phys.* l. 9.

Respondeo dicendum, quod necesse est dicere, quod elementa habent terminum magnitudinis et parvitatis. Et ratio hujus est, quia omne corpus naturale habet determinatam formam et speciem, sicut et virtutem. Cum igitur ad formam naturalem substantialem consequantur accidentia, necesse est quod ad determinatam formam consequantur determinata accidentia, inter quæ est quantitas; unde omne corpus naturale habet determinatam quantitatem, et in majus et in minus, et per consequens et quodlibet elementum. — Quod etiam ex eo confirmari potest, quod in qualibet specie est terminus quidam rarefactionis et condensationis, ultra quem species salvari non potest; nam ultima raritas, ad quam materia aliqua quanta determinata potest pervenire est secundum quod stat sub forma ignis, ut docet Commentator 4. *Phys.* (*text*. 72). Unde pugillus aquæ posset tantum rarefieri, quod jam non esset aqua nec vapor, sed aer vel ignis; et pars materiæ sub forma ignis existens non potest amplius rarefieri, ita ut accipiat majorem quantitatem et dimensionem; alioqui esset in potentia ad quamlibet quantitatem imaginabilem, quod est falsum. Cum enim quantitates determinatæ et omnia alia accidentia secundum exigentiam formæ recipiant materiam (eo quod subjecta materia cum forma, est causa eorum quæ insunt, ut dicitur 1. *Phys.* *text*. 80; c. 9); oportet quod materia prima ad nullam quantitatem sit in potentia, nisi quæ competat formæ naturali, quæ in materia esse potest. Materia vero prima non est in potentia ad alias formas, nisi ad illas, quæ sunt in rerum natura, vel per principia naturalia educi possunt. Si enim esset aliqua potentia passiva in materia, cui non responderet aliqua potentia activa in rerum natura, illa potentia passiva esset superflua, ut dicit Commentator 1. *Phys.* (*text*. 81).

Et ideo materia prima *secundum se accepta* non est receptibilis majoris quantitatis quam quantitatis mundi; propter quod 3. *Phys.* (*text*. 69; c. 7) dicitur, quod non est possibile magnitudinem augeri in infinitum, loquendo naturaliter. Materia vero ut est *in re determinata* (puta in pugillo aeris vel aquæ), non est in potentia ad totam quantitatem mundi, sed usque ad determinatum quid, quantum per rarefactionem potest consequi. Et hoc non excedit raritatem ignis (quia nulla raritas potest esse major); et ideo materia pugilli aeris in ordine ad formam ignis habet determinatum terminum magnitudinis. Est enim *raritas* vel parum de materia sub magnis dimensionibus, et *densitas* e contra; vel certe est qualitas connotans multam quantitatem in parva materia, e contra densitas. Et ideo materia sub forma existens est determinata quoad maximum et minimum, quia est determinata ad certam raritatem et densitatem, qua major dari non potest. Unde manifestum est, quod elementa habent terminum magnitudinis et parvitatis. — 1a, q. 7, a. 3, c.; 2. *Sent.* dist. 30, q. 2,

a. 1 et 2; *de Sensu et Sensibili* l. 15; 1. *Phys.* l. 15 et 9; 2. *de Anima* l. 8; *de Pot.* q. 4, a. 1, ad 5; 2. *Sent.* dist. 14, q. 1, a. 1, ad 4; *Opusc.* 42, c. 18 (al. 39, c. 7).

Ad primum ergo dicendum, quod hoc distinguitur corpus *mathematicum* (seu corpus consideratum sub dimensione quantitatis) et *naturale* (seu idem, sed consideratum secundum aliquam determinatam speciem seu formam et virtutem), quod illud est divisibile in infinitum, hoc vero non. Et ratio est, quia in corpore mathematico non consideratur nisi quantitas, in qua nihil invenitur divisioni in infinitum repugnans; sed in corpore naturali consideratur forma naturalis, quæ requirit determinatam quantitatem (sicut et alia accidentia) tam in plus quam in minus. Et ideo non potest in infinitum dividi, sed est invenire minimam carnem et minimam aquam, ut dicitur 1. *Phys.* (*text.* 36; c. 4); quæ si divideretur ulterius, non esset aqua vel caro; et ratio est, quia quando jam ad minimum aqua vel caro deducitur, statim propter debilitatem virtutis convertitur in aliud. — 1. *Phys.* l. 9; 2. *Sent.* dist. 30, q. 2, a. 2, in c.; *de Sensu et Sensibili* l. 15.

Ad secundum dicendum, quod Philosophus (*de Sensu et Sensibili* c. 6) movet quæstionem hanc, utrum qualitates sensibiles, ut color, sapor et hujusmodi, in infinitum dividantur. Et erat ratio dubitandi, quia sunt in corpore tamquam in subjecto; corpus autem omne in infinitum dividitur, cum hoc sit de ratione continui. Et primo argumentatur pro parte *negativa:* quia cum unaquæque prædictarum sensibilium qualitatum sit nata agere in sensum, ipsumque movere; si illæ in infinitum dividerentur, etiam ipse sensus seu ipsum sentire in infinitum divideretur (secundum quod moveri dividitur in infinitum secundum divisionem magnitudinis, secundum quam aliquid movetur); et ita sequeretur, quod sicut id, quod movetur, pertransit quamlibet magnitudinem, ita sentiens sentiret omnem magnitudinem quantumcumque parvam, et sic omnis magnitudo esset sensibilis, quod tamen est inconveniens.

Deinde argumentatur duabus rationibus pro parte *affirmativa*. Quarum *prior* allata est in argumento. *Posteriore* vero solvit quæstionem dicens, quod si spectetur *divisio formalis* sensibilium qualitatum, hæ non possunt dividi in infinitum: quia si est devenire ad ultimum ex parte utriusque extremi, necesse est ea, quæ in medio sunt, esse finita, ut probatum est in 1. *Poster.* (*text.* 34; c. 19); manifestum est autem, quod in quolibet genere sensibilium est quædam contrarietas, quæ est maxima distantia, et ideo contraria oportet esse ultima (sicut in colore album et nigrum, in sapore dulce et amarum, et in aliis similiter): unde relinquitur, quod species mediæ sint finitæ.

Si vero spectetur *divisio quantitativa,* cum hæ qualitates sint in continuo sicut in subjecto (secundum cujus divisionem per accidens dividuntur), sicut in continuo aliud est in actu (sicut pars separata) et aliud in potentia (scilicet pars in continuo existens non separata); ita etiam in his qualitatibus, quæ sunt divisibiles per accidens, pars *separata* est actu existens, unde potest sentiri; pars autem *indivisa* est in potentia, et ideo non sentitur in actu. Et per consequens *partes in potentia* non sunt in infinitum sensibiles, quia licet superveniat visus, tamen aliqua pars ejus minima (puta decima-millesima) latet visum (sicut similiter quamvis totus cantus continuus audiatur, tamen auditum aliquid latet parvum de cantu, puta diesis, quod est minimum in melodia, quasi distantia qædam toni et semitoni; hujusmodi autem distantia media inter ultima latet). Unde non procedit visus usque ad minimas partes, quia sic sentire divideretur in infinitum, quod supra Philosophus dimiserat pro inconvenienti. — Similiter et *partes separatæ* non sunt in infinitum divisibiles et sensibiles: — *tum ex parte ipsarum partium:* quia si partes in parvitate superabundantes separantur a toto, non poterunt permanere propter parvitatem virtutis conservantis, quia virtus corporalis dividitur secundum divisionem magnitudinis, ut pa-

et in 7. *Phys.* (*lect.* 36; c. 5), et ideo minima separata convertuntur in continens, puta aerem vel aquam (sicut patet de aliquo liquore saporoso, qui infunditur mari): — *tum ex parte sensus:* quia quanto virtus sensitiva est excellentior, tanto minorem immutationem organi a sensibili percipit. Manifestum est autem, quod quanto minus est sensibile, tanto majorem immutationem facit organi, et ideo indiget excellenti virtute sensus ad hoc, quod sentiatur in actu. Manifestum est autem, quod potentia sensitiva non crescit in infinitum, sicut nec aliæ virtutes naturales. Unde necesse est quod passibiles qualitates quædam lateant sensum, et per consequens quod actu non sentiantur. — *de Sensu et Sensibili* l. 15.

Ad tertium dicendum, quod sicut dari potest minimum ignis ob rationes dictas, ita et minimum aquæ, et neutrum dividetur in vacuo, quia natura non potest annihilare sicut nec creare; tunc autem annihilaretur, quia tunc non daretur ambiens, in quod minimum aquæ converteretur. — *Opusc.* 42, c. 18 (al. 39, c. 7); *de Pot.* q. 3, a. 4.

Ad quartum dicendum, quod ignis augmentum abit in infinitum, si loquamur de igne uno per aggregationem, secus vero de igne uno per unitatem materiæ et formæ particularis. Cum enim pugillus aeris fit ignis — quia materia aeris, ut dictum est (in c.), habet potentiam ad determinatam quantitatem et raritatem, qualis convenit formæ ignis —, necessario debet dari maximus ignis, ita ut forma ignis adveniens materiæ aeris non nisi tantam magnitudinem requirat. Verum ignis *improprie* nutritur. Nam id *proprie* nutriri dicimus, quod in seipso aliquid recipit ad sui ipsius conservationem. Quod in igne licet videatur accidere, non tamen accidit: quia cum igne accenso aliqua materia combustibilis additur, in illa materia nova combustibili novus ignis generatur, ut dicit Philosophus 2. *Meteorol.* c. 2, et *de Juvent.* c. 3 (5); non autem ita, quod illud combustibile additum cedat in conservationem ignis in alia materia prius accensa; puta, si aliquod lignum de novo igniatur, per hanc ignitionem non conservatur ignitio alterius ligni prius igniti. Totus enim ignis, qui est ex congregatione multorum ignitorum, non est unus simpliciter, sed videtur unus aggregatione, sicut acervus lapidum est unus. Et propter talem unitatem est ibi quædam similitudo nutritionis; quæ proprie tantum animatis convenit, quia per alimentum conservatur vita in illa eadem parte, quæ prius fuit. Unde et proprie sola animata dicuntur augeri, quia quælibet pars eorum nutritur et augetur, quod non convenit rebus inanimatis, ut igni et similibus, quæ videntur per additionem crescere; non enim crescit id, quod fuit prius, sed ex additione alterius constituitur quoddam aliud totum majus. — Ideo ignis ex aggregatione unius potest in infinitum crescere, sicut et acervus lapidum; quia cum igni possit in infinitum combustibile apponi, ex igne præcedente et sequente generato fit major ignis in infinitum. — 2. *de Anima* l. 9.

Ad quintum dicendum, quod ignis præcedens non est idem numero cum igne facto ex lignis appositis et in ignem conversis, sed est distinctus numero, cum ex præcedenti et sequenti fiat alius unus numero per aggregationem, ut dictum est (ad arg. præced.); quamquam similitudo augmenti et nutrimenti præcipue apparet in igne, quia habet plus de forma quam alia elementa, et est potentior in virtute activa. Unde propter hoc, quod manifeste alia in se convertit, videtur nutriri et augeri.

QUÆSTIO XLV

DE QUALITATIBUS ACTIVIS.

Deinde considerandum est de qualitatibus activis.

CIRCA QUAS QUÆRUNTUR OCTO:

1. Utrum calor, frigus, humor et siccitas sint primæ qualitates.

2. Utrum prædictæ qualitates sint positivæ.
3. Utrum qualitates prædictæ sint omnes activæ.
4. Utrum qualitates activæ recte definiantur.
5. Utrum qualitates passivæ recte definiantur.
6. Utrum qualitates primæ sint tantum quatuor.
7. Utrum qualitates symbolæ elementorum sint ejusdem speciei.
8. Utrum elementa habeant utramque qualitatem in summo.

ARTICULUS I

UTRUM CALOR, FRIGUS, HUMOR ET SICCITAS SINT PRIMÆ QUALITATES.

Videtur quod calor, frigus, humor et siccitas non sint qualitates omnium primæ.

1. Dicit enim Philosophus 2. *de Generat. text.* 7; c. 2), quod quia visus est prior tactu, etiam objectum visus est prius objecto tactus; sed prædictæ qualitates pertinent ad objectum tactus, lux vero et calor ad objectum visus, ut dicitur in 2. *de Anima* (*text.* 56; c. 7): ergo qualitates prædictæ non sunt primæ. — 2. *de Generat.* l. 2; 2. *de Anima* l. 14.

2. Præterea, corpus cœleste cum sit simplicius elementis et per consequens illis prius, debent et ejus qualitates esse priores qualitatibus elementaribus; sed prædictæ qualitates sunt elementorum, aliæ vero qualitates (ut figura, diaphaneitas, raritas et densitas) conveniunt etiam cœlo: ergo hæ, non illæ sunt primæ qualitates. — *Opusc.* 2, c. 9 (al. *Opusc.* 1, c. 8); 2. *de Cœlo* l. 14; 2. *de Anima* l. 14 et 15.

3. Præterea, dicit Philosophus (8. *Phys. text.* 55; c. 7), quod omnium passionum principium est densitas et raritas: nam grave et leve, molle et durum, calidum et frigidum videntur esse densitates quædam et raritates; sed illæ qualitates dicuntur primæ, quæ sunt principia aliarum omnium: ergo calor, frigus, humor et siccitas non sunt qualitates primæ. — 8. *Phys.* l. 14.

4. Præterea, dicit Philosophus (8. *Phys. text.* 56 et 57; c. 7; et 2. *de Generat. text.* 5; c. 10), quod motus localis est primus omnium motuum, atque adeo prior alteratione; et ideo principium motus localis erit prius principio motus alterationis; sed principium motus localis est gravitas et levitas, principium vero alterationis sunt dictæ qualitates: ergo. — 8. *Phys.* l. 14; 2. *de Generat.* l. 10.

5. Præterea, Philosophus prius agit de qualitatibus elementorum motivis, quam de activis; nam de illis egit in lib. *de Cœlo;* de his vero in lib. *de Gen. et Corr.*, qui consequuntur libros *de Cœlo;* ergo qualitates motivæ sunt priores activis. — 1. *de Cœlo,* in proœmio; 3. *de Cœlo* l. 1.

6. Præterea, lux stellarum et virtutes illarum causant in inferioribus calorem et frigus: ergo calor et frigus non sunt qualitates omnium primæ. — 2. *de Generat.* l. 2.

7. Præterea, dicit Philosophus (2. *de Cœlo text.* 18; c. 3; et 1. *Phys. text.* 48; c. 5), quod calor est prior frigore; ergo frigus non est qualitas prima. — 2. *de Cœlo* l. 4; 1. *Phys.* l. 10.

8. Præterea, calor et frigus sunt qualitates activæ, humor et siccitas sunt qualitates passivæ; sed qualitates activæ sunt priores passivis, nam activum naturaliter est prius passivo: ergo humor et siccitas non sunt qualitates primæ, cum supponant alias priores. — 1. *Phys.* l. 10.

Sed contra: 1. Philosophus 2. *de Generat.* (*text.* 10; c. 2) dicit, quod qualitates prædictæ sunt omnium primæ. — 2. *de Generat.* l. 2.

2. Præterea, qualitates prædictæ sunt propriæ elementorum, ut dicit Philosophus 2. *de Generat.* (*text.* 16; c. 3): sed elementa, quippe simplicia, sunt inter corpora inferiora omnium prima; ergo et qualitates prædictæ erunt primæ inter qualitates omnes corporibus sublunaribus convenientes. — 2. *de Generat.* l. 3.

Respondeo dicendum, quod calor, frigus, humor et siccitas sunt inter qualitates tangibiles omnium primæ. Cujus ratio est, quia ad illas omnes aliæ reducuntur, nec ipsæ reducuntur ad alias, nec ad se invicem. Et *primum* quidem patet, quia omnes aliæ sunt ex his, ut patet discurrenti per ceteras qualitates: subtile enim et grossum, lubricum et aridum, durum et molle, grave et leve,

et aliæ differentiæ sunt ex prædictis. — *Subtile* enim est ex humido, ut patet ex ejus definitione. Humidum enim est ex eo, quod non bene terminatur termino proprio, sed bene terminatur termino alieno, et ideo bene repletivum est, quia sequitur undique tangens ipsum, eo quod fluit usque ad ipsum tangens. Subtile autem etiam repletivum est, eo quod subtilitate quodlibet minimum subintrat. Unde manifestum est, quod subtile est effectus humidi. Per oppositum autem *grossum* erit effectus sicci : grossum enim est, cujus partes fæculentæ non distinguntur, et excedit capacitatem ejus, quod natum est repleri. Similiter *lubricum* reducitur ad humidum, quia lubricum est humidum aliquid passum : cum enim humidum patitur commixtionem subtilis terrei et est unctuosum, tunc fit lubricum ; quia substantiale terreum sibi commixtum non sinit separari partes ejus (sicut apparet in oleo et aliis unctuosis). *Aridum* autem est, quod est perfecte siccum, non retinens nec subtile terreum nec etiam humidum unctuosum ; et ideo quæ coagulantur, calido primo humiditatem propriam extrahente, postea vero frigido faciente partes constare sibi, coagulantur. — Similiter *molle* est effectus humidi ; molle enim est, quod cedit tangenti ; differt tamen ab humido, quia humidum transmutat tangens, et ideo molle non est humidum, sed est effectus humidi. *Durum* autem reducitur ad siccum, sicut effectus ad suam causam ; durum enim est, quod tangenti non cedit, quia est coagulatum ; coagulatum autem est effectus sicci. — Similiter et *asperum* est effectus sicci, et *lene* humidi. Asperum enim est, quod habet siccitatem in superficie, quæ inæqualiter partes ejus constare facit. Lene autem in superficie habet humorem, qui æqualiter facit fluere partem ad partem. Gravitas vero et levitas consequuntur calorem et frigus, ut dictum est (q. 44, a. 2, in c. et ad 3) ; calor enim attenuat et rarefacit et consequenter facit levitatem ; contra vero frigus.

Quod vero prædictæ qualitates *non reducantur* ad alias (nec in pauciores nec in se invicem), probatur : quia calidum non est siccum, ita quod caliditas sit frigidita quædam vel ejus effectus ; nec frigidita est caliditas vel siccitas vel humiditas quædam ; nec humiditas est caliditas vel frigiditas ; nec frigiditas est siccitas ; nec calidum est frigidum, vel e converso, sicut su causa ; nec etiam frigiditas et caliditas sun sub humido et sicco, vel e converso. — Necesse est igitur has qualitates quatuo esse primas. — 2. *de Generat.* l. 2.

Ad primum ergo dicendum, quod quan vis visus sit uno modo prior tactu, qui forma et dignitate prior est omnibus sen sibus, et ideo objectum visus prius e objecto tactus ; tamen qualitas, quæ e objectum visus, non est corporis tangibili secundum quod est tangibile, etiam si co tingat visum esse secundum naturam pri mum : prior enim forma est et dignitate e et fine omnibus sensibus. Et si est, ut d ctum est, et objectum visus prius est object aliorum sensum : non tamen omne visibile sed solum lumen vel lux, quia per ipsa movet cœlum materiam generabilium corruptibilium ad omnem formam. Tactu autem subjecto prior est, quia substernitu omnibus sensibus, ut patet 2. *de Anim* (*text.* 16, 124 ; c. 2, 12) ; et contrarietate ipsius sunt causæ omnium contrarietatun Et hoc patet, quia non sentimus secundu tactum nisi id, quod excellit secundum qu litates complexionatas medio tactus, qu est caro ; et illæ sunt calidum, frigidun humidum et siccum, quarum nulla est i cœlo : et ideo cœlum secundum natura non est sensibile tactu, sed solum element in quibus sunt quatuor qualitates, ex quibu fit complexio et tactus. — 2. *de Genera* l. 2.

Ad secundum dicendum, quod sermo e de qualitatibus primis corporum *sublunarium,* quæ tantum sunt qualitates tangibile et non omnes, sed aliquæ, puta prædicta ut dictum est (in c.). Figura vero non e qualitas per se tangibilis, cum numeretur Philosopho (2. *de Anima text.* 64 ; c. 6 inter sensibilia communia. Præterea figu non est qualitas activa ; at qualitates prim debent esse activæ, ut dicit Philosoph

(2. *de Generat. text.* 8; c. 2). Raritas autem et densitas sunt æquivoce dicta in cœlo et in corporibus sublunaribus (2. *Sent.* dist. 2, q. 2, a. 2, ad 5); sicut in corporibus cœlestibus non sunt qualitates tangibiles per modum, quo sunt in inferioribus corporibus, sed per modum eminentiorem, sicut in causa activa. Non enim ibi est calidum et frigidum, humidum vel siccum, sed virtus quæ est horum causativa. Et similiter ibi non est grave et leve, sed loco harum est ibi aptitudo ad motum circularem. Ita rarum et densum inveniuntur in corporibus cœlestibus, secundum quod ista sunt spissiora et magis commassata quam sphæræ eorum, non secundum differentiam contrarietatis, sed solum secundum additionem et diminutionem virtutis, et secundum majorem et minorem congregationem partium; cum tamen in inferioribus corporibus rarum et densum sint qualitates, et primæ, se tamen tenentes ex parte materiæ, non autem ex parte formæ. — 2. *de Generat.* l. 2; 2. *de Anima* l. 13; 2. *de Cœlo* l. 10.

Ad tertium dicendum, quod Philosophus ibi loquitur secundum opinionem antiquorum, qui ponebant raritatem et densitatem principia omnium passionum et passibilium qualitatum, eo quod grave et leve, molle et durum, calidum et frigidum videntur consequi rarum et densum, et secundum ea distingui. — 8. *Phys.* l. 14.

Ad quartum dicendum, quod licet in diversis subjectis prior sit motus localis, non tamen in uno et eodem generabili, quia primo res generatur, postea alteratur et augetur, et demum habet motum secundum locum. — *Vel dic,* quod qualitates primæ debent esse activæ et passivæ ad invicem; nam elementa, quorum principia sunt prædictæ qualitates, miscentur et transmutantur ad invicem. At qualitates motivæ non sunt activæ et passivæ, ut patet ex ipsis nominibus; cum enim non sint nomina verbalia, non significant actionem vel passionem. — *Vel dic,* quod gravitas et levitas, quæ sunt qualitates mobilium, non possunt esse qualitates primæ, quia solum ordinantur ad ea, quæ sunt extranea rei, ad motum scilicet localem, per quem non acquiritur rei aliqua forma substantialis. Et ideo necesse est aliquas qualitates præcedere in re, quæ sint instrumenta generantis in acquisitione formæ substantialis. Hanc enim necesse est præcedere omnem motum localem ipsius, quia motus localis requirit quantitatem in mobili, et partem et partem. Forma autem substantialis omnem quantitatem præcedit; actio autem generantis in productione formæ substantialis est alteratio, cujus terminus est spoliatio materiæ a forma priori, et inductio novæ formæ. — 8. *Phys.* l. 14; 2. *de Generat.* l. 10; *Opusc.* 32, c. 1.

Ad quintum dicendum, quod Philosophus prius egit de qualitatibus motivis quam de activis, quia prius egit de elementis secundum quod integrant universum, quam de iisdem secundum quod generantur et corrumpuntur; qualitates autem motivæ sunt illæ, ex quibus determinatur situs in universo, qualitates autem activæ sunt, quibus invicem transmutantur. — V. proœm. in II. *de Cœlo* et in II. *de Generat.*

Ad sextum dicendum, quod qualitates stellarum (puta lux vel aliqua alia virtus earum), licet causarent in istis inferioribus aliquam qualitatem, non tamen ab eis patiuntur, quia earum substantia non communicat in materia cum illis; at vero qualitates primæ debent esse invicem activæ et passivæ, ut dictum est (ad quartum). — 2. *de Generat.* l. 2.

Ad septimum dicendum, quod calor dicitur prior frigore perfectione et dignitate; contraria enim se habent secundum pejus et melius, ut dicitur 1. *Phys.* (*text.* 55; c. 6). — 2. *de Cœlo* l. 4; 1. *Phys.* l. 10 et 11.

Ad octavum dicendum, quod calor, frigus, humor et siccitas dupliciter considerari possunt, vel secundum se vel in ordine ad mixtum; — primo modo omnes sunt qualitates primæ, et omnes sunt activæ et passivæ; secundo modo duæ sunt activæ (calor et frigus) et duæ sunt passivæ (humor et siccitas). — II. citandis in corp. art. 3 sequentis.

ARTICULUS II

UTRUM CALOR, FRIGUS, HUMOR ET SICCITAS SINT QUALITATES POSITIVÆ.

Videtur quod non omnes qualitates prædictæ sint positivæ.

1. Dicit enim Philosophus (1. *de Generat. text.* 18; c. 3; 2. *de Generat. text.* 32; c. 5; et 2. *de Cœlo text.* 18; c. 3), quod calor est prædicatum quoddam et species; sed frigiditas est privatio: ergo non omnes prædictæ qualitates sunt positivæ. — 1. *de Generat.* l. 8; 2. *de Generat.* l. 5; 2. *de Cœlo* l. 4.

2. Præterea, dicit Philosophus (1. *Phys. text.* 55; c. 6), quod contrariorum unum est forma, alterum privatio; sed calidum et frigidum, et similiter humidum et siccum sunt contraria: ergo idem quod prius. — 1. *Phys.* l. 11; 2. *de Cœlo* l. 4.

3. Præterea, dicit Philosophus, quod calor, frigus, humor et siccitas sunt contrariæ differentiæ, quibus inter se elementa differunt, ut dictum est (q. 43, art. unic.); sed contrarietas differentiarum, quæ est in omnibus generibus, attenditur secundum communem radicem contrarietatis, quæ est excellentia et defectus: ergo duæ harum debent dicere excellentiam, et aliæ duæ defectum et per consequens privationem, et sic non erunt quid positivum, cum privatio et defectus sint non entia. — 5. *Phys.* l. 3.

4. Præterea, in accessu tertianæ sentitur frigus, et tamen in tertiana nullus est humor frigidus, cum oriatur ex bili; ergo frigus fit solo recessu caloris. — *de Malo* q. 7, a. 1, c.

5. Præterea, aqua calefacta se restituit pristinæ frigiditati solum per absentiam calefacientis, ut patet experientia et dictum est (supra q. 9, a. 4, ad 9); ergo frigus tantum erit privatio et recessus caloris.

Sed contra est: 1. quod Philosophus (2. *de Partibus Animal.* c. 2) dicit, quod frigus non est privatio, sed natura quædam.

2. Præterea, calor et frigus contrarie opponuntur, sed utrumque contrarium est aliqua natura; alioqui non essent in eodem genere, quia privatio et non ens non sunt in genere; ergo calor et frigus sunt qualitates positivæ. — 1. *de Generat.* l. 8.

Respondeo dicendum, quod calor et frigus, humor et siccitas sunt qualitates positivæ. Quod manifestum est: *primo,* qui qualitates prædictæ sunt sensibiles per se et tangibiles, ut dicit Philosophus (2. *de Generat. text.* 7; c. 2.; et 2. *de Anima text.* 65; c. 6); quod autem est non ens, cujusmodi est privatio, ut dictum est, non est sensibile (nam omne sensibile per se cum immutet sensum et ratione suæ excellentiæ corrumpat animal, debet esse ens reale positivum; hujusmodi autem non est privatio, ut manifestum est): ergo qualitates prædictæ debent esse positivæ. — *Secundo,* elementa sunt invicem activa et passiva, cum invicem generentur et corrumpantur, ut docet Philosophus 2. *de Generat.* (*text.* 24; c. 4) sed non agunt et patiuntur nisi ratione prædictarum qualitatum, ut docet Philosophus *de Sensu et Sensibili* (c. 4) — nam forma substantialis non est immediatum principium actionis, ut dictum est (supra q. 9, a. 4) —: ergo qualitates prædictæ sunt quid positivum reale. — 2. *de Generat.* l. 2; 2. *de Anima* l. 13; *Tabula Aureæ* voce « sensibile » n. 8 et 10; *de Sensu et Sensibili* l. 10.

Ad primum ergo dicendum, quod sicut dicitur in 10. *Metaphys.* (*text.* 9 et 15; l. 9, c. 3 et 4), oppositio privationis et habitus est principium oppositionis contrariorum; et ideo semper aliud contrariorum est cum defectu et privatione quadam respectu alterius. Dicitur ergo frigus privatio, non quia sit privatio pura sicut cæcum et nudum, sed quia est qualitas deficiens respectu caloris. — 10. *Metaphys.* l. 4 et 6. — Et ex his patet *ad secundum.*

Ad tertium dicendum, quod contrarietas differentiarum, quæ est in omnibus generibus, dicitur attendi secundum communem radicem contrarietatis, quæ est excellentia et defectus, quia omnes differentiæ dividentes aliquod genus, ita se habent, quod una earum est ut abundans, et alia ut defi-

ciens respectu alterius. Propter quod Aristoteles dicit in 8. *Metaphys.* (*text.* 10; l. 7, c. 3), quod definitiones rerum sunt sicut numeri, quorum species variantur per additionem et subtractionem unitatis. — 5. *Phys.* l. 3; 8. *Metaphys.* l. 3.

Ad quartum dicendum, quod febris tertiana vere quidem consistit in superabundantia choleræ, quam virtus naturæ superare non potest; sed cholera est humor frigidus, ut dicit Philosophus (*de Somno et Vigilia* c. 4, al. 3). — *de Malo* q. 7, a. 1, c.; *de Somno et Vigilia* l. 5.

Ad quintum dicendum, quod aqua calefacta se restituit pristinæ frigiditati vi suæ speciei, non per actionem et transmutationem aliquam, sed per naturalem resultantiam, ut dictum est (q. 9, a. 4, ad 9).

ARTICULUS III

UTRUM QUALITATES PRÆDICTÆ SINT OMNES ACTIVÆ.

Videtur quod prædictæ qualitates non sint omnes activæ.

1. Dicit enim Philosophus (2. *de Generat. text.* 8; c. 2; et 4. *Meteorol.* c. 1), quod calor et frigus sunt activa, humor autem et siccitas sunt passiva; ergo qualitates primæ non sunt omnes activæ. — 2. *de Generat.* l. 2; 4. *Meteorol.* l. 1.

2. Præterea, dicit Philosophus (4. *Meteorol.* c. 1 et 2), quod actiones fiunt calore et frigore, ut generationes, putredines, concoctio, liquefactio: ergo reliquæ non sunt activæ. — 4. *Meteorol.* l. 1 et 2.

3. Præterea, calor et frigus definiuntur a Philosopho (2. *de Generat. text.* 8 et 9; c. 2; et 4. *Meteorol.* c. 1) per agere (puta per congregare et disgregare), humor autem et siccitas per pati (puta per terminari); ergo calor et frigus sunt qualitates activæ, humor autem et siccitas passivæ. — 2. *de Generat.* l. 2; 4. *Meteorol.* l. 1.

4. Præterea, 4. *Meteorol.* (c. 1) dicit Philosophus, quod calor et frigus humectant et exsiccant; sed nulla alia actio potest tribui humiditati et siccitati præter humectationem et exsiccationem: ergo humor et siccitas non sunt activæ, quia natura non facit per duo, quod potest facere per unum, ut dictum est (in Logica q. 1, a. 1. arg. 4). — 4. *Meteorol.* l. 1.

5. Præterea, dicit Philosophus (4. *Meteorol.* c. 6, al. 5), quod frigus non generat per se, sed per accidens; at si frigus esset qualitas activa, cum sit contraria calori, posset illum corrumpere, et per consequens per se generare aliquid; nam corruptio unius est generatio alterius, et natura nunquam operatur per se intendens corruptionem: ergo frigus non est qualitas activa. — 4. *Meteorol.* l. 8.

Sed contra est: 1. quod Philosophus 2. *de Generat.* (*text.* 8; c. 2) dicit, quod omnia elementa transmutantur ad invicem, et ideo sunt activa et passiva; sed elementa transmutantur ad invicem ratione qualitatum primarum, puta caloris, frigoris, humoris et siccitatis: ergo omnes istæ qualitates sunt activæ. — 2. *de Generat.* l. 2; *de Sensu et Sensibili* l. 10; 2. *de Generat.* l. 6.

2. Præterea, omnes qualitates prædictæ sunt contrariæ, ut dicit Philosophus (2. *de Generat. text.* 25; c. 4); sed contraria nata sunt invicem agere et pati: ergo omnes qualitates prædictæ sunt activæ et passivæ. — 2. *de Generat.* l. 2 et 4.

Respondeo dicendum, quod omnes qualitates prædictæ dupliciter possunt considerari: *uno modo* quatenus veniunt in compositionem mixti, et una victoriam obtinent supra alteram in mixto; et sic duæ sunt activæ (puta calor et frigus) et duæ passivæ (puta humor et siccitas). Cum enim activæ victoriam obtinent supra passivas, tunc sequitur generatio mixti; quando autem passivæ vincunt activas, sequentur indigestio, quæ est via ad corruptionem. — *Altero modo* secundum se, quatenus una est contraria alteri, et per illas elementa invicem transmutantur; et tunc omnes sunt activæ et passivæ. Quod patet *primo* experientia; nam ex igne fit aer et ex aere ignis, ut docet Philosophus (2. *de Generat. text.* 26; c. 4); hoc autem fieri non posset, nisi invicem agerent et paterentur per humiditatem et siccitatem, cum in caliditate conveniant; et similiter

ex igne fit aqua et ex aere terra, quod esse non posset, nisi agerent ad invicem secundum omnes quatuor qualitates prædictas. *Secundo* ratione, *tum* quia omnes prædictæ qualitates concurrunt ad mixtionem refractæ et alteratæ ad invicem, ut dictum est (q. 42, a. 3 et 5); alteratio autem et refractio fit per mutuam actionem et passionem; — *tum* quia sunt invicem contrariæ, contraria autem invicem agunt et patiuntur, ut dictum est (arg. 2 *Sed contra*). Unde manifestum est, quod primæ qualitates sunt omnes activæ et passivæ. — 4. *Meteor.* l. 1 et 2; 2. *de Generat.* l. 4.

Ad primum ergo dicendum, quod Philosophus accepit prædictas qualitates per ordinem ad operationes secundas, quas habent in ordine ad mixtum — quæ sunt emollire, maturare, concoquere, terminare, congregare et segregare — ratione quarum calor et frigus sunt activa, humor et siccitas passiva. Calor enim emollit, terminat, figurat et congregat homogenea, et separat heterogenea, faciendo diffusionem in elementis et liquefactionem in mixtis. Frigus vero congregat homogenea et heterogenea condensando; indurat vero et temperat calorem. Quod patet ex probatione, quam affert Philosophus 4. *Meteorol.* (c. 1); ait enim, calidum et frigidum esse activa, quia congregant et terminant, humidum vero et siccum passiva, quia terminantur et similia patiuntur. — 4. *Meteorol.* l. 1. — Et eodem modo respondetur ad *secundum* et *tertium*.

Ad quartum dicendum, quod calor et frigus humectant et siccant per accidens. Humor vero et siccitas id faciunt per se, producendo sibi simile, puta humorem et siccitatem. — *Ibid.*

Ad quintum dicendum, quod generatio dupliciter sumitur: uno modo pro mutatione a non esse ad esse absolute, altero modo pro productione nobilioris ex ignobiliore corrupto. Si sumatur generatio primo modo, quomodo de illa Philosophus agit libro 1. *de Generat.* frigus est per se generativum sicut calor. Si vero sumatur secundo modo, solus calor est generativus, non autem frigus; sed hoc est per se corruptivum, quia frigiditas corrumpit ignem et aerem, quæ sunt nobiliora, et generat terram et aquam, quæ sunt ignobiliora. — 4. *Meteorol.* l. 8.

ARTICULUS IV

UTRUM QUALITATES PRIMÆ ACTIVÆ BENE A PHILOSOPHO DEFINIANTUR.

Videtur quod qualitates primæ activæ non bene a Philosopho definiantur, quod nimirum calor congreget homogenea, et segreget heterogenea, et frigus utraque congreget.

1. Dicit enim Philosophus 3. *de Cœlo* (*text.* 18; c. 2), quod motus secundum naturam est unus unius rei; sed calidi motus proprius secundum naturam est calefacere, sicut motus proprius frigidi est frigefacere: ergo non est proprium caloris congregare homogenea et segregare heterogenea, et frigidi congregare utraque. — 3. *de Cœlo* l. 5.

2. Præterea, dicit Philosophus 4. *Meteorol.* (c. 3, al. 2), quod calor facit mixtionem; et patet, nam maturatio est mixtio et fit calore (4. *Meteorol.* c. 3, al. 2), similiter digestio est mixtio et fit calore (2. *de Anima text.* 41; c. 4; et *de Juvent. et Senect. etc.* c. 10; edit. Berol. *de Respirat.* c. 8); sed mixtio est unio heterogeneorum, concurrunt enim ad illam, ut dictum est, omnia elementa, quæ sunt heterogenea; ergo calor congregat etiam heterogenea. — 4. *Meteorol.* l. 3; 2. *de Anima* l. 8; *de Respirat.* l. 6. (1)

3. Præterea, calor immediate rarefacit et extendit, et frigus condensat, ut dicit Philosophus 2. *de Generat.* (*text.* 17; c. 3) ubi laudat antiquos ponentes inter principia rerum calorem rarefacientem et frigus condensans; et 7. *Phys.* (*text.* 15; c. 3); sed ex rarefactione per accidens sequitur segregatio heterogeneorum (nam si res distincti generis erant constrictæ, per rarefactionem solutæ propria virtute motivæ

(1) Commentationes librorum *de Juventute et Senectute, de Respiratione, de Vita et Morte, de Motu Animalium* (sive *de Communi Animalium Motione*), *de Longitudine et Brevitate Vitæ* non sunt S. Thomæ. Habes eas Petro de Alvernia attributas et cum quibusdam S. Thomæ vulgatas Venetiis 1551. Cf. quæ diximus tom. 1, pag. IX.

separantur; graviora enim subsidunt et leviora ascendunt) : ergo male definitur calor per segregare heterogenea tamquam per actionem per se propriam illius. — 2. *de Generat.* l. 3.

4. Præterea, dicit Philosophus 3. *de Cœlo* (*text.* 74; c. 8), quod calor per accidens segregat heterogenea; sed quæ sunt per accidens, non debent poni in definitione: ergo calor male definitur per segregare heterogenea. — 3. *de Cœlo* l. 12.

5. Præterea, frigus simpliciter congregat homogenea et segregat heterogenea, sicut calor; nam per congelationem unit lutum et paleas, et per exsiccationem ventus frigidus separat aquam a veste et luto: ergo male definitur frigus per congregare homogenea et heterogenea.

Sed contra est, quod Philosophus 2. *de Generat.* (*text.* 8; c. 2) et 4. *Meteorol.* (c. 1.) definit calorem, quod congreget homogenea et segreget heterogenea; et frigus, quod utraque congreget. — 2. *de Generat.* l. 2; 4. *Meteorol.* l. 1.

Respondeo dicendum, quod bene definitur calor, quod congreget homogenea (seu illa, quæ sunt ejusdem naturæ), et segreget heterogenea (seu quæ sunt diversæ naturæ); frigus vero quod congreget utraque. *Calor* enim congregat homogenea, quia subtile, quod calido convenit, attrahit. Ita patet experientia, quod si fiat aliqua massa ex auro, argento et ære, et ponatur ad ignem, virtute ignis liquefacientis congregabuntur partes auri ad se invicem, et sic de aliis. Unde continuare et unire insunt calori *per se*. Segregare autem heterogenea convenit eidem *per accidens: tum* quia segregat aliena, congregando homogenea et propria (quoniam enim ignis agens per suam formam transmutat illud, in quod agit, in suam naturam ex potentia ente, conterminans illud et uniens: congregat ea quæ sunt unius naturæ, et consequenter separat ea quæ sunt diversæ); *tum* quia quandocunque alicui enti per formam attribuuntur duo, puta generatio et corruptio, essentialius ei attribuitur generatio quam corruptio (quia generatio est de ratione entis, ad quod est, corruptio vero de ratione non entis; forma autem et simpliciter aut magis principium est entis quam non entis; sicut enim forma est, qua aliquid est ens, ita forma est, qua aliquid agit aliquod ens); sed conterminatio et unitio sunt generatio, segregatio vero et divisio quædam corruptio : quare si utrumque tribuitur calido per formam, essentialius et per se attibuetur ei conterminatio et unitio, divisio vero et segregatio per accidens et minus essentialiter. — Quod autem *frigidum* congreget omnia, tam heterogenea quam heterogenea, patet, quia aliquando aqua, terra, palea et hujusmodi per congelationem factam a frigido congregantur. — 3. *de Cœlo* l. ult.; 2. *de Generat.* l. 2.

Ad primum ergo dicendum, quod calidum et frigidum dupliciter possunt considerari: *uno* modo secundum se seu quatenus sunt inter se contraria, et unum agit in aliud, et invicem transmutantur; et sic considerata agunt calefaciendo et frigefaciendo; — *alio* modo quatenus veniunt in compositionem mixti; et sic habent alias operationes, quarum præcipuæ sunt congregare et disgregare seu separare. — 4. *Meteorol.* l. 1 et 2.

Ad secundum dicendum, quod uniuntur homogenea non solum quæ sunt unius naturæ, sed etiam quæ sunt unius amoris, ut dicit Philosophus (3. *de Cœlo text.* 74; c. 8), seu unius complexionis; sic quatuor elementa ita concurrunt ad mixtionem et invicem agunt, ut perveniatur ad complexionem, quam requirit forma mixti, ut dictum est (q. 42). — 3. *de Cœlo* l. ult.

Ad tertium et *quartum* patet ex dictis; nam in definitione calidi per se non ponitur segregare heterogenea, sed tantum congregare; illud vero ponitur tamquam quid consequens, nam, ut dictum est, calor segregat congregando.

Ad quintum dicendum, quod ventus frigidus exsiccat inducendo siccitatem, et non tantum exprimendo humiditatem. Deinde si vehemens est, prævenit expressionem, unde unit heterogenea.

ARTICULUS V

UTRUM QUALITATES PRIMÆ PASSIVÆ RECTE A PHILOSOPHO DEFINIANTUR.

Videtur quod qualitates primæ passivæ non recte a Philosopho definiantur, quod scilicet *humidum* sit, quod proprio termino est interminabile, alieno vero facile terminabile; *siccum* vero, quod difficile terminatur termino alieno, facile vero proprio.

1. Dicit enim Philosophus 4. *Meteorol.* (c. 8), quod humidum et siccum sunt prima principia passiva omnium corporum mixtorum: unde humidum est connaturale mixto; sed mixtum est terminatum proprio termino: ergo et humidum connaturale mixti erit terminatum termino proprio. — 4. *Meteorol.* l. 7.

2. Præterea, in mixto siccum, cum sit illi connaturale, quia est principium passivum ejusdem, ut dictum est, facile terminatur termino illius; ergo male definitur siccum, quod sit difficile terminabile termino alieno, et facile proprio. — *Ibid.*

3. Præterea, glacies est humida, et est essentialiter aqua; sed glacies habet proprium terminum, ut patet: ergo male definitur humidum, quod proprio termino sit interminabile, et alieno facile terminetur. — 1. *de Generat.* l. 23; 2. *de Generat.* l. 3.

4. Præterea, dicit Philosophus (*de Generat. text.* 49; c. 8), quod sola aqua [bene] terminatur; sed præter aquam sunt multa alia, quæ sunt humida, ut aer: ergo male definitur humidum, quod facile terminetur termino alieno et difficile proprio; nam definitio debet convenire omni definito. — 2. *de Generat.* l. 8.

5. Præterea, aqua cadens habet figuram rotundam; sed aqua est humida, ut dictum est: ergo idem quod prius. — 1. *Meteorol.* l. 13 et 14.

6. Præterea, cinis siccus est et similiter ignis; sed uterque facile recipit alienam figuram (cinis enim non resistit prementi, et elementum ignis figuratur concavo lunæ; noster vero habet figuram pyramidalem): ergo male definitur siccum, quod difficile terminatur termino alieno, et facile sit terminabile termino proprio.

Sed contra est auctoritas Philosophi definientis humidum et siccum modo prædicto 2. *de Generat.* (*text.* 9 et 10; c. 2) et 4. *Meteorol.* c. 1 et 8. — 2. *de Generat.* l. 2; 4. *Meteorol.* l. 1 et 7.

Respondeo dicendum, quod passivæ qualitates (puta humidum et siccum) dupliciter considerari possunt: *uno* modo in mixto seu quatenus constituunt mixtum; et hoc modo cum humidum et siccum sint invicem mixta et conjuncta et glutinata, ut dicit Philosophus (4. *Meteorol.* c. 8), necesse est quod siccum habens consistentiam admixtam humido, illi etiam communicet consistentiam; unde humidum non amplius diffluit. Et cum jam sit factum connaturale mixto, dici potest, quod sicut mixtum terminatur proprio termino, ita et humidum, quod est propria ejus materia. Et similiter quia humidum est conglutinatum sicco, et sine humido siccum non terminatur, dici potest, quod siccum facile terminatur termino alieno.

Alio modo considerari possunt humidum et siccum secundum se seu ante mixtionem; et tunc verum est, quod humidum est indeterminatum termino proprio, et bene terminabile termino alieno; siccum autem terminatur termino proprio, difficulter autem terminatur termino alieno. Et similiter, quidquid est facile terminabile, hoc habet ab humore; quod vero difficile, habet a siccitate. — Quod ex *effectu* humidi et sicci constare potest: subtile enim quia est humidum, est repletivum (sequitur enim undique tangens ipsum, eo quod fluit usque ad ipsum tangens, sua nimirum subtilitate quodlibet minimum subintrans), et ideo est bene terminabile termino alieno, non autem proprio. Et similiter molle quia est humidum causaliter, habet eandem proprietatem, unde cedit tangenti; et idem dico de lubrico. Et contra, grossum quia est effectus sicci, cum ejus partes fæculentæ non disjungantur, et excedat capacitatem ejus quod natum est repleri, difficile potest terminari termino alieno; et idem dico de

arido et duro. — Secundo probatur ex *propria ratione* humidi et sicci: humidum enim est facile diffluens, siccum vero consistens; unde illud facile suscipit alienam figuram, hoc vero difficile. Unde manifestum est, quod recte descriptæ sunt qualitates passivæ elementorum. — 2. *de Generat.* l. 2; 4. *Meteorol.* l. 7 et 8.

Et ex his patet *ad primum* et *secundum*.

Ad tertium dicendum, quod liquida terminantur proprio termino ex magna violentia frigidi, ut patet in glacie, quæ est superabundantia frigiditatis, ut dicitur 2. *de Generat.* (*text.* 21; c. 3), et in grandine, cujus causa dicitur vehemens virtus frigidi inclusi in aqua, et conclusi ab exteriori calido vehementi, ut dicitur 1. *Meteorol.* c. 12. — 4. *Meteorol.* l. 8 et 15; (1. *Meteorol.* l. 13 et 14;) 2. *de Generat.* l. 3.

Ad quartum dicendum, quod sensus Philosophi est, quod aqua ideo sola bene terminabilis est, quia sola est secundum sensum tactus omnium corporum humidissima, et inter omnes humores et corpora omnia, quæ sensibiliter humectant, subtilissima, ut dicit Philosophus (*de Sensu et Sensibili* c. 4). — *Vel dic*, quod ideo aqua dicitur sola bene terminabilis, quia si consideretur per ordinem ad mixtum, sola simul cum terra facit terminationem; et ideo per ordinem ad mixtum, et ad terminationem, quam facit in mixto, dicitur ipsa primo humida, et terra primo sicca, ut dicit Philosophus 4. *Meteorol.* (c. 5, al. 4). — 2. *de Generat.* l. 3; *de Sensu et Sensibili* l. 9; 4. *Meteorol.* l. 7.

Ad quintum dicendum, quod elementa non habent ullas determinatas figuras secundum se, ut probat Philosophus 3. *de Cœlo* (*text.* 66; c. 8). Sicut enim in aliis subjectum est, quod habet rationem materiæ, et est sine specie et forma (quia receptivum debet esse denudatum a natura recepti, et etiam ut species imprimendas in ipso non male exprimat, sicut scriptum est in Timæo), sic elementa oportet putare sicut materiam in potentia ad omnes formas substantiales mixtorum et figuras eorum, ita quod nullam ipsarum habeant in actu, sed omnes in potentia; et propter hoc possunt transmutari in mixta separatis differentiis, quæ sunt secundum passiones, id est formis substantialibus, quas per se sequuntur. Unde quod elementa habeant aliquam figuram, illam habent *vel* receptam a continente, ut dicit Philosophus l. c.; *vel* aliunde per accidens illam recipiunt; *vel* ex motu, ut patet in grandine (quando enim grandines de longe veniunt, circumquaque alterantur propter motum a longinquo, et sic sunt figuræ rotundæ et magnitudine minores; — contra vero, quando congelatio grandinis fit prope terram: nam tunc fit figuræ non rotundæ et magnæ quantitatis; quia nimirum parvo tempore fit motus ejus, qui proinde non potest dissolvere partes angulares fortius dividentes aerem et magis ei resistentes); *vel* ob antiperistasim: sic enim guttæ rotundæ et majores decidunt in æstate quam in hieme, ut dicit Philosophus (1. *Meteorol.* c. 12), quia calidum undique circumstat frigidum et congregat ipsum (sicut quando frigidum magis congregatur conclusum ab exteriori calido, non solum nubes condensantur in aquam, sed ulterius aqua congelatur ex vehementi virtute frigidi inclusi, et sic fit grando). — 3. *de Cœlo* l. 12; *Meteorol.* l. 13 et 14.

Ad sextum dicendum, quod *cinis* est siccus, et proinde quodlibet ejus granum habet proprium ejus subjectum, et difficile terminatur termino alieno: quia tamen cinis subtilis est, ideo facile cedit et non resistit prementi, sicut et farina, quia lævis est. — *Ignis* vero elementum nullam habet figuram ex se, quare nec pyramidalem, ut volebant antiqui, quos refellit Philosophus (3. *de Cœlo text.* 66; c. 8); habet tamen figuram circularem ex continente, sicut et cetera elementa, ut dictum est (ad arg. præced.). Ignis vero noster habet figuram pyramidis, quia partes acutæ citius ascendunt: unde crassior est flamma prope nutrimentum. — 3. *de Cœlo* l. 12.

ARTICULUS VI

UTRUM QUALITATES PRIMÆ SINT TANTUM QUATUOR.

Videtur quod qualitates primæ sint *plures* quam quatuor.

1. Lux enim est qualitas prima; nam convenit cœlo, quod est primum inter omnia corpora sive simplicia sive mixta, ut dictum est (supra a. 1, arg. 2 et 6); ergo qualitates primæ sunt plures quam quatuor.

2. Præterea, sonus non est qualitas secunda, ut patet, cum non oriatur ex ulla alia qualitate priore, sed immediate ex motu, ut dicit Philosophus 2. *de Anima* (*text.* 77; c. 8); sed vere sonus est qualitas, nam inter qualitates per se sensibiles numeratur a Philosopho 2. *de Anima* (*text.* 63; c. 6): ergo erit qualitas prima, et sic erunt primæ qualitates plures quam quatuor. — 2. *de Anima* l. 16.

3. Præterea, in elementis necessario ponendæ sunt aliæ qualitates præter calorem, frigus, humorem et siccitatem, neque ex illis neque ex aliis ortæ. Nam calor expellitur ab aqua reducente se ad frigiditatem suam pristinam, et non expellitur a forma substantiali — quia hæc non agit immediate, ut dictum est (supra q. 9, a. 4) —; neque a frigiditate propria — quia calor in aqua potest esse major quam frigiditas, ut quando ebullit; et potest durante specie aquæ commutari aqua a sua naturali qualitate; secus vero ignis, quia cum sit formalior, est magis activus inter elementa, quæ comparantur ad ipsum sicut materialia, ut dicitur in 4. *Meteorol.* —: ergo qualitates primæ sunt plures quam quatuor. — 2. *de Anima* l. 24.

4. Præterea, cœli per se infrigidant et humectant, cum sint causæ universales et per se; ergo debent habere aliquasqualitates, quæ sint principia immediata harum operationum; sed illæ non sunt qualitates *secundæ* ortæ ex quatuor prædictis, quia in cœlo non sunt tales qualitates, cum cœlum non sit subjectum alterationi, ut dicit Philosophus (1. *de Cœlo text.* 22; c. 3): ergo erunt *primæ*, et sic primæ qualitates erunt plures quam quatuor. — 2. *de Cœlo* l. 1; 1. *de Cœlo* l. 7.

Videtur quod qualitates primæ sint *pauciores* quam quatuor.

5. Dicit enim Philosophus 4. *Meteorol.* (c. 1), quod calor et frigus humectant et exsiccant; sed unaquæque qualitas activa ab alia distincta est propter operationem propriam distinctam ab operatione alterius: ergo qualitates primæ activæ sunt pauciores quam quatuor. — 4. *Meteorol.* l. 1.

6. Præterea, in unoquoque genere datur aliquod primum, quod sit causa omnium, ut dicitur 2. *Metaphys. text.* 4 (l. 1 min., c. 1); ergo in genere qualitatis debet esse una qualitas, quæ sit causa ceterarum omnium, et ita qualitates primæ non erunt quatuor, sed una tantum. — 3a, q. 56, a. 1, in c.

Sed contra est, quod Philosophus (2. *de Generat. text.* 8; c. 2) dicit quatuor tantum esse primas qualitates. — 2. *de Generat.* l. 2.

Respondeo dicendum, quod qualitates primæ, cujuscunque generationis et mutationis sensibilis causæ, sunt tantum quatuor. Cujus ratio est, quia cum elementa sint inter corpora omnium prima (quippe quæ sunt simplicia), necessario debent et illæ qualitates, quæ sunt formæ perfectivæ, atque adeo principia illorum in quantum sensibilia sunt, esse omnium primæ. Nam inter omnes qualitates sensibiles nullæ aliæ sunt propriæ elementorum præter illas: ut ex eo manifeste patet, quod ex illarum varia complexione, ut dictum est (q. 43, part. prior, a. un.), consurgit numerus quatuor elementorum; præterquam quod, cum illæ neque fiant ex aliis neque ex alterutris, sed ex illis omnes aliæ qualitates tangibiles oriantur — ut docet Philosophus (1. *Phys. text.* 42 sqq.; c. 5; et 2. *de Generat. text.* 8; c. 2) —, necessario sequitur, quod sint primæ qualitates omnium et prima contraria, ex quibus tamquam primis principiis fiunt res omnes naturales; et per consequens quod primæ qualitates sunt

tantum quatuor, et ideo merito a Philosopho (2. *de Generat. text.* 16; c. 3) vocantur elementa. — 2. *de Generat.* l, 2 et 3; *Opusc.* 2, c. 6 (al. *Opusc.* 1, c. 8); 1. *Phys.* l. 10.

Ad primum ergo dicendum, quod lux est quidem qualitas activa, sed non passiva; at primæ qualitates corporum generabilium et corruptibilium debent esse activæ et passivæ, ut dicit Philosophus (2. *de Generat. text.* 8; c. 2). — 2. *de Generat.* l. 2. — Et ex his patet *ad quartum.*

Ad secundum dicendum, quod sonus est qualitas audibilis, sed non tangibilis; tactus autem subjecto prior est omnibus aliis sensibus (quia substernitur omnibus sensibus, ut patet 2. *de Anima*), et ejus contrarietates sunt causæ omnium contrarietatum, licet dignitate sit posterior visu, — et proinde aliquod objectum visus (puta lumen) sit prius objecto tactus et consequenter calore, frigore, humore et siccitate, quæ sunt qualitates tangibiles; nam calor, quod est alterum objectum visus, est posterior prædictis quatuor qualitatibus. — 2. *de Generat.* l. 2.

Ad tertium dicendum, quod aqua reducit se ad pristinam frigiditatem virtute suæ speciei seu formæ, per quandam simplicem emanationem vel resultantiam, non autem per veram actionem et transmutationem, ut dictum est (q. 9, a. 4, ad 9). Et ratio est, quia cum in actione *propria* principale agens physicum sit compositum substantiale, agens per suam formam, debet hoc agens agere propria virtute; virtus autem substantiæ est accidens. At in actione *impropria*, quæ dicitur resultantia vel naturalis emanatio, principale agens est generans, ut in 8. *Phys.* dicit Philosophus de motu naturali. Dans autem formam dat etiam consequens ad formam; et ideo hæc ipsa forma est virtus agentis, et non oportet quærere aliam virtutem. — Cfr. Bannez in 2. *de Generat.* c. 2, q. 3, ad 3; Soncinas, *Quæst. Metaphys.* q. 8, ad 1; Astudillo, 2. *de Generat.* p. 2.

Ad quintum dicendum, quod calor et frigus duobus modis considerantur: *uno* secundum se, quatenus sunt contraria, et sic per se tantum calefaciunt et frigefaciunt; unde invicem agunt et patiuntur, et invicem corrumpuntur; — *altero,* quatenus operantur in mixto; et sic calor et frigus dicuntur humectare et exsiccare. *Exsiccat* enim calor per se in digestione, et quidem proprius et intrinsecus et naturalis principaliter, secundario autem calor extrinsecus sive balneorum sive exercitii moderati sive aliorum fomentorum calidi intrinseci et naturalis. Uterque vero id facit per se, quatenus facit evaporare humidum subtile, et terminat et indurat grossum, ut dicitur 4. *Meteorol.* c. 2 (1); frigus vero id facit per accidens, fortificando calidum interius per antiperistasim. — Similiter calor et frigus *humectant*. Cum enim humectari dupliciter dicatur — uno modo fieri aquam, sicut cum ex nube generatur aqua pluviæ; secundo liquefieri, sicut cum glacies vel metalla liquescunt —, res humectantur primo modo a frigido condensante vaporem in aquam; humectatio vero secundo modo fit a calido resolvente. — 4. *Meteorol.* l. 1, 3, 8 et 9.

Ad sextum dicendum, quod calor, frigus, humor et siccitas non dicuntur primæ qualitates in essentia et substantia generis (sic enim una est in quocunque genere perfectissima), sed ita dicuntur, quia ad eas omnes aliæ reducuntur, et illæ non reducuntur ad alias, nec in pauciores, nec ad se invicem, eo quod una causetur ab alia. Cum quo tamen stat, quod inter ipsas qualitates, si non causalitate, ut dictum est, saltem perfectione et dignitate una ceteris præemineat, ut calor. Inter has enim qualitates priores sunt calor et frigus, quam humor et siccitas, quia hæ sunt passivæ, illæ activæ; et inter activas prior est calor quam frigus, quia frigus se habet ut privatio, calor ut forma, et calor generatur a motu locali, virtute motus cœli, qui est primus omnium motuum localium, sicut motus localis est primus omnium motuum. — *de Generat.* l. 2; 4. *Meteorol.* l. 1; 2. *de Cœlo* l. 10.

ARTICULUS VII

UTRUM QUALITATES SYMBOLÆ ELEMENTORUM SINT EJUSDEM SPECIEI.

Videtur quod qualitates symbolæ elementorum specie distinguantur.

1. Contrariorum enim effectuum contrariæ sunt causæ, ut dicitur 2. *de Generat.* (*text.* 56; c. 10) et 4. *Meteorol.* (c. 7, al. 6); sed humiditas aquæ extinguit ignem, ut si superfundatur aqua carboni accenso; humiditas vero aeris ignem fovet et conservat, ut patet, quia ideo cinis conservat ignem, quia cum sit rarus, dat locum aeri circumstanti ad hoc, ut possit intrare et conservare ignem. — 4. *Meteorol.* l. 9; 2. *de Generat.* l. 10; *de Juvent. et Senect.* l. 5.

2. Præterea, humor aereus nutrit calorem, secus vero humor aqueus. Unde animalia quibus inest humidum pingue, quod est aereum, sunt longioris vitæ, quam quibus inest humidum aqueum, ut Philosophus dicit lib. *de Longitudine et Brevitate Vitæ* c. 3 (5); ergo humiditas aeris et aquæ specie differunt. — *de Longit. et Brevit. Vitæ* l. 2. (1)

3. Præterea, sola humiditas aquæ, non aeris, continuat et terminat mixtum, ut dicit Phliosophus (2. *de Generat. text.* 49; c. 8); sed hoc non contingit nisi ex diversa natura humiditatis aquæ et aeris, quia idem secundum eandem rationem semper est natum facere idem, ut dicitur 2. *de Generat.* (*text.* 56; c. 10): ergo humiditas aquæ et aeris differunt specie. — 2. *de Generat.* l. 8 et 10.

4. Præterea, calor ignis non potest stare cum humiditate, nec ejus siccitas cum frigiditate, ut patet ex combinatione propria singulorum elementorum, et docet Philosophus (2. *de Generat. text.* 7 sqq.; c. 2); ergo humiditas aquæ et aeris differunt specie; sed calor aeris potest stare cum humiditate et siccitas terræ cum frigiditate: ergo calor ignis et aeris specie differunt, et similiter siccitas ignis et terræ. — 2. *de Generat.* l. 2.

5. Præterea, non est multiplex calefiet in eodem subjecto, nisi sint plures calores specie distincti; sed subjectum, in quod agit semen, multipliciter calefit (puta a cœlo, animali et elemento): ergo signum est quod in semine calor elementaris, cœlestis et animalis sunt specie distincti; præterquam quod calor elementaris dissolvit et consumit, calor vero animalis generat carnem: ergo. — 2. *c. Gent.* c. 73, tertio loco arg. 4; 4. *Sent.* dist. 1, q. 1, a. 4, sol. 1.

6. Præterea, calor ignis est maxime activus — unde a Philosopho calor dicitur proprium ignis (lib. *de Sensu et Sensibil.* c. 4), quia est omnium calidorum calidissimum, ut dicitur 2. *Metaphys.* (*text.* 4; l. 1 min., c. 1) — secus vero aer; ergo calor ignis et aeris specie differunt, quia si essent ejusdem speciei, essent æqualiter activi. — 2. *de Generat.* l. 3; *de Sensu et Sensibili* l. 10; 2. *Metaphys.* l. 2.

7. Præterea, gravitas terræ et aquæ differunt specie, similiter et levitas ignis et aeris, ut patet ex Philosopho 3. et 4. *de Cœlo,* ubi ex qualitatibus motivis colligit numerum elementorum, ut dictum est (q. 43 part. priore, a. un.); sed eadem est ratio qualitatum activarum: ergo qualitates symbolæ elementorum specie differunt.

8. Præterea, quoties subjecta differunt specie, etiam passiones differunt specie — cum enim passio fluat ab essentia tamquam a causa in triplici genere, ut dictum est (in Logica q. 6, a. 2, c.), causæ specie diversæ habent etiam effectus specie diversos; nam idem in quantum idem semper faciunt idem, ut dictum est (arg. 3) —; sed igni et aer, quæ sunt subjecta proprii caloris, differunt specie: ergo et specie differunt calor ignis et aeris.

Sed contra est: 1. quod Philosophus (2. *de Generat. text.* 8; c. 2) probat, quod tantum quatuor sunt qualitates primæ, ex quarum combinatione constituuntur elementa — 2. *de Generat.* l. 2; *de Spirit. Creat.* a. 3, arg. 19 et ad 19.

(1) De commentationibus libri *de Longitudine et Brevitate Vitæ* confer quæ supra, pag. 228, annotavimus.

2. Præterea, dicit Philosophus (2. *de Generat. text.* 25; c. 4), quod dantur aliqua lementa convenientia in una qualitate, quæ ocatur symbola et cognata, quæ propterea cilius ad invicem transmutantur, quia nica tantum qualitas superaddenda est, um altera remaneat eadem; non remanet ntem eadem numero, quia non manet idem umero subjectum: ergo remanet eadem ecie. — 2. *de Generat.* l. 4; *de Spirit. reat.* l. c.

3. Præterea, dicit Philosophus (2. *de eneral. text.* 29; c. 4), quod ex aere et rra corruptis humiditate et frigiditate geratur ignis, quia remanent propriæ qualates ignis; ergo calor aeris et siccitas rræ sunt ejusdem speciei cum calore et ccitate ignis. — 2. *de Generat.* l. 4.

Respondeo dicendum, quod qualitates mbolæ elementorum sunt ejusdem speei. Quod manifestum est, *primo,* quia si fferrent specie, essent octo qualitates primæ; eadem enim est ratio de omnibus ualitatibus, quarum quælibet in duobus lementis invenitur. *Secundo,* quia quælibet ualitas specialiter tribuitur uni elemento, quo est perfecte, et per derivationem alri, in quo est imperfecte; unde cum ex hoc ere fit hic ignis, calor manet idem specie, d augmentatus. (*de Spirit. Creat.* a. 3, g. 19.) *Tertio,* unum uni tantum est conrarium, ut dicitur 1. *de Cœlo* (*text.* 10; 2) et 10. *Metaphys.* (*text.* 17; l. 9, 5); quod si qualitates symbolæ differrent pecie, unum directe haberet duo contraria; alori enim ignis contrariaretur frigus terræ et aquæ. (1. *de Cœlo* l. 4; 10. *Metaphys.* l. 7, al. 3.) *Quarto,* cum elementa possint ad invicem transmutari, quodlibet elementum ex quolibet generari potest, ut dicitur 2. *de Generat. text.* 24 (c. 4); id autem eri non posset, si qualitates symbolæ specie differrent: non enim posset ignis ex aqua ncere aerem, et per consequens ex summe ontrariis non posset fieri tertium (puta x aqua et igne aer), ut vult Philosophus bidem *text.* 26 et 27. Nam ignis agens in quam, vel conservat humiditatem aquæ el illam corrumpit; — si *primum,* ergo in aere facto ex igne et aqua remanet humiditas aquæ, et sic erit ejusdem speciei cum humiditate aeris; — si *secundum,* necesse est quod generetur alia humiditas; nam cum aer sit calidus et humidus, utraque qualitas necessario requiritur ad hoc, ut aer generetur; non datur autem ullum producens hanc humiditatem — non enim ignis, quia hic est calidus et siccus; neque aqua, quia jam non est, et si esset, tantum produceret humiditatem sibi propriam —: unde non posset aer produci, qui propriam humiditatem requirit. (2. *de Generat.* l. 4.) *Demum* probatur, quia ideo aliquando ex duobus elementis fit tertium, aliquando vero unum convertitur in aliud, ut dicitur 2. *de Generat. text.* 29 (c. 4): quia quando agunt ad invicem duo elementa omnino dissymbola, cum utraque qualitas propria corrumpatur, remanent aliæ qualitates, quæ sunt propriæ tertii elementi; quando autem agunt ad invicem elementa symbola, remanet qualitas propria elementi agentis in passo (cum in ea cum illo conveniat), et inducitur alia propria ejusdem agentis in passo, et sic agens in se passum convertit; non remaneret autem prædicta qualitas, nisi ejusdem speciei essent qualitates symbolæ. (2. *de Generat.* l. 4.)

Ad primum ergo dicendum, quod ideo *aqua* superinfusa igni illum exstinguit, quia sic cadens obstruit ignem: impedit enim respirationem, qua impedita calidum reflectitur in seipsum et fortificatur; fortificatum autem resolvit humidum subtile et consumit ipsum, et remanet grossum, quod est ineptum ad nutriendum ignem; ipso autem humido subtili resoluto et consumpto consumitur ignis. — Ideo vero *cinis* conservat ignem, quia cum sit rarus, dat locum aeri circumstanti, ut possit intrare et ipsum ignem refrigerare; facta enim refrigeratione debilitatur calidum, quo debilitato humidum diu salvatur et per consequens salvatur et calidum. — *de Juvent. et Senect.* l. 3, 5 et 8.

Ad secundum dicendum, quod ideo animalia quibus inest humidum pingue et aereum, sunt longioris vitæ, quia humidum

aereum est calidum, sicut et ipse aer: calidum autem non est de facili infrigidabile et coagulabile; animalia vero quibus inest humidum aqueum, ideo sunt brevioris vitæ, quia humidum aquaticum est grossum et frigidum et de facili infrigidabile et congelabile. — *de Longit. et Brevit. Vitæ*. l. 3.

Ad tertium dicendum, quod sola aqua dicitur bene terminabilis, quia sola illa simul cum terra faciunt in mixto consistentiam, terminationem et figurationem; sicut e contra terra sine aqua non potest continuari, sed in pulverem redigitur, ut docet Philosophus 4. *Meteorol.* c. 5 (4); et propterea ibidem vocat aquam primo humidam, quia nimirum in mixtis illa sola simul cum terra facit consistentiam et terminationem. — 2. *de Generat.* l. 8; 4. *Meteorol.* l. 7.

Ad quartum dicendum, quod calor non patitur in igne humiditatem, quia ignis constituitur per conjunctionem caloris cum siccitate, sicut aer constituitur per complexionem caloris cum humiditate; nam alioqui calor secundum se ita potest stare cum siccitate sicut cum humiditate, quamquam conjunctus cum una qualitate constituit unum elementum, conjunctus cum alia constituit aliud, ut dicitur 2. *de Generat.* (*text.* 16; c. 2). — 2. *de Generat.* l. 3.

Vel dic, quod ideo calor ignis non compatitur secum humiditatem, quia habet calorem in summo, qui omnino consumit humidum, unde est conjunctus cum siccitate; calor vero aeris est longe minor, quam sit calor ignis, quia virtus moventis est longe minor in aere tamquam in remoto, quam in igne tamquam in propinquo; minus enim calefacit motus cœli materiam aeris (imo quam minime) quam ipsum ignem. — *Ibid.*

Ad quintum dicendum, quod calor ignis, cœlestis et animalis non sunt tres species caloris, sed unus tantum; nam sicut idem calor ignis ut instrumentum virtutis nutritivæ potest generare carnem, ut dicitur 2. *de Anima* (*text.* 50; c. 4), ita idem calor seminis ut est instrumentum virtutis animæ, quæ est in semine, et ut est instrumentum corporis cœlestis, cujus virtute agit, potest operari ad generationem animalis. Ratio autem hujus est, quia vires animæ vegetativæ agunt per calorem et alias naturales qualitates activas et passivas tamquam per instrumenta, licet altiori modo; unde et dicuntur naturales. Et ideo non est mirum, si idem calor ignis ex natura propria dissolvat et consumat, sed generet carnem ut instrumentum vegetativæ; instrumentum enim habet duplicem actionem, unam respondentem sibi ut est instrumentum, alteram propriam sibi ut est talis natura. — *de Pot.* q. 3, a. 8, ad 13 et 14; *Tabula Aurea* voce « anima » n. 360 et 361; 4. *Sent.* dist. 1, q. 1, a. 4, sol. 1.

Ad sextum dicendum, quod calor ignis est maxime activus, quia calor in igne est in summo et perfecte; secus vero calor in aere, in quo est imperfecte et non in summo, ut dictum est (ad *quartum*).

Ad septimum dicendum, quod gravitas terræ et aquæ differunt specie, quia consequuntur complexiones et constituta specie diversa, ut dictum est ex Philosopho (cf. supra q. 37, a. 1); sicut et in simili, forma mixtionis accidentalis specie differt juxta diversitatem specificam mixtorum, quia consurgit ad specie diversam complexionem, quam requirit diversa natura mixti producendi, ut dictum est.

Ad octavum dicendum, quod quia elementa sunt materia mixtorum, ratione materiæ et propriarum qualitatum necesse fuit, cum ex illis omnia mixta constent, ut dictum est (q. 42, a. 6), quod illæ qualitates, quæ sunt propriæ elementorum, participarentur ab aliis; quamquam proprietas, verbi gratia ignis, non est calor quilibet, sed calor in summo, ut dictum est; nam est cum summa siccitate conjunctus. — 2. *de Generat.* l. 3.

ARTICULUS VIII

UTRUM ELEMENTA HABEANT UTRAMQUE QUALITATEM IN SUMMO.

Videtur quod elementa habeant utramque qualitatem in summo.

1. Dicit enim Philosophus (2 *de Generat*

rat. text. 8; c. 2), quod elementa singula constant ex combinatione duarum qualitatum; sed ignis constituitur ex calore summo et summa siccitate : ergo et cetera elementa constabunt qualitatibus in summo, cum eadem sit ratio omnium elementorum. — 2. *de Generat.* l. 2 et 3.

2. Præterea, dicit Philosophus 5. *Phys.* (*text.* 19; c. 2), quod remissio oritur ex admixtione contrarii; sed in quolibet elemento non sunt contrariæ qualitates, cum ex duabus tantum constituatur, quæ non contrariantur, ut patet ex Philosopho 2. *de Generat.* (*text.* 8; c. 2) : ergo in elementis utraque qualitas est in summo. — 5. *Phys.* l. 4; 2. *de Generat.* l. 2.

3. Præterea, cum qualitates activæ et passivæ sint per se elementorum accidentia, oportet quod a principiis essentialibus causentur; unde non potest esse, quod principiis essentialibus manentibus in elementis qualitates deficiant et sint remissæ (nisi per violentiam, quod non potest esse diuturnum): ergo dicendum est, quod in elementis utraque qualitas est in summo. — *de Pot.* q. 5, a. 7, c.

4. Præterea, dicit Philosophus (2. *de Generat. text.* 25 sqq. ; c. 4), quod ex aere et terra fit ignis, corrupta frigiditate terræ et humiditate aeris; sed si una qualitas non est in summo, non potest id fieri, quia si calor in aere est remissus, non erit sufficiens ad generationem ignis, cujus caliditas est in summo : ergo idem quod prius. — 2. *de Generat.* l. 4.

5. Præterea, si in unoquoque elemento sunt duæ qualitates, ut dicit Philosophus (l. c.), et harum una est remissa, sequitur alterationem fieri in instanti. Si enim ignis aget in aerem illius calorem augendo, tale augmentum fiet in instanti, cum non sit in aere qualitas contraria calori, puta frigiditas. Sed alteratio est motus continuus, ut dictum est (q. 36, a. 5): ergo in quolibet elemento utraque qualitas est in summo. — 2. *de Generat.* l. 2.

6. Præterea, cum unicuique elemento conveniat una qualitas, ut dicitur 2. *de Generat. text.* 23 (c. 3), illa maxime debet esse in summo, et non nisi posita illa in summo, debet elementum vendicans illam qualitatem generari, cum elementum constituatur ex combinatione qualitatum sibi propriarum; sed si ponatur una qualitas remissa, altera intensa, sequitur formam substantialem elementi induci in materiam sine summo gradu suæ propriæ qualitatis. Si enim verbi gratia aer per suam humiditatem agat in ignem, ubi destruxit sex gradus siccitatis remissæ ignis : vel in illo instanti inducetur forma aeris, vel non; si *primum,* ergo forma aeris inducetur sine summo gradu suæ qualitatis; si *secundum,* sequitur ignem remanere sine siccitate, quod est absurdum, cum ignis constituatur ex combinatione duarum qualitatum, caliditatis et siccitatis, ut dicitur 2. *de Generat. text.* 16 et 17 (c. 3). Ergo in quolibet elemento est utraque qualitas in summo. — 2. *de Generat.* l. 3.

7. Præterea, qualitas in summo intensa et propria unius elementi non potest manere in alio ; quia cum talis qualitas sit accidens proprium uniuscujusque et ex illius essentia emanet, non debet alteri inesse, cum præsertim singula elementa qualitates sibi proprias vendicent, ex quibus maxime constituantur, ut patet ex Philosopho (l. c.) ; sed si una qualitas est remissa, sequitur qualitatem in summo et propriam unius elementi manere in alio (nam si aer agat in ignem, illius siccitatem destruendo, illam in se convertet; et sic forma aeris inducetur in materiam habentem calorem in summo, quia non est remittens illam; humiditas enim aeris non agit in calorem): ergo dicendum est in elementis esse utramque qualitatem in summo. — *de Pot.* q. 5, a. 7, c.; 2. *de Generat.* l. 3.

Sed contra est, quod Philosophus *de Generat. text.* 37 (c. 6) dicit, quod ignis est calidior aere, et *text.* 23 (c. 3), quod unumquodque elementum habet unam qualitatem sibi propriam (nam terra est magis sicca quam frigida, aqua frigida magis quam humida, aer humidus magis quam calidus, ignis magis calidus quam siccus);

ergo in singulis elementis non est utraque qualitas in summo. — 2. *de Generat.* l. 7 et 3.

Respondeo dicendum, quod in quibusdam elementis utraque qualitas est in summo; in quibusdam neutra est in summo, sed utraque est in gradu remisso; in quibusdam vero una est in summo, altera non, ut ex mox dicendis manifeste constabit. — Primum enim in *igne* utraque qualitas est in summo: — et *calor* quidem, tum ob ignis nobilitatem (vincit enim ignis nobilitate reliqua elementa), tum ob majorem propinquitatem quam habet ad corpus cœleste, tum quia cum sit calidorum omnium calidissimum, debet præhabere in se calorem perfectissimo modo: nam unumquodque inter alia maxime dicitur, ex quo causatur in aliis aliquod univoce prædicatum de illis, ut dicitur 2. *Metaphys. text.* 4 (l. 1 min., c. 1), ubi Philosophus talem propositionem maxime explicat exemplo ignis. (2. *Metaphys.* l. 2.) — *Siccitas* vero: quia cum oriatur ex calore et frigore (calor enim humidum consumit, frigus vero illud comprimit), et potentior sit calor ad humidum tollendum quam frigus, necesse est ut in igne, in quo est summus calor, sit summa siccitas, propter excessum caliditatis, quasi jam humiditate consumpta. (1. *de Generat.* l. 10; 2. *de Generat.* l. 3; *de Sensu et Sensibili* l. 10.)

In *aere* vero neutra qualitas est in summo: — non quidem *calor,* quia est remotior a cœlo quam ignis; virtus autem moventis est minor in remoto quam in propinquo. — Neque *humiditas,* quia cum non sit in aere summus calor (propter majorem distantiam a prima causa caloris, quæ est corpus cœleste), non totaliter resolvitur humiditas; unde necesse est quod remaneat in aere in gradu remisso. (2. *de Generat.* l. 3; *de Sensu et Sensibili* l. 10.)

In *aqua* vero una tantum qualitas est in summo, puta *humiditas.* Ut enim docet Philosophus (2. *de Generat. text.* 49; c. 7), inter simplicia sola aqua est bene terminabilis, et ideo est maxime necessaria in omnibus mixtis; quod idem docet 4. *Meteorol.* c. 5 (4). Et ratio est, quia est causa terminationis omnibus mixtis et proprius locus pl rimorum animalium; præterea, quia in aq est frigiditas faciens ad se fluere humidur quod non facit calor in aere: unde est hun dior aere. Quod sensu etiam patet, quo in camus sensibilia; manifestum enim e omnibus habentibus sensum tactus, qu aqua humidior est quam aer: magis eni humectat et madefacit quam aer, qui p tius exsiccat, cum sit calidus. Et tempo pluviarum aqua intendit humiditatem aeri unde et aer tunc temporis dicitur hum dior. Et hinc est quod oleum et humi viscosa, quæ sunt humida humiditate aere sunt minus humida quam humida aquat ca, ut docet Philosophus (2. *de Genera text.* 11; c. 2), quia nimirum tale humidu est aliquid passum, puta commixtione subtilis terrei. (2. *de Generat.* l. 2, 3, 8 4. *Meteorol.* l. 7; *de Sensu et Sensibili* l. 10. — *Frigiditas* vero non est in aqua i summo, sed est minor quam in terra: tu quia terra est densissima; tum quia, sic calor causatur ex propinquitate ad orbem - cœlum enim, ut dicitur 1. *Meteorol.* c. 4 (3 est causa caloris totius in inferioribus r tione motus velocissimi et ratione lum nis —, ita frigiditas causatur ex distar tia ab orbe. Inter omnia autem element magis distat a cœlo *terra* quam aqua; und terra est omnium frigidissima, sicut ignis o propinquitatem ad cœlum est omnium ca lidissimus. Et per consequens frigiditas no est in aqua in summo, sed est in summo i terra, unde hæc est summe frigida; non ta men est summe sicca, cum in siccitate vin catur ab igne, ut dictum est. (2. *de Gene rat.* l. 3; 1. *Meteorol.* l. 4; *de Sensu et Sen sibili* l. 10.)

Unde manifestum est, quod non in sin gulis elementis est utraque qualitas in sum mo, sed in quibusdam est utraque in sum mo, ut in igne; in quibusdam vero neu tra est in summo, ut in aere; et in quibus dam una est in summo, et altera est remissa ut in aqua et terra.

Ad primum ergo dicendum, quod ele menta ita constituuntur duabus qualitatibus ut in tali constitutione habeatur ratio ordi

is et dependentiæ elementorum a cœlo, x cujus virtute et actione dependet omnis ctio omnium corporum inferiorum, cujusue motus ordinatissimus est quodammodo rincipium totius naturalis ordinis rerum; um virtute corporum superiorum causaur ordo corporum inferiorum, et ratione ajoris vel minoris propinquitatis in eleentis causantur qualitates in tali vel tali adu, ut dictum est (in c.). — *Tabula Au-a* voce « cœlum » n. 69 et 89; voce « eleentum » n. 24.

Ad secundum dicendum, quod omnis missio facta in passo ab agente contrario t per admixtionem contrarii; nam agens er eandem actionem inducit qualitatem ntrariam passo, et corrumpit qualitatem ssi. Omnis enim actio in inferioribus est tione contrarietatis, ut ostendit Philosous *de Sensu et Sensibili* (c. 4); at vero missio facta in re a suo generante non t per admixtionem contrarii: natura enim lis elementi in proposito exigit constituonem duarum qualitatum, ut dictum est n c.). — 5. *Phys.* l. 4; *de Sensu et Senbili* l. 10.

Ad tertium dicendum, quod aliud est, anentibus principiis essentialibus proietates totaliter deficere, vel certe defice- ab illo gradu, quem requirunt ex natu- sua; aliud vero, tales proprietates esse gradu remisso in tali subjecto. Nam prium inconveniens est, non autem secunm, quia natura talis subjecti exigit in a proprietate talem gradum. — *de Pot.* 5, a. 7, c.

Ad quartum dicendum, quod ex terra aere fit ignis purus, corrupta frigiditate rræ et humiditate aeris; quia licet illa liditas non sufficiat, juvatur tamen et tenditur per victoriam corporis cœlestis luce solis et per virtutem aliarum stelrum. — 2. *de Generat.* l. 4.

Ad *quintum* dicendum, quod quia in teratione qualitatum successio oritur ex oc, quod in patiente est qualitas contra-a, quæ resistit actioni agentis alterantis, iam oportet successive expelli; — ideo igmentum caloris fit ab igne in materia aeris in instanti, quia nulla est in aere qualitas contraria resistens igni intendenti calorem aeris; unde fit talis intensio ad modum illuminationis, quæ subito fit, quia non habet contrarium. Non tamen inducitur forma substantialis ignis, nisi expulsa humiditate et siccitate, quod fit in tempore, ratione contrariarum qualitatum resistentium igni alteranti aerem et terram. — 2. *Sent.* dist. 13, q. 1, a. 3, ad 9; *de Sensu et Sensibili* l. 16.

Ad sextum dicendum, quod forma elementi determinat sibi talem passionem primam et in tali gradu, ut dictum est. Aer autem non est humidus in summo, ut dictum est. Unde corruptis sex gradibus siccitatis ignis, statim corrumpitur forma ignis, qui requirit plures gradus siccitatis ad sui conservationem quam unum; et inducitur forma aeris, quam consequitur calor in eo gradu, qui est proprius aeris. — *Ibid.*

Ad septimum dicendum, quod formam substantialem aeris consequitur calor in eo gradu, qui est illi proprius; hoc enim est proprium accidentium per se, ut manifeste patet in reductione aquæ ad pristinam frigiditatem, ut dictum est (supra q. 9, a. 4, ad 9). Et ideo nihil refert, quod ante instans inductionis formæ aeris sit in materia calor ut octo et humor ut septem; nam cum in ea sit dispositio necessitans ad formam substantialem aeris, et cum illa non possit stare forma ignis, necessario debet hæc destrui, et advenire forma aeris. — *de Spirit. Creat.* a. 3, arg. 19; *de Pot.* q. 5, a. 7, c.

Ad argumentum in contrarium dicendum, quod Philosophus 2. *de Generat. text.* 37 satis expresse indicat, aerem non esse calidum in summo, ut dictum est (in c.). In *textu* vero 23 tantum vult, quod unumquodque elementum habet unam qualitatem sibi propriissimam ac primo et immediate convenientem. Cum enim ignis sit siccus in summo, ut dictum est, dicitur a Philosopho magis calidus quam siccus, quia magis proprie qualitas ejus est calor quam siccitas; unde *de Sensu et Sensibili*

THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
ST. MICHAEL'S COLLEGE

(c. 4) dicit Philosophus, quod sicca est natura ignis; sed proprium illius calidum est. Verum siccitas licet sit remissa in terra, ut dictum est (in c.), primo tamen et immediate illi convenit, ut infra (q. 47, a. 3) ostendetur, et docet Philosophus ibidem, cum subdit «terræ vero siccum, sicut dictum est in his, quæ de elementis». — 2. *de Generat* l. 3; *de Sensu et Sensibili* l. 10.

QUÆSTIO XLVI

DE MUTUA TRANSMUTATIONE ELEMENTORUM.

Deinde considerandum est de mutua transmutatione, seu de generatione et corruptione mutua elementorum.

CIRCA QUAM QUÆRUNTUR QUATUOR:

1. Utrum elementa sint generabilia et corruptibilia.
2. Utrum quodlibet elementum possit immediate generari ex quolibet.
3. Utrum elementa symbola facilius transmutentur quam dissymbola.
4. Utrum ex duobus elementis dissymbolis corruptis fiat tertium.

ARTICULUS I

UTRUM ELEMENTA SINT GENERABILIA ET CORRUPTIBILIA.

Videtur quod elementa non sint generabilia et corruptibilia.

1. Quod enim est materia, non potest resolvi in aliam materiam; sed elementa sunt materia mixtorum, ut dictum est ex Philosopho (2. *de Generat. text.* 46; c. 7): ergo elementa non sunt generabilia et corruptibilia. — 5. *Phys.* l. ult.; 2. *de Generat.* l. 8.

2. Præterea, si elementa essent generabilia et corruptibilia, totus mundus destrueretur: nam totum destruitur destructis partibus; elementa autem sunt partes, et præcipuæ universi, ut dictum est: ergo elementa non sunt generabilia et corruptibilia — 2. *de Generat.* l. 2.

3. Sed dices, quod elementa non sunt corruptibilia secundum totum, sed secundum partes. — Contra, eadem est natura et ratio totius et partis; unde Philosophus (1. *de Cœlo text.* 73; c. 7) dicit, quod idem est motus totius et partis, ut totius ignis et scintillæ; sed totum elementum non est generabile et corruptibile: ergo nec pars. — 2. *Sent.* dist. 19, a. 2, ad 2; 1. *de Cœlo* l. 15; 2. *c. Gent.* c. 90.

4. Præterea, ut argumentatur Philosophus (3. *de Cœlo text.* 54; c. 6), omne quod fit, necessario est in aliquo loco; nam omnes motus sunt in aliquo loco (5. *Phys.text.* 8; c. 1). Ergo necesse est quod locus, in quo est elementum, quod generatur nunc, prius fuerit sine corpore, aut contineat aliquod corpus. Si autem *contineat* aliquod *corpus,* sequitur quod duo corpora sint simul, scilicet elementum quod generatur et corpus quod præexistebat; quod est impossibile (non enim potest dici, quod corpus præexistens cedat; si enim cederet, in illo eodem in quo elementum generatur, oporteret ipsum cedere; hoc autem generatur in instanti; ergo in instanti cederet; quod est impossibile, quia cessio non fit nisi per motum localem, qui non est in instanti). — Si autem sit *sine corpore,* cum posterius recipiat corpus, necesse est esse vacuum separatum (vacuum enim dicimus, quod est privatum corpore sensibili et natum est recipere illud); hoc autem est impossibile, ut dicitur 4. *Phys.* (*text.* 64 sqq.; c. 8). Ergo et primum, puta elementa posse generari. — 3. *de Cœlo* l. 10.

Sed contra, Philosophus 2. *de Generat. text.* 24, 25 (c. 4) et 60 (c. 10) dicit, quod elementa sunt transmutabilia, atque adeo generabilia et corruptibilia secundum partes. — 2. *de Generat.* l. 1, 4, 10.

RESPONDEO DICENDUM, quod elementa non sunt generabilia et corruptibilia, seu transmutabilia *secundum totum.* Cujus ratio est, quia ita contraria sunt elementa in mundo, sicut sunt contrariæ qualitates in mixto;

unde *sicut* qualitates contrariæ in mixto non e invicem corrumpunt, quia regulantur t conservantur, ne se mutuo corrumpant er formam substantialem mixti (quæ est npressio quædam cœlestis corporis), — a contraria elementa non se invicem cor-umpunt, quia conservantur per actionem orporis cœlestis, a quo actiones eorum egulantur. Ordo enim corporum inferiorum nservatur virtute superiorum; nihil enim istis inferioribus agit ad speciem, nisi er virtutem corporis cœlestis; unde quam-iu forma habet suum vigorem, ex impres-one corporis cœlestis conservatur et ele-entum secundum totum et corpus mixtum esse. — 2. *Sent.* dist. 19, a. 1, 2, 3; *Malo* q. 5, a. 5, ad 6.

Sunt autem corruptibilia elementa *secun-um partes:* — ut patet *primo* experientia: demus enim ad sensum, quod eadem mate-a, quæ nunc est sub frigiditate aquæ, ali-uando fuit sub caliditate aeris, et quod erat ub caliditate aeris, aliquando est sub liditate ignis. (2. *de Generat.* l. 1.) *Dein-e,* quia omnis generatio est ex contra-is et in contraria; habent autem elementa ontrarietatem ad invicem; nam eorum dif-rentiæ sunt contrariæ: ignis enim est ca-lus et siccus, aer calidus et humidus, qua frigida et humida, terra frigida et cca. (*Ibid.* l. 4.) *Præterea,* ex elementis nerantur mixta; non possent autem hæc illis generari, si manerent elementa in-ansmutata, ut docet Philosophus (2. *de enerat. text.* 46; c. 7); si enim componan-r et congregentur elementa in unum re-anentibus formis et operibus suis, sic nis in una parte compositi erit adurens, aqua fluens, terra incontinua, aer exspi-ns; similiter ignis non ligatus evolabit sur-m, terra autem descendet deorsum, et sic unquam constabit, ut faciat ossa et carnes hujusmodi. (*Ibid.* l. 8.) *Demum,* si ele-enta sunt intransmutabilia, sequitur tolli gmentum elementi, quia si elementa non ansmutantur, oportet quod ignis augmen-m fiat per hoc, quod ignis addatur teri sicut lapis lapidi; hoc autem non st augmentum, sed accumulatio. (*Ibid.* l. 7.) — Unde manifestum est, quod ele-menta secundum partes sunt generabilia et corruptibilia.

Ad primum ergo dicendum, quod ele-menta componuntur ex materia et forma, et ideo non est mirum, si ipsa sint materia mixtorum, et rursum per corruptionem re-solvantur in aliam materiam priorem. — 2. *de Generat.* l. 2.

Ad secundum dicendum, quod elementa non sunt transmutabilia secundum totum, sed secundum partes, ut dictum est (in c.).

Ad tertium dicendum, quod ideo elemen-ta secundum totum non transmutantur, quia mundus destrueretur, cum sint partes essentiales universi, et quia conservantur a cœlo, ut dictum est (in arg. 2); secundum partes vero corrumpuntur, quia habent con-trarietatem; et sol est causa totius genera-tionis per motum: modo enim accedit, et modo recedit.

Vel dic, quod tripliciter aliquid dicitur non ens, ut docet Philosophus (12. *Meta-phys. text.* 11; l. 11. c. 2): *uno* modo, quod nullo modo est; et ex tali non ente nihil fit, quia ex nihilo nihil fit secundum naturam. *Secundo* dicitur non ens ipsa pri-vatio, quæ consideratur in aliquo subjecto; et ex tali non ente fit quidem generatio, sed per accidens, in quantum generatio fit ex subjecto, cui accidit privatio. *Tertio* dicitur non ens ipsa materia prima, quia, quan-tum est ex se, non est ens actu, sed ens in potentia; et ex tali non ente fit generatio per se. — 12. *Metaphys.* l. 2 (1).

Ad quartum dicendum cum Philosopho (3. *de Cœlo text.* 29; c. 2), quod cum quoddam corpus particulare generatur ex alio corpore, ut ignis ex aere, ante genera-tionem ignis aer erat in eodem loco, et sic non est vacuum; neque sequitur quod duo corpora sint in eodem loco, quia ideo gene-ratur ignis ex aere, quia materia aeris est in potentia ad formam ignis, ad cujus proin-de adventum desinit esse forma aeris. — 3. *de Cœlo* l. 8 et 11.

ARTICULUS II

UTRUM QUODLIBET ELEMENTUM EX QUOLIBET IMMEDIATE GENERARI POSSIT.

Videtur quod non quodlibet elementum ex quolibet generari possit.

1. Dicit enim Philosophus (1. *Phys. text.* 44; c. 5), quod quodlibet non fit ex quolibet; sed id contingeret, si ex quolibet elemento fieret quodlibet: ergo quodlibet elementum non fit ex quolibet. — 1. *Phys.* l. 10.

2. Præterea, impossibile est propria accidentia reperiri sine propriis subjectis; ergo si calor est proprium accidens ignis, et frigus aquæ, impossibile est calorem et frigus esse in alio subjecto quam in igne et aqua; at si unum elementum generaretur ex quolibet alio, calor ignis esset in alio elemento ex illo generato: ergo idem quod prius. — 1. *de Generat.* l. 2.

3. Præterea, dicit Philosophus (2. *de Partibus Animal.* c. 2), quod ignis non potest frigidus fieri; sed si quodlibet elementum posset generari ex quolibet, ignis fieri posset ex aqua et terra, et sic frigidus fieret: ergo quodlibet elementum ex quolibet generari non potest. — 2. *de Anima* l. 23.

4. Præterea, dicit Philosophus (5. *Phys. text.* 22; c. 3), quod mutatio debet fieri per medium, cum fit ab extremo in extremum; sed inter elementa duo extrema sunt ignis et terra: ergo ex igne non potest generari terra, nisi prius ex igne generetur aer, et ex aere aqua, et ex aqua terra; et ita non quodlibet elementum generabitur immediate ex quolibet. — 5. *Phys.* l. 5.

5. Præterea, quod generatur ex aliquo, præexistit in illo; sed quod præexistit in alio, non potest esse minus grave vel leve, quam sit in se (nam inexistens et separatum non est majoris virtutis secundum quod hujusmodi, quare nec erit gravius vel levius): ergo cum aer sit gravior igne, non poterit generari ex igne, quia ut in illo præexistit, esset levior se ipso; ergo quodlibet elementum non fit ex quolibet. — 3. *de Cœlo* l. 11.

Sed contra est, quod Philosophus 2. *de Generat.* (*text.* 24; c. 4) dicit, quod ex quolibet elemento generari potest quodlibet elementum; et 3. *de Cœlo* (*text.* 53, 54, 55; c. 6) probat, quod elementa sunt generabilia, et quod non generantur ex non corpore, nec ex alio corpore, nec quodlibet ex seipso, sed generantur ex se invicem mutuo. — 2. *de Generat.* l. 8; 3. *de Cœlo* l. 11.

Respondeo dicendum, quod elementum quodlibet ex quolibet immediate generari potest. Quod manifestum est: — *primo* sensu; videmus enim elementa ad invicem genita; ex igne enim aliquando generatur aer, solum transmutato sicco; aliquando aqua, transmutata utraque qualitate; aliquando terra, solum transmutato calido; et similiter est in aliis. — *Deinde* ratione: quia nisi ita esset, non esset alteratio inter illa secundum passiones tactus, quam tamen videmus inter illa passiones autem inter se prædominantes transmutant elementorum substantiam. — *Præterea,* quia quæcunque sunt contraria, ad invicem transmutantur; nam omnis transmutatio est ex contrario in contrarium (quod enim transmutatur, exit ab illo, a quo transmutatur — moveri enim est, aliter se habere nunc, quam prius; — exiens autem ab illo, a quo transmutatur, oportet ire in aliud, quia non potest ire in privationem omnis speciei quæ per se non invenitur; nec etiam in aliud, quod potest existere cum illo, cum quo transmutatur, quia tunc non necessario transmutatum esset ex illo; quare necessario transmutatur in formam non potentem existere cum illo, tale autem est contrarium: et ita omne quod transmutatur, transmutatur ex contrario in contrarium); omnia autem elementa, sive symbola sive dissymbola, sunt contraria in utraque vel altera qualitate. (4. *de Cœlo* l. 2.) Unde manifestum est, quod ex quolibet elemento potest immediate gene

rari quodlibet. — 2. *de Generat.* l. 4 et 6.

Ad primum ergo dicendum, quod ideo ex quolibet non fit quodlibet, quia actio non potest fieri inter quæcumque immediata, sed unumquodque fit ex opposito; et ideo ex quolibet elemento potest fieri quodlibet elementum, quia quodlibet est cuilibet contrarium vel ratione utriusque qualitatis vel ratione alterius tantum, ut dictum est (in c.). — 1. *Phys.* l. 10.

Ad secundum dicendum, quod calor non est proprietas ignis, nisi quatenus est in summo; potest tamen participari ab alio in gradu remisso, ut dictum est (q. 45, a. 8).

Ad tertium dicendum, quod sensus Philosophi est, quod ignis, quia formalior est, non potest amittere suam naturalem qualitatem (puta calorem), ita ut frigescat omnino, ad differentiam aeris et aquæ, quæ possunt sic alterari, ut amittant suam naturalem qualitatem, ut dictum est (in Logica q. 10, a. 3, quæstiunc. 6, ad 1). — 2. *de Anima* l. 23.

Ad quartum dicendum, quod maxima Philosophi vera est in motu continuo, sive locali sive alterationis sive augmentationis, ut patet ex contextu; at vero transmutatio substantialis elementorum non fit per motum continuum, sed per generationem, quæ est mutatio instantanea, ut dictum est (supra q. 38, a. 2, c.). — 5. *Phys.* l. 5.

Ad quintum dicendum, quod aliud est generari ex alio per alterationem, et aliud per segregationem; quod enim per alterationem generatur, præexistit in potentia tantum, et ideo postquam generatum est in actu, est gravius vel levius simpliciter. Quod autem generatur solum per segregationem, prius existebat in actu in eo, ex quo generabatur; inexistens autem, et separatum non est majoris virtutis, secundum quod hujusmodi; quare nec est gravius nec levius. Sic autem dicebant antiqui fieri generationem, quos refellit Philosophus 3. *de Cœlo* (*text.* 56 sqq.; c. 7). — 3. *de Cœlo* l. 11.

ARTICULUS III

UTRUM ELEMENTA SYMBOLA FACILIUS AD INVICEM TRANSMUTENTUR QUAM DISSYMBOLA.

Videtur quod elementa symbola non facilius transmutantur ad invicem quam dissymbola.

1. Dicit enim Philosophus (1. *de Generat. text.* 23 et 24; c. 4), quod in generatione substantiali non manet ullum accidens sensibile idem numero; ergo in generatione et transmutatione non erit facilior transitus symbolorum quam dissymbolorum, eo quod oportebit utramque qualitatem removeri (sicut in transmutatione dissymbolorum), et simile corrumpi a suo simili (nam generans corrumpit id, quod prius erat), quod tamen dici non potest; ergo elementa symbola non facilius transmutantur ad invicem, quam dissymbola. — *de Generat.* l. 10; *de Spirit. Creat.* a. 3, arg. 19.

2. Sed dices, quod in transmutatione symbolorum una qualitas per se corrumpitur, altera vero symbola per accidens; at in transmutatione dissymbolorum utraque qualitas per se corrumpi debet. — Contra, eadem est proportio unius ad unum, et duorum ad duo; ergo qua facilitate symbolum per unam qualitatem corrumpit oppositam in symbolo, eadem dissymbolum per duas qualitates corrumpit oppositas dissymboli.

3. Præterea, patet sensu, facilius absumi guttam aquæ ab igne quam particulam terræ; sed terra est symbola igni, aqua dissymbola: ergo falsum est, quod facilius symbola ad invicem transmutentur quam dissymbola.

Sed contra est, quod Philosophus 2. *de Generat. text.* 25 (c. 4) dicit, quod facilius elementa symbola ad invicem transmutantur quam dissymbola; et *text.* 34 (c. 5) dicit, quod symbola citius transmutantur quam dissymbola. — 2. *de Generat.* l. 4 et 5.

Respondeo dicendum, quod elementa symbola facilius transmutantur quam dissymbola. Et ratio hujus est, quia, cum symbola conveniant in una qualitate, in eorum transmutatione non est necesse corrumpi nisi unam qualitatem; at in transmutatione dissymbolorum, cum in nulla qualitate conveniant, necesse est corrumpi utramque qualitatem. Facilius autem est transmutari unum quam plura. Cujus ratio duplex afferri potest: *una* est, quia *sicuti* quando anima est in actu unius potentiæ, remittitur actus alterius, eo quod una potentia impeditur in suo actu, quando alia vehementer operatur (quia una potentia de se non sufficit ad tam intensam operationem, nisi ei subveniatur per id, quod erat aliis potentiis influendum a principio vitæ): *ita* proportionaliter, quando forma est in actu unius qualitatis, remittetur actus alterius, et ita citius operabitur per unam qualitatem agendo, quam per duas. — *Altera* est, quia qualitas symbola nullam facit repugnantiam in agendo et patiendo, quam tamen facit qualitas dissymbola: quia cum qualitates elementorum causentur ab ipsis formis substantialibus ipsorum, illa elementa, quæ majorem habent convenientiam in qualitatibus, necessario habent majorem convenientiam in formis substantialibus; et per consequens in dispositionibus materiæ debent facilius ad invicem transmutari. Unde licet oporteat in transmutatione symbolorum ambas qualitates corrumpi; quia tamen qualitas symbola corrumpitur per accidens ad corruptionem subjecti, eademque nullo modo resistit, cum tamen contraria resistat (per calorem enim nec aer habet repugnantiam ad patiendum ab igne ipsum exsiccante, nec ignis habet repugnantiam ad agendum in aerem, quia calor potest stare cum siccitate; at propter frigiditatem aquæ habet ignis majorem repugnantiam agendi in aquam, quia hæc per illam resistit actioni ignis, et ratione ejusdem, quia est in aqua conjuncta cum humiditate, magis hæc resistit siccitati ignis, quam resistat humor aeris ob conjunctionem cum calore actioni ignis): ideo facilior est transitus et transmutatio symbolorum, quam dissymbolorum. — 1. *de Generat.* l. 10; 2. *de Generat.* l. 4 et 5; 4. *Sent.* dist. 44, q. 2, a. 1, sol. 3, ad 4, § *Vel dicendum; de Spirit. Creat.* a. 3, ad 19.

Et ex his patet ad *prima duo objecta.*

Ad tertium dicendum, quod ceteris paribus si solæ qualitates considerentur, symbola facilius transmutantur, quam dissymbola, ut dictum est (in c.); secus vero si alia considerentur, quæ faciunt ad majorem resistentiam, ut est densitas materiæ, quæ est in terra; quo enim aliquid est densius in corporibus elementaribus, eo magis materiale est et passivum. — 2. *de Cœlo* l. 10.

ARTICULUS IV

UTRUM EX DUOBUS ELEMENTIS DISSYMBOLIS CORRUPTIS POSSIT GENERARI TERTIUM ELEMENTUM SYMBOLUM.

Videtur quod ex duobus elementis dissymbolis non possit generari tertium elementum symbolum.

1. Dicit enim Philosophus (2. *Phys. text.* 37; c. 3), quod effectus in actu simul est cum efficiente in actu; sed si ex duobus elementis dissymbolis corruptis posset generari tertium symbolum, daretur effectus in actu, puta symbolum generatum sine suo efficiente: ergo. — 2. *Phys.* l. 6.

2. Præterea, si ex duobus dissymbolis corruptis generari potest tertium symbolum, ex aere et terra corruptis poterit generari ignis, corrupta nimirum frigiditate terræ et humiditate aeris; sed siccitas terræ et calor aeris non sufficiunt ad generationem ignis: nam ignis est calidior aere et siccior terra, ut dictum est (supra q. 45, a. 8): ergo ex duobus dissymbolis non potest generari tertium symbolum. — 2. *de Generat.* l. 4.

3. Præterea, impossibile est duo se mutuo corrumpere, quia nunquam aliquid corrumpitur, nisi propter victoriam corrumpentis super ipsum ex debilitate virium ejus; sed ex duobus dissymbolis corruptis non potest

generari tertium, nisi illa dissymbola se invicem corrumpant : ergo idem quod prius. — 2. c. *Gent.* c. 30 ; 5. *Metaphys.* l. 14.

4. Præterea, ex materia elementorum cum qualitatibus illorum refractis consurgit mixtum, ut dictum est (q. 42, a. 2); sed cum ignis et aqua se corrumpunt (quæ sunt dissymbola), remanet materia utriusque elementi cum qualitatibus illorum refractis : ergo ex duobus dissymbolis corruptis non generatur tertium symbolum.

Sed contra est, quod Philosophus (2. *de Generat. text.* 29 ; c. 4) dicit, quod ex duobus dissymbolis corruptis generatur tertium symbolum. — 2. *de Generat.* l. 4.

Respondeo dicendum, quod ex duobus elementis dissymbolis invicem corruptis potest generari tertium symbolum. Et ratio est, quia si altera qualitas uniuscujusque elementorum dissymbolorum corrumpatur, non est ad invicem generatio ; sed tamen potest aliquod tertium generari, sicut ex igne et aqua, quæ sunt dissymbola, poterit generari terra et aer; et ex aere et terra, ignis et aqua (quando enim aquæ frigiditas corrumpitur et siccitas ignis, fit aer, qui est calidus et humidus; quando vero calor ignis et humiditas aquæ corrumpuntur, remanet siccitas ignis et frigiditas aquæ, et sic generatur terra frigida et sicca. Similiter ex aere et terra potest generari ignis et aqua : quando enim aeris calor et siccitas terræ corrumpuntur, remanet humiditas aeris et terræ frigiditas, et sic generatur aqua frigida et humida; quando vero humiditas aeris et frigiditas terræ corrumpuntur, remanet caliditas aeris et siccitas terræ, et sic generatur ignis calidus et siccus). Hæc autem generatio ignis concessa est ab omnibus, quia ad sensum apparet, quod in lignis, in quibus est humiditas aeris, generatur flamma, quæ maxime ignis est inter ea, quæ naturæ igneæ sunt apud nos; flamma autem nihil aliud est nisi fumus accensus; fumus autem est ex terra et aere, et humiditas aerea exspirans et secum trahens partes terrestres (propter quod denigrantur ea, quæ tangit).

In hac tamen generatione *notandum est,* quod semper necesse est vincere alteram activarum qualitatum et alteram passivarum, ut si ex igne et aqua debeat generari aer, ita debent ignis et aqua se habere, ut unum excedat alterum in una qualitate et excedatur ab illo in altera, ut in proposito calor ignis multum excedat frigiditatem aquæ, et humiditas aquæ excedat siccitatem ignis. Nam talia tunc se mutuo poterunt destruere : humiditas enim aquæ destruet siccitatem ignis, hujus vero calor frigiditatem aquæ, et sic utraque forma (ignis scilicet et aquæ) recedet, et remanebit una materia calida et humida, quam sequitur forma aeris; alioqui non erit possibilis conjunctio elementorum ad tertium generandum. — Et propterea generatio tertii non potest fieri nisi in transmutatione *dissymbolorum,* non autem cum symbola invicem agunt et altera qualitas in utroque corrumpitur, quia tunc non manent ullæ qualitates pro tertio elemento : — quia illa qualitas, quæ relinquitur, aut est eadem aut contraria ; et si quidem fuerit *eadem* in utroque (puta calor in igne et aere), non generabitur aliquod tertium elementum, quia ex una qualitate non potest generari elementum ; si autem fuerit *contraria* (puta siccitas ignis et humiditas aeris), cum sit ista conjugatio impossibilis, nec tunc poterit generari tertium elementum. Similiter autem est in aliis elementis, scilicet in terra et aqua : quia in omnibus talibus una qualitas est eadem, et altera contraria . — Unde patet, quod non nisi ex dissymbolis elementis invicem corruptis potest generari tertium elementum. — 2. *de Generat.* l. 4.

Ad primum ergo dicendum, quod sicut in generatione animalium ex putri, ubi deest generans animatum, supplet vis cœlestis corporis inferiori materiæ impressa, ut dictum est (supra in Physica q. 11, a. 5, ad 10); ita similiter in generatione elementi symboli ex duobus dissymbolis corruptis, cum præsertim, ut dictum est (a. 1 huj. quæst., in c.), nihil in istis inferioribus

agat ad speciem, nisi per virtutem corporis cœlestis.

Ad secundum dicunt quidam, quod non intendit Philosophus, quod ex aere et terra generetur purus ignis, sed aliquid quod maxime participet naturam aeris, sicut exemplificat de flamma. Sed hoc dici non potest, quia Philosophus loquitur de generatione elementorum, et non mixtorum ex elementis; et præterea etiam caliditas flammæ multo intensior est quam caliditas aeris. — Et ideo dicendum, quod generatur purus ignis; et licet caliditas illa non sufficiat, juvatur tamen et intenditur per virtutem corporis cœlestis et luce solis, et per virtutem aliarum stellarum. — 2. *de Generat.* l. 4.

Ad tertium dicendum, quod ideo dissymbola se corrumpunt, quia unum vincit aliud per unam qualitatem activam, et vincitur ab alio per qualitatem passivam, ut dictum est (in c.).

Ad quartum dicendum, quod ad generationem elementorum sufficit combinatio et conjunctio duarum qualitatum; at vero ad generationem mixtorum requiritur conjugatio et conjunctio omnium qualitatum in tali temperie, qualem requirit forma mixti generandi, ut dictum est (q. 42 et 45).

QUÆSTIO XLVII

DE ELEMENTIS IN PARTICULARI.

Deinde considerandum est de elementis in particulari.

CIRCA QUAM QUÆTUNTUR TRIA:

1. Utrum ignis sit calidus et siccus, aer calidus et humidus, aqua frigida et humida, terra frigida et sicca.
2. Utrum ignis habeat ambas qualitates in summo, et similiter alia elementa.
3. Utrum ignis sit magis calidus quam siccus, aer magis humidus quam calidus, aqua magis frigida quam humida, terra magis sicca quam frigida.

ARTICULUS I

UTRUM IGNIS SIT CALIDUS ET SICCUS, AER CALIDUS ET HUMIDUS, AQUA FRIGIDA ET HUMIDA, TERRA FRIGIDA ET SICCA.

Videtur quod *ignis* non sit siccus.

1. Dicit enim Philosophus 2. *de Generat.* (*text.* 10; c. 2), quod subtile est effectus humidi, et ad humidum reducitur, quia est repletivum et bene terminabile termino alieno; sed ignis est corpus subtilissimum, ut dicitur 3. *de Cœlo* (*text.* 42, 43, 47; c. 5): ergo ignis non est siccus, sed potius humidus. — 2. *de Generat.* l. 2; 3. *de Cœlo* l. 9.

2. Præterea, virtus manifestatur per operationem, sicut natura per virtutem; sed ignis humectat: assata enim ab igne sunt magis humida interius quam elixa, ut docet Philosophus (4. *Meteorol.* c. 4, al. 3): ergo ignis non est siccus, sed humidus. — 4. *Sent.* dist. 47, q. 2, a. 1, quæstiunc. 3, arg. 2; 4. *Meteorol.* l. 6.

Videtur quod *aer* non sit calidus et humidus.

3. Dicit enim Philosophus 2. *de Generat.* (*text.* 31; c. 5), quod aer est frigidus; et 1. *de Generat.* (*text.* 24; c. 4), quod aer et aqua sunt symbola, quia sunt ambo frigida: ergo aer non est calidus. — 2. *de Generat.* l. 5; 1. *de Generat.* l. 10.

4. Præterea, dicit Philosophus 1. *Meteorol.* c. 4 (3), quod pars aeris, quæ non circa terram sed longius distat, est calida et sicca; ergo aer non est humidus, sed siccus. — 1. *Meteorol.* l. 4.

5. Præterea, dicit Philosophus *de Sensu et Sensibili* (c. 4), quod aqua inter omnes humores est subtilissima; sed aer est subtilior aqua : ergo aer non habet humiditatem. — *de Sensu et Sensibili* l. 9.

6. Præterea, dicit Philosophus 2. *de Generat.* (*text.* 49; c. 8), quod inter simplicia corpora sola aqua est bene terminabilis termino alieno; sed hæc est definitio humidi, ut patet ex 2. *de Generat. text.* 9 (c. 2): ergo

ola aqua est humida, et ita aer non erit humidus. — 2. *de Generat.* l. 8 et 2.

Videtur quod *aqua* non sit frigida.

7. Aqua enim pluvialis est essentialiter aqua; sed aqua pluvialis est calida: cujus signum est, quod nive descendente non est tanta intensio frigoris sicut in aliis hiemalibus temporibus: ergo aqua non est frigida, sed calida. — 1. *de Generat.* l. 24.

Sed contra est, quod Philosophus 2. *de Generat.* (*text.* 16; c. 3) et *de Sensu et Sensibili* (c. 4) dicit, quod ignis est calidus et siccus; aer calidus et humidus; aqua frigida et humida; terra frigida et sicca. — 2. *de Generat.* l. 3; *de Sensu et Sensibili* l. 10.

Respondeo dicendum, quod necesse est dicere, quod ignis est calidus et siccus, aer calidus et humidus, aqua frigida et humida, terra frigida et sicca. — Et de *igne* quidem primo quod sit *calidus*, manifeste patet: tum quia maxime calefacit — operatio enim manifestat virtutem, ut dictum est (arg. 2) —; tum quia est causa, ut innuit Philosophus (2. *Metaphys. text.* 4; 1 min., c. 1), caloris in omnibus elementis; demum quia tamquam corpori nobilissimo inter elementa et propinquissimo cœlesti corpori debetur qualitas omnium tangibilium nobilissima et maxime activa, quæ est calor. — Quod vero ignis sit etiam *siccus*, probatur, quia, ut docet Philosophus (*de Sensu et Sensibili* c. 4), humida nata sunt pati ab igne; humidum autem non nisi a sicco patitur, tamquam contrarium a suo contrario; præterea, quia siccitas, præsertim maxima, est effectus maximi caloris: intensus enim calor humidum totaliter absumit et proinde in suo subjecto ponit siccitatem. (2. *de Generat.* l. 3; *de Sensu et Sensibili* l. 10; 2. *Metaphys.* l. 2).

Aer vero est natura sua calidus; quod patet: tum quia est propinquus igni, imo contiguus, et non valde distans a corpore cœlesti; tum quia est levis et rarus, sunt autem levitas et raritas ex calore, ut dicit Philosophus 1. *de Generat.* (*text.* 65; c. 8) et 4. *de Cœlo* (*text.* 36; c. 4); tum quia aer generatur ex aqua, corrupta frigiditate a calore, ut dictum est (q. 46, a. 2); tum quia nulla alia conjugatio potest illi competere, quam calidi et humidi. (*de Sensu et Sensibili* l. 10; 1. *de Generat.* l. 22; 4. *de Cœlo* l. 3).

Aqua vero est frigida et humida: *frigida* quidem, tum quia maxime contrariatur igni, cum sit illi dissymbola; tum quia est longe remota a cœlo et igne (frigiditas enim oritur ex distantia ab orbe, sicut caliditas ex propinquitate); demum quia conjugatio competens aquæ necessario involvit frigiditatem: nam conjugatio primarum qualitatum frigiditatem non includens vel est impossibilis vel alii elemento convenit. — Est autem *humida*, quia, ut patet sensu, maxime humectat, et multo magis quam aer (et ratio est, quia in aqua est frigiditas faciens ad se fluere humidum, ratione cujus superat aerem, in quo calor non facit ad se fluere humidum); et quia, cum sit propinqua aeri, debet cum illo in una qualitate convenire, quæ alia esse non potest quam humiditas; demum quia inter corpora simplicia est bene terminabilis termino alieno, ut docet Philosophus (2. *de Generat. text.* 49; c. 7), unde est causa terminationis omnibus mixtis, et est locus plurium animalium, ut docet Philosophus (4. *Meteorol.* c. 5, al. 4). (2. *de Generat.* l. 3 et 8; *de Sensu et Sensibili* l. 10; 4. *Meteorol.* l. 7).

Terra demum est frigida et sicca: *frigida* quidem, tum ob maximam distantiam ab orbe cœlesti, prima causa totius caloris in his inferioribus; tum quia est propinqua aquæ et ratione illius illi symbola. — Est autem *sicca*, tum ob maximam ejus grossitiem; tum quia in terra est frigus condensans et comprimens humidum, quæ est altera causa siccitatis; hæc enim oritur etiam ex caliditate humiditatem consumente. (*de Sensu et Sensibili* l. 10; 2. *de Generat.* l. 3.) — Et sic manifestum est, quod singulis elementis duæ qualitates prædictæ conveniunt.

Ad primum ergo dicendum, quod subtile aliquid dicitur, quia est penetrativum; unde

2. *de Generat.* (*text.* 10; c. 2) dicitur, quod subtile est completivum rei. Eatenus autem aliquid est penetrativum, quia vel est quantitate parvum, vel habet parvam materiam; unde rara subtilia dicuntur, et quo magis aliquid fuerit rarum, eo erit magis subtile. Quia vero rarum potest esse conjunctum vel cum humiditate (ut in aere vel aqua) vel cum siccitate (ut in igne), ideo subtile duplex est, aliud humidum, aliud siccum. — 4. *Sent.* dist. 44, q. 2, a. 2, quæstiunc. 1, in c.; cf. expos. in 1. *ad Corinth.* c. 15, l. 6.

Ad secundum dicendum, quod assata a calore sicco non ideo sunt humidiora interius quam elixa, quia calor humectet, sed quia caliditas sicca sine humiditate desiccando primo partes exteriores constringit poros rei digerendæ, et propter hoc humiditas resoluta interius non potest exire. — 4. *Meteorol* l. 6.

Ad tertium dicendum, quod Philosophus ll. cit. vocat aerem frigidum, non quia sit talis naturaliter, sed quia est talis per accidens. (1. *de Generat.* l. 10.) — *Vel dic,* quod a Philosopho dicitur aer frigidus gratia exempli, non autem secundum veritatem; ut enim docet Philosophus 1. *de Generat.* (*text.* 18; c. 3), quærimus inducendo exempla modum seu manifestationem, non autem subjectum et veritatem, non curantes, utrum scilicet sic se habeat in his terminis vel quibuscunque aliis. (Sic idem Philosophus 2. *de Generat. text.* 35; c. 5, cum dicit, quod ignis est niger et siccus, aqua vero humida et alba, cum tamen albedo et nigredo non sint passiones elementorum, sed mixtorum: non intendit ostendere in igne et aqua illas qualitates, albedinem scilicet et nigredinem, sed tantum intendit manifestare, omnia elementa esse invicem transmutabilia : quia quæcunque contraria sunt, ad invicem transmutantur, omnia autem elementa sunt contraria, sive illa sint symbola sive dissymbola; assumit autem loco propriarum qualitatum alias duas contrarias, puta albedinem et nigredinem.) Et inde etiam est, quod in libris logicis utitur Philosophus exemplis secundum opiniones aliorum Philosophorum, quæ non sunt ind cenda quasi sint verba Aristotelis. — 2. *Generat.* l. 5 et 6; 1. *de Generat.* l. 8.

Ad quartum dicendum, quod Philosoph per partem aeris longe distantem a ter intelligit elementum ignis, sicut per parte aeris prope terram existentem intelligit el mentum aeris, ut patet ex Philosopho 2. *Generat.* (*text.* 16; c. 3). — 1. *Meteor* l. 4.

Ad quintum dicendum, quod Philos phus non dicit, quod aqua sit subtilissin inter omnia humida (hoc enim falsum e ut bene probat objectum), sed quod est i ter humores subtilissima et inter omnia c pora quæ sensibiliter humectant. — *Sensu et Sensibili* l. 9.

Ad sextum dicendum, quod sola aq dicitur a Philosopho inter simplicia be terminabilis, quia hoc verum est de aq secundum quod est in mixto; ut enim Philosophus 4. *Meteorol.* c. 5 (4), mix non terminantur nisi per aquam et terra et plura animalia non nisi in aqua, ta quam in proprio connaturali loco ac natu suæ simili, degunt et quiescunt. — 4. *M teorol.* l. 7; 2. *de Generat.* l. 8.

Ad septimum dicendum, quod aquæ pl viales non sunt ex natura sua calidæ, s frigidæ; sunt tamen ex accidenti calid propter ignem existentem in aere, qui ill miscetur, sicut et nivi. — 1. *de Genera* l. 24.

ARTICULUS II

UTRUM IGNIS HABEAT AMBAS QUALITATES SUMMO, ET SIMILITER ALIA ELEMENTA.

Vide hunc articulum explicatum sup in quæstione 45, art. 8.

ARTICULUS III

UTRUM IGNIS SIT MAGIS CALIDUS QUAM SI CUS, AER MAGIS HUMIDUS QUAM CALIDU AQUA MAGIS FRIGIDA QUAM HUMIDA, TE RA MAGIS SICCA QUAM FRIGIDA.

Videtur quod ignis non sit magis calid

quam siccus, aer magis humidus quam calidus, aqua magis frigida quam humida, terra magis sicca quam frigida: —

1. quia in igne utraque qualitas est in summo, ut dictum est (a. 2, id est q. 45, a. 8); sed « magis » et « minus » denotant intensionem et remissionem: ergo ignis non est magis calidus quam siccus.

2. Præterea, Philosophus 4. *Meteorol.* c. 5 (4) probat, quod aqua est primo humida — *tum* quia est causa humiditatis aliorum; propter quod autem aliquid est tale, illud est primo tale, ut dicitur 1. *Poster.* (*text.* 5; c. 2); *tum* quia multa animalia appetunt consistere in aqua et in ea quiescere sicut in proprio loco — : ergo aer non est primo humidus, sed potius aqua. — 4. *Meteorol.* l. 7.

3. Præterea dicit Philosophus 1. *Meteorol.* c. 4 (3), quod in medio totius mundi est elementum gravissimum et frigidissimum, puta terra; ergo frigiditas non competit primo aquæ, sed potius terræ. — 1. *Meteorol.* l. 4.

4. Præterea, si terra est magis sicca quam frigida, ergo siccitas est intensior quam frigiditas; sed frigiditas terræ est in summo, ut dictum est (a. 2, id est q. 45, a. 8): ergo terra non est magis sicca quam frigida, vel certe non est frigida in summo, ut dictum est.

5. Præterea, si terra est magis sicca quam frigida, ergo superat siccitatem ignis, quia frigiditas terræ est in summo, quam tamen superat siccitas ejusdem; sed ignis, ut dictum est (a. 2, id est q. 45, a. 8), siccior et terra: ergo terra non est magis sicca quam frigida. — 2. *de Generat.* l. 3.

Sed contra est auctoritas Philosophi 2. *de Generat.* (*text.* 23; c. 3), ubi dicit, quod ignis est magis calidus quam siccus, aer magis humidus quam calidus, aqua magis frigida quam humida, terra magis sicca quam frigida. — 2. *de Generat.* l. 3.

Respondeo dicendum, quod tribus modis potest intelligi, quod ignis sit magis calidus quam siccus, et sic de reliquis: — *primo* ita, ut particula « magis » significet intensionem seu excessum unius qualitatis in gradu supra aliam, ut sit sensus, quod calor ignis sit intensior quam siccitas illius; et similiter quod siccitas terræ sit intensior quam ejus frigiditas. Et hic sensus est falsus; nam, ut dictum est (a. 2, sive q. 45, a. 8), in igne utraque qualitas est in summo; in terra vero frigiditas est in summo, non tamen ejus siccitas. — *Secundo* ita, ut particula « magis » comparet unum elementum cum alio, ut sit sensus: ignis est magis calidus quam aer, et minus siccus quam terra. Et hic etiam sensus est falsus; nam, ut dictum est (ibid.), ignis est siccior terra, et aqua est humidior aere, et tamen terra dicitur magis sicca quam frigida, et aqua dicitur magis frigida quam humida, et aer magis humidus quam calidus. — *Tertio* modo ita, ut particula « magis » denotet et significet primitatem, immediationem, principalitatem ac proprietatem, ut sit sensus: ignis est magis primo et immediatius ac principalius et magis proprie calidus quam siccus, et sic de reliquis. Et hic sensus est intentus a Philosopho, ut videre est in contextu 2. *de Generat. textu* citato (23; c. 3) et *de Sensu et Sensibili* c. 4. — 2. *de Generat.* l. 3; *de Sensu et Sensibili* l. 10.

Ad cujus manifestationem *sciendum est primo,* quod quia ab uno simplici non possunt diversa procedere nisi quodam ordine: unum scilicet primo et immediate, et alia secundario et mediante illo, eo quod ab uno simplici non nisi unum procedere potest, ut dicit Philosophus 12. *Metaphys.* (*text.* 49; l. 11, c. 8); — necesse est quod qualitates primæ (quia sunt per se accidentia elementorum) ita ab essentia illorum emanent, ut cum singula duas qualitates habeant, et ex illis constent, ut dicit Philosophus 2. *de Generat.* (*text.* 16; c. 3), una ex illis *primo et immediate ac principaliter* et tamquam *maxime propria* ab essentia elementi emanet, et alia mediante illa, quomodo ab anima plures potentiæ manant. Quoniam ergo igni tribuitur calor et siccitas, aeri calor et humiditas, aquæ frigiditas et humiditas, terræ frigiditas et siccitas, — videndum est in particulari,

utra ex duabus immediatius, principalius et magis proprie ac primo conveniat. — 12. *Metaphys.* l. 10 (7); 1. *Sent.* dist. 2, q. 1, a. 1; 1a, q. 77, a. 6, arg. 1 et ad 1; *de Pot.* q. 5, a. 7, c.; 2. *de Generat.* l. 3.

Ad hujus ergo evidentiam *sciendum est secundo,* quod, ut docet Philosophus 1. *Meteorol.* c. 4 (3), primo elemento seu cœlo circulariter moto, et motis corporibus, quæ sunt in ipso (puta sole et stellis), illa pars inferioris mundi, quæ est ei propinquior, quasi disgregata et rarefacta per motum superioris corporis, accenditur, et sic generatur calor. — Cujus ratio est, quia tota materia corporalis, quæ est sub corpore circulariter moto, est sicut quædam materia existens in potentia ad caliditatem, frigiditatem, humiditatem et siccitatem et ad alias passiones et formas, quæ consequuntur ad hæc; — *præterea,* quia materia reducitur in actum a primo agente: materia enim corporalis fit talis actu per hoc, quod participat de motu, vel non participat (sed immobilis permanet a corpore cœlesti); est enim hoc causa et principium unde motus in istis inferioribus; et ratione motus velocissimi et propriarum qualitatum est fons totius caloris et frigiditatis. Unde fit, ut hæc inferiora recipiant dictas passiones a superioribus non eo quidem modo, quo aqua calefacta recipit ab igne calorem (puta accidentaliter et non secundum naturam), sed ab illis recipiendo ipsam naturam vel formam, secundum quam naturaliter sunt calida vel frigida facta a superiori corpore, multo principalius quam a generante; nam principium generationis primum est corpus cœleste. — 1. *Meteorol.* l. 4.

Hinc sequitur, quod, quia per participationem motus est calor in istis inferioribus, et per elongationem a motu cœlesti frigiditas, necesse est quod illud, quod est frigidissimum in summo et gravissimum (tamquam longissime distans a fonte caloris) sit *terra;* non tamen sit primo et principalius talis, quia frigiditas primo convenit aquæ, tum terræ ex propinquitate ad aquam. Sed illi primo et principalius ac maxime proprie convenit siccitas. Quod patet, *tum* quia propter summam distantiam a fonte caloris terra non resolvitur in humiditatem, sed in ultima grossitie permanet; grossum autem est siccum, ut dicit Philosophus 2. *de Generat.* (*text.* 10; c. 2.); *tum* quia humidum maxime natum est pati a sicco terrestri; *tum* quia terra maxime contrariatur aeri, cum sit illi dissymbola, ut dicitur 2. *de Generat.* (*text.* 16, 24, 25, 49; c. 3, 4, 7), aer autem est primo et maxime proprie humidus; *demum* quia cum terra sit ignobilissimum elementum, ac proinde contineatur a ceteris, habeatque rationem materiæ respectu aquæ, debet habere pro prima et principali passione qualitatem passivam (omnis enim potentia passiva et omnis passio est per materiam, et omnis actio est per formam, ut colligitur ex Philosopho (1. *de Generat. text.* 55; c. 7), et qualitatem minus nobilem, cujusmodi est siccitas respectu humiditatis. (*de Sensu et Sensibili* l. 10; 2. *de Generat.* l. 2, 3, 8; *Tabula Aurea* voce « elementum » n. 16; 1. *de Generat.* l. 20). — Contra vero, quia *ignis* est propinquissimus cœlo, et est inter omnia elementa nobilissimum et causa omnium calidorum, ut dicitur 2. *Metaphys.* (*text.* 4; l. 1 min., c. 1), convenit illi primo et immediate et per se ac maxime proprie caliditas, quæ est maxime activa; secundario vero siccitas propter excessum caliditatis illius quasi humiditate consumpta. (*de Sensu et Sensibili* l. 10; 2. *de Generat.* l. 3). — *Aeri* vero licet competat calor, ut dictum est, non tamen primo, maxime proprie et immediate, nam sic convenit igni, ut dictum est, et aeri ex affinitate ad ignem. Est tamen aer primo humidus: *tum* quia contrariatur terræ, ut illi dissymbolus — unde sicut terra est primo sicca, ita et aer debet esse primo humidus: si enim unum contrarium est in natura, debet esse et aliud, ut dicitur 2. *de Generat.* (*text.* 49; c. 8) —; *tum* quia ad suam humiditatem servandam a natura sic est dispositus, ut sit propinquus aquæ, et sic vaporem suscipiat, qui est calidus et hu-

lus; *tum* quia, cum aer contineatur ab r, habet rationem materiæ respectu is, ut dictum est de terra respectu aquæ. le tribuenda est illi pro passione primo maxime proprie et principalius ei com- ente illa qualitas, quæ est passiva; et n sit nobilius elementum quam terra, et etiam illi competere qualitas passiva ilior, quæ est humiditas respectu sicci- s, ut dictum est. (*de Sensu et Sensibili* 0; 2. *de Generat.* l. 8.) — Unde mani- um est, quod ignis est magis calidus m siccus, aer magis humidus quam calidus, aqua magis frigida quam humida, terra magis sicca quam frigida, ut dicit Philosophus.

Ad primum ergo dicendum, quod « magis » denotat principalitatem, immediationem et primitatem unius qualitatis supra aliam, ut dictum est (in c.). — Idem dicendum ad *tertium, quartum* et *quintum.*

Ad secundum dicendum, quod aqua est primo humida respectu mixtorum, quia est causa terminationis in illis simul cum terra, ut dicit Philosophus 4. *Meteorol.* c. 5. (4). — 4. *Meteorol.* l. 7.

INDEX

QUÆSTIONUM ET ARTICULORUM

QUÆ IN HAC SECUNDA SECUNDÆ SUMMÆ PHILOSOPHICÆ

E. D. THOMÆ DOCTRINA CONTINENTUR.

IN LIBROS DE CŒLO ET MUNDO

QUÆSTIO XXVI

DE EXISTENTIA MUNDI

. I. — Utrum mundus semper fuerit. 2
II. — Utrum mundum incepisse sit articulus fidei, an vero sit conclusio demonstrata, ita ut mundum semper fuisse sit impossibile 7

QUÆSTIO XXVII

DE PRODUCTIONE MUNDI

t. I. — Utrum creare sit ex nihilo facere 12
II. — Utrum creatio sit mutatio . . 13
III. — Utrum creatio sit aliquid in creatura; et si est, quid sit. 15
IV. — Utrum Deus possit aliquid creare. 18
V. — Utrum solius Dei sit creare. . 21
VI. — Utrum creari sit proprium compositorum et subsistentium. 26
VII. — Utrum necesse sit omne ens atque adeo mundum esse creatum a Deo 27
VIII. — Utrum materia prima sit creata a Deo 29
Art. IX. — Utrum mundus seu res omnes processerint a Deo per necessitatem naturæ an vero per arbitrium voluntatis . . . 31

QUÆSTIO XXVIII

DE PROPRIETATIBUS MUNDI

Art. I. — Utrum mundus sit tantum unus an plures 33
II. — Utrum mundus sit perfectus . 34
III. — Utrum Deus potuerit facere universum perfectius . . . 37

QUÆSTIO XXIX

DE NATURA CŒLI

Art. I. — Utrum cœlum habeat materiam vel illa careat, seu utrum sit compositum ex materia et forma. 39
II. — Utrum cœlum habeat materiam diversæ rationis, an ejusdem cum materia sublunarium . 43
III. — Utrum cœlum sit animatum. 46
IV. — Utrum cœlum sit ingenerabile et incorruptibile. 51

QUÆSTIO XXX

DE UNITATE ET PLURITATE CŒLORUM

Art. I. — Utrum cœlum sit unum tantum, an vero sint plures . . 55
II. — Utrum omnes cœli sint ejusdem speciei 56

QUÆSTIO XXXI

DE MOTU CORPORUM CŒLESTIUM

Art. I. — Utrum motus cœli sit naturalis. 57
II. — Utrum motus cœli sit a propria forma substantiali an vero ab intelligentia. . . . 59
III. — Utrum motus cœli sit immediate a Deo an vero ab intelligentia seu angelo. . . . 61
IV. — Utrum potentia motiva in angelo movente cœlum sit realiter distincta ab intellectu et voluntate 63
V. — Utrum motus cœli aliquando cessabit. 65
VI. — Utrum cessante motu cœli remaneant elementa 69
VII. — Utrum cessante motu cœli remaneat actio et passio in elementis 72
VIII. — Utrum cessante motu cœli remaneant plantæ et animalia bruta et corpora mineralia . 74
IX. — Utrum corpora humana maneant motu cœli cessante. . 77

QUÆSTIO XXXII

DE ACTIONE CORPORUM CŒLESTIUM IN CORPORA INFFRIORA

Art. I. — Utrum aliquod corpus sit activum 79
II. — Utrum corpora cœlestia sint causa eorum, quæ hic in inferioribus fiunt 82
III. — Utrum corpora cœlestia sint causa humanorum actuum . 86
IV. — Utrum corpora cœlestia imponant necessitatem his quæ eorum actioni subduntur. . 89
V. — Utrum cœlum tantum agat in hæc inferiora per lumen et motum 91

QUÆSTIO XXXIII

DE ACCIDENTIBUS CŒLI

Art. I. — Utrum in corporibus cœlestibus sint accidentia sicut in corporibus inferioribus. . . . 9
Art. II. — Utrum accidentia cœli sint ejusdem speciei cum accidentibus corporum sublunarium. 9
III. — Utrum maculæ lunæ causentur ex interpositione alicujus corporis inter nos et lunam . . 9

QUÆSTIO XXXIV

DE ELEMENTIS SECUNDUM QUOD SUNT PARTES UNIVERSI

Art. I. — Utrum qualitates motivæ elementorum differant specie . 9
II. — Utrum gravia et levia moveantur effective a propriis formis an vero a generante vel a medio. 10
III. — Utrum sint plura elementa gravia quam levia 10
IV. — Utrum omnia elementa præter ignem habeant gravitatem et gravitent in propriis locis . 10
V. — Utrum motus naturalis elementorum sit velocior in fine . 10
VI. — Utrum locus ignis sit concavum lunæ, aeris vero superficies concava ignis, et sic de singulis. 10
VII. — Utrum projecta moveantur ab aere an vero a virtute impressa 1
VIII. — Utrum projecta moveantur velocius in principio quam in medio vel in fine 1

IN LIBROS DE GENERATIONE ET CORRUPTIONE

IN LIBRUM PRIMUM

QUÆSTIO XXXV

DE GENERATIONE ET CORRUPTIONE IN COMMUNI

Art. I. — Utrum generatio recte a philosopho definiatur 1
II. — Utrum terminus generationis sit forma an compositum. . 1
III. — Utrum de ratione generationis sit, ut terminus formalis illius seu forma accipiat esse per illam. 1

rt. IV. — Utrum omnis generatio sit ab univoco. 120
V. — Utrum idem accidens numero maneat in genito et in corrupto. 121
VI. — Utrum materia sit immediatum subjectum inhæsionis omnium accidentium . . . 124
VII. — Utrum in generatione compositi substantialis fiat resolutio compositi præcedentis usque ad materiam primam . . . 126
VIII. — Utrum generatio sit mutatio successiva an vero instantanea. 128
IX. — Utrum generatio unius sit corruptio alterius. 129
X. — Utrum generationes et corruptiones rerum naturalium sint naturales. 130
XI. — Utrum expulsio formæ substantialis præcedentis et introductio formæ sequentis sint idem 132
XII. — Utrum expulsio formæ substantialis præcedentis sit naturaliter prior quam introductio formæ sequentis. 134
XIII. — Utrum expulsio formæ præcedentis et introductis sequentis sint in instanti 136

QUÆSTIO XXXVI

DE ALTERATIONE

Art. I. — Utrum recte tradita sit a Philosopho definitio alterationis . 138
II. — Utrum alteratio sit tantum ad tertiam speciem qualitatis . 139
III. — Utrum aliqua qualitas possit intendi et remitti. 140
IV. — Utrum intentio qualitatis fiat per additionem similis formæ 143
V. — Utrum alteratio sit motus continuus 147
VI. — Utrum in motu alterationis, puta calefactionis, sit tantum unus motus, recessus a frigore et accessus ad calorem. 151
VII. — Utrum qualitates contrariæ summe intensæ possint esse in eodem subjecto per potentiam Dei 152
VIII. — Utrum naturaliter possint in eodem subjecto esse qualitates contrariæ in gradu remisso 153
IX. — Utrum indivisibile possit alterari 156

QUESTIO XXXVII

DE RAREFACTIONE

Art. I. — Utrum rarefactio sit alteratio. 157
II. — Utrum per rarefactionem acquiritatur nova quantitas . 160

QUÆSTIO XXXVIII

DE AUGMENTATIONE

Art. I. — Utrum definiatur a Philosopho augmentatio 162
II. — Utrum augmentatio formaliter consistat in additione quantitatis alimenti ad quantitatem viventis, an vero in extensione viventis consequente talem additionem . 164
III. — Utrum augmentatio sit motus continuus. 167
IV. — Utrum idem vivens numero maneat ante et post augmentationem, seu in toto vitæ tempore 169
V. — Utrum vivens augeatur secundum omnes partes . . . 171
VI. — Utrum alimentum convertatur in naturam alti 173
VII. — Utrum alimentum sit simile nutrito 178

QUÆSTIO XXXIX

DE CONTACTU

Art. I. — Utrum agens et patiens debeant se tangere, atque adeo simul esse 179

QUÆSTIO XL

DE ACTIONE

Art. I. — Utrum idem possit agere in scipsum 183
II. — Utrum simile possit agere in simile 186

QUÆSTIO LXI

DE REACTIONE

Art. I. — Utrum omne agens agendo repatiatur. 189

QUÆSTIO XLII

DE MIXTIONE

Art. I. — Utrum mixtio sit possibilis . 191
II. — Utrum mixtio recte definiatur, quod sit miscibilium alteratorum unio 194

Art. III. — Utrum ad productionem mixti necessario requirantur omnia quatuor elementa . . . 195
IV. — Utrum elementa maneant in mixto actu secundum formas substantiales 197
V. — Utrum in mixto remaneant elementa secundum proprias qualitates 202
VI. — Utrum dispositio ad formam substantialem mixti sit qualitas simplex, an vero composita ex qualitatibus elementorum ad medium reductis. . 203
VII. — Utrum dari possit mixtum æquale ad pondus 206

IN LIBRUM SECUNDUM

QUÆSTIO XLIII — PARS PRIOR

DE NUMERO ELEMENTORUM

Art. I. — Utrum elementa sint quatuor. 210

QUÆSTIO XLIII — PARS ALTERA

DE QUIDDITATE ELEMENTORUM

Art. I. — Utrum recte sit assignata definitio elementi 215
II. — Utrum qualitates sive activæ sive motivæ elementorum sint formæ substantiales illorum. 217

QUÆSTIO XLIV

DE QUANTITATE ELEMENTORUM

Art. I. — Utrum elementa habeant terminos magnitudinis et parvitatis 219

QUESTIO XLV

DE QUALITATIBUS ACTIVIS

Art. I. — Utrum calor, frigus, humor et siccitas sint primæ qualitates 223
II. — Utrum calor, frigus, humor et siccitas sint qualitates positivæ 22
Art. III. — Utrum qualitates prædictæ sint omnes activæ . . . 227
IV. — Utrum qualitates primæ activæ bene a Philosopho definiantur 228
V. — Utrum qualitates primæ passivæ recte a Philosopho definiantur 230
VI. — Utrum qualitates primæ sint tantum quatuor 232
VII. — Utrum qualitates symbolæ elementorum sint ejusdem speciei 234
VIII. — Utrum elementa habeant utramque qualitatem in summo 236

QUÆSTIO XLVI

DE MUTUA TRANSMUTATIONE ELEMENTORUM

Art. I. — Utrum elementa sint generabilia et corruptibilia 240
II. — Utrum quodlibet elementum ex quolibet immediate generari possit 242
III. — Utrum elementa symbola facilius ad invicem transmutentur quam dissymbola . . . 243
IV — Utrum ex duobus elementis dissymbolis corruptis possit generari tertium elementum symbolum 244

QUÆSTIO XLVII

DE ELEMENTIS IN PARTICULARI

Art. I. — Utrum ignis sit calidus et siccus, aer calidus et humidus, aqua frigida et humida, terra frigida et sicca 246
II. — Utrum ignis habeat ambas qualitates in summo, et similiter alia elementa 248
III. — Utrum ignis sit magis calidus quam siccus, aer magis humidus quam calidus, aqua magis frigida quam humida, terra magis sicca quam frigida 248

Typ. M. Schneider, 185, rue de Vanves — Paris.

SUMMA PHILOSOPHIÆ

E

D. THOMÆ AQUINATIS

DOCTRINA

TOM. II. SECT. IV. — PHYSICÆ PARS TERTIA.

IMPRIMATUR

Fr. Raphael PIEROTTI, O. P.

S. P. A. Magister.

CONSPECTUS

TOTIUS OPERIS

TOMI TRES, IN SEX SECTIONES DIVISI

TOMUS I	Sectio i.	— Logica
	Sectio ii.	— Physica, pars prima
TOMUS II	Sectio iii.	— Physica, pars secunda
	Sectio iv.	— Physica, pars tertia
TOMUS III	Sectio v.	— Ethica
	Sectio vi.	— Metaphysica

BIBLIOTHECA THEOLOGIÆ ET PHILOSOPHIÆ SCHOLASTICÆ
SELECTA ATQUE COMPOSITA
A FRANCISCO EHRLE, S. J.

SUMMA PHILOSOPHIÆ

EX VARIIS LIBRIS

D. THOMÆ AQUINATIS DOCTORIS ANGELICI

IN ORDINEM

CURSUS PHILOSOPHICI

ACCOMMODATA

A COSMO ALAMANNO, S. J.

EDITIO JUXTA ALTERAM PARISIENSEM VULGATAM A CANONICIS REGULARIBUS ORD. S. AUG. CONGREGATIONIS GALLICANÆ

ADORNATA

AB AUGUSTINO BRINGMANN, SOC. JES. PRESB.

TOMUS II — SECTIO IV — PHYSICÆ PARS TERTIA

PARISIIS, MDCCCXC
SUMPTIBUS P. LETHIELLEUX, BIBLIOP.-EDITORIS
10, VIA DICTA « CASSETTE », 10
ET APUD FRED. PUSTET, S. SEDIS APOSTOL. TYP., RATISBONÆ ET NEO-EBORACI

SERENISSIMO PRINCIPI

MAURITIO

S. R. E. CARDINALI A SABAUDIA

COSMUS ALAMANNUS SOCIETATIS JESU

Quam belle, quam apte, quam decore opus hoc animasticum e D. Thomæ doc-
rina Tuo sapientissimo nomini consecratum emittatur in lucem, nemo est, sere-
nissime Princeps, qui non videat; nemo est qui non intelligat; nemo nisi sit inops
udicii et rationis expers, qui non ultro et non quæsitus fateatur et prædicet. Et-
nim sive quæ de animi consilii rationisque participis origine longe a veritatis semita
el acuti naturæ investigatores tradidere spectemus, sive quæ fidei lumine illu-
trati sapientissimi sanctissimique Doctores discussis errorum tenebris et veritatis
uce patefacta docuerunt: non nisi Tui augustissimi nominis splendore foras pro-
lire potuit et elucere quam plurimis. Illorum dixere non pauci, tetra errorum
aligine circumfusi, conditos a Deo ex æternitate rationis compotes animos: his
iberum esse cum humano corpore, quod qualeque placuerit, colligari, illudque
ormare; sapientiores vero ex innumera corporum multitudine perfectius nobi-
iusque sibi eligere quod forment et figurent, quod colorent et animent. Contra
ero qui divino munere in tantis errorum tenebris et inscitiæ clarissimum veritatis
umen attulerunt, constantissime pugnant animos consilii rationisque participes
on ex æternitate, sed initio temporis fabricatos; non generatione conditos, sed
reatione; non extra corpora loco in aliquo eorum naturæ congruo constitutos, sed
præpotente totius universitatis parente, sapientissimo rerum omnium architecto,
lum illos procrearet, in humana corpora infusos, et dum infunderet, procreatos.
Arctissimis præterea vinculis animos ita corporibus obstrictos esse contendunt,
t quemadmodum in humano tantum includi corpore compos rationis animus
ppetit, et non nisi ab animo participe rationis animari et perfici corpus huma-
num; ita, quo amoris ac necessitudinis vinculo individuus animus et individuum
orpus arctissime devincta se mutuo complectuntur, non nisi cum acerbissimo sum-
noque doloris sensu unio laxetur. Verissima esse hæc omnia, quippe quæ doctrinæ
divinitus traditæ maxime consentanea videntur, non nego; rejicienda vero penitus
lla alia tanquam commentitias futilesque sententias, verius dicam tanquam falsas
piniones erroresque turbulentos non infitior. Ex utroque tamen genere rerum
am dissimilium et inter se pugnantium tanquam e tenebris lucem aliquam veri-
atis erui posse contendo. Amabo Te, sapientissime Cardinalis, amat individuus
nimus cum individuo corpore colligari, peramat hoc ab illo figurari et perfici, et
mnino refugit alienum. Quid ergo mirum, si a Te uno tanquam optimo genitore
neus hic qualiscumque fœtus imperfectus et rudis animari et perfici, si e tenebris

ad lucem vocari, si hominum ignoratione occultus et latens ad commendationem et laudem expetit excitari. Materia sine ulla specie omni carens qualitate forma speciem cupidissime appetit, eaque gaudet ut summo bono, ejusque absentiam ut summum malum aspernatur et horret. Quia tamen ad id naturæ solius ductu, non mentis, qua caret, instinctu impellitur, non ut femina virum, ut philosophorum principis utar exemplo, vitæ laborumque sociæ ac consortis speciem formamque desiderat. At meum hoc e D. Thomæ doctrina tanquam e visceribus et sanguine compactum corpus, triplicisque animæ cognitione ut vitalis auræ afflatu fictus formatusque fœtus non nisi tui amplissimi augustissimique nominis splendore quasi quodam cœlesti spiritu colorari splendidius, illustrius figurari, animari ac perfici magnificentius et gloriosius non alieno impulsu, sed sua sponte, non naturæ tantum ductu et imperio, sed impetu mentis et voluntate ardentissima appetit deposcit expetit. Quo enim alio se verteret, quæso Te, sapientissime Cardinalis, ut melior efficeretur et grandior? Ad quem alium ad sui absolutionem perfectionemque, opem petiturus fidentius amantiusque confugeret? quem illustriorem patronum, laudatoremque magis laudatum appellaret et obtestaretur? quem denique aptiorem imploraret et exposceret cum ad laudis et gloriæ splendorem obtinendum, tum vituperationem obtrectationemque invidorum, quæ solet lacerare plerosque, omnino vitandam? Benigne igitur et amanter accipe, Cardinalis augustissime, perexiguum hoc munus ac tenue, ingenti tamen ac benevolentissimo profectum ex animo: rudem hunc et imperfectum mentis fœtum antiquissimæ stirpis regiique generis claritate et amplitudine figurandum, eximiæ doctrinæ singularisque prudentiæ splendore colorandum, angelicæ puritatis, caritatis ingenitæ liberalitatis, benignitatis, ceterarumque virtutum omnium ornamentis animandum, poliendum, clarissimi nominis et amplissimæ dignitatis, qua toti terrarum orbi ut cœleste quoddam Sydus præfulges, auctoritate perficiendum et ornandum humaniter excipe; meque tua ob innumera, eaque maxima beneficia Societati nostræ universæ, Josepho fratri carissimo et amantissimo, tuæ conscientiæ moderatori et arbitro, mihi tui percupido observantissimoque collata utere non ut imperatore, quod vulgo dici solet, sed ut milite, verius dicam ut servo addicto dedito obstricto. Vale.

AD BENEVOLUM LECTOREM

Habes in hoc quarto volumine, benigne Lector, quæ Doctor Angelicus cum de ıima in universum, tum de singulis particulatim, et præcipue de illa, quæ est ırticeps rationis, accurate et exquisite disputavit. Habes ingentem immensumıe campum, in quo se de divino sempiternoque animorum omnium conditore tuæ ɔgitatio mentis salutariter exerceat. Habes ad illius amorem concipiendum, conmandum augendumque apertum cursum. Tanti veroro opificis et architecti laundi, colendi et quantum licet humanitus assequi, imitandi occasionem postremo bi opere, ut spero, propediem daturus, unum illud te rogatum et oratum velim, si qua tibi opinio de rebus ad animi naturam, functiones et vires spectantibus ob iversas Doctorum sententias minus arriserit, si eam ratio non convincit, ne repuıes, eamque libenti animo tam eximii, tam sancti sapientisque Doctoris auctoriıe fultam non refellendam, non rejiciendam, sed jure meritoque ut gravem ıamque sententiam confirmandam, recipiendam sequendamque fateare. Vale.

Attestatio Rever. P. Fr. Francisci Ghetii de Como Sacræ Theologiæ Lectoris primi in conventu S. Thomæ de Papia Ordinis Prædicatorum.

Præclarissimi Viri Patris Cosmi Alamannii e Societate JESU Quæstiones de Anima decerptas ı officina D. Thomæ Aquinatis jussu Admodum Reverendi Patris Inquisitoris legi et examiıvi, nihilque in eis quod regulis novi Indicis Librorum repugnet animadverti, quin potius ıs mira subtilitate donatas, admirabili arte ordinatas, Angelica doctrina plenas, omni ıde dignas, omnibus numeris ita absolutas judicavi, ut omnes lectores vereque philosohantes in admirationem sui auctoris trahant.

Datum Papiæ die 16 Julii 1622.

Ita est. — Ego Fr. Franciscus Ghetius de Como,
Sacræ Theologiæ Lector Ordinis Prædicatorum qui supra, etc.

Fr. Deodatus Seghitius de Lauda, Inquisitor Papiæ.

Vidit SACCUS, pro Excellentissimo Senatu.

EX EDITONE PRIMA, PAPIÆ 1623.

Rever. Patris Fr. Francisci Ghetii de Como, Sacræ Theologiæ Lectoris primi in conventu S. Thomæ de Papia, Ordinis Prædicatorum,

EPIGRAMMA IN LAUDEM AUCTORIS

Ad Lectorem.

Dum scribit de Anima hic, animam se monstrat Aquini,
Omnisciumque Thomam semper amare docet.
Mentis Aristotelis Thomas fuit arbiter almus ;
Mentis Aquinatis fidus et iste Pater.
Sic quoque mirandam Cosmus penetravit abyssum
Ut similis post tot sæcula nullus erit.
Archanum Angelicum reseravit ut Angelus alter;
Lector, habes quidquid concupiisse potes.

BREVIS CONSPECTUS

SCRIPTORUM S. THOMÆ

QUÆ IN EDITIONE ROMÆ AN. 1570 VULGATA

CONTINENTUR

Summa Theologiæ; Ia (scil. prima pars), Ia 2æ (scil. prima pars secundæ partis), 2a 2æ (scil. secunda pars secundæ partis), 3a (scil. tertia pars).

Summa contra Gentiles; II. 4 c. Gent.

Quæstiones disputatæ de potentia Dei, de malo, de spiritualibus creaturis, de anima, de unione Verbi, de virtutibus in communi, de caritate, de correctione fraterna, de spe, de virtutibus cardinalibus, de veritate.

Quodlibeta 12.

Scriptum in 4 libros Sententiarum.

Commentarii in 2 lib. Perihermenias, in 2 lib. Posteriorum Analyticorum, in 8 lib. Physicorum, in 4 lib. de Cœlo et Mundo, in 2 lib. de Generatione et Corruptione, in 4 lib. Meteorum, in 3 lib. de Anima, in lib. de Sensu et Sensato, de Memoria et Reminiscentia, de Somno et Vigilia *, de Somniis *, de Divinatione per Somnum *, in 12 lib Metaphysicorum (de Causis.), in 10 lib. Ethicorum, in 8 lib. Politicorum (1).

Opuscula : 1. Contra errores Græcorum. — 2. Compendium theologiæ. — 3. Declaratio quorundam articulorum contra Græcos, Armenos et Saracenos. — 4. De duobus præceptis caritatis. — 5. De articulis fidei et sacramentis ecclesiæ. — 6. Expositio super symbolum Apostolorum. — 7. Expositio orationis dominicæ. — 8. Expositio salutationis angelicæ. — 9. Responsio de 108 articulis *. — 10. Responsio de 42 articulis. — 11. Responsio de 36 articulis. — 12. Responsio de 6 articulis ad lectorem Bisuntin. — 13. De differentia divini verbi et humani. — 14. De natura verbi intellectus. — 15. De substantiis separatis. — 16. De unitate intellectus contra Averroistas. — 17. Contra retrahentes a religionis ingressu. — 18. De perfectione vitæ spiritualis. — 19. Contra impugnantes Dei cultum et religionem. — 20. De regimine principum. — 21. De regimine Judæorum. — 22. De forma absolutionis. — 23. Expositio primæ decretalis. — 24. Expositio super secundam decretalem. — 25. De sortibus. — 26. De judiciis astrorum. — 27. De æternitate mundi. — 28. De fato. — 29. De principio individuationis. — 30. De ente et essentia. — 31. De principiis naturæ. — 32. De natura materiæ et dimensionibus interminatis — 33. De mixtione elementorum. — 34. De occultis operibus naturæ. — 35. De motu cordis. — 36. De instantibus. — 37. De quatuor oppositis. — 38. De demonstratione. — 39. De fallaciis. — 40. De propositionibus modalibus. — 41. De natura accidentis. — 42. De natura generis *. — 43. De potentiis animæ *. — 44. De tempore. — 45. De pluralitate formarum *. — 46. De dimensionibus interminatis. Cf. n. 32. — 47. De natura syllogismorum *. — 48. Summa totius Logicæ Aristot. *. — 49. De sensu resp. singularium et intellectu resp. universalium *. — 50. De inventione medii *. — 51. De natura luminis *. — 52. De natura loci *. — 53. De intellectu et intelligibili *. — 54. De quo est et quod est *. — 55 et 56. De universalibus *. — 57. Officium de festo corp. Chr. — 58. De sacramento altaris *. — 59. De sacramento eucharistiæ *. — 60. De humanitate J. Chr. *. — 61. De dilectione Chr. et proximi *. — 62. De divinis moribus *. — 63. De beatitudine *. — 64. De modo confitendi *. — 65. De officio sacerdotis *. — 66. Expositio missæ *. — 67. De emptione et venditione ad tempus *. — 68. Epistola de modo acquirendi scientiam *. — 69. Expositio in lib. Boethii de hebdomadibus. — 70. Quæstiones in lib. Boethii de Trinitate. — 71. De vitiis et virtutibus *. — 72. De concordantiis *. — 73. De usuris *.

Expositio : in Job, in Psalmos, in Cantica Canticorum, in Isaiam, in Jeremiam, in Threnos [in Matthæum et Joannem]; Catena aurea in quatuor evangelia ; expositio in epist. S. Pauli, in Genesim *, in Danielem *, in lib. Machabæorum *, in epist. canonicas *.

(1) De aliis quibusdam commentationibus quæ nonnunquam in hac *Summa Philosophica* citantur, vide annotata in præfatione hujus editionis, tom. I, pp. VI-IX ; et in notis, tom. III, p. 180 ; tom. IV, p. 228.

SUMMÆ

PHILOSOPHICÆ

E DIVI THOMÆ DOCTORIS ANGELICI

DOCTRINA

TERTIA SECUNDÆ

Post considerationem elementorum se-
eretur consideratio mixtorum tum im-
rfectorum tum perfectorum. Verum quia
c omnia persequi, secundum quod
ateria requirit, esset opus immensum ;
eo hac prætermissa, tractationem aggre-
emur corporis animati. Quoniam vero
rpus animatum duabus partibus con-
at, corpore scilicet et anima ; de utraque
emus, præcipue tamen de anima : tum
ia cognitio corporis animati fere tota
ndet ex cognitione animæ, cum omnia
rpora animata in illa conveniant, et
r talem animam inter se singula distin-
antur ; tum quia cum anima sit forma,
illius cognitio perfectior est atque nobi-
r. Consideratio autem animæ in com-
uni erit bipartita ; nam primum consi-
rabimus ejus essentiam, deinde pro-
ietates.

QUÆSTIO XLVIII

DE ESSENTIA ANIMÆ.

CIRCA PRIMUM QUÆRUNTUR OCTO:

1. Utrum anima sit corpus.
2. Utrum anima sit composita ex materia et forma.
3. Utrum anima sit ipsum corpus animatum, puta planta, equus, homo ; an vero corpus animatum, puta planta, equus, homo, sit compositum ex anima et corpore.
4. Quot sint genera animarum.
5. Utrum prior definitio animæ a Philosopho allata sit conveniens.
6. Utrum posterior definitio ejusdem sit conveniens.
7. Utrum anima sit in toto corpore, et in qualibet parte corporis.
8. Utrum anima sit in toto corpore indivisibiliter, ita ut sit tota in toto, et tota in qualibet parte ejus ; an vero divisibiliter, ita ut tota sit in toto, et pars in parte.

ARTICULUS I

UTRUM ANIMA SIT CORPUS.

Videtur quod anima sit corpus.

1. Anima enim est motor corporis. Non autem est movens non motum: *tum* quia videtur quod nihil possit movere, nisi moveatur (quia nihil dat alteri quod non habet; sicut quod non est calidum non calefacit); *tum* quia si aliquid est movens non motum, causat motum sempiternum, et eodem modo se habentem, ut probatur 8. *Phys.* (*text.* 43 sqq.; c. 5 et 6); quod non apparet in motu animalis qui est ab anima. Ergo anima est movens motum. Sed omne movens motum est corpus. Ergo anima est corpus. — 1a, q. 75, a. 1, arg. 1.

2. Præterea, omnis cognitio fit per aliquam similitudinem; non potest autem esse similitudo corporis ad rem incorpoream: ergo si anima non esset corpus, non posset cognoscere res corporeas. — *Ibid.* arg. 2.

3. Præterea, moventis ad motum oportet esse aliquem contactum; sed contactus non est nisi corporum: ergo cum anima moveat corpus, videtur quod sit corpus. — *Ibid.* arg. 3.

4. Præterea, filius assimilatur patri etiam in accidentibus animæ; sed filius generatur a patre per decisionem corporalem: ergo anima erit corpus. — 2. *c. Gent.* c. 65.

5. Præterea, anima compatitur corpori et separatur a corpore, ut patet in anima rationali; sed pati et separari est corporum se tangentium: ergo anima est corpus. — *Ibid.*

Sed contra: 1. Naturaliter impossibile est duo corpora simul esse, ut dicit Philosophus (2. *de Anima, text.* 69; c. 7); sed anima et corpus sunt simul: ergo anima non est corpus. — 2. *de Anima* l. 14; 2. *c. Gent.* c. 65.

2. Præterea, viventia cum sint res quædam naturales, sunt composita ex materia et forma; componuntur autem ex corpore et anima, quæ facit viventia actu: igitur oportet alterum istorum esse materiam et alterum formam; sed corpus non potest esse forma, quia corpus non est in altero sicut in materia et in subjecto: ergo anima erit forma; ergo non est corpus, cum nullum corpus sit forma. — 2. *c. Gent.* c. 65.

Respondeo dicendum, quod ad inquirendum de natura animæ oportet præsupponere, quod anima dicitur esse *primum principium vitæ* in his quæ apud nos vivunt: animata enim viventia dicimus res vero inanimatas vita carentes. *Vita* autem maxime manifestatur duplici operatione, scilicet cognitionis et motus. Horum autem principium antiqui philosophi imaginationem transcendere non valentes aliquod corpus ponebant, sola corpora res esse dicentes, et quod non est corpus, nihil esse; et secundum hoc animam aliquod corpus esse dicebant. Hujus autem opinionis falsitas licet multipliciter ostendi possit, tamen uno utemur argumento quo etiam certius patet animam corpus non esse. Manifestum est enim, quod non quodcunque vitalis operationis principium est anima; sic enim oculus esset anima, cum sit quoddam principium visionis; et idem esset dicendum de aliis animæ instrumentis. Sed primum principium vitæ dicimus esse animam. Quamvis autem aliquod corpus possit esse quoddam principium vitæ, sicut cor est principium vitæ in animali; tamen non potest esse primum principum vitæ aliquod corpus. Manifestum enim est, quod esse principium vitæ vel vivens, non convenit corpori ex hoc quod est corpus; alioquin omne corpus esset vivens aut principium vitæ. Convenit igitur alicui corpori, quod sit vivens et principium vitæ, per hoc quod est *tale* corpus. Quod autem est actu tale, habet hoc ab aliquo principio quod dicitur actus ejus. Anima igitur quæ est primum principium vitæ, non est corpus, sed actus corporis; sicut calor qui est principium calefactionis, non est corpus, sed quidam corporis actus. — 1a, q. 75, a. 1, c.

Ad primum ergo dicendum, quod cum omne quod movetur, ab alio moveatur, quod non potest in infinitum procedere, necesse est dicere, quod non omne movens movetur. Cum enim moveri sit exire de potentia in actum, movens dat id quod habet mobili, in quantum facit ipsum esse in actu. Sed, sicut ostenditur in 8. *Phys.* (l. c. in arg.), est quoddam movens penitus immobile, quod nec per se nec per accidens movetur, et tale movens potest movere motum semper uniformem. Est autem aliud movens, quod non movetur per se, sed per accidens; et propter hoc non movet motum semper uniformem; et tale movens est anima. Est autem aliud movens, quod per se movetur, scilicet corpus. Et quia antiqui naturales nihil esse credebant nisi corpora, posuerunt, quod omne movens movetur et quod anima per se movetur et est corpus. — 1a, l. c., ad 1.

Ad secundum dicendum, quod non est necessarium quod similitudo rei cognitæ sit actu in natura cognoscentis; sed si aliquid sit, quod prius est cognoscens in potentia et postea in actu, oportet quod similitudo cognita non sit actu in natura cognoscentis, sed in potentia tantum: sicut color non est actu in pupilla, sed in potentia tantum. Unde non oportet quod in natura animæ sit similitudo rerum corporearum in actu, sed quod sit in potentia ad hujusmodi similitudines. Sed quia antiqui naturales nesciebant distinguere inter actum et potentiam, ponebant animam esse corpus ad hoc quod cognosceret omnia corpora; et quod esset composita ex principiis omnium corporum. — *Ibid.* ad 2.

Ad tertium dicendum, quod est duplex contactus, quantitatis et virtutis. Primo modo corpus non tangitur nisi a corpore; secundo modo corpus potest tangi a re incorporea quæ movet corpus. — *Ibid.* ad 3.

Ad quartum dicendum, quod complexio corporis est aliqualiter causa animæ per modum disponentis. — 2. c. *Gent.* c. 65.

Ad quintum dicendum, quod anima non compatitur corpori nisi per accidens, quia, cum sit forma corporis, movetur per accidens, moto corpore; separatur etiam anima a corpore, non sicut tangens a tacto, sed sicut forma a materia; quamvis et aliquis tactus sit incorporei ad corpus, ut dictum est (2. c. *Gent.* c. 56). — 2. c. *Gent.* c. 65.

ARTICULUS II

UTRUM ANIMA SIT COMPOSITA EX MATERIA ET FORMA.

Videtur quod anima sit composita ex materia et forma.

1. Potentia enim contra actum dividitur. Sed omnia quæcunque sunt in actu, participant primum actum, qui Deus est; per cujus participationem omnia sunt et bona et entia et viventia, ut patet per doctrinam Dionysii (*de Div. Nom.* c. 5, § 2; — Migne PP. Gr. t. 3, col. 815). Ergo quæcunque sunt in potentia, participant primam potentiam. Sed prima potentia est materia prima. Cum ergo anima humana sit quodammodo in potentia, quod apparet ex hoc quod homo quandoque est intelligens in potentia, videtur quod anima humana participet materiam primam tamquam partem sui. — 1a, q. 75, a. 5, arg. 1.

2. Præterea, in quocunque inveniuntur proprietates materiæ, ibi invenitur materia. Sed in anima inveniuntur proprietates materiæ, quæ sunt subjici et transmutari: subjicitur enim scientiæ et virtuti, et mutatur de ignorantia ad scientiam et de vitio ad virtutem. Ergo in anima est materia. — *Ibid.* arg. 2.

3. Præterea illa, quæ non habent materiam, non habent causam sui esse, ut dicitur 8. *Metaphys.* (*text.* 16; l. 7, c. 6); sed anima habet causam sui esse, quia creatur a Deo: ergo anima habet materiam. — *Ibid.* arg. 3.

4. Præterea, quod non habet materiam, sed est forma tantum, est actus purus et infinitus; hoc autem solius Dei est: ergo

anima habet materiam. — *Ibid.* arg. 4.

5. Præterea, nihil vivit se ipso nisi Deus; sed anima non solum vivificat corpus, sed etiam vivit: ergo se ipsa non vivit, sed aliquo sui; sed omne illud, in quo est principium vitæ et recipiens vitam, est compositum ex materia et forma: ergo et anima erit composita. — 2. *Sent.* dist. 17, q. 1, a 2, arg. 5.

6. Præterea, in omni creato differt quod operatur, et quo operatur: quia solum primo agenti convenit per essentiam agere; aliis autem per participationem alicujus, quod ad essentiam additur. Sed anima habet operationes proprias, et sic illis operationibus ipsa est operans. Ergo non est quo operatur; et sic non videtur esse forma simplex, sed materiam habens: quia forma est principium, quo operatio producitur. — *Ibid.* arg. 6.

Sed contra: 1. Omne compositum ex materia et forma habet formam; si ergo anima est composita ex materia et forma, anima habet formam; sed anima est forma: ergo forma habet formam; quod est impossibile, quia sic esset ire in infinitum. — *Quæst. disp. de Anima* a. 6, arg. *Sed contra.*

2. Præterea, forma materiæ adveniens constituit speciem. Si ergo anima sit ex materia et forma composita, ex ipsa unione formæ ad materiam anima constituetur quædam species in rerum natura. Quod autem per se habet speciem, non unitur alteri ad speciei constitutionem, nisi alterum ipsorum corrumpatur aliquo modo; sicut elementa uniuntur ad constitutionem mixti. Quare anima non unietur corpori ad constituendam speciem, v. g. humanam vel equinam vel plantæ, sed tota species humana vel equina vel plantæ consistet in anima; quod patet esse falsum, quia si corpus non pertineret ad speciem equi vel hominis, accidentaliter animæ adveniret. Ergo dicendum est, quod anima non est composita ex materia et forma. — *Ibid.* a. 6, in c.

Respondeo dicendum, quod anima non habet materiam. Quod potest esse manifestum ex duobus; et *primo* quidem ex ratione animæ in communi. Est enim de ratione animæ, quod sit forma alicujus corporis. Aut igitur est forma secundum se totam aut secundum aliquam partem sui. *Secundum se totam* impossibile est quod pars ejus sit materia, si dicatur materia aliquod ens in potentia tantum: — quia forma, in quantum forma, est actus; id autem, quod est in potentia tantum, non potest esse pars actus, cum potentia repugnet actui utpote contra actum divisa. Si autem sit forma *secundum aliquam partem* sui, illam partem dicemus esse animam; et illam materiam, cujus primo est actus, dicemus esse primum animatum. — *Secundo* specialiter ex ratione animæ humanæ, in quantum est intellectiva. Manifestum est enim, quod omne quod recipitur in aliquo, recipitur in eo per modum recipientis. Sic autem cognoscitur unumquodque, sicut forma ejus est in cognoscente. Anima autem intellectiva cognoscit rem aliquam in sua natura absolute, puta lapidem in quantum est lapis absolute. Est igitur forma lapidis absolute secundum propriam rationem formalem in anima intellectiva. Anima igitur intellectiva est forma absoluta, non autem aliquid compositum ex materia et forma. Si enim anima intellectiva esset composita ex materia et forma, formæ rerum reciperentur in ea ut individuales; et sic non cognosceret nisi singulare, sicut accidit in potentiis sensitivis, quæ recipiunt formas rerum in organo corporali. Materia enim est principium individuationis formarum. Relinquitur ergo, quod anima intellectiva, et omnis intellectualis substantia cognoscens formas absolute caret compositione formæ et materiæ. — 1a, q. 75, a. 5, c.

Ad primum ergo dicendum, quod primus actus est universale principium omnium actuum; quia est infinitum virtualiter in se omnia præhabens, ut dicit Dionysius (*de Div. Nom.* c. 5, § 4; — Migne PP. Gr. t. 3, col. 818). Unde participatur a rebus non sicut pars, sed secundum diffusionem processionis ipsius. Potent

autem cum sit receptiva actus, oportet quod actui proportionetur. Actus vero recepti, qui procedunt a primo actu infinito, et sunt quædam participationes ejus, sunt diversi. Unde non potest esse potentia una quæ recipiat omnes actus, sicut est unus actus influens omnes actus participatos; alioqui potentia receptiva adæquaret potentiam activam primi actus. Est autem alia potentia receptiva in anima intellectiva a potentia receptiva materiæ primæ, ut patet ex diversitate receptorum. Nam materia prima recipit formas individuales, intellectus autem recipit formas absolutas. Unde talis potentia in anima intellectiva existens non ostendit, quod anima sit composita ex materia et forma. — Ia, q. 75, a. 5, ad 1.

Ad secundum dicendum, quod subjici et transmutari convenit materiæ secundum quod est in potentia. Sicut ergo est alia potentia intellectus, et alia potentia materiæ primæ; ita est alia ratio subjiciendi et transmutandi. Secundum hoc enim intellectus subjicitur scientiæ et transmutatur de ignorantia ad scientiam, secundum quod est in potentia ad species intelligibiles. — *Ibid.* ad 2.

Ad tertium dicendum, quod forma est causa essendi materiæ, et agens; unde agens in quantum reducit materiam in actum formæ transmutando, est ei causa essendi. Si quid autem est forma subsistens, non habet esse per aliquod formale principium; nec habet causam transmutantem de potentia in actum. Unde post verba præmissa Philosophus (8. *Metaphys. text.* 16; l. 7, c. 6) concludit, quod in his quæ sunt composita ex materia et forma, nulla est alia causa nisi movens ex potestate ad actum. Quæcunque vero non habent materiam, omnia simpliciter sunt quasi vere entia. — *Ibid.* ad 3.

Ad quartum dicendum, quod omne participatum comparatur ad participans ut actus ejus. Quæcunque autem forma creata per se subsistens ponatur, oportet quod participet esse, quia etiam ipsa vita, vel quidquid sic diceretur, participat ipsum esse, ut dicit Dionysius (*de Div. Nom.* c. 5, § 5; — Migne PP. Gr. t. 3, col. 819). Esse autem participatum finitur ad capacitatem participantis. Unde solus Deus, qui est suum esse, est actus purus et infinitus. In substantiis vero intellectualibus est compositio ex actu et potentia, non quidem ex materia et forma, sed ex forma et esse participato. Unde a quibusdam dicitur componi ex quo est et quod est; ipsum enim esse est quo aliquid est. — *Ibid.* ad 4.

Ad quintum dicendum quod secundum Philosophum (in 2. *de Anima text.* 37; c. 4) vivere nihil aliud est quam esse viventium. Unde sicut anima est, nec est illud quo est; ita etiam vivit, nec est illud quo vivit. Sed sicut illud quod est formaliter, non est aliqua forma, quæ sit pars essentiæ ejus, sed ipsum suum esse; ita id quo vivit formaliter, non est aliqua forma, quæ sit pars essentiæ ejus, sed ipsum suum vivere. Sed id quo est et quo vivit effective, est ipse Deus, qui omnibus suum esse et vitam influit: in rebus quidem compositis accedente (mediante) forma, quæ est pars essentiæ earum; in substantiis autem simplicibus per totam essentiam earum. Deus autem non est nec vivit ab aliquo efficiente principio, sed ipse etiam est suum vivere et suum esse; et in utroque eorum deficit anima a perfectione divinæ vitæ. — 2. *Sent.* dist. 17, q. 1, a. 2, ad 5.

Ad sextum dicendum, quod illud quo operatur anima, dupliciter acceptum differt ab ipsa. Operatur enim anima aliquo influente sibi esse, vivere et operari, scilicet Deo, qui operatur omnia in omnibus; quæ constat ab anima differre. Operatur etiam naturali sua potentia, quæ est principium suæ operationis, scilicet sensu vel intellectu, quæ non est essentia ejus, sed virtus ab essentia fluens. Neutro autem modo Deus operatur alio a se, quia a se ipso operari habet, et ipse est sua virtus. Non autem dicitur anima aliquo operari, quod non sit ipsa, sed pars essentiæ suæ; sicut corpora na-

turalia operantur forma, quæ est pars essentiæ eorum, licet mediante aliqua virtute quasi instrumento, sicut ignis mediante calore. — 2. *Sent.* l. c. ad 6.

ARTICULUS III

UTRUM ANIMA SIT CORPUS ANIMATUM, PUTA PLANTA, EQUUS, HOMO.

Videtur quod anima sit corpus animatum, puta planta, equus, homo.

1. Dicit enim Philosophus (2. *de Anima text.* 1; c. 1), quod anima est substantia quædam; sed non est substantia universalis: ergo est particularis, et consequenter hypostasis vel persona. — 1a, q. 75, a. 4, arg. 2.

2. Præterea, 7. *Metaphys.* (*text.* 34; l. 6, c. 10) dicitur, quod materia quodammodo non est pars speciei, sed solum illa, ex qua est ratio speciei, scilicet forma; sed anima est forma: ergo anima dicit totam speciem, et consequenter illa est planta, equus, homo et similia. — 7. *Metaphys.* l. 9.

Sed contra est, quod Philosophus (6. *Metaphys. text.* 2; l. 5, c. 1) dicit, quod res naturales habent in sui definitione materiam sensibilem, et in hoc differunt a mathematicis. Non autem potest dici, quod substantiæ naturales definiantur per id, quod non sit de essentia earum; substantiæ enim non habent definitionem ex additione, sed sola accidentia. Unde relinquitur quod materia sensibilis sit pars essentiæ substantiarum naturalium non solum quantum ad individua, sed etiam quantum ad species ipsas; definitiones enim non dantur de individuis, sed de speciebus. Ergo anima non est planta, equus vel homo. — 7. *Metaphys.* l. 9.

Respondeo dicendum, quod animam esse plantam, equum vel hominem, dupliciter potest intelligi: *uno modo*, quod homo sit anima, sed hic homo non sit anima, sed compositum ex anima et corpore, puta Socrates. Quod ideo dico, quia quidam posuerunt solam formam esse de ratione speciei, materiam vero esse partem individui et non speciei. Quod quidem non potest esse verum. Nam ad naturam speciei pertinet id, quod significat definitio. Definitio autem in rebus naturalibus non significat formam tantum, sed formam et materiam. Unde materia est pars speciei in rebus naturalibus: non quidem materia signata, quæ est principium individuationis, sed materia communis. Sicut enim de ratione hujus hominis est, quod sit ex hac anima et hiscarnibus et his ossibus; ita de ratione hominis est, quod sit ex anima et carnibus et ossibus; oportet enim de substantia speciei esse quiquid est communiter de substantia omnium individuorum sub specie contentorum. — 1a, q. 75, a. 4, c.

Alio vero *modo* potest intelligi sic, quod etiam hæc anima sit hic homo. Et hoc quidem sustineri posset, si poneretur quod animæ sensitivæ operatio esset ejus propria sine corpore: quia omnes operationes, quæ attribuuntur homini, convenirent tali (soli) animæ. Illud autem est unaquæquæ res, quod operatur operationes illius rei; unde illud est homo, quod operatur operationes hominis. Ostendimus autem, quod sentire non est operatio animæ tantum. Cum igitur sentire sit quædam operatio hominis, licet non propria, manifestum est, quod planta vel equus vel homo non est anima tantum sed aliquid compositum ex anima et corpore. — 1a, q. 75, a. 4, c.

Ad primum ergo dicendum, quod non quælibet substantia particularis est hypostasis vel persona, sed quæ habet complectam naturam speciei. Unde manus vel pes non potest dicit hypostasis vel persona et similiter nec anima, cum sit pars speciei humanæ. — 1a, q. 75, a. 4, ad. 2.

Ad secundum dicendum, quod materia dicitur quodammodo non pars speciei, quia non est pars formæ, a qua sumitur ratio speciei; licet sit pars compositi ex anima et corpore, quod in se involvit species. — 7. *Metaphys.* l. 9.

ARTICULUS IV

UM SINT TANTUM TRIA GENERA ANIMARUM.

Videtur quod non sint tantum tria genera animarum.

1. Dicit enim Philosophus 2. *de Anima* (*text.* 10; c. 1), quod anima est principium quo vivimus; sed quatuor modis dicitur aliquid vivere, ut dicitur 2. *de Anima* (*text.* 13; c. 2): ergo animarum genera sunt plura tribus. — 2. *de Anima* 2 et 4; 1a, q. 78, a. 1, arg. 2.

2. Præterea, tot sunt animæ, quot potentiæ; nam cum potentia sit proprietas animæ, non potest ab anima oriri nisi una proprietas, quia ab uno non nisi unum oriri potest; et una potentia non potest ex alia oriri, quia omnes potentiæ animæ sunt similes, et accidens oritur a subjecto, unum autem accidens non potest esse subjectum alterius; sed genera potentiarum sunt quinque, ut dicitur 2. *de Anima* (*text.* 27; c. 3): ergo et genera animarum sunt quinque, et consequenter plura tribus. — *Quæst. disp. de Anima* a. 13, arg. 7 et 8, a. 11, arg. 17.

Sed contra est auctoritas Philosophi *de Anima* (*text.* 27 sqq; c. 3) ponentis tantum tres animas: vegetativam, sensitivam et rationalem. — 1a, q. 78, a. 1, arg. 1 et in c.

Respondeo dicendum, quod animarum genera sunt tantum tria. Cujus *ratio* duplex afferi potest: *una* sumpta ex operationibus animæ. Diversæ enim animæ distinguuntur, secundum quod diversimode operatio animæ supergreditur operationem naturæ corporalis. Tota enim natura corporalis subjacet animæ et comparatur ad ipsam sicut materia et instrumentum. Est ergo quædam operatio animæ, quæ in tantum excedit naturam corpoream, quod neque etiam exercetur per organum corporale. Et talis est operatio *animæ rationalis*. — Est autem alia operatio animæ infra illam, quæ quidem fit per organum corporale, non tamen per aliquam corporalem qualitatem. Et talis est operatio *animæ sensibilis*, quia etsi calidum et frigidum, humidum et siccum, et aliæ hujusmodi qualitates corporeæ requirantur ad operationem sensus; non tamen ita, quod mediante virtute talium qualitatum operatio animæ sensibilis procedat, sed requiruntur solum ad debitam dispositionem organi. — Infima autem operationum animæ est, quæ fit per organum corporeum et virtute corporeæ qualitatis. Supergreditur tamen operationem naturæ corporeæ: quia motiones corporum sunt ab exteriori principio, hujusmodi autem operationes sunt a principio intrinseco. Hoc enim commune est omnibus operationibus animæ: omne enim animatum aliquo modo movet se ipsum. Et talis est operatio *animæ vegetabilis*. Digestio enim et ea quæ consequuntur fiunt instrumentaliter per actionem caloris, ut dicitur in 2. *de Anima* (*text.* 50; c. 4). — 1a, q. 78, a. 1, c.

Altera ratio est ex multiplici esse, quod habent viventia, quorum actus est anima. Habent enim hæc duplex esse: unum quidem materiale, in quo conveniunt cum aliis rebus materialibus; aliud vero immateriale, in quo communicant cum aliis substantiis superioribus aliqualiter. Est autem differentia inter utrumque esse: quia secundum *esse materiale*, quod est per materiam contractum, unaquæque res est hoc solum quod est (sicut hic lapis non est aliud quam hic lapis); — secundum vero *esse immateriale*, quod est amplum et quodammodo infinitum, in quantum non est per materiam terminatum, res non solum est id quod est, sed etiam est quodammodo alia. Unde in substantiis superioribus immaterialibus sunt quodammodo omnia sicut in causis universalibus. — Hujusmodi autem immateriale esse habet duos gradus in istis inferioribus. Nam quoddam est penitus immateriale, scilicet *esse intelligibile*. In intellectu enim res habent esse et sine materia et sine conditionibus materialibus individuantibus et etiam absque organo

corporali. *Esse* autem *sensibile* est medium inter utrumque. Nam in sensu res habet esse sine materia, non tamen absque conditionibus materialibus individuantibus neque absque organo corporali. Est enim sensus particularium, intellectus vero universalium. Et quantum ad hoc duplex esse, dicit Philosophus in 3. *de Anima* (*text.* 37 ; c. 8), quod anima est quodammodo omnia.

Operationes igitur, quæ competunt viventi secundum esse materiale, sunt operationes, quæ tribuuntur animæ vegetabili ; quæ tamen licet ad id ordinentur, ad quod etiam ordinantur actiones in rebus inanimatis, scilicet ad consequendum esse et conservandum, tamen in viventibus hoc fit per altiorem et nobiliorem modum. Corpora enim inanimata generantur et conservantur in esse a principio motivo extrinseco. Animata vero generantur a principio intrinseco, quod est in semine, conservantur vero a principio nutritivo intrinseco. Hoc enim videtur esse viventium proprium, quod operantur tamquam ex se ipsis mota. — Operationes vero quæ tribuuntur rebus viventibus secundum esse penitus immateriale, pertinent ad partem animæ intellectivam. Quæ vero attribuuntur eis secundum esse medium, pertinent ad partem animæ sensitivam. — Et secundum hoc triplex esse distinguitur communiter triplex anima, scilicet vegetabilis, sensibilis et rationalis. Unde manifestum est, quod tria tantum sunt genera animarum. — 2. *de Anima* l. 5.

Ad primum ergo dicendum, quod alio modo distinguuntur modi viventium, atque genera animarum. Nam horum diversitas sumitur et ex triplici esse, quod habent animata, et ex diverso modo, quo operationes animatorum supergrediuntur operationes rerum naturalium, ut dictum est. Modi autem viventium distinguuntur secundum gradus viventium, qui sunt tantum quatuor. *Quædam* enim viventia sunt, in quibus est tantum vegetativum, ut in plantis. *Quædam* vero, in quibus cum vegetativo est etiam sensitivum, non tamen motivum secundum locum, sicut sunt immobilia animalia, ut conchilia. *Quædam* vero sunt, quæ super hoc habent motivum secundum locum, ut perfecta animalia, quæ multis indigent ad suam vitam et ideo indigent motu, ut vitæ necessaria procul posita quærere possint. *Quædam* vero viventia sunt, in quibus cum prædictis est intellectivum, scilicet in hominibus. — Appetitivum autem non constituit aliquem gradum viventium, quia in quibuscunque est sensus, est etiam appetitus, ut dicitur in 2. *de Anima* (*text.* 27 c. 3). —1a, q. 78, a. 1, c.

Ad secundum dicendum, quod ab eadem anima plures potentiæ derivantur, unæ tamen immediate et alia mediate. Licet enim accidens non possit esse subjectum per se accidentis, tamen subjectum subjicitur uni accidenti mediante alio, sicut corpus colori mediante superficie ; et sic unum accidens oritur ex subjecto mediante alio, et una potentia ab essentia animæ mediante alia. — *Quæst. disp. de Anima* a. 13, ad 8.

ARTICULUS V

UTRUM PRIOR DEFINITIO ANIMÆ A PHILOSOPHO ALLATA SIT CONVENIENS.

Videtur quod prior definitio a Philosopho allata non sit conveniens, quod nimirum sit actus primus corporis physici organici

1. Si enim anima est forma corporis oportet quod cujuslibet animæ et corporis sit unum esse. Nam ex materia et forma fit unum secundum esse ; sed animæ humanæ et corporis non potest esse unum esse, cum sint diversorum generum : anima enim est in genere substantiæ incorporæ, corpus vero corporeæ : ergo anima non potest esse actus et forma corporis. — *Quæst. disp. de Anima* a. 1, arg. 13.

2. Præterea, dicit Philosophus (3. *de Anima text.* 6 et 7 ; c. 4), quod substantia spiritualis, quæ est intellectus, nullius corporis est actus ; sed quædam anima est substantia spiritualis, ut anima rationa-

: ergo male definitur anima in com-
ni, quod sit actus et forma corporis. —
Spirit. Creat. a. 2, arg. 13 ; 1a, q. 76,
, arg. 1.

. Præterea, si anima est actus corpo-
organici, hoc, quod comparatur ad ani-
n ut materia ad formam et actum, est
pus physicum organicum, quod non
est esse nisi per aliquam formam sub-
ntialem, per quam est corpus ; et ita
dlibet corpus animatum habebit esse a
na, distinctum ab esse tributo ei ab
na : et ita erunt in uno et eodem duæ
mæ substantiales ; quod est impossi-
. — 1a, q. 76, a. 4, arg. 1 ; *Quæst. disp.*
Anima a. 1, arg. 15.

. Præterea, compositum non ponitur in
nitione animæ, sed materia ; sed cor-
est quoddam compositum : per formam
n substantialem sicut individuum est
aliquid et substantia, ita per eandem
corpus : ergo male definitur anima,
d sit actus corporis.

. Præterea, per corpus, cujus est actus
na, intelligitur corpus habens vitam
ntia, ut patet ex 2. *de Anima* (*text.*
. 1.) ; vel ergo per tale corpus habens
m potentia intelligitur corpus habens
m primum vitæ, sed existens in po-
ia ad actum secundum, nimirum ad
ationes vitæ ; vel intelligitur corpus
trum actum habens, sed existens in
ntia ad actum primum et secundum.
icatur primum, tunc ponitur in defini-
animæ compositum ex anima et cor-
, quod est inconveniens, cum poten-
proportionata actui sit materia. Si di-
r secundum, est contra Philosophum,
2. *de Anima* (*text.* 10 ; c. 1) dicit, quod
us, cujus actus est anima, est ita in
ntia ut vivat, ut non sit abjiciens
nam. Ergo male definitur anima, quod
actus corporis physici organici. — 2.
Anima l. 1.

ed contra est, quod Philosophus (2. *de*
ma text. 7 ; c. 1) definit animam, quod
actus corporis physici organici. — 2.
Anima l. 1 et 2.

ESPONDEO DICENDUM, quod recte fuit a Philosopho tradita prior definitio animæ. Ad cujus manifestationem sciendum, quod quia definitio significat quod quid res est, et substantia completa etiam composita est quid completum in sua specie : secus vero omne accidens et omnis forma : ideo substantia ita definitur, ut in ejus definitione non ponatur aliquid quod sit extra essentiam ejus. In omni autem definitione formæ ponitur aliquid quod est extra essentiam formæ, scilicet proprium subjectum illius sive materia. Unde cum anima sit forma, ut mox osten letur, oportet quod in ejus definitione ponatur materia sive subjectum ejus, et per consequens quod ponatur aliquid ex parte animæ, et aliquid ex parte subjecti.

Dicitur ergo *primo* ex parte animæ, quod est *actus*, quia illud est actus, quo materia, quæ est ens in potentia, fit actu, et ex quo et materia constituitur compositum, quod est ens actu. Anima autem est hujusmodi. Cum enim anima sit substantia, ut per se manifestum est, quia substantia non componitur ex non substantiis, ut dicitur 7. *Metaphys.* (*text.* 47 ; l. 6, c. 13) ; componitur autem substantia animata ex anima et corpore ; et substantia sit triplex, materia, forma et compositum ex utraque ; — oportet quod anima sit una ex his tribus substantiis. Constat autem, quod non potest esse materia, quia cum per animam intelligamus id quo habens vitam vivit, sequitur quod anima intelligatur sicut aliquid in subjecto existens ; corpus autem vel materia, quæ recipit vitam, magis est sicut subjectum, quam sicut aliquid in subjecto existens. Manifestum etiam est, quod non potest esse ipsum compositum ex materia et forma, quia hoc est totum quoddam, anima autem est pars hujus totius. Necesse igitur est, quod anima sit forma substantialis ; forma autem substantialis est endelechia, id est actus materiæ faciens illam in actu esse.

Dicitur *secundo : actus primus* ; primo, quia anima est actus sicut scientia ; ex eo enim quod anima est in animali, inest

ei vigilia et somnus; sicut ex eo quod scientia est in sciente, inest ei consideratio et quies. Vigilia enim assimilatur considerationi, quia, sicut consideratio est usus scientiæ, ita vigilia est usus sensuum. Somnus vero assimilatur scientiæ quando sciens actu non considerat: in somno enim quiescunt virtutes animalis. Scientia autem est actus primus mentis; comparatur enim habitus scientiæ ad considerationem sicut potentia ad actum. Potentia autem, licet absolute sit posterior actu, in uno tamen et eodem est prior actu, ut dicitur 9. *Metaphys.* (*text.* 13; l. 8, c. 8); nam aliquid est primo in potentia, et postea fit actu. Quare et anima erit actus primus ad distinctionem actus secundi, qui est operatio. — Secundo, dicitur anima actus primus, ut distinguatur a formis elementorum, quæ semper habent suam actionem, nisi impediantur.

Dicitur *tertio: corporis*, quia anima non est actus materiæ puræ, quia esse animatum præsupponit esse corporeum, sed est actus compositi ex materia et esse corporeo. Quod tamen non ita intelligendum, quasi corpus, quod est materia animæ, sit constitutum per unam formam, quæ faciat ipsum esse corpus, et superveniat ei anima faciens ipsum esse corpus vivum; sed quia ab anima est, et quod sit, et quod corpus sit, et quod sit corpus vivum. Cum enim in eodem non possint esse plures formæ substantiales, per eandem formam substantialem individuum habet, quod sit substantia, et quod sit corpus, et tale corpus. Verum hoc quod est esse corpus, quia est quid imperfectius, est quid materiale respectu vitæ, et habet rationem potentiæ respectu illius.

Dicitur *quarto: physici*, quia cum corpus animatum sit corpus naturale, necesse est quod ejus partes sint natura, et consequenter ad physicum spectent.

Dicitur *quinto: organici*, quia anima est actus corporis *in potentia vitam habentis;* tale autem est corpus organicum, diversitatem scilicet organorum habens. Diversitas enim organorum est necessaria in corpore suscipiente vitam propter diver sas operationes animæ. Anima enim cu sit perfectissima inter formas rerum co poralium, est principium diversarum op rationum; et ideo requirit diversitate organorum in suo perfectibili. Form vero rerum inanimatarum propter s imperfectionem sunt principia paucaru operationum; unde non exigunt divers tatem organorum in suis operationibu Inter animas autem, quia animæ plant rum sunt imperfectiores, ideo in ill minor est diversitas organorum quam animalibus. — Et ex his manifestum e recte fuisse traditam a Philosopho pri rem animæ definitionem. — 2. *de Ani* l. 1 et 2.

Ad primum ergo dicendum, quod n cesse est, si anima est forma corpori sit unum commune esse, quod est es compositi. Neque hoc impeditur per h quod anima et corpus sint diversoru generum; nam neque anima neque co pus sunt in specie vel genere, nisi p reductionem, sicut partes reducuntur speciem vel genus totius. — *Quæst. dis de Anima* a. 1, ad 13.

Ad secundum dicendum, quod sic Philosophus dicit 2. *Phys.* (*text.* 26; c. ultima formarum naturalium, ad qua terminatur consideratio philosophi nat ralis, quæ est anima humana, est q dem separata, sed tamen in materia (qu ex hoc probat, quia « sol et homo materia generant hominem »): — *separata* quidem secundum virtutem int lectivam, quia virtus intellectiva non virtus alicujus organi corporalis, si virtus visiva est actus oculi (intellig enim est actus, qui non potest exerc per organum corporale, sicut exercet visio); — sed est *in materia*, in quant ipsa anima, cujus est hæc virtus, corporis forma et terminus generati nis humanæ. Sic ergo Philosophus di 3. *de Anima* (*text.* 6 et 7; c. 4), quod tellectus est separabilis, quia non virtus alicujus organi corporalis. — *Spirit. Creat.* a. 2, ad 13; 1a, l. c., ad

d tertium dicendum, quod Aristoteles dicit animam esse actum corporis um, sed esse actum corporis physici nici potentia vitam habentis ; et quod potentia non abjicit animam. Unde ifestum est, quod in eo, cujus anima tur actus, etiam anima includitur eo o loquendi, quo calor est actus calidi, men est actus lucidi : non quod seor- sit lucidum sine luce, sed quia est lum per lucem. Et similiter dicitur, l anima est actus corporis, quia per nam et est corpus, et est organi-, et potentia vitam habens. Sed actus us dicitur respectu actus secundi, est operatio. Talis enim potentia est abjiciens, id est excludens ani-. Propterea vero Philosophus in de-ione animæ ponit corpus involvens nam : quia aliquando in definitione for- subjectum ponitur informe, sicut cum ur : motus est actus existentis in po-ia ; — aliquando vero ponitur subje- formatum, sicut cum dicitur : motus ctus mobilis, lumen est actus lucidi ; c modo dicitur anima actus corporis nici, quia anima facit ipsum corpus organicum, sicut lumen facit aliquid lucidum. — 1a, q. 76, a. 4, ad 1 ; *st. disp. de Anima* a. 1, ad 15.

d quartum dicendum, quod non poni- in definitione animæ compositum ani- m ut sic, sed compositum ex anima uantum est forma corporea. Nam ani- cum sit forma substantialis dans esse tantiale corporeum, animatum ; si con- retur in quantum est forma substan- absolute et simpliciter, seu in quan- dat esse *substantiale*, tantum respi- materiam et soli materiæ advenit er illam definitur. Si vero considere- n quantum dat esse posterius, puta *natum*, supponit se ipsam in mate- secundum quod dat esse superius, corporeum ; et per consequens defi- per corpus, et illud tamquam pro- onatum subjectum respicit. Neque n dicendum est, quod anima adve- viventi actu, quia non advenit materiæ, vel corpori facto in actu per aliam formam, sed per se ipsam secundum aliam sui considerationem, ut dictum est. — 2. *de Anima* l. 1 et 2 ; *Opusc.* 32, c. 8 ; Edit. Paris. (1) tom. 27, *Opusc.* 28, c. 4.

Ad quintum dicendum, quod per corpus positum in definitione animæ intelligitur corpus habens actum primum vitæ, sed existens in potentia ad actum secundum, ut dictum est, neque inconveniens est quod in definitione animæ ponatur compositum ex anima et corpore, quatenus anima dat esse corporeum, ut dictum est. — 2. *de Anima* l. 1 et 2 ; 1a, q. 76, a. 4, ad 1.

ARTICULUS VI

UTRUM POSTERIOR ANIMÆ DEFINITIO A PHILOSOPHO TRADITA SIT CONVENIENS.

Videtur quod posterior definitio animæ a Philosopho tradita non sit conveniens.

1. Unius enim rei una est definitio ; sed Philosophus 2. *de Anima* (*text.* 6 et 7 ; c. 1) attulit aliam definitionem : ergo vel illa superflua est vel hæc, et consequenter erit inconvenienter tradita. — 2. *de Anima* l. 1 et 2.

2. Si dicas, quod una est definitio rei per modum conclusionis, sed possunt dari duæ aliæ, quarum una est principium demonstrationis, altera est demonstratio positione differens, ut etiam dicitur 1. *Poster.* (*text.* 22 ; c. 8) ; — contra, quod quid est non est demonstrabile, sed solum passio de subjecto, ut dicitur 3. *Metaphys.* (*text.* 4 ; l. 2, c. 2) ; sed definitio significat quod quid est rei : ergo nulla definitio potest esse conclusio demonstrationis. — 3. *Metaphys.* l. 5 ; 7. *Metaphys.* l. 5.

3. Præterea, omnis definitio convertitur cum definito ; sed hæc non convertitur cum definito ; nam anima vegetativa non est primum principium quo vivimus, sentimus et intelligimus : ergo non est bona definitio. — 3a, q. 60, a. 2, arg. *Sed contra.*

(1) Confer ea quæ in proœmio hujus operis diximus tom. 1, pag. IX.

Sed contra est auctoritas Philosophi 2. *de Anima* (*text.* 12 sqq. ; c. 2). — 2. *de Anima* l. 3 et 4.

Respondeo dicendum, quod quia ejusdem rei possunt esse plures causæ, materialis, formalis, efficiens, finalis ; ideo ejusdem rei possunt esse plures definitiones sumptæ ex diversis causis : et una potest esse demonstrationis principium atque adeo medium, alia vero potest esse sicut conclusio demonstrationis. — Et hoc quidem verum est in omnibus *artificialis*, quæ sunt propter finem. Cum enim causæ ad invicem ordinem habent, ex una sumitur ratio alterius. Et quia ex forma sumitur ratio materiæ (talem enim oportet esse materiam, qualem forma requirit) : efficiens autem est ratio formæ (quia enim agens agit simile sibi, oportet quod secundum modum agentis sit etiam modus formæ quæ ex actione consequitur); ex fine autem sumitur ratio efficientis (nam omne agens agit propter finem) ; — *ideo* oportet quod definitio quæ sumitur a fine, sit ratio et causa probativa aliarum definitionum quæ sumuntur ex aliis causis. Ut si definienda sit domus, definitio illius sumpta ex causa finali, erit ratio definitionis per causam materialem, et medium probans eam ; propter hoc enim oportet ut domus fiat ex lapidibus et lignis, quia est operimentum protegens nos a frigore et æstu. Definitio enim hæc : domus est cooperimentum constitutum ex lapidibus, cæmento et lignis, est ex causa materiali ; hæc autem : domus est operimentum prohibens nos a pluvia, frigore, calore, est ex causa finali ; et si utraque conjungatur, erit demonstratio positione differens, sic : omne operimentum prohibens nos a pluvia, frigore et calore, oportet quod sit constitutum ex lapidibus, cæmento et lignis ; domus est hujusmodi : ergo.

In *naturalibus* autem, quæ non sunt facta per se primo propter finem, ut artificialia, illa definitio est principium demonstrandi, quæ secundum nos notificat et probat definitionem, quæ est sicut conclusio demonstrationis. Cum enim omnis demonstratio adducatur causa notifica[illegible] aliud, necesse est quod omnis dem[illegible] stratio procedat ex notioribus quoad n[illegible] quibus per demonstrationem fit aliq[illegible] notum. In *quibusdam* autem eadem s[illegible] notiora quoad nos et secundum natura[illegible] sicut in mathematicis, quæ sunt a mate[illegible] abstracta : et in his demonstratio pro[illegible] dit ex notioribus simpliciter et notio[illegible] bus secundum naturam, scilicet ex c[illegible] sis in effectus ; unde dicitur dem[illegible] stratio *propter quid*. In *quibusdam* v[illegible] non sunt eadem magis nota simpli[illegible] ter et quoad nos, ut in naturalibus, [illegible] quibus plerumque effectus sensibiles s[illegible] magis noti suis causis. Et ideo in natur[illegible] bus ut plurimum proceditur ab his q[illegible] sunt minus nota secundum naturam [illegible] magis nota quoad nos, ut dicitur in [illegible] *Phys.* (*text.* 2 ; c. 1).

Quoniam igitur magis notum est nob[illegible] quod anima sit principium vivendi, s[illegible] tiendi et intelligendi, quam quod sit act[illegible] corporis, atque adeo illius causa formal[illegible] ideo ab effectu animæ definiri potest a[illegible] ma, et per illum tamquam per quid n[illegible] tius potest demonstrari definitio formal[illegible] animæ sic : quod est primum principi[illegible] vivendi, est actus et forma corporis [illegible] ventis. Manifestum autem est, quod h[illegible] demonstratio est a posteriori ; ex eo en[illegible] quod anima est forma corporis vivent[illegible] est principium operum vitæ, non e conti[illegible]

Quod vero anima sit primum principi[illegible] vivendi, patet, quia animatum distingu[illegible] tur ab inanimato in vivendo : anim[illegible] enim vivunt, non inanimata. *Quatuor* a[illegible] tem sunt *modi vivendi*, quorum unus [illegible] per intellectum, secundus per sensum, t[illegible] tius per motum et statum localem, qua[illegible] tus per motum augmenti et decrementi. [illegible] *quibusdam* enim viventibus inveniunt[illegible] tantum alimentum, augmentum et dec[illegible] mentum, sicut in plantis. In *quibusd[illegible]* autem cum his invenitur sensus sine m[illegible] tu locali, sicut in animalibus imper[illegible] ctis, ut sunt ostreæ. In *quibusdam* aut[illegible] ulterius invenitur motus secundum locu[illegible] sicut in animalibus perfectis, quæ move[illegible]

motu progressivo, ut sunt equus, bos. *nibusdam* autem cum his ulterius in- tur intellectus, ut in hominibus. Ergo is omnibus principium vivendi debet anima, non autem materia ; quod in ulis viventibus manifestum esse potest. uod enim in plantis principium vivendi anima, patet, quia natura non movet ontraria loca, motus autem augmenti ecrementi est secundum contraria lo- augentur enim vegetabilia omnia solum sursum, sed etiam deorsum. l vero similiter in animalibus anima rincipium vivendi, manifestum est. animal est tale propter sensum ; ea dicimus esse animalia et non solum ntia, quæ licet non mutent locum, ha- tamen sensum. Et inter alios sensus o inest tactus. Sicut enim vegetati- potest separari a tactu et ab om- nsu, ita tactus potest separari ab aliis ibus ; multa enim animalia sunt, quæ m sensum tactus habent, sicut anima- nperfecta ; omnia autem animalia ha- sensum tactus. Anima autem est prin- m sensuum et præsertim tactus, sic- rincipium vegetativum est illa anima, n plantæ participant. Ergo dicendum quod anima est principium primum ndi secundum quatuor genera vitæ. uod autem primum principium viven- it actus et forma corporum viventium, t, quia duorum quorum utroque dici- esse aliquid aut operari, unum scili- quod primum est, est quasi forma, et l quasi materia : sicut similiter duo- sanamur, quorum unum est sanitas, rum totum corpus, vel aliqua pars oris ; quorum duorum unum est quasi ua et aliud quasi materia. Sed anima primum quo vivimus, cum tamen mus anima et corpore. Ergo anima « actus corporis physici ». Manifestum n est, quod corpus non est actus ani- , sed magis anima est actus corporis ujus ; corpus enim est in potentia re- ctu animæ. Atque hæc est definitio pri- animæ superius explicata, quæ a Phi- pho probatur per aliam a posteriori, puta per hanc : Anima est « primum principium quo vivimus ». Unde manifestum est recte fuisse a Philosopho traditam posteriorem animæ definitionem. — 1. *Poster.* l. 4 (3) et 16 (15); 2. *Sent.* dist. 9, q. 1, a. 1, ad 1 ; 2. *de Anima* l. 3 et 4.

Ad primum ergo dicendum, quod unius possunt esse plures definitiones ex diversis causis sumptæ vel etiam ab effectu, ut dictum est (in c.).

Ad secundum dicendum, quod quia causæ ad invicem ordinem habent, ex una sumitur ratio alterius ; et ideo potest definitio sumpta ab una probare definitionem sumptam ex alia, ut dictum est (in c.).

Ad tertium dicendum, quod definitio convertitur cum definito ; nam in posteriori definitione definitur anima in communi ; hæc enim est principium vivendi secundum quatuor prædictos modos. In diversis tamen viventibus sicut separantur prædicti modi, ita et animæ ; nam in quibusdam viventibus anima est tantum principium vegetandi ; in aliis vegetandi et sentiendi ; in aliis vero eadem anima est etiam principium intelligendi, ut in homine. — 2. *de Anima* l. 3 et 4.

ARTICULUS VII

UTRUM ANIMA SIT IN TOTO CORPORE SECUNDUM SUAM ESSENTIAM, AN VERO IN PARTE TANTUM DETERMINATA.

Videtur quod anima secundum suam essentiam sit tantum in parte determinata corporis.

1. Dicit enim Philosophus (*de Communi Animalium Motione* c. 7, al. 10), quod non opus est in unaquaque parte corporis esse animam, sed in quodam principio corporis existente alia vivere, eo quod simul nata sunt facere proprium motum per naturam : ergo. — 1a. q. 76, a. 8, arg. 1 ; *Quæst. disp. de Anima* a. 10, arg. 4 ; *de Spirit. Creat.* a. 4, arg. 1.

2. Præterea, Philosophus dicit (*de Juvent. et Senect.* c. 1), quod plantæ habent principium nutritivum in medio superioris

et inferioris ; sed sicut superius et inferius est in plantis, ita in animalibus est superius et inferius, dextrum et sinistrum, ante et retro : ergo oportet quod principium vitæ, quod est anima, sit in medio harum particularum ; hoc autem est cor : ergo anima est tantum in corde. — *Quæst. disp. de Anima* a. 10, arg. 6.

3. Præterea, dicit Philosophus (8. *Phys. text.* 84 ; c. 18), quod motor cœli oportet quod sit in centro vel in aliquo signo circumferentiæ (quia hæc duo sunt principia in motu circulari) ; et ostendit, quod non potest esse in centro, sed in circumferentia, quia quanto aliqua sunt propinquiora circumferentiæ et remotiora a centro, tanto sunt velocioris motus ; ergo a simili oportet quod motus animæ sit in illa parte animalis, in qua præcipue apparet motus ; hoc autem est eorum cor : ergo anima est tantum in corde. — *Ibid.* arg. 5.

4. Præterea, ex corpore et anima constituitur animal ; si igitur in qualibet corporis parte esset anima, quælibet pars animalis esset animal, sicut quælibet pars ignis est ignis ; quod tamen est inconveniens. — *De Spirit. Creat.* a. 4, arg. 2 ; 1a, l. c. arg. 3 ; 1. *Sent.* dist. 8, q. 5, a. 3, arg. 2.

5. Præterea, in quocunque est subjectum, est et proprietas subjecti ; sed omnes potentiæ animæ sunt in essentia animæ, sicut et proprietates in subjecto : ergo si anima esset in qualibet parte corporis, sequeretur quod in qualibet parte corporis essent omnes potentiæ animæ ; et sic auditus erit in oculo et visus in aure ; quod est inconveniens. — *de Spirit. Creat.* l. c. arg. 3 ; *Quæst. disp. de Anima* a. 10, arg. 13 ; 1a, l. c. arg. 4.

6. Præterea, nulla forma quæ requirit dissimilitudinem partium, invenitur in qualibet parte, ut patet de forma domus, quæ non est in quacunque parte, sed in tota domo ; formæ vero quæ non requirunt dissimilitudinem partium, sunt in singulis partibus, ut forma aeris et ignis ; anima autem est forma requirens dissimilitudinem partium, ut patet in omnibus animatis ; ergo anima non est in qualibet pa corporis. — *de Spirit. Creat.* l. c. arg. 4.

7. Præterea, secundum Philosophu motis nobis moventur omnia quæ s in nobis : contingit autem unam part corporis moveri alia quiescente : si er anima est in qualibet parte corporis, quitur quod simul moveatur et quiesc quod videtur esse inconveniens. — *Spirit. Creat.* l. c. arg. 7 ; *Quæst. di de Anima* l. c. arg. 12.

8. Præterea, anima non est nisi in c pore cujus est actus ; sed est actus c poris organici, ut dicitur 2. *de Ani* (*text.* 6 ; c. 1) : cum ergo quælibet p corporis non sit corpus organicum, n erit in qualibet parte corporis. — *de S rit. Creat.* l. c. arg. 13 : 1a, l. c. arg. *Quæst. disp. de Anima* l. c. arg. 1.

9. Præterea, plus differunt os et c unius hominis quam duæ carnes duor hominum ; sed anima una non pot esse in duobus corporibus diversorum ergo non potest esse in omnibus par bus unius corporis. — *de Spirit. Creat* c. arg. 14.

10. Præterea, si anima est in qualil parte corporis, oportet quod ablata q cunque parte corporis vel auferatur a ma — quod patet esse falsum, cum ren neat homo vivens —, vel transferatur de i parte ad alias — quod est impossibile, c anima sit simplex, et consequenter im bilis — ; non ergo est in qualibet parte c poris. — *de Spirit. Creat.* l. c. arg. 15

11. Præterea, nullum indivisibile pot esse nisi in indivisibili, cum locum op teat æquari locato ; sed in corpore c tingit signare infinita indivisibilia : e si in qualibet parte corporis sit anima, quitur quod sit in infinitis ; quod esse potest, cum sit finitæ virtutis. — *Ibid.* a 16.

12. Præterea, anima est principium v in animali ; si ergo anima esset in qualil parte corporis, quælibet pars corpo immediate acciperet vitam ab anima ; ita una pars non dependeret ab alia in vendo ; quod est falsum, cum omnes c

ndeant in vivendo a corde.—*Quæst. disp.* *Anima* l. c. arg. 11 ; 1a, l. c. arg. 5 ; *Sent.* dist. 8, q. 5, a. 3, arg. 3.

Sed contra est : 1. quod anima non dat se corpori nisi secundum quod unitur ; sed anima dat esse toti corpori et cuiet parti ejus : ergo anima est in toto rpore et in qualibet parte illius. — *uæst. disp. de Anima* l. c. arg. 2 *Sed ntra.*

2. Præterea, anima non operatur nisi i est : sed operationes animæ apparent qualibet parte corporis ; æqualiter im cito sentit anima læsionem in qualiet parte corporis : ergo anima est in quaet parte corporis. — *Ibid.* arg. 3 ; 1. *nt.* l. c. arg. 2 *Sed contra.*

3. Præterea, anima est majoris virtus quam forma materialis : sed forma aterialis, ut ignis vel aeris, est in quaet parte : multo igitur magis anima. — *Spirit. Creat.* l. c. arg. 3 *Sed contra.*

Respondeo dicendum, quod necesse est cere, quod anima sit in toto corpore in qualibet parte ejus. Cujus ratio est, ia anima non solum unitur corpori ut otor, sed etiam ut forma substantialis. on enim anima præsupponit alias formas bstantiales in materia quæ dent esse bstantiale corpori aut partibus ejus, sed totum corpus et omnes ejus partes habent se substantiale et specificum per anam. Sed forma substantialis non solum t perfectio totius, sed etiam cujuslibet rtis. Cum enim totum consistat ex parus, forma totius, quæ non dat esse sinlis partibus corporis, est forma quæ est mpositio et ordo, sicut forma domus : et lis forma est accidentalis. Anima vero est rma substantialis ; unde oportet quod sit rma et actus non solum totius, sed cujuset partis : et ideo recedente anima, sicut n manet homo, ita nec animal aut vim nisi æquivoce, sicut depicta aut ladea, ut dicit Philosophus 2. *de Anima ext.* 9; c. 1). Cujus signum est, quod nul pars corporis habet proprium opus ania recedente : cum tamen omne quod tinet speciem, retineat operationem speciei. Actus autem est in eo, cujus est actus. Unde oportet animam esse in toto corpore et in qualibet ejus parte ; quamquam aliter se habet anima ad totum corpus et ad partes ejus : nam anima *totius* quidem corporis actus est primo et per se, *partium* vero in ordine ad totum.

Ad cujus evidentiam considerandum est quod, cum materia sit propter formam, talem oportet esse materiam, ut competit formæ. In istis rebus corruptibilibus formæ imperfectiores, quæ sunt debilioris virtutis, habent paucas operationes, ad quas non requiritur partium dissimilitudo, sicut patet in omnibus corporibus inanimatis. Anima vero, cum sit altioris et majoris virtutis, potest esse principium diversarum operationum, ad quarum exsecutionem requiruntur partes dissimiles corporis : et ideo omnis anima requirit diversitatem organorum in partibus corporis, cujus est actus, et tanto majorem diversitatem, quanto anima fuerit perfectior. Sic igitur formæ infimæ uniformiter perficiunt suam materiam, sed anima difformiter, ut ex dissimilibus partibus constituatur integritas corporis, cujus *primo* et *per se* anima est actus. Et sic manifestum est, quod anima est in toto corpore et in singulis ejus partibus secundum suam essentiam. — 1a, q. 76, a. 8, c ; *de Spirit. Creat.* a. 4, c. ; *Quæst. disp. de Anima.* a. 10, c. ; 1. *Sent.* dist. 8, q. 5, a. 3, c.

Ad primum ergo dicendum, quod Philosophus loquitur de anima quantum ad potentiam motivam, quæ primo fundatur in corde ; per illam enim partem movet anima totum corpus ; et hoc patet exemplo rectoris, quod ibi ponit. — Il. cc. in arg.

Ad secundum dicendum, quod etiam in plantis anima dicitur esse in medio ejus quod est sursum et deorsum, in quantum est principium quarundam operationum ; et similiter est de animalibus. — *Quæst. disp. de Anima* a. 10, ad 6.

Ad tertium dicendum, quod motor cœli non circumscribitur loco secundum suam

substantiam ; sed Philosophus intendit ostendere ubi sit quantum ad principium movendi ; et hoc modo, quantum ad principium motus, anima est in corde. — *Quæst. disp. de Anima* a. 10, ad 5.

Ad quartum dicendum, quod animal est quod componitur ex anima et corpore toto, quod est primum et per se et proportionatum ejus perfectibile ; sic autem anima non est in parte. Unde non oportet quod pars animalis sit animal. Ideo autem anima non est primo et per se et tamquam in proportionato perfectibili in qualibet parte corporis, sed solum sic est in toto corpore : quia anima quamvis sit forma simplex, est tamen multiplex in virtute, secundum quod ex ejus essentia oriuntur diversæ potentiæ ; et ideo oportet corpus proportionatum sibi habere partes distinctas ad recipiendum diversas potentias ; unde etiam anima dicitur esse actus corporis organici ; et quia non quælibet pars animalis habet talem distinctionem, non potest dici animal. — 1a, q. 76, a. 8, ad 3 ; 1. *Sent.* dist. 8, q. 5, a. 3, ad 2.

Ad quintum dicendum, quod secundum Philosophum (*de Somno et Vig.* c. 1) cujus est potentia, ejus est actio. Unde potentiæ illæ, quarum operationes non sunt solius animæ, sed conjuncti, sunt in organo sicut in subjecto, in anima autem sicut in radice. Solum autem illæ potentiæ sunt in anima sicut in subjecto, quarum operationes anima non per organum corporis exsequitur, quæ tamen sunt animæ secundum quod excedit corpus seu totam ejus capacitatem, quæ proinde in nulla parte corporis esse dicuntur : et sunt intellectus et voluntas. Unde non sequitur quod in qualibet parte corporis sint omnes potentiæ animæ. — 1a, l. c. ad 4 ; *Quæst. disp. de Anima* a. 10, ad 13.

Ad sextum dicendum, quod forma domus cum sit accidentalis, non dat esse specificum singulis partibus domus, sicut dat anima singulis partibus corporis ; et ideo non est simile. — *de Spirit. Creat.* a. 4, ad 4.

Ad septimum dicendum, quod anima moto corpore, movetur *per accidens* et *non per se*. Non est autem inconveniens quod aliquid simul moveatur et quiescat per accidens secundum diversa ; sicut non est inconveniens, quod aliquid moveatur per accidens motibus contrariis ut puta, si quis in navi deferretur contra cursum navis ; esset autem inconveniens si anima per se simul quiesceret et moveretur. — *Ibid.* ad 7.

Ad octavum dicendum, quod anima dicitur actus corporis organici sicut primi et proportionati perfectibilis : corpus enim organicum est perfectibile ab anima primo et per se ; singula autem organa et organorum partes in ordine ad totum sicut dictum est. Et ratio hujus est, quia cum materia sit propter formam, forma autem ordinetur ad propriam operationem ; oportet quod talis sit materia unius cujusque formæ, ut competit operationi illius formæ : sicut materiam serræ oportet esse ferream, quod competit ad opus serræ propter suam duritiem. Cum ergo anima propter suæ virtutis perfectionem possit in diversas operationes, necessarium est quod materia ejus sit corpus constitutum ex partibus congruentibus ad diversas operationes animæ, quæ dicuntur organa. Et propter hoc totum corpus cui respondet principaliter anima ut forma, est organum ; partes autem sunt propter totum : unde animæ non respondet pars corporis sicut proprium et principale perfectibile, sed secundum quod ordinem habet ad totum. Unde non oportet quod quælibet pars animæ sit corpus organicum, licet anima sit forma ejus. — 1a, l. c. ad 2 ; *Quæst. disp. de Anima* l. c. ad 1 ; *de Spirit. Creat.* l. c. ad 13.

Ad nonum dicendum, quod caro mea cum carne alterius hominis magis convenit secundum rationem speciei, quam caro mea cum osse meo ; sed secundum analogiam ad totum est e converso ; nam caro mea et os meum possunt ordinari ad unum totum constituendum, non autem

m caro mea, et caro alterius. — *de* *pirit. Creat.* l. c. ad 14.

Ad decimum dicendum, quod præcisa rte non sequitur quod auferatur anima, l quod ad aliam partem transmutetur, si poneretur quod in illa sola parte esset ima; sed sequitur quod illa pars desi- t perfici ab anima totius. — *Ibid.* ad 15.

Ad undecimum dicendum, quod anima n est indivisibilis ut punctum habens um in continuo, contra cujus rationem set in loco divisibili esse; sed anima t indivisibilis per abstractionem a toto nere continui; unde non est contra is rationem, si sit in aliquo toto divisi- ii. — *Ibid.* ad 16.

Ad duodecimum dicendum, quod vivere animali dicitur *dupliciter*: — *uno modo* vere est ipsum esse viventis, sicut di- Philosophus (2. *de Anima text.* 37; 4), vivere viventibus est esse; et hoc odo anima immediate facit vivere quam- et partem corporis, in quantum est ejus ma. *Alio modo* dicitur vivere pro ope- tione animæ, quam facit in corde, prout t motor; et talis est vita, quæ defertur r spiritus vitales: et talem vitam pri- influit in cor et postea in alias partes. inde est quod læso corde perit ope- io animæ in omnibus partibus corpo- , et per consequens esse ipsarum par- m, quod conservatur per operationem imæ. — 1. *Sent.* dist. 8, q. 5, a. 3, ad 3.

ARTICULUS VIII

RUM ANIMA ITA SIT IN CORPORE ET EJUS QUALIBET PARTE, UT SIT TOTA IN TOTO CORPORE ET TOTA IN QUALIBET PARTE, ATQUE ADEO SIT INDIVISIBILITER IN CORPORE, AN VERO SIT DIVISIBILITER, ITA UT TOTA SIT IN TOTO ET PARS IN PARTE.

Videtur quod anima sit divisibiliter in o corpore, ita ut sit tota in toto, non ta- n tota in qualibet parte, sed una pars imæ sit in una parte corporis, et alia rs animæ in alia parte corporis.

1. Dicit enim Philosophus (2. *de Anima text.* 9; c. 1), quod sicut anima se habet ad corpus, ita pars animæ ad partem corporis: ergo si anima est in toto corpore, non erit in qualibet parte corporis tota, sed pars ejus. — *Quæst. disp. de Anima* a. 10, arg. 9; 1a, q. 78, a. 8, arg. 3.

2. Sed dices, quod Philosophus loquitur de anima et partibus ejus in quantum est motor, non in quantum est forma. — Sed contra, Philosophus dicit ibidem, quod si oculus esset animal, visus esset anima ejus; sed anima est forma animalis: ergo pars animæ est in corpore ut forma, et non ut motor tantum. — *Quæst. disp. de Anima* a. 10, arg. 10.

3. Præterea, omne quod est in altero, est in eo per modum ejus in quo est; si igitur anima est in corpore, oportet quod sit in eo per modum corporis; sed modus corporis est, ut ubi est una pars, non sit alia: ergo ubi est una pars animæ, non est alia; et ita non est tota in qualibet parte corporis. — *Ibid.* arg. 14.

4. Præterea, magis intime unitur forma materiæ quam locatum loco; sed unum locatum non potest esse in diversis locis simul, etiamsi sit substantia spiritualis, puta angelus: ergo nec anima poterit esse in diversis partibus corporis. — *Ibid.* arg. 18; 1. *Sent.* dist. 8, q. 5, a. 3, arg. 4.

5. Præterea, cum anima sit simplex, absque quantitate dimensiva, nulla totalitas videtur ei posse attribui, nisi virtutis; sed non est in qualibet parte corporis secundum suas potentias, in quibus consideratur totalitas virtutis ejus; non ergo in qualibet parte corporis est tota anima. — *de Spirit. Creat.* a. 4, arg. 17.

6. Præterea, nulla forma quæ extenditur ad extensionem materiæ, est tota in qualibet parte suæ materiæ; sed anima saltem vegetativa et sensitiva extenditur secundum extensionem suæ materiæ, cum educatur ex ejus potentia: ergo idem quod prius. — *Ibid.* arg. 5.

7. Præterea, extra totum nihil est su-

mere ; si igitur anima est tota in qualibet parte corporis, extra illam partem nihil est de anima : ergo impossibile est quod anima sit tota in qualibet parte. — *Quæst. disp. de Anima* a. 10, arg. 3.

8. Præterea, quædam animalia decisa vivunt ; sed non est dicere, quod altera pars vivat per totam animam : ergo nec ante decisionem tota anima erat in illa parte, sed pars animæ. — *de Spirit. Creat.* a. 4, arg. 19 ; *Quæst disp. de Anima* l. c. arg. 15.

9. Præterea, dimensiones corporis animati possunt in infinitum dividi ; si ergo in qualibet parte dimensionum esset forma substantialis, tota esset infinities sub iisdem dimensionibus : quod est impossibile. — 4. *Sent.* dist. 10, q. 1, a. 3, quæstiunc. 3, arg. 1.

Sed contra, forma substantialis adest cuilibet parti tota, quia non convenit illi alia totalitas quam essentiæ ; unde sicut tota essentia albedinis est in toto corpore, et tota in qualibet parte illius, ita et tota forma erit in qualibet parte materiæ ; sed anima est forma substantialis corporis animati : ergo est tota in toto corpore, et tota in qualibet parte ejus. — 1. *Sent.* dist. 8, q. 5, a. 3, arg. 1 *Sed contra* ; *de Spirit. Creat.* a. 4, arg. 3 *Sed contra ;* 2. *c. Gent.* c. 72.

RESPONDEO DICENDUM, quod quidam posuerunt animam *dupliciter* posse considerari : *aut* secundum suam essentiam, *aut* secundum quod est totum quoddam potentiale. Si *primo modo*, sic dicebant ipsam non esse in toto corpore, sed in aliqua parte ejus, scilicet corde, et per cor vivificare totum corpus per spiritus vitales procedentes a corde. Si *secundo modo*, sic anima consideratur ut quædam potentia integrata ex omnibus particularibus potentiis ; et sic tota anima est in toto corpore, et non tota in qualibet parte corporis ; imo, sicut dicit Philosophus (2. *de Anima text.* 9 ; c. 1), partes animæ se habent ad partes corporis sicut tota anima ad totum corpus : unde si pupilla esset animal, visus esset anima ejus. — Hujus autem positionis causa duplex imaginatio falsa : una est, qui imaginati sunt animam esse in corpore sicut in loco, ac si tantum esset motor, non forma, sicut est nauta in navi ; alia est, quia imaginati sunt simplicitatem animæ esse ad modum puncti, ut sit aliquid indivisibile habens situm indivisibilem, utrumque horum est stultum. — Et ideo dicendum est, quod anima *secundum suam essentiam* considerata est in toto corpore indivisibiliter, id est tota in toto, et tota in qualibet parte ; considerata vero *secundum totalitatem potentiarum* est quidem tota in toto corpore, sed non est tota in qualibet parte.— 1. *Sent.* dist. 8, q. 5, a. 3, c.

Cujus rei *ratio duplex* afferri potest. *Una* est, quia nulli substantiæ simplici debetur locus nisi secundum relationem quam habet ad corpus. Anima autem comparatur ad corpus ut ejus forma, a qua totum corpus et quælibet ejus pars habet esse sicut a forma substantiali. Et tamen potentias ejus non omnes partes corporis participant ; imo sunt aliquæ potentiæ quibus non est possibile perfici aliquid corporeum, sicut potentiæ intellectivæ. Aliæ autem sunt quæ possunt esse perfectiones corporum, non tamen eas omnes influit anima in qualibet parte corporis, cum non quælibet pars corporis sit ejusdem harmoniæ et commixtionis, et nihil recipiatur in aliquo nisi secundum proportionem recipientis ; et ideo non eandem perfectionem recipit anima auris et oculus, cum tamen quilibet pars recipiat esse. Unde si consideretur anima ut *forma* et essentia, tota in qualibet parte corporis tota ; si autem prout est *motor* secundum suas potentias, sic est tota in toto et in diversis partibus secundum diversas potentias. — *Ibid.*

Altera ratio est, quia animæ, præsertim humanæ et animalium perfectorum, nulla alia totalitas convenire potest quam secundum perfectionem essentiæ, secundum quam hæ animæ totæ sunt in totis corporibus suis, et in quibuslibet partibus illorum.

Ad cujus evidentiam considerandum t, quod cum totum sit quod dividitur partes, secundum triplicem divisionem t *triplex totalitas*. Est enim quoddam tum quod dividitur in partes quantitavas, sicut tota linea vel totum corpus que adeo totum quantum. Est etiam oddam totum quod dividitur in partes tionis et essentiæ, sicut definitum in rtes definitionis, puta in genus et differentiam, et compositum resolvitur in ateriam et formam. Tertium autem um est potentiale seu secundum virtem, quod dividitur in partes virtutis. Primus autem totalitatis modus, qui t secundum quantitatem, non convenit mis nisi forte per accidens, quatenus licet per accidens dividuntur divisione antitatis, sicut albedo divisione superiei ; et illis solis formis convenit quæ xtenduntur quantitati ; quod ex hoc nvenit aliquibus formis, quia habent ateriam similem et in toto et in parte ; est quæ non requirunt magnam dissimiudinem in toto et partibus ; atque adeo æ habent indifferentem habitudinem totum quantitativum et ejus partes : ut patet in albedine, quæ, quantum est sui ratione, æqualiter se habet ut sit tota superficie et in qualibet superficiei rte ; et ideo divisa superficie dividitur edo per accidens. Sed formæ quæ quirunt diversitatem et magnam dissilitudinem in partibus, sicut est anima minis et animalium perfectorum, non ualiter se habent ad totum corpus et partes ; unde non dividuntur per accins divisione quantitatis. Sic ergo totali quantitativa non potest attribui animæ c per se nec per accidens. — Sed totas secunda, quæ attenditur secundum rfectionem rationis et essentiæ, proprie per se convenit formis ; similiter autem totalitas virtutis et potestatis, per quam licet totum comparatur ad partes virtis et potestatis, quæ accipiuntur secunm divisionem operationum. — 1a, q. , a. 8, c. ; *de Spirit. Creat.* a. 4, c. ; *ust disp. de Anima* a. 10, c.

Si ergo accipiatur forma, quæ dividitur per continui divisionem, ut est albedo, et quæratur de illa, utrum sit tota in tota superficie et in qualibet parte superficiei ; distinguere oportet, quia si fiat mentio de totalitate quantitativa, quam habet albedo per accidens, non est tota in qualibet parte superficiei. Et similiter dicendum est de totalitate virtutis ; magis enim potest movere visum illumque disgregare albedo quæ est in tota superficie, quam albedo quæ est in aliqua ejus particula : sicut plus potest calefacere calor existens in magno igne quam in parvo. Sed si fiat mentio de totalitate speciei et essentiæ, tota albedo est in qualibet parte superficiei ; nam tota ratio speciei albedinis invenitur in qualibet parte superficiei ; non autem est tota secundum quantitatem, quam habet per accidens, sed pars est in parte. — 1a, q. 76, a. 4, c.

Quoniam ergo animæ animalium perfectorum non habent totalitatem quantitativam, nec per se nec per accidens, ut dictum est — secus vero animæ animalium imperfectorum, seu annulosorum, quæ decisa vivunt ; in quibus est una anima actu et plures in potentia, ut docet Philosophus (2. *de Anima text.* 20 ; c. 2) ; — propterea anima perfecti animalis tota est in qualibet parte corporis secundum totalitatem perfectionis et essentiæ, non autem secundum totalitatem virtutis : quia non secundum quamlibet suam potentiam est in qualibet parte corporis sed secundum visum in oculo, secundum auditum in aure, et sic de aliis. Et ratio est, quia partes corporis difformiter perficiuntur ab anima ad diversas potentias. Quod si loquamur in particulari de *anima humana*, hæc neque secundum totalitatem virtutis dicitur tota in toto corpore, et multo minus in qualibet parte : quia est aliqua ejus operatio, puta intelligere, quam per nullam partem corporis exsequitur ; nam virtus hujus operationis existens in anima capacitatem corporis excedit. Tamen attendendum est in anima perfecti animalis, quod quia, ut dictum est, requirit di-

versitatem in partibus, non eodem modo comparatur ad totum et ad partes, sed ad totum quidem primo et per se, sicut ad proprium et proportionatum perfectibile; ad partes autem per posterius, secundum quod partes habent ordinem ad totum. — 1a, q. 76, a. 8, c.; *de Spirit. Creat.* a. 4, c.; *Quæst. disp. de Anima* a. 10, c.; 2. *c. Gent.* c. 72.

Ad primum ergo dicendum, quod partes animæ accipiuntur a Philosopho non quantum ad essentiam animæ, sed quantum ad ejus potestatem. Et ideo dicimus, quod sicut anima est in toto corpore, ita pars animæ est in parte corporis: quia sicut totum corpus organicum se habet ut deserviat operationibus animæ quæ per corpus exercentur, ita se habet unum organum ad unam determinatam operationem. — *Quæst. disp. de Anima* a. 10, ad 9.

Ad secundum dicendum, quod potentia animæ radicatur in essentia, et ideo ubicunque est aliqua potentia animæ, ibi est essentia animæ. Quod ergo dicit Philosophus, quod si oculus animalis esset animal, visus esset anima ejus, non intelligitur de potentia animæ sine ejus essentia, sicut et totius corporis dicitur anima sensibilis esse forma per essentiam suam, non per potentiam sensitivam. — *Ibid.* ad 10.

Ad tertium dicendum, quod cum dicitur unumquodque esse in alio secundum modum ejus in quo est, intelligitur quantum ad capacitatis ipsius modum, non quantum ad naturam ejus. Non enim oportet ut id quod est in aliquo, habeat naturam et proprietatem ejus in quo est; sed quod recipiatur in eo secundum capacitatem ipsius; manifestum enim est, quod aqua non habet naturam amphoræ. Unde nec oportet quod anima habeat istam naturam corporis, ut ubi est una pars ejus, ibi sit alia. — *Ibid.* ad 14.

Ad quartum dicendum, quod simplicitas animæ et angeli non est existimanda ad modum simplicis puncti, quod habet determinatum situm in continuo; et ideo quod simplex est, non potest esse simul in diversis partibus continui. Sed ang lus et anima dicuntur simplicia per ho quod omnino carent quantitate; et id non applicantur ad continuum nisi p contactum virtutis. Unde totum illu quod virtute angeli contingitur, respon det angelo, qui non unitur ut forma, locus unus; et animæ, quæ unitur ut fo ma, ut perfectibile unum: et sicut ang lus est in qualibet parte sui loci totus, i et anima est in qualibet parte sui perf ctibilis tota. — *Ibid.* ad 18.

Ad quintum dicendum, quod anima hoc quod est indivisibilis sequitur qu non habet totalitatem quantitatis. N propter hoc relinquitur quod sit in ea s la totalitas potentiarum; est enim in totalitas secundum essentiæ rationem, dictum est. — *de Spirit. Creat.* a. 4, ad 1

Ad sextum dicendum, quod anima an malis perfecti non extenditur secundu extensionem corporis; virtualis tamen ej quantitas non porrigitur in majorem qua titatem quam corporis. — *Ibid.* ad 5.

Ad septimum dicendum, quod cum an ma sit in una parte corporis eo modo q dictum est, nihil animæ est extra anima quæ est in hac parte corporis. Non tam sequitur, quod animæ nihil sit extra ha partem corporis, sed quod nihil sit ext totum corpus, quod principaliter per cit. — *Quæst. disp. de Anima* a. 10, ad

Ad octavum dicendum, quod anima annulosa decisa vivunt, non solum qu anima est in qualibet parte corporis, s quia anima eorum cum sit imperfecta paucarum actionum, requirit parvam versitatem in partibus, quæ etiam inv nitur in parte decisa vivente; unde cu retineat dispositionem per quam totu corpus est perfectibile ab anima, remanet in eo anima; secus autem est in anim libus perfectis. — *Ibid.* ad 15; *de Spir. Creat.* l. c. ad 19; 1. *Sent.* dist. 8, q. a. 3, ad 2.

Ad nonum dicendum, quod unitas consequitur esse ipsius; partes autem cujus homogenei continui ante division non habent esse actu, sed potentia ta-

m ; et ideo nulla illarum habet unita-
m propriam in actu ; unde actu non
t accipere ipsarum numerum, sed poten-
i tantum. Et propter hoc forma, quæ
t tota in toto tali, et tota in partibus
us, non dicitur ante divisionem conti-
ui esse ibi pluries actu, sed solum po-
ntia ; sed post divisionem multiplicatur
cundum actum, sicut patet in animali-
is annulosis et in plantis. Neque est in-
nveniens, quod talis forma sive anima
te divisionem corporis quanti sit ibi in-
ities in potentia. — 4. *Sent.* dist. 10,
1, a. 3, quæstiunc. 3, c. et ad 1.

QUÆSTIO XLIX

DE PROPRIETATIBUS ANIMÆ.

inde considerandum est de proprietatibus animæ.

CIRCA QUAS QUÆRUNTUR DUO :

Utrum anima sit mobilis per se.
Utrum omnis anima sit inseparabilis a corpore.

ARTICULUS I

UTRUM ANIMA SIT MOBILIS PER SE.

Videtur quod anima sit mobilis per se.
1. Dicit enim Philosophus (1. *de Anima* t. 62 ; c. 4), quod dicimus animam stari gaudere, confidere timere ; sed jusmodi videntur esse motus, ut dicit ilosophus ibidem : ergo anima est per mobilis. — 1. *de Anima* l. 10.
2. Præterea, anima est motor corporis; l non est movens non motum, *tum ia* videtur quod nihil possit movere n motum (quia nihil dat alteri quod n habet, sicut quod non est calidum n calefacit), *tum quia* si aliquid est mo-ns non motum, causat motum sempiter-m et eodem modo se habentem, ut obatur in 8. *Phys.* (*text.* 43 sqq ; c. 5) ; quod non apparet in motu animalis, qui est ab anima : ergo anima est movens motum, et consequenter est per se mobilis. — 1a, q. 75, a. 1, arg. 1.
3. Præterea, mutato aliquo mutatur et id quod est in illo ; sed corpus, in quo est anima, movetur localiter : ergo et anima localiter movebitur. — *de Malo* q. 2, a. 11, arg. 15 et ad 15.
4. Præterea, illud movetur localiter, quod acquirit novum locum, ubi prius non erat; sed anima in nutritione et augmentatione acquirit novum locum, puta locum ubi prius erat alimentum quod in vivens convertitur : ergo anima per se localiter movetur. — *de Spirit. Creat.* a. 4, arg. 12.

Sed contra est auctoritas Philosophi in 1. *de Anima* (*text.* 36 et 62 ; c. 3 et 4), ubi fuse probat contra veteres philosophos animam non moveri per se. — 1. *de Anima* l. 6.

Respondeo dicendum, quod anima nulla specie motus movetur *per se ; per accidens* autem potest localiter moveri ad motum totius corporis. Quod potest facile ostendi.

Quod enim non sit *per se* mobilis ulla specie motus, sive late sive presse sumpto nomine motus, prout generationem et corruptionem excludit, — probatur *primo*, quia omnes motus proprie sumpti sunt in loco : quare et anima erit in loco ; quod est inconveniens : quia si est in loco, oportet quod illi assignetur proprius locus in corpore separatus, et sic non erit forma totius corporis. — 1. *de Anima* l. 6. — Probatur *secundo* inductione in omnibus speciebus motus late sumpti. Non enim potest anima per se moveri motu *augmenti* : quia non augetur nec diminuitur, cum non sit quanta, sed actus corporis quanti, ut dictum est. Neque *generatur* et *corrumpitur*, sicut nec forma substantialis, ut dicitur 12. *Metaphys.* (*text.* 12 ; l. 11, c. 3) : quia in ipsa non est contrarietas, ut per se corrumpatur, quia nihil per se corrumpitur nisi ratione contrarietatis. — Neque *alteratur :* quia alteratio, ut probat Philo-

sophus 7. *Phys.* (*text.* 20 ; c. 3), non est nisi circa sensibiles qualitates, quæ remotæ sunt ab anima, quippe quæ est actus substantialis, ut dictum est (supra q. 48, a. 7). — 1. *Sent.* dist. 37, q. 4, a. 1, arg. 2 ; 12. *Metaphys.* l. 3. — Neque demum *per se* movetur *localiter* : quia per motum localem mutatur locus ; nam omne quod movetur, distat vel exit ab eo a quo et secundum quod movetur (sicut si aliquid movetur a quantitate, exit et distat ab ipsa quantitate a qua movetur) ; non posset autem anima mutare per se locum, nisi mutaret corpus ; quod naturaliter est impossibile ; — nam animæ alius locus per se non est quam corpus ; non est autem in loco corporis nisi per accidens, nimirum ratione ipsius corporis quod informat. — 1. *de Anima* l. 6.

Quod vero possit anima *per accidens* moveri localiter ad motum corporis, manifestum est : quia quidquid est in aliquo *definitive*, movetur per accidens ad motum illius : sic enim et angelus moveri dicitur per accidens ad motum corporis assumpti, in quo est definitive ; anima autem est definitive in toto corpore : quare movebitur per accidens ad motum totius corporis, non autem ad motum partis, in qua non est definitive : sicut nec angelus movetur per accidens ad motum partis corporis assumpti ; nec Deus ad motum cujuslibet rei, quia cum ita sit et operetur in quacunque re, ut et alibi sit et operetur, non potest in ulla re esse definitive ex vi operationis ut exit ab ipso Deo. Unde manifestum est, quod anima non movetur per se ; sed tantum per accidens localiter movetur ad motum totius corporis. — 1. *Sent.* dist. 37, q. 4, a. 1, arg. 4 et ad 4, et q. 3, a. 1, ad 5.

Ad primum ergo dicendum, quod sentire, gaudere et hujusmodi non sunt operationes animæ sed conjuncti, seu corporis ab anima tamen, ut dicit Philosophus 1. *de Anima* (*text.* 63 ; c. 4). — 1. *de Anima* l. 10 ; 2. c. *Gent.* c. 57.

Ad secundum dicendum, quod cum omne quod movetur, ab alio moveatur (quod non potest in infinitum procedere), necess est dicere, quod non omne movens mo vetur. Cum enim moveri sit exire de po tentia in actum, movens dat id quod ha bet mobili, in quantum ipsum facit ess in actu. Sed, sicut ostenditur in 8. *Phy* (*text.* 43 sqq. ; c. 5), est quoddam mo vens penitus immobile, quod nec per s nec per accidens movetur, et tale move potest causare motum semper uniformen Est autem aliud movens, quod non mov tur per se, sed movetur per accidens ; propter hoc non causat motum semp uniformem ; et tale movens est anim Est autem aliud movens, quod per se mo vetur, scilicet corpus. Et quia antiqui na turales nihil esse credebant nisi corpor posuerunt quod omne movens movetu et quod anima per se movetur et est co pus. — 1a, q. 75, a. 1. ad 1.

Ad tertium dicendum, quod anima loc liter movetur, non tamen per se, sed pe accidens, et hoc tantum probat argume tum, ut dictum est (in c.). — l. c. in arg

Ad quartum dicendum, quod anima no movetur localiter per se, sed sicut aug mentato puero aliqua pars corporis in cipit esse per se ubi prius non erat, it anima per accidens, et per transmutati nem suam, in quantum per accidens mo vetur moto corpore. — *de Spirit. Crea* a. 4, ad 12.

ARTICULUS II

UTRUM OMNIS ANIMA SIT INSEPARABILIS CORPORE.

Videtur quod anima sit inseparabilis corpore.

1. Dicit enim Philosophus 2. *de Anim* (*text.* 11 ; c. 1), quod manifestum est animam non esse separabilem a corpore : eo quo anima est actus ; actus autem non sepa ratur ab eo cujus est actus. — 2. *d Anima* l. 2.

2. Præterea, dicit Philosophus 12. *Me taphys.* (*text.* 16 ; l. 11, c. 3), quod caus efficiens præcedit effectum, non auter causa formalis, sed hæc simul est cur

ffectu, et per consequens est inseparabilis ab effectu ; sed anima est forma corporis, ut dictum est : ergo anima est inseparabilis a corpore. — 12. *Metaphys* l. 3.

3. Præterea, dicit Philosophus 2. *Phys.* *text.* 12 ; c. 1), quod forma non est separabilis secundum rem, sed secundum rationem, a materia ; sed anima est forma : ergo anima est inseparabilis a corpore. — *Phys.* l. 2.

Sed contra est : 1. quod Philosophus 1. *de Anima* (*text.*. 65 ; c. 4) dicit, quod intellectus videtur substantia quædam esse non corrumpi ; non enim corrumpitur per se, cum etiam inferiores vires, ut sensitivæ, de quibus minus videtur, debiliter tantum ex indispositione organorum ; nec etiam per accidens, cum non sit forma super aliud delata, sed substantia quædam per se subsistens. — 2. *Sent.* dist. 19, q. 1, a. 1, arg. 1 *Sed contra.*

2. Præterea, 2. *de Anima* (*text.* 21 ; c. 2) dicit Philosophus, quod reliquum genus animæ, puta intellectus, separatur a aliis partibus animæ, sicut perpetuum a corruptibili. — *Ibid.*

Respondeo dicendum, quod omnis anima, excepta rationali, est inseparabilis secundum rem a corpore. Et ratio hujus est, quia omnis anima, excepta rationali, ad corruptionem compositi desinit esse. Quod ideo est, quia omnis anima, excepta rationali, habet esse dependens ab esse compositi, cum existat per illud ; unde non potest separatim existere. E contra vero anima rationalis habet esse absolutum et independens ab esse compositi, et compositum habet esse per esse illius ; et ideo destructo composito remanet in suo esse a corpore separata. — 2. *Sent.* dist. 19, q. 1, a. 1, c. et ad 4.

Ad primum ergo dicendum, quod licet materia non sustentet animam rationalem secundum esse simpliciter, illam tamen sustentat secundum quod est forma hujus, habens esse in hoc ; et ideo anima secundum quod est forma hujus, est inseparabilis secundum rem. (5. *Metaphys.* l. 2.) — *Sed dic*, quod anima rationalis dupliciter potest considerari : *uno modo* quatenus est forma ; et ut sic est inseparabilis secundum rem de corpore, et ex hoc non habet quod post corpus remaneat. *Altero modo* secundum quod est substantia et hoc aliquid, seu secundum quod habet esse absolutum ut substantia subsistens ; et hoc modo est separabilis secundum rem, et post corpus remanet. — 2. *Sent.* dist. 19, q. 1, a. 1, ad 4.

Ad secundum dicendum, quod anima rationalis in quantum est forma hujus, et in quantum habet esse in hoc, simul est cum corpore, et post corpus non remanet ; nec est separabilis a corpore secundum rem, sed tantum secundum rationem ; secus vero considerata secundum quod est substantia subsistens habens esse absolutum, ut dictum est (ad præced. arg.). — Et sic patet *ad tertium.*

QUÆSTIO L

DE CORPORE, QUOD EST MATERIA ANIMÆ.

Deinde considerandum est de corpore, quod est materia animæ.

CIRCA QUOD QUÆRUNTUR TRIA :

1. Utrum præter animam in corpore sit alia forma substantialis.
2. Utrum partes corporis viventis specie differant, puta os et caro.
3. Quænam sint veræ partes corporis viventis.

ARTICULUS I

UTRUM PRÆTER ANIMAM IN CORPORE SIT ALIA FORMA SUBSTANTIALIS.

Videtur quod præter animam in corpore animato sit alia forma substantialis.

1. Dicit enim Philosophus (2. *de Anima* *text.* 4 et 5 ; c. 1.), quod anima est *actus corporis physici potentia vitam habentis.* Comparatur igitur anima ad corpus sicut

forma ad materiam ; sed corpus habet aliquam formam substantialem, per quam est corpus : ergo ante animam præcedit in corpore aliqua forma substantialis. — 1a, q. 76, a. 4, arg. 1.

2. Præterea, quodlibet animal est movens se ipsum ; omne autem movens se ipsum dividitur in duas partes, quarum una est movens alia mota, ut probatur in 8. *Phys.* (*text.* 30 ; c. 4). Pars autem movens est anima ; ergo oportet quod alia pars sit talis, quæ possit esse mota ; sed materia prima non potest moveri, ut dicitur in 5. *Phys.* (*text.* 8 ; c. 1), cum sit ens solum in potentia ; quinimo omne quod movetur est corpus : ergo oportet quod in quolibet animali sit alia forma substantialis, per quam constituatur corpus. — *Ibid.* arg. 2.

3. Præterea, ordo in formis attenditur secundum habitudinem ad materiam primam ; prius enim et posterius dicitur per comparationem ad aliquod principium ; si ergo non esset in quolibet animato aliqua alia forma substantialis præter animam, sed immediate materiæ primæ inhæreret, sequeretur quod quælibet anima etiam perfectissima, ut rationalis, esset in ordine imperfectissimarum formarum, quæ immediate inhærent materiæ. — *Ibid.* arg. 3.

4. Præterea, corpus animatum est mixtum ; mixtio autem non fit secundum materiam tantum, quia tunc esset corruptio sola : oportet ergo quod remaneant formæ elementorum in corpore mixto, quæ sunt formæ substantiales ; ergo in corpore animato sunt aliæ formæ substantiales. — *Ibid.* arg 4.

5. Præterea, necesse est quod anima sit in corpore formato et disposito multis dispositionibus ; si ergo adveniens anima omnes præcedentes formas et dispositiones amovet, sequitur quod in instanti anima totum corpus formet ; quod videtur esse solius Dei ; ergo dicendum est, quod simul cum anima remanent in corpore animato aliæ formæ substantiales. — *Quodl.* 1, a. 6, arg. 2.

6. Præterea non est dare corrumpens adveniente anima, ceteras formas substantiales et accidentales ; ergo cum anima remanent in vivente aliæ formæ substantiales et accidentales.

7. Præterea, anima est perfectio ; sed perfectionis non est corrumpere, sed perficere : non ergo adveniens corpori corrumpit formas præexistentes. — *Ibid.* arg. 4.

Sed contra : 1. Unius rei est unum esse substantiale ; sed forma substantialis dat esse substantiale : ergo unius rei est unum tantum forma substantialis ; sed anima est forma substantialis viventis : ergo impossibile est quod in vivente sit aliqua alia forma substantialis præter animam — 1a, q. 76, a. 4, arg. *Sed contra.*

2. Præterea, dicit Philosophus (7. *Metaphys. text.* 43 ; l. 6, c. 12), quod tota definitio constituitur ex ultima differentia etiamsi ponantur multæ ; sed si in vivente essent plures formæ substantiales (per quarum unam esset substantia, per aliam corpus, per aliam corpus animatum, per aliam animal, et per aliam tale animal) non possent omnes differentiæ una comprehendi, nec ex illis unum constitueretur ergo in vivente non possunt esse plures formæ substantiales. — 7. *Metaphys.* l. 12.

3. Præterea, adveniente anima humana tollitur forma substantialis quæ prius inerat, sicut et adveniente forma mixti tolluntur formæ substantiales elementorum alioqui generatio unius esset sine corruptione alterius, quod est impossibile ; ergo in homine, et consequenter in vivente, est tantum una forma substantialis. — *Quodl.* 1, a. 6, c.

Respondeo dicendum, quod quia anima non unitur corpori tantum ut motor, sed etiam ut forma, ut dictum est, impossibile est, quod in vivente sit alia forma substantialis præter animam (1a, q. 76, a. 4, c.). Quod potest esse manifestum ex *duobus :* — *et primo* quidem ex distinctione formarum substantialium ab invicem. Nam omnes formæ substantiales sunt ejusdem generis physici ; sed impossibile est dua

ormas ejusdem generis physici perficere lem subjectum : ergo impossibile est in ivente præter animam dari alias formas ıbstantiales perficientes eandem mate-am. — *Opusc.* 45, post princ.

Major probatur multipliciter : — et *pri-ıum* ex mutua transmutatione ; quia illæ ınt formæ ejusdem generis physici, quæ ıvicem transmutantur, ut patet ex 10. *letaphys.* (*text.* 22 ; l. 9, c. 7), ubi dicitur iversa genere non habere mutuam trans-ıutationem. Omnes autem formæ sub-antiales ad invicem transmutantur : — t patet *primum* ex communi susceptivo ; cut enim diversa genere sunt quæ non ıbent idem susceptivum, ut dicit Philo-ıphus (5. *Metaphys. text.* 33 ; l. 4, c. 28), a quæ sunt ejusdem generis habent idem ısceptivum ; formæ autem substantiales ınnes habent idem susceptivum, puta ıateriam primam. *Deinde*, ex habitudine ırmarum ad se invicem quoad essentias ; uia formæ substantiales rerum sunt sicut umeri et figuræ, ut dicitur in 8. *Meta-hys.* (*text.* 10 ; l. 7, c. 3), eo quod una ırma addit perfectionem supra aliam, cut unus numerus addit supra alium, et cut una figura supra aliam, et virtute ontinet ipsam. Forma ergo perfectior irtute continet imperfectiorem ; unde osita forma perfectiore superfluum erit onere imperfectiorem ; et per conse-uens, cum in natura nihil sit superfluum, cut posita anima intellectiva in homine, ıperflue poneretur anima sensitiva et egetativa, ita posita anima in quocunque ivente, tanquam forma perfectiore, su-erflue ponerentur ceteræ formæ sub-lantiales imperfectæ, sed ab eadem ani-ıa vivens erit substantia, corpus, mix-ım, et vivens. — *Opusc.* 45, post princ.

Minor vero itidem multipliciter est ıanifesta : — et *primo* ex transmutatione ıutua : quia si aliquæ duæ formæ perfi-iunt simul idem subjectum, illæ sunt ontingentes, nullam repugnantiam haben-es ; inter formas autem contingentes non adit transmutatio per se ; contingens nim non fit ex contingenti nisi per acci-dens ; nec per consequens corrumpitur in contingens nisi per accidens, sicut dicitur 1. *Phys.* (*text.* 66 ; c. 7). *Secundo*, ex incompossibilitate dispositionum : quia diversæ formæ ejusdem generis requirunt diversas dispositiones, per quas receptivum eis appropriatur ; et licet in via generationis una disponat ad inductionem alterius, tamen in via essendi dispositio propria unius repugnat alteri. Si enim dispositio unius staret cum dispositione alterius, jam esset communis dispositio et nullius propria ; forma autem non est in materia nisi disposita et propria ; si autem essent duæ formæ simul in eadem materia, neutra haberet propriam dispositionem. *Tertio*, ex perfectione actus. Omnis enim actus quando suam potentiam perficit, eam totaliter perficit, occupat et continet ; de ratione enim actus est perficere, terminare et complere suam potentiam. Susceptivum autem occupatum et completum nihil suscipit, quousque evacuetur ; cum ergo formæ ejusdem generis habeant idem susceptivum, impossibile est quod recipiant unam formam post aliam, nisi priore abjecta. — *Opusc.* 45, ante med.

Secundo idem probatur ex distinctione formæ substantialis et accidentalis : quia forma *accidentalis* non dat esse simpliciter, sed esse tale ; sicut color facit suum subjectum non simpliciter esse, sed calidum. Et cum advenit forma accidentalis, non dicitur aliquid fieri vel generari simpliciter, sed fieri tale, aut aliquo modo se habens ; et similiter, cum recedit forma accidentalis, non dicitur aliquid corrumpi simpliciter, sed secundum quid. Forma autem *substantialis* dat esse simpliciter (1a, q. 76, a. 4, c.), facit enim ens per se subsistens, a nullo dependens in essendo. Cum enim sit principium motus et quietis, primo adveniens materiæ constituit ens, quod per se movetur, quod est corpus physicum et quid subsistens. Et cum sit actus et substantia, constituit substantiam in actu, et per consequens cum suo esse ; esse autem substantiæ est subsistere, sicut acciden-

tis esse est inesse : et ideo per adventum formæ substantialis dicitur aliquid simpliciter generari, et per ejus recessum simpliciter corrumpi (*Opusc.* 45, post med.). Et propter hoc antiqui naturales, quia posuerunt materiam primam esse aliquod ens actu, puta ignem aut aerem aut aliquid hujusmodi, dixerunt, quod nihil generatur aut corrumpitur simpliciter, sed omne fieri statuerunt esse alterari, ut dicitur in 1. *Phys.* (*text.* 33 ; c. 4.) Si igitur ita esset, quod præter animam in vivente præexisteret quæcunque alia forma substantialis in materia, per quam subjectum animæ esset ens actu, sequeretur quod anima non daret esse simpliciter, et non faceret ens subsistens, et per consequens, quod anima non esset forma substantialis, et quod per adventum animæ non esset generatio simpliciter, sed solum secundum quid (1a, q. 76, a. 4, c.), quia subsistens non advenit subsistenti et supposito, quælibet autem forma substantialis facit subsistens, ut sæpius dictum est. — *Opusc.* 45 ; 1a, q. 76, a. 4, c. ; *Tabula Aurea* voce « forma » n. 146.

Ad primum ergo dicendum, quod Aristoteles non dicit animam esse actum corporis tantum, sed *actum corporis physici organici potentia vitam habentis*, et quod talis potentia non abjicit animam. Unde manifestum est, quod in eo cujus anima dicitur actus, etiam anima includitur, eo modo loquendi quo calor est actus calidi, et lumen est actus lucidi ; non quod seorsim sit lucidum sine luce, sed quia est lucidum per lucem. Et similiter dicitur, quod anima est actus corporis, etc., quia per animam et est corpus, et organicum, et potentia vitam habens. Sed actus primus dicitur respectu actus secundi, qui est operatio ; talis enim potentia est non abjiciens et non excludens animam. — 1a, q. 76, a. 4, ad 1.

Ad secundum dicendum, quod anima non movet corpus per esse suum, secundum quod unitur corpori ut forma, sed per potentiam motivam, cujus actus præsupponit jam corpus effectum in actu per animam ; ut sic anima secundum vi motivam sit pars movens, et corpus animatum sit pars mota. — *Ibid.* ad 2.

Ad tertium dicendum, quod in materi considerantur diversi gradus perfectioni sicut esse, vivere, sentire et intelligere semper autem posterior superveniens pri ori perfectior est. Forma ergo quæ da solum primum gradum perfectionis mate riæ, est imperfectissima ; sed forma qu dat primum et secundum et tertium sic deinceps, est perfectissima, et tame materiæ immediata. — *Ibid.* ad. 3.

Ad quartum dicendum, quod Avicenn posuit formas substantiales elementoru integras remanere in mixto (cf. *Sufficien tia* l. 1, c. 6 ; *de Anima* part. 4, c. 5) ; mix tionem autem fieri secundum quod contrariæ qualitates elementorum reducuntur a medium. Sed hoc est impossibile, quia di versæ formæ elementorum non possu esse nisi in diversis partibus materiæ, a quarum diversitatem oportet intelligi di mensiones, sine quibus materia non pote esse divisibilis. Materia autem dimensio subjecta non invenitur nisi in corpore diversa autem corpora non possunt ess in eodem loco. Unde sequitur quod ele menta sint in mixto distincta secundu situm; et ita non erit vera mixtio, qu est secundum totum, sed mixtio ad sen sum quæ est secundum minima juxta posita.

Averroes autem posuit (in 3. *de Cœ text.* 67), quod formæ elementorum prop ter sui imperfectionem sunt mediæ inte formas substantiales et accidentales ; ideo recipiunt magis et minus ; et ide remittuntur in mixtione, et ad mediu reducuntur, et conflatur ex eis una forma Sed hoc est etiam magis impossibile ; na esse substantiale et specificum cujuslib rei, cujus terminus est forma, consisti in indivisibili, sicut et ipsa ratio formæ et omnis additio et subtractio variat spe ciem, sicut in numeris, ut dicitur in 8 *Metaphys.* (*text.* 10 ; l. 7, c. 3.) Unde im possibile est quod forma substantiali quæcunque recipiat magis et minus. Ne

minus est impossibile aliquid esse medium inter substantiam et accidens.

Et ideo dicendum est, secundum Philosophum in 1. *de Generat.* (*text.* 84; c. 10), quod formæ elementorum manent in mixto non actu, sed virtute; manent enim qualitates propriæ elementorum, licet remissæ, in quibus est virtus formarum elementarium. (1a, q. 76, a. 4, ad 4.) Qualitas enim elementaris agit in virtute formæ substantialis; alioqui actio, quæ est per calorem ignis, non terminaretur ad formam substantialem. (*Quodl.* 1, a. 6, ad 3.) Et hujusmodi qualitas mixtionis est propria dispositio ad formam substantialem corporis mixti, puta formam lapidis vel animati cujuscunque. — 1a, q. 76, a. 4, ad 4; *Quodl.* 1, a. 6, ad 3.

Ad quintum dicendum, quod anima cum advenit corpori, non facit esse corpus *effective*, sed *formaliter* tantum; effective autem facit corpus esse illud, quod dat corpori formam ut perficiens; ut disponens autem illud, quod præoperatur ad formam; paulatim autem et ordine quodam inducendo materiam ad propinquiorem formam et dispositionem. Quanto enim propinquior fuerit forma aut dispositio, tanto minor est resistentia ad introductionem formæ et dispositionis complexæ. Facilius enim fit ignis ex aere quam ex aqua, quamvis utraque forma immediate adsit materiæ. — *Quodl.* 1, a. 6, ad 2.

Ad sextum dicendum, cum impossibile sit esse generationem unius sine corruptione alterius, necesse est adveniente anima tolli formas alias substantiales. Formæ vero accidentales quæ prius inerant disponentes ad animam, corrumpuntur quidem non per se, sed per accidens ad corruptionem subjecti; unde manent eædem specie, sed non eædem numero; sicut etiam contingit circa dispositiones formarum elementarium, quæ primitus materiæ advenire apparent. — *Quodl.* 1, a. 6, c.

Ad septimum dicendum, quod anima cum sit forma, est quidem perfectio quædam particularis, non autem universalis; et ideo ea adveniente sic aliquid perficitur, ut tamen aliquid corrumpatur. — *Ibid.* ad 4 et in c.

ARTICULUS II

UTRUM PARTES CORPORIS VIVENTIS, PUTA OS, CARO ET SIMILES, DIFFERANT INTER SE SPECIE.

Videtur quod os et caro et similes viventis partes specie differant inter se.

1. Si enim, ut dictum est (art. præced.), omnis forma recipitur in materia propria, disposita nimirum per dispositiones proprias talis formæ, ubi sunt dispositiones specie distinctæ, erunt etiam formæ specie distinctæ; sed os et caro habent dispositiones specie distinctas: ergo et forma ossis et carnis sunt specie distinctæ. — *de Spirit. Creat.* a. 4, arg. 4 et 14.

2. Præterea, plus differunt caro et os unius hominis quam duæ carnes duorum hominum; sed hæ differunt numero: ergo illæ different specie. — *Ibid.* arg. 14.

3. Præterea, in partibus viventis est reperire diversitatem et ordinem ad invicem; sed anima est simplex secundum suam essentiam: cum ergo forma sit proportionata materiæ perfectibili, anima non erit forma propria talium partium, sed quælibet illarum habebit propriam formam substantialem specie distinctam. — *Quæst. disp. de Anima* a. 9, arg. 14.

4. Præterea, si sunt ejusdem speciei os et caro, oportet sit una forma specie in utroque; sed hoc est falsum; nam in ossibus est anima vegetativa, quia nutriuntur et augentur, non autem anima sensitiva, quia sunt sine sensu; caro autem habet animam sensitivam: ergo caro et os sunt diversæ speciei. — *Ibid.* arg. 20.

5. Præterea, corpus humanum componitur ex partibus dissimilium specierum; sed hujusmodi partes maxime sunt caro et os et consimiles: ergo hæ differunt specie. — 1a, q. 76, a. 5, arg. 3.

Sed contra est, quod nec plures formæ substantiales nec plures animæ possunt

esse in eodem corpore; sed in osse et carne, quæ sunt partes corporis, est anima vegetativa, cum nutriantur et augeantur, ut dictum est (supra arg. 4): ergo non possunt os et caro specie differre per formas substantiales vel animas specie diversas. — *Tabula Aurea* voce « forma » n. 146, et voce « anima » n. 8 et 9.

Respondeo dicendum, quod veritas hujus quæstionis ex præcedentibus dependet; ostensum enim est prius (q. 48, a. 5, c.), quod anima unitur corpori non solum ut motor, sed ut forma; posterius vero (q. 50, a. 1, c.) ostensum est, quod anima non præsupponit alias forma substantiales in materia, quæ dent esse substantiale corpori aut partibus ejus, sed et totum corpus et omnes ejus partes habent esse substantiale et specificum per animam, qua recedente sicut non manet homo aut animal aut vivum, ita non manet manus aut oculus aut caro aut os, nisi æquivoce, sicut depicta aut lapidea. Unde sequitur quod cum omnis actus sit in eo, cujus est actus, oportet animam (quæ est actus totius corporis et omnium partium) esse in toto corpore et qualibet ejus parte sine ulla alia forma substantiali, et per consequens carnem et ossa non differre specie atque adeo essentialiter, sed accidentaliter tantum ratione diversæ temperiei, quæ in talibus partibus accommodata ad earum operationem invenitur. — *de Spirit. Creat.* a. 4, c.; *Quæst. disp. de Anima* a. 9, c.

Ad primum ergo dicendum, quod quia anima est forma perfecta, plures habens operationes, ideo non solum exigit plura accidentia, ut contingit in formis imperfectis, sed etiam diversas partes singulis operationibus destinatas; et ideo anima in talibus partibus exigit varias et diversas dispositiones, sicut et singulis dat esse substantiale secundum illum modum qui competit operationi ipsarum. — *Quæst. disp. de Anima* a. 9, c.

Ad secundum dicendum, quod duæ carnes duorum hominum solo numero differunt, sed non possunt unum compositum constituere; secus vero caro et os unius hominis. Unde carnes duorum hominum magis conveniunt secundum rationem speciei, quam caro et os unius hominis sed secundum analogiam ad totum et e converso; nam caro et os unius hominis possunt ordinari ad unum totum constituendum, non autem duæ carnes duorum hominum. — *de Spirit. Creat.* a. 4 ad 14.

Ad tertium dicendum, quod licet anima sit forma simplex secundum essentiam est tamen multiplex virtute, secundum quod est principium diversarum operationum. Et quia forma perficit materiam non solum quantum ad esse, sed etiam ad operandum, ideo oportet quod, licet anima sit una forma, partes corporis diversimode perficiantur ab ipsa, et unaquæque secundum quod competit ejus operationi. — *Quæst. disp. de Anima* a. 9, ad 14.

Ad quartum dicendum, quod licet in animali una sit anima sensibilis et vegetabilis, non tamen oportet quod in quocunque apparet operatio unius, apparea operatio alterius, propter diversam partium dispositionem. Ex quo etiam contingit, quod nec omnes operationes anima sensibilis exerceantur per unam partem sed visus per oculum, auditus per aures et sic de aliis. — *Ibid.* a. 11, ad 20.

Ad quintum dicendum, quod os et caro sicut et manus et oculus, proprie loquendo, non sunt diversarum specierum, sed diversarum dispositionum. Competit enim animæ, licet sit una secundum essentiam, quod sit multiplex in virtute, propter sui perfectionem; et ideo ad diversa operationes indiget diversis dispositionibus in partibus corporis cui unitur. — 1a q. 76, a. 5, ad 3.

ARTICULUS III

QUÆNAM SINT VERÆ PARTES CORPORIS VIVENTIS.

I. Videtur quod capilli et ungues non sunt partes animatæ.

1. Dicit enim Philosophus (1. *de Anima text.* 79; c. 5), quod pili non sentiunt, et idem dicendum de capillis et crinibus; sed nihil est perfectum anima rationali, quod non sit perfectum anima sensibili: ergo si non sentiunt, non sunt partes animatæ, quia, ut dictum est, in vivente non nisi una anima omnes ejus partes informantur. — 4. *Sent.* dist. 44, q. 1, a. 2, quæstiunc. 2, arg. 3; *de Sensu et Sensibili* l. 5.

2. Præterea, eodem modo capilli et ungues ex superfluitatibus cibi generantur sicut urina, sudor et aliæ hujusmodi fæces; sed hæc non sunt veræ partes corporis viventis: ergo nec illæ. — 4. *Sent.* c. arg. 1.

3. Præterea, augmentum viventis fit secundum omnes partes et differentias, ut dicitur 2. *de Anima* (*text.* 14; c. 2); sed capilli et ungues augentur tantum secundum longitudinem: ergo non sunt partes animatæ. — 2. *de Anima* l. 3.

Sed contra est: 1. quod Philosophus 1. de *Hist. Animal.* c. 1 et 1. *de Anima text.* 79 (c. 5) numerat pilos inter partes animatas corporis viventis; dicit enim posteriori loco esse quasdam partes corporis viventis terreas, quæ sentire nihil videntur, ut ossa, nervos, pilos. — 1. *de Anima* l. 12; 7. *Phys.* l. 4.

2. Præterea, dicit Philosophus *de Generat. Animal.* l. 2, c. 4, al. 6; et l. 5, c. 3, quod capilli et pili et ungues nutriuntur et augentur; sed nutritio et augmentatio sunt operationes animæ nutritivæ seu vegetativæ, ut dicitur in 2. *de Anima text.* 37 (c. 4): ergo capilli et ungues sunt veræ partes corporis viventis.

II. Videtur quod dentes non sint partes sensitivæ.

1. Dicit enim Philosophus 3. *de Hist. Animal.*, c. 9 et 2. *de Generat. Animal.* c. 7 (al. 6), quod dentes sunt ejusdem naturæ cum ossibus; sed ossa non sentiunt ut docet Philosophus 2. *de Partibus Animal.* c. 8, ubi carnem inquit esse sensorium tactus, et ossa esse a natura facta propter alias partes quæ sentiunt; et in 1. *de Anima text.* 79 (c. 5) dicit, quod ossa nihil sentire videntur: ergo nec dentes. — 1. *de Anima* l. 12.

2. Præterea, sine sanguine non est sensus in animali: unde philosophi veteres nonnulli dixerunt, animam, quæ est principium sentiendi, esse sanguinem; sed ossa et dentes sunt exsanguia: ergo carent sensu. — 1. *de Anima* l. 5.

Sed contra: Philosophus (*Problem.* sect. 34, n. 2, 3) quærens propter quam causam dentes magis doleant quam caro, et sentiant etiam magis frigus quam calorem, supponit dentes esse partes sensitivas.

III. Videtur quod sanguis non sit animatus.

1. Dicit enim Philosophus 2. *de Partibus Animal.* c. 10, quod sanguis non habet sensum, quoniam nulla pars est corporis animati.

2. Præterea, illud quod est in via generationis in corpore humano nondum est ab anima rationali perfectum, et consequenter nec ab ulla anima, cum una tantum sit in corpore viventis, ut dictum est (supra a. 1 c.); sed sanguis adhuc est in via generationis, quia est in potentia caro et os: ergo nondum est perfectus anima rationali, et sic non erit animatus. — 4. *Sent.* dist. 44, q. 1, a. 2, quæstiunc. 3, arg. 3.

3. Præterea, sanguis est materia et ultimum alimentum, ex quo animalia sanguinea nutriuntur, ut dicit Philosophus 2. *de Partibus Animal.* c. 3 et 4; de *Generat Animal.* l. 1, c. 18, 19, 20; et l. 2, c. 4; *de Somno* et *Vigilia* c. 4, al. 3; sed alimentum debet esse simile nutrito, quod est vivens, ut dictum est (supra q. 38, a. 7): ergo sanguis non est pars animata. — *de Somno et Vigilia* l. 5.

Sed contra est, quod Philosophus 3. *de Hist. Animal.* c. 19 dicit, quod unus sanguis animatur et fervet quamdiu vita servatur.

IV. Videtur quod semen sit animatum.

1. Dicit enim Philosophus 2. de *Generat. Animal.* c. 1, quod semen habet animam, et c. 3 dicit semina vivere; ergo semen est animatum.

2. Præterea, generans generat sibi simile; et sic oportet quod forma generantis sit actu causa generationis; sed causa generationis viventis est semen; ex semine enim omnia viventia generantur: ergo semen est animatum. — *de Pot.* q. 3, a. 12 (v. integrum art.); 1a, q. 118, a. 1, arg. 3.

3. Præterea, quod est de substantia viventis, est animatum, sicut et ipsum vivens; sed semen est de substantia viventis — nam generatio est opus naturæ ex substantia generantis producens id quod generatur; id autem quod generatur, genetur ex semine — : ergo semen est animatum et vivens. — 1a, q. 119, a. 2, arg. 1.

4. Præterea, virtus supra substantiam radicatur; nam ponitur media inter substantiam et operationem, ut habetur a Dionysio (*de Cœlesti Hierarch.* c. 11, § 2; — Migne PP. Gr. t. 3, col. 283). Sed virtus animæ est in semine: ita enim se habet virtus quæ est in semine, ad animalia quæ ex semine generantur, sicut se habet virtus quæ est in elementis mundi, ad animalia quæ ex elementis mundi producuntur, sicut quæ ex putrefactione generantur. In hujusmodi autem animalibus animæ producuntur ex virtute quæ est in elementis; ergo et animæ animalium quæ producuntur ex semine, producuntur ex virtute animæ quæ est in semine; ergo etiam in semine erit substantia animæ. — *de Pot.* q. 3, a. 9, arg. 11.

5. Præterea, dicit Philosophus 16. *de Animalibus* (sive 2. *de Generat. Animal.* c. 3), quod spiritus qui exit cum spermate, est virtus principii animæ, et est res divina, et dicitur intellectus; sed non posset talis spiritus dici intellectus, nisi semen, in quo est talis spiritus, esset animatum: ergo semen est animatum. — *de Pot.* q. 3, a. 9, arg. 28.

Sed contra: Philosophus 2. *de Anima* (1) dicit, quod semen in potentia vivit, non autem actu (cf. *text.* 10; c. 1); sed omne quod habet animam, actu vivit: ergo semen non habet animam, et sic non est animatum. — 2. *Sent.* dist. 18, q. 2, a. 3, c.

Respondeo dicendum *ad primam quæstionem*, quod capilli et ungues sunt animati anima ut est vegetativa tantum. Ad cujus evidentiam considerandum quod anima habet se ad corpus animatum sicut ars ad artefactum, et ad partes ejus sicut ars ad sua instrumenta unde et corpus animatum organicum dicitur. Ars autem utitur instrumentis quibusdam ad operis intenti exsecutionem et hæc instrumenta sunt de prima intentione artis; utitur etiam aliis instrumentis ad conservationem principalium instrumentorum; et hæc sunt de secunda intentione artis: sicut ars militaris utitur gladio ad bellum, et vagina ad gladii conservationem. Ita etiam in partibus corporis animati quædam ordinantur ad operationes animæ exsequendas, sicut cor hepar, manus; quædam autem ad conservationem aliarum: sicut sunt folia ad cooperimentum fructuum, et capilli et ungues sunt in homine ad custodiam aliarum partium; unde sunt de secunda perfectione corporis humani. Sicut erg folia sunt animata, ut dicit Philosophu (2. *de Anima*, *text.* 6; c. 1), ita et capill et ungues erunt animata. — 4. *Sent.* dist 44, q. 1, a. 2, sol. 2.

Ad primum ergo dicendum, quod capilli et ungues nutriuntur et augentur et sic patet, quod aliquam operationem participant; quod non posset esse, nisi essent partes aliquo modo ab anima perfectæ; et quia in homine non est nisi una anima, scilicet anima rationalis constat quod ab anima rationali perfect sunt, quamvis non usque ad hoc quo operationem sensus participent, sicut ne ossa. — *Ibid.* ad 3; *de Sensu et Sensibili* l. 5.

Ad secundum dicendum, quod illæ superfluitates expelluntur a natura quas ad nihil utiles, unde non pertinent a perfectionem corporis humani; sect autem est de aliis superfluitatibus, quas sibi natura retinet ad generationem capi

(1) *Forsitan legendum:* 11. *de Animalibus*, id est 1. *de Partibus Animal.* (c. 1 versus finem.)

orum et unguium, quibus indiget ad men-
rorum conservationem. — 4. *Sent.* l. c.
d 1.

Ad tertium dicendum, quod dictum
hilosophi verum est de toto vivente; hoc
nim augetur secundum omnes sui par-
es; partes vero augentur secundum exi-
entiam suæ naturæ. — 2. *de Anima* l. 3.

Ad secundum quæstionem dicendum,
uod in dentibus non est sensus. Et ratio
st, quia non differunt, ut dictum est (in
ae quæst. arg. 1 et 2) in complexione ab
ssibus, quæ nihil sentire videntur. Quod
i dentes dolent, id est ratione carnis ad-
inctæ, quæ est medium tactus et nervo-
um, qui maxime sensitivi sunt. Et sic
atet *ad objecta.* — 1. *de Anima* l. 5.

Ad tertiam quæstionem dicendum, quod
anguis non est animatus. Et ratio est,
uia sanguis sicut et alii humores non
articipant perfectionem ultimam quam
atura operatur in individuo, sed tantum
d illam ordinantur, et non transeunt ad
ormam membrorum, quæ ex illis gene-
antur, sicut transeunt aliæ humiditates,
t ros et gluten; et ideo nullo modo po-
est sanguis esse animatus. — 4. *Sent.*
ist. 44, q. 1, a. 2, sol. 3.

Unde patet *ad prima tria objecta.*

Ad quartum dicendum, quod sanguis
icitur animari et fervere, quia quamdiu
ita servatur, sanguis, cum sit ultimum
limentum, est in potentia ad hoc ut
nimetur anima viventis; non enim san-
uis est actu pars, sed tantum potentia.
— *Tabula Aurea* voce « sanguis » n. 2.

Ad quartum quæstionem dicendum,
uod semen non est animatum. Cujus ra-
io est, quia si esset actu animatum, cum
ecidatur a vivente, *vel* haberet formam
eterminatam alicujus partis animatæ
psius viventis, a qua resolvitur et deci-
itur, *vel* omnium partium. Si *primum,*
on haberet virtutem ad naturam totius,
ed tantum ad naturam partis; quod est
alsum. Si *secundum,* sic semen esset
uasi quoddam parvum animal in actu,
t generatio animalis non esset nisi per
ecisionem, sicut lutum generatur ex
luto; quod est inconveniens. — 1a, q. 119,
a. 2, c.

Ad primum ergo dicendum, quod ea,
quæ dicuntur a Philosopho in 2. *de Gene-
rat. Animal.* c. 1, dubitative dicuntur,
neque determinat simpliciter semen actu
habere animam; nam in c. 3 determi-
nat, et semen habere animam, et modum
quo habet, scilicet in potentia. — *de Pot.*
q. 3, a. 12, c.

Ad secundum dicendum, quod virtus illa
activa, quæ est in semine, ex anima ge-
nerantis derivata, est quasi quædam mo-
tio ipsius animæ generantis; nec est
anima nec pars animæ nisi in virtute:
sicut in serra vel securi non est forma
lecti, sec motio quædam ad talem for-
mam. Et ideo non oportet quod ista vis
activa habeat aliquod organum in actu,
sed fundatur in ipso spiritu incluso in
semine, quod est spumosum, ut attesta-
tur ejus albedo; in quo etiam spiritu est
quidam calor ex virtute cœlestium cor-
porum, quorum etiam virtute agentia in-
feriora agunt ad speciem. Et quia in
hujusmodi spiritu concurrit virtus animæ
cum virtute cœlesti, dicitur, quod « homo
generat hominem et sol ». Calidum autem
elementare se habet instrumentaliter ad
virtutem animæ, sicut etiam ad virtutem
nutritivam, ut dicitur 2. *de Anima* (*text.*
50; c. 4). — 1a, q. 118, a. 1, ad 3.

Ad tertium dicendum, quod generatio
est de substantia generantis in animali-
bus et plantis, in quantum semen habet
virtutem ex forma generantis, et in quan-
tum est in potentia ad substantiam ipsius.
— 1a, q. 119, a. 2, ad 1.

Ad quartum dicendum, quod in semine
a principio quamvis non sit anima, est
tamen ibi virtus animæ, quæ quidem vir-
tus fundatur in spiritu, qui in spermate
continetur; et dicitur virtus animæ, quia
est ab anima generantis. — *De Pot.* q. 3,
a. 9, ad 11.

Ad quintum dicendum, quod virtus illa,
quæ est in semine, a Philosopho vocatur
intellectus, ut dicit Commentator (in 7.
Metaphys. text. 31), propter quandam si-

multitudinem : quia sicut intellectus operatur absque organo, ita et illa virtus. — *de Pot.* q. 3, a. 9, ad 28.

QUÆSTIO LI

DE POTENTIIS ANIMÆ IN COMMUNI.

Post considerationem animæ et corporis in communi, sequitur considerandum de potentiis animæ in communi.

CIRCA QUAS QUÆRUNTUR NOVEM :

1. Utrum essentia animæ sit ejus potentia.
2. Utrum sit una tantum potentia animæ an plures.
3. Utrum potentiæ distinguantur per actus et objecta.
4. Utrum in potentiis animæ sit ordo.
5. Utrum anima sit subjectum potentiarum.
6. Utrum potentiæ fluant ab essentia animæ.
7. Utrum una potentia oriatur ex alia.
8. Utrum potentiæ omnes remaneant in anima separata.
9. Utrum quinque genera potentiarum animæ sint distinguenda.

ARTICULUS I

UTRUM ESSENTIA ANIMÆ SIT EJUS POTENTIA.

Videtur quod essentia animæ sit ejus potentia.

1. Dicit enim Philosophus (2. *de Anima text.* 6 et 7 ; c. 1), quod anima est actus primus, sicut scientia ; sed scientia est immediatum principium actus secundi, qui est considerare : ergo anima est immediatum principium suarum operationum ; sed immediatum principium operationis dicitur potentia : ergo essentia animæ est ejus potentia. — *Quæst. disp. de Anima* a. 12, arg. 14.

2. Præterea, anima est nobilior quam materia ; sed est hæc sua potentia : ergo multo magis anima. — *Ibid.* arg. 12 ; 1a, q. 77, a. 1, arg. 2.

3. Sed dices, quod materia prima e realiter sua potentia, quia hæc potenti est ad esse substantiale. — Sed contr materia prima non solum habet pote tiam ad formas substantiales, sed etia ad accidentales ; sed potentia ad forma accidentales non distinguitur realiter materia : ergo et potentia animæ no distinguitur realiter ab anima. — 7. *M taphys.* l. 2 circa med.

4. Præterea, forma substantialis e virtuosior et simplicior quam accidentali cujus signum est quod forma substanti lis non intenditur nec remittitur, sed i indivisibili consistit. Forma autem acci dentalis est ipsa sua virtus ; ergo mul magis forma substantialis, et cons quenter anima. — *Quæst. disp. de Anim* a. 12, arg. 9 ; 1a, q. 77, a. 1, arg. 3 ; *Sent.* dist. 3, q. 4, a. 2, arg. 3.

5. Præterea, accidens est quod ade et abest præter subjecti corruptionem sed potentiæ animæ non possunt abesse ergo non sunt accidentia animæ, sed eju substantia. — *Quæst. disp. de Anima* a 12, arg. 7.

6. Præterea, accidens non est princi pium substantialis differentiæ ; sed sens bile et rationale sunt substantiales diffe rentiæ, et sumuntur a sensu et ration quæ sunt potentiæ animæ : ergo potenti animæ sunt substantia animæ et no ejus accidentia. — *Ibid.* arg. 8.

7. Præterea, maxime proprium sub stantiæ est esse susceptivum contrario rum ; sed potentiæ animæ sunt suscept væ contrariorum : sicut voluntas virtut et vitii, et intellectus scientiæ et erroris ergo potentiæ animæ sunt substantia al qua ; sed non alia quam substantia ani mæ : ergo sunt idem quod substanti animæ. — *De Spirit. Creat.* a. 11, arg 13.

8. Præterea, anima immediate unitu corpori ut forma, et non mediante aliqu potentia. Sed in quantum est forma cor poris dat aliquem actum corpori. Non au tem hunc actum qui est esse, quia hi actus invenitur etiam in quibus non es

ima; nec iterum hunc actum, qui est vere, quia hic actus invenitur in quibus on est anima rationalis. Ergo relinquitur od dat hunc actum qui est intelligere; d hunc actum dat potentia intellectiva: go potentia intellectiva est idem quod sentia animæ. — *Ibid.* arg. 14.

9. Præterea, ex hoc convenit alicui bstantiæ quod sit intellectiva, quia est materialis; sed anima est immaterialis r suam essentiam: ergo anima ratio- lis est per suam essentiam intellectiva, consequenter intellectus. — 1a, q. 79, 1, arg. 4.

Sed contra: 1. sicut se habet posse ad se, ita potentia ad essentiam; sed in lo Deo verum est dicere quod suum esse suum posse: ergo in nullo alio sua sentia est sua potentia; et ita nec in ima. — 1. *Sent.* dist. 3, q. 4, a. 1, arg. *Sed contra.*

2. Præterea, agens principale et instru- entale non sunt unum; sed comparatio tentiæ ad essentiam animæ est sicut strumenti ad principale agens: ergo ima non est sua potentia. — *de Spirit. eat.* a. 11, arg. 5 *Sed contra.*

3. Præterea, nulla qualitas est sub- ntia; sed potentia naturalis est quæ- m species qualitatis, ut patet in *Præ- cam.* (c. 9; al. 8): ergo potentiæ natu- les animæ non sunt ipsa substantia ssentia) animæ. — *Quæst. disp. de Ani- a* a. 12, arg. 2 *Sed contra.*

4. Præterea, nulla forma substantialis t immediate activa, ut dictum est (supra Prima Secundæ hujus operis q. 9, a. c.); sed potentiæ animæ sunt imme- ate activæ: ergo anima, quæ est forma bstantialis, non est sua potentia.

Respondeo dicendum, quod impossibile t dicere, quod essentia animæ sit ejus tentia, licet hoc quidam posuerint. Et c dupliciter ostenditur quantum ad æsens: *primo*, quia cum potentia et tus dividant ens et quodlibet genus tis, oportet quod ad idem genus refe- ntur potentia et actus; et ideo si actus n est in genere substantiæ, potentia quæ dicitur ad illum actum, non potest esse in genere substantiæ. Operatio autem animæ non est in genere substantiæ, sed in solo Deo, cujus operatio est ejus substantia; unde potentia Dei, quæ est operationis principium, est ipsa Dei essentia; quod non potest esse verum neque in anima neque in aliqua creatura. — 1a, q. 77, a. 1, c.

Secundo, hoc etiam impossibile apparet in anima propter multa: — *primo* quidem, quia anima secundum suam essentiam est actus. Si ergo ipsa essentia animæ esset immediatum principium operationis, semper habens animam actu haberet opera vitæ, sicut semper habens animam actu est vivum. Non enim, in quantum est forma, est actus ordinatus ad ulteriorem actum, sed est ultimus terminus generationis. Unde quod sit in potentia adhuc ad alium actum, hoc non competit ei secundum suam essentiam, in quantum est forma, sed secundum suam potentiam; et sic ipsa anima, secundum quod subest suæ potentiæ, dicitur actus primus, ordinatus ad actum secundum. Invenitur autem habens animam non semper esse in actu operum vitæ. Unde etiam in definitione animæ dicitur, quod est « actus corporis potentia vitam habentis », quæ tamen potentia non abjicit animam. Relinquitur ergo quod essentia animæ non est ejus potentia; nihil enim est in potentia secundum actum, in quantum est actus. (1a, q. 77, a. 1, c.). — *Secundo* idem patet ex unitate essentiæ ipsius animæ. Hæc enim una est; in potentiis autem oportet ponere multitudinem propter diversitatem actuum et objectorum. Oportet enim potentias secundum actus diversificari, cum potentia ad actum dicatur; eorum autem quæ sunt realiter idem, si unum multiplicatur, et reliquum multiplicari debet. (*de Spirit. Creat.* a. 11, c.) — *Tertio* ex differentia potentiarum: quarum *quædam* sunt quarundam partium corporis actus, ut omnes potentiæ sensitivæ et nutritivæ partis; *quædam* vero potentiæ non sunt actus ali-

cujus partis corporis, ut intellectus et voluntas; quod non posset esse, si potentiæ animæ non essent aliud quam ejus essentia ; non enim potest dici, quod unum et idem possit esse actus corporis et separatum, nisi secundum diversa. (*de Spirit. Creat.* a. 11, c.) — *Quarto* ex differentia inter agens primum et secundum. Omne enim agens quod agit per essentiam suam, est agens primum; nam omne agens secundum agit in quantum participat aliquid ; et ita agit per aliquid additum essentiæ; anima autem non est agens primum : non ergo est agens per essentiam suam, sed per suam potentiam; ergo sua potentia non est sua essentia. (1. *Sent.* dist. 3, q. 4, a. 2, arg. 2 *Sed contra*). — *Quinto* ex habitudine perfectionis ad perfectibile. Cum enim perfectio et perfectibilia sint proportionata, oportet quod perfectibilia diversarum proportionum recipiant diversas perfectiones ; organa autem corporis animati diversa, sunt diversarum proportionum in commixtione : ergo diversimode perficiuntur ab anima; non autem quantum ad esse, quia anima, cum sit forma substantialis, dat unum esse toti corpori : ergo oportet quod diversimode perficiantur quantum ad perfectiones consequentes esse, secundum quas habent diversas operationes. Has autem perfectiones, quæ sunt principia operationum animæ, vocamus potentias ; ergo oportet potentias animæ diversas esse ab essentia, utpote emanantes ab ipsa. (*Ibid.* arg. 3 *Sed contra.*) — *Sexto* ex ordine potentiarum animæ, et habitudine earum ad invicem. Invenitur enim, quod una aliam movet, sicut ratio irascibilem et concupiscibilem, et intellectus voluntatem ; quod esse non posset, si omnes potentiæ essent ipsa animæ substantia : quia idem secundum idem non movet se ipsum, ut probat Philosophus 8. *Phys. text.* 40 sq.; c. 5. (*de Spirit. Creat.* a. 11, c.) — *Postremo* idem patet ex termino operationum ab ipsis potentiis producto. Cum enim unumquodque sit actu illud, quod agit — ignis enim calefacit, non in quantum est actu lucidus, sed in quantum est actu calidus ; et exinde est quod omne agens agit in sibi simile —; oportet quod ex eo quod agit, consideretur principium quo agit; oportet enim utrumque esse conforme ; unde in 2. *Phys.* (*text.* 70; c.) dicitur, quod forma et generans sunt idem specie. Cum ergo id quod agit, non pertinet ad esse substantiale rei, impossibile est quod principium quo agit, sit aliquid de essentia rei. Et hoc manifeste apparet in agentibus naturalibus. Quia enim agens naturale in generatione agit transmutando materiam ad formam — quod quid fit, secundum quod materia primo disponitur ad formam, et tandem consequitur formam, secundum quod generatio est terminus alterationis — ; necesse est quod parte agentis id quod immediate agit, forma accidentalis correspondens dispositioni materiæ ; sed oportet ut forma accidentalis agat in virtute formæ substantialis, quasi instrumentum ejus ; alias non induceret agendo formam substantiale. Et propter hoc in elementis non apparent aliqua principia actionum, nisi qualitates activæ et passivæ, quæ tamen agunt in virtute formarum substantialium; et propter hoc earum actio non solum terminatur ad dispositiones accidentales, sed etiam ad formas substantiales. Nam et in artificialibus actio instrumenti terminatur ad formam intentam ab artifice. Si vero est aliquod agens quod directe et immediate sua actione producat substantiam — sicut nos dicimus de Deo, qui creando producit rerum substantias, et sicut Avicenna dicit (*Metaphys.* l. 8, c. 7 ; et l. 9, c. 5) de intelligentia agente, a qua secundum ipsum fluunt formæ substantiales in istis inferioribus — ; hujusmodi agens agit per suam essentiam, et sic non est in eo aliud potentia activa et ejus essentia. — De potentia *vero passiva* manifestum est, quod potentia passiva quæ est ad actum substantialem, est in genere substantiæ; et quæ est ad actum accidentalem, est in genere accidentis per reductionem sicut principium, et non sicut

pecies completa : quia unumquodque ·nus dividitur per potentiam et actum ; nde potentia homo est in genere sub- antiæ, et potentia album est in genere ualitatis. Manifestum est autem, quod otentiæ animæ, sive sint activæ sive pas- væ, non dicuntur directe per respectum l aliquid substantiale, sed ad aliquid ac- dentale ; et similiter (esse) intelligens vel ntiens actu non est esse substantiale, d accidentale, ad quod ordinantur in- llectus et sensus ; et similiter esse ma- ıum vel parvum, ad quod ordinatur vis gmentativa. Generativa vero potentia nutritiva ordinantur quidem ad substan- m producendam vel conservandam, d per transmutationem materiæ ; unde is actio, sicut et aliorum agentium na- ralium, fit a substantia mediante prin- io accidentali. Manifestum est ergo, od ipsa essentia animæ non est princi- ım immediatum suarum operationum, l operatur mediantibus principiis acci- ıtalibus ; unde potentiæ animæ non ıt ipsa essentia animæ, sed proprieta- ejus. (*Quæst. disp. de Anima* a. , c.)

Id primum ergo dicendum, quod simi- ıdo inter animam et scientiam attendi- in hoc quod utraque est actus primus, ı autem quantum ad omnia. Unde non ortet quod anima sit principium imme- tum operationum, sicut scientia. — *rst. disp. de Anima* a. 12, ad 14.

Id secundum dicendum, quod materia ma est in potentia ad actum substan- em, qui est forma ; et ideo potentia teriæ est ejus essentia. — *Ibid.* ad

el dic, quod si per potentiam passi- ı intelligitur relatio vel ordo mate- ad formam, tunc materia non est sua entia, quia essentia materiæ non est ıtio ; si autem intelligatur potentia, undum quod est principium in genere stantiæ, secundum quod potentia et us sunt principia in quolibet genere, licitur 12. *Metaphys.* (*text.* 26 ; l. 11, 5), — sic dico, quod materia est ipsa sua potentia. Et hoc modo se habet materia prima, quæ est primum recipiens, ad potentiam passivam, sicut se habet Deus, qui est primum agens, ad potentiam activam. Et ideo materia est sua potentia passiva, sicut et Deus est sua potentia activa. Omnia autem media habent utramque potentiam participative, et potentia materiæ non est ad aliquam operationem, sed ad recipiendum tantum. — 1. *Sent.* dist. 3, q. 4, a. 2, ad 4.

Ad tertium dicendum, quod propterea materia ad formas accidentales est accidens materiæ, et in eodem genere cum forma accidentali, quam essentialiter respicit, reductive tamen et tamquam principium illius ; cum enim in eodem genere sit potentia, et actus, sicut potentia homo est in genere substantiæ, ita potentia album est in genere qualitatis. — *Quæst. disp. de Anima*, a. 11, c. ; 1. *Phys.* l. 15 post princ. (cf. l. 14 circa med.)

Ad quartum dicendum, quod hoc ipsum quod forma accidentalis est actionis principium, habet a forma substantiali ; et ideo forma substantialis est primum actionis principium, sed non proximum ; et tantum hoc dicit Philosophus 2. *de Anima* (*text.* 24, c. 2), quod id quo intelligimus et sentimus, est anima. — 1a, q. 77, a. 1, ad 4. — *Vel dic*, quod forma accidentalis est virtus alterius, per quam producitur operatio, qui est effectus ipsi proportionatus, sicut causæ proximæ ; forma autem substantialis non est hoc modo proportionata operationi. — 1. *Sent.* dist. 3, q. 4, a. 2, ad 3.

Ad quintum dicendum, quod tria sunt genera accidentium. Quædam enim causantur ex *principiis speciei*, et dicuntur *propria*, sicut risibile homini. Quædam vero causantur ex *principiis individui* ; et hoc dicitur, quia vel habent causam permanentem in subjecto, et hæc sunt accidentia *inseparabilia*, sicut masculinum et femininum et alia hujusmodi ; quædam vero non habent causam permanentem in subjecto, et hæc sunt

accidentia *separabilia*, ut sedere et ambulare. — Est autem commune omni accidenti, quod non sit de essentia rei, et ita non cedit in definitionem rei : unde de re intelligimus *quod quid est*, absque hoc, quod intelligamus aliquod accidentium ejus. — sed species non potest intelligi sine accidentibus quæ consequuntur principia speciei; potest tamen intelligi sine accidentibus individui etiam inseparabilibus; sine separabilibus vero esse potest non solum species, sed etiam individuum. Potentiæ vero animæ sunt accidentia sicut proprietates speciei, unde sine illis licet intelligatur quid est anima, non tamen, animam sine illis esse possibile est, nec intelligibile. — *Quæst. disp. de Anima* a. 12, ad 7.

Ad sextum dicendum, quod sensibile et rationale secundum quod sunt differentiæ substantiales (essentiales), non sumuntur a sensu et intellectu, sed ab anima sensitiva et intellectiva. — *Ibid.* ad 8.

Ad septimum dicendum, quod accidentium unum est alio substantiæ (subjecto) propinquius, sicut quantitas est propinquior substantiæ quam qualitas; et ita substantia recipit unum accidens mediante alio, sicut colorem mediante superficie, et scientiam mediante potentia intellectiva. Eo igitur modo potentia animæ est susceptiva contrariorum, sicut superficies albi et nigri, in quantum scilicet substantia suscipit contraria secundum prædicta. — *de Spirit. Creat.* a. 11, ad 13.

Ad octavum dicendum, quod anima in quantum est forma corporis, secundum suam essentiam dat esse corpori, in quantum est forma substantialis; et dat illi hujusmodi esse, quod est vitale (vivere) in quantum est talis forma, scilicet anima; et dat ei hujusmodi vivere, scilicet in intellectuali natura, in quantum est talis anima, scilicet intellectiva. — *Intelligere* autem quandoque sumitur pro *operatione* : et sic principium ejus est potentia vel habitus ; quandoque vero pro ipso *esse intellectualis naturæ* : et sic principium ejus, quod est intelligere, est ipsa essentia animæ intellectivæ. — *Ibid.* ad 14.

Ad nonum dicendum, quod ipsa immaterialitas substantiæ intelligentis creatæ non est ejus intellectus ; sed ex immaterialitate habet virtutem ad intelligendum ; unde non oportet quod intellectus sit substantia animæ, sed ejus virtus et potentia. — 1a, q. 79, a. 1, ad 4.

ARTICULUS II

UTRUM IN ANIMA SIT TANTUM UNA POTENTIA, AN PLURES.

Videtur quod sit tantum una potentia animæ, non autem plures.

1. Anima enim est substantia simplex, sed in uno et simplici non potest esse pluralitas et multiplicitas: ergo potentiæ animæ non sunt plures, sed una. — *de Spirit. Creat.* a. 11, arg. 20 ; *Quæst. disp. de Anima* a. 12, arg. 17.

2. Præterea, anima intellectiva maxime ad divinam similitudinem accedit : sed in Deo est una et simplex potentia : ergo saltem in anima intellectiva sit tantum una potentia. — 1a, q. 77, a. 1, arg. 1.

3. Præterea, quanto virtus est superior, tanto est magis unita ; sed anima excedit alias formas naturales in virtute : ergo maxime debet habere unam virtutem et (seu) potentiam.— *Ibid.* arg. 2.

4. Præterea, operari est existentis in actu ; sed per eandem essentiam animæ vivens habet esse secundum diversos gradus perfectionum : ergo per eandem potentiam animæ operatur diversas operationes diversorum graduum. — *Ibid.* arg. 3.

Sed contra est, quod Philosophus ponit plures animæ potentias (2. *de Anima* lect. 13 sqq. et *text.* 27 ; c. 2 et 3).

Respondeo dicendum, quod necesse est ponere plures potentias animæ. Ad cujus evidentiam considerandum est, quod,

Philosophus dicit (2. *de Cœlo text.* 63 ;; c. 12), quæ sunt in rebus infi-, non possunt consequi perfectam nitatem, sed aliquam imperfectam con-quuntur paucis motibus ; superiores ro his adipiscuntur perfectam bonita-n motibus multis; his autem superiora nt, quæ adipiscuntur perfectam boni-em motibus paucis; summa vero per-tio invenitur in his, quæ absque motu rfectam possident bonitatem : — sicut ime est ad sanitatem dispositus qui n potest perfectam consequi sanita-n, sed aliquam modicam consequi-' paucis remediis; melius autem dis-situs est qui potest perfectam conse-i sanitatem, sed remediis multis; et huc melius qui remediis paucis; op-ne autem qui absque remedio per-tam sanitatem habet. — Dicendum est go, quod res omnes quæ sunt infra ho-nem, ut res naturales, plantæ et anima-, quædam particularia bona conse-untur, et ideo quasdam paucas et de-rminatas operationes habent et virtu-s; homo autem potest consequi uni-rsalem et perfectam bonitatem, quia test adipisci beatitudinem. Est tamen ultimo gradu secundum naturam eo-m quibus competit beatitudo; et ideo ultis et diversis operationibus et virtu-us indiget anima humana; præter-am quod, quia hæc est in confinio spi-ualium et corporalium creaturarum, bent in illa concurrere virtutes utra-mque creaturarum; et propterea ob nc aliam rationem debet habere plures tentias. — 1a, q. 77, a. 2, c.

Ad primum ergo dicendum, quod licet ima sit una in essentia, tamen est in potentia et actus, et habet diversam bitudinem ad res ; diversimode etiam mparatur ad corpus ; et propter hoc una essentia animæ possunt procedere versæ potentiæ. — *Quæst. disp. de Ani-* a. 12, ad 17.

Ad secundum dicendum, quod in hoc so magis ad similitudinem Dei accedit ima intellectiva quam creaturæ infe-riores, quod perfectam bonitatem conse-qui potest, licet per multa et diversa, in quo deficit a superioribus. — 1a, l. c. ad 1.

Ad tertium dicendum, quod virtus uni-ta est superior, si ad æqualia se exten-dat; sed virtus multiplicata est superior, si plura ei subjiciantur. — *Ibid.* ad 2.

Ad quartum dicendum, quod unius rei est unum esse substantiale, sed possunt esse operationes plures; et ideo est es-sentia una animæ, sed potentiæ plures. — *Ibid.* ad 3.

ARTICULUS III

UTRUM POTENTIÆ DISTINGUANTUR PER ACTUS ET OBJECTA.

Videtur quod potentiæ non distinguan-tur per actus et objecta.

1. Nihil enim determinatur ad speciem per illud quod est posterius vel extrinse-cum; sed actus est posterior potentia, et objectum est extrinsecum: ergo per illa non distinguuntur secundum speciem. — 1a, q. 77, a. 3, arg. 1.

2. Præterea, contraria sunt quæ maxi-me differunt; si igitur potentiæ distin-guerentur penes objecta, sequeretur quod contrariorum non esset eadem potentia; quod esse falsum patet fere in omnibus; nam potentia visiva eadem est albi et ni-gri, et gustus idem est dulcis et amari. — *Ibid.* arg. 2.

3. Præterea, remota causa removetur effectus; si igitur potentiarum differen-tia esset ex differentia objectorum, idem objectum non pertineret ad diversas po-tentias; quod patet esse falsum; nam idem est, quod potentia cognoscitiva co-gnoscit et appetitiva appetit, et circa idem objectum versatur intellectus agens et intellectus possibilis, quæ sunt poten-tiæ diversæ. — *Ibid.* arg. 3; *de Verit.* q. 15, a. 2, arg. 13.

4. Præterea, id quod per se est causa

alicujus, in omnibus causat illud; sed quædam objecta diversa, quæ pertinent ad potentias diversas, pertinent etiam ad aliquam unam potentiam, sicut sonus et color pertinent ad visum et auditum, quæ sunt diversæ potentiæ, et tamen pertinent ad unam potentiam sensus communis: non ergo potentiæ distinguuntur secundum differentiam objectorum. — 1a, q. 77, a. 3, arg. 4.

5. Præterea, si diversitas potentiarum animæ est secundum differentiam objectorum, oportet etiam quod ordo potentiarum sit secundum ordinem objectorum. Sed hoc non videtur; nam intellectus, cujus objectum est quod quid est et substantia, est posterior sensu, cujus objectum est accidens, ut color, sonus et similia; tactus autem est prior visu, cum tamen visibile sit prius et communius tangibili. Ergo nec diversitas potentiarum est secundum differentiam objectorum. — *Quæst. disp. de Anima* a. 13, arg. 10.

6. Præterea, perfectibilia distinguuntur penes perfectiones; sed habitus sunt perfectiones potentiarum: ergo hæ non distinguuntur penes actus et objecta, sed penes habitus. — *Ibid.* arg. 5; *de Verit.* q. 15, a. 2, arg. 11.

7. Præterea, si potentiæ distinguuntur per actus et objecta, ergo ubicunque erit diversitas actuum, erit diversitas potentiarum; sed consequens est falsum, quia ratio superior et inferior habent diversos actus, et tamen pertinent ad eandem potentiam: ergo. — *Ibid.* arg. 12.

Sed contra est, quod Philosophus (2. *de Anima, text.* 33; c. 4) dicit, quod actus sunt priores secundum rationem potentiis, et objecta actibus; sed posteriora distinguuntur secundum priora: ergo potentiæ distinguuntur per actus et objecta. — 1a, q. 77, a. 3, arg. *Sed contra; Quæst. disp. de Anima* a. 13, arg. 1 *Sed contra.*

Respondeo dicendum, quod potentia, secundum illud quod est potentia, ordinatur ad actum; unde oportet rationem potentiæ accipi ex actu ad quem ordi tur; et per consequens oportet quod r tio potentiæ diversificetur ut diversifi tur ratio actus. Ratio autem actus div sificatur secundum diversam ration objecti; omnis enim actio vel est potent activæ vel passivæ. Objectum aut comparatur ad actum *potentiæ passi* sicut *principium* et *causa movens;* col enim in quantum movet visum, est pri cipium visionis; ad actum autem *potent activæ* comparatur objectum ut *termin* et *finis:* sicut virtutis augmentativæ o jectum est quantum perfectum, quod e finis augmenti. Ex his autem duobus a tio speciem recipit, scilicet ex principi vel ex fine seu ex termino. Differt eni calefactio ab infrigidatione, secundu quod *hæc* a calido, scilicet activo, ad c lidum, *illa* autem a frigido ad frigidu procedit. Unde necesse est quod pote tiæ diversificentur secundum actus objecta.

Sed tamen considerandum est, quod quæ sunt *per accidens*, non diversifica speciem: quia enim coloratum *accidit* an mali, non diversificantur species animal per differentiam coloris, sed per differen tiam ejus quod *per se* accidit animali, pe differentiam scilicet animæ sensitivæ, qu quandoque invenitur cum ratione, quan doque sine ratione; unde rationale et irra tionale sunt differentiæ divisivæ animalis diversas ejus species constituentes. Si igitur non quæcunque diversitas objecto rum diversificat potentias animæ, sed dif ferentiæ ejus ad quod per se potentia re spicit: — sicut sensus *per se* respicit pas sibilem qualitatem, quæ per se dividitu in colorem, sonum et hujusmodi; et ide alia est potentia sensitiva coloris, scilice visus; alia soni, scilicet auditus; sed pas sibili qualitati, aut colorato, *accidit* ess musicum vel grammaticum, vel magnun aut parvum, aut hominem vel lapidem; e ideo penes hujusmodi differentias potentiæ animæ non distinguuntur. — 1a, q. 77, a. 3, c.; *Quæst. disp. de Anima* a. 13, c.; *de Verit.* q. 15, a. 2, c.

Ad primum ergo dicendum, quod actus
et sit posterior potentia in esse, est
nen prior intentione, et secundum
ionem, sicut finis agente. Objectum
em licet sit extrinsecum, est tamen
ncipium vel finis actionis ; principio
em et fini proportionantur ea quæ
it extrinseca (1) rei. — 1a, l. c.
1.

Ad secundum dicendum, quod si po-
tia aliqua per se respiceret unum con-
riorum sicut objectum, oporteret quod
itrarium ad aliam potentiam pertine-
. Sed potentia animæ non per se re-
cit propriam rationem contrarii, sed
mmunem rationem utriusque contra-
rum : sicut visus non respicit ratio-
n albi, sed rationem coloris ; et hoc
o, quia unum contrariorum est quo-
nmodo ratio alterius, cum se habeant
it perfectum et imperfectum. — *Ibid.*
2.

Ad tertium dicendum, quod nihil pro-
et, id quod est subjecto idem, esse
ersum secundum rationem; et ideo
est ad diversas potentias animæ per-
re. — *Ibid.* ad 3. — Sic intellectus
ns et possibilis respiciunt diversa
ecta *formaliter*, etsi *non materialiter ;*
iciunt enim diversam rationem obje-
quamvis utraque (utrumque) in eadem
ntelligibili possit inveniri ; unum enim
dem potest esse prius intelligibile in
ntia, et post intelligibile in actu. —
Verit. q. 15, a. 2, ad 13.

Ad quartum dicendum, quod potentia
rior per se respicit universaliorem
nem objecti quam potentia inferior ;
quanto potentia est superior, tanto
lura se extendit. Et ideo multa con-
int in una ratione objecti quam per
spicit superior potentia, quæ tamen
unt secundum rationes quas per se
ciunt inferiores potentiæ ; et inde
uod diversa objecta pertinent ad di-
as inferiores potentias, quæ tamen
uni superiori potentiæ subduntur. — 1a,
l. c. ad 4.

Ad quintum dicendum, quod ordo po-
tentiarum animæ est secundum ordinem
objectorum. Sed utrobique potest attendi
ordo *vel* secundum perfectionem, et sic
intellectus est prior sensu ; *vel* secundum
generationis viam, et sic sensus est
prior intellectu : quia (in) via generationis
prius inducitur forma accidentalis quam
substantialis. — *Quæst. disp. de Anima*
a. 13, ad 10.

Ad sextum dicendum, quod habitus
non sunt perfectiones potentiarum, propter
quas sunt potentiæ ; per illos enim poten-
tiæ tantum aliqualiter se habent ad ea
propter quæ sunt, id est ad objecta. Unde
potentiæ non distinguuntur penes habi-
tus, sed penes objecta : sicut nec artifi-
cialia distiguuntur penes objecta, sed
penes fines. — *Ibid.* ad 5.

Ad septimum dicendum, quod, sicut
Avicenna dicit in 6, *Naturalium* (id est
de Anima part. 1. c. 4 et 5), diversitas
actus quandoque indicat diversitatem
potentiarum, quandoque non. *Quinque*
enim *modis* in actibus animæ diversitas
inveniri potest : *uno modo* secundum
fortitudinem et debilitatem, sicut opinari
et credere ; *alio modo* secundum velo-
citatem et tarditatem, sicut currere et
moveri ; *tertio modo* secundum habi-
tum et privationem, ut quiescere et mo-
veri ; *quarto modo* secundum operatio-
nem ad contraria ejusdem generis, ut
sentire album et nigrum ; *quinto modo*
est quando actus diversorum generum,
ut apprehendere vel moveri, vel sentire
sonum et colorem. — Diversitas igitur
primi et *secundi modi* diversitatem po-
tentiæ non indicat, quia sic oportet tot
esse potentias animæ distinctas, quot
gradus fortitudinis vel debilitatis, vel ve-
locitatis vel tarditatis inveniuntur in ac-
tibus. Similiter etiam nec diversitas *ter-
tii* et *quarti modi*, cum ejusdem potentiæ
sit operari ad utrumque oppositum. Sola
autem diversitas *quinti modi* indicat diver-
sitatem potentiæ, ut dicamus actus ge-

(1) *Potius legendum :* intrinseca.

nere diversos, qui in ratione objecti non conveniunt; et secundum hoc diversitas actuum rationis superioris et inferioris diversitatem potentiæ non indicat. — *De Verit.* q. 15, a. 2, ad 12.

ARTICULUS IV

UTRUM IN POTENTIIS ANIMÆ SIT ORDO.

Videtur quod in potentiis animæ non sit ordo.

1. In his enim quæ cadunt sub unam divisionem, non est prius et posterius, sed sunt naturaliter simul; sed potentiæ animæ contra se invicem distinguuntur: ergo inter eas non est ordo. — 1a, q. 77, a. 4, arg. 1.

2. Præterea, potentiæ animæ comparantur ad objecta et ad ipsam animam; sed ex parte animæ inter eas non est ordo, quia anima est una; similiter etiam nec ex parte objectorum, cum sint diversa et penitus disparata, ut patet de colore et sono: ergo in potentiis animæ non est ordo. — *Ibid.* arg. 2.

3. Præterea, in potentiis ordinatis hoc invenitur, quod operatio unius dependet ab operatione alterius; sed actus unius potentiæ animæ non dependet ab actu alterius; potest enim visus exire in actum absque auditu, et e converso: non ergo inter potentias animæ est ordo. — *Ibid.* arg. 3.

Sed contra est, quod Philosophus (2. *de Anima text.* 30 et 31; c. 3) comparat partes sive potentias animæ figuris; sed figuræ habent ordinem ad invicem: ergo et potentiæ animæ. — *Ibid.* arg. *Sed contra.*

Respondeo dicendum, quod cum anima sit una, potentiæ vero plures, ordine autem quodam ab uno in multitudinem procedatur; necesse est inter potentias animæ ordinem esse. *Triplex* autem *ordo* inter eas attenditur, quorum duo considerantur secundum dependentiam unius potentiæ ab altera; tertius autem accipitur secundum ordinem objectorum.— Dependentia autem unius potentiæ ab altera dupliciter accipi potest: *uno modo* secundum naturæ ordinem, prout perfecta sunt naturaliter imperfectis priora; *alio modo* secundum ordinem generationis et temporis, prout ex imperfecto ad perfectum venitur.

Secundum igitur *primum* potentiarum ordinem potentiæ intellectivæ sunt priores potentiis sensitivis, unde dirigunt eas et imperant eis; et similiter potentiæ sensitivæ hoc ordine sunt priores potentiis animæ nutritivæ. Secundum ordinem vero *secundum* e converso se habet; nam potentiæ animæ nutritivæ sunt priores (in) via generationis potentiis animæ sensitivæ; unde ad earum actiones præparant corpus; et similiter est de potentiis sensitivis respectu intellectivarum. Secundum autem ordinem *tertium* ordinantur quædam vires sensitivæ ad invicem, scilicet visus, auditus, olfactus; nam visibile est prius naturaliter, quia est commune superioribus et inferioribus corporibus; sonus autem fit audibilis in aere, qui est naturaliter prior commixtione elementorum, quam consequitur odor. — 1a, q 77, a. 4, c.

Ad primum ergo dicendum, quod alicujus generis species se habent secundum prius et posterius, sicut numeri et figura quantum ad esse; licet simul esse dicantur, in quantum suscipiunt communi generis prædicationem. — *Ibid.* ad 1.

Ad secundum dicendum, quod ordo iste potentiarum animæ est ex parte animæ, quæ secundum ordinem quendam habet habitudinem ad diversos actus licet sit una secundum essentiam; et ex parte objectorum, et etiam ex parte actuum, ut dictum est (in c.). — *Ibid* ad 2.

Ad tertium dicendum, quod ratio illa procedit de illis potentiis, in quibus attenditur ordo solum secundum tertium modum; illæ autem potentiæ, quæ ordinantur secundum alios duos modos, ita se habent, quod actus unius dependet a altera. — *Ibid.* ad 3.

ARTICULUS V

UTRUM ANIMA SIT SUBJECTUM OMNIUM POTENTIARUM.

Videtur quod omnes potentiæ animæ sint in anima sicut in subjecto.

1. Sicut enim se habent potentiæ corporis ad corpus, ita se habent potentiæ animæ ad animam ; sed corpus est subjectum potentiarum corporalium : ergo anima est subjectum potentiarum animæ. — 1a, q. 77, a. 5, arg. 1.

2. Præterea, operationes potentiarum animæ attribuuntur corpori propter animam, quia, ut dicitur in 2. *de Anima* (*text.* 4 : c. 2) : « anima est qua intelligimus et sentimus primum » ; sed prima principia operationum animæ sunt potentiæ : ergo potentiæ per prius sunt in anima. — *Ibid.* arg. 2.

3. Præterea, proprietas naturalis non potest separari a re, cujus est proprietas, et est in illa re tamquam in subjecto; sed potentiæ animæ sunt naturales illius proprietates : ergo non possunt separari ab illa, et in illa sunt tamquam in subjecto. — *de Spirit. Creat.* a. 4, arg. 3; *Quæst. disp. de Anima* a. 19, arg. 1.

Sed contra est, quod Philosophus (*de Somno et Vigilia* c. 1) dicit, quod sentire non est proprium animæ neque corporis, sed conjuncti : ergo potentia sensitiva est in conjuncto sicut in subjecto : non ergo sola anima est subjectum omnium potentiarum.— 1a, q. 77, a. 5, arg. *Sed contra.*

Respondeo dicendum, quod illud est subjectum operativæ potentiæ, quod est potens operari ; omne enim accidens denominat proprium subjectum. Idem autem est quod potest operari et quod operatur. Unde oportet quod ejus sit potentia sicut subjecti, cujus est operatio, ut etiam Philosophus dicit in principio libri *de Somno et Vigilia* (c. 1). Manifestum est autem, quod *quædam operationes* sunt animæ, quæ exercentur *sine organo* corporali, ut intelligere et velle : — unde potentiæ quæ sunt harum operationum principia, sunt in *anima* sicut in subjecto. *Quædam* vero *operationes* sunt animæ quæ exercentur *per organa* corporalia, sicut visio per oculum, auditus per aurem, et similiter est de omnibus aliis operationibus nutritivæ et sensitivæ partis ; —ideo potentiæ quæ sunt talium operationum principia, sunt *in conjuncto* sicut in subjecto, et non in anima sola. — 1 a, q. 77, a. 5, c.

Ad primum ergo dicendum, quod omnes potentiæ dicuntur esse animæ, non sicut subjecti, sed sicut principii, quia per animam conjunctum habet quod per tales operationes operari possit. — *Ibid.* ad 1.

Ad secundum dicendum, quod omnes hujusmodi potentiæ per prius sunt in anima quam in conjuncto, non sicut in subjecto, sed sicut in principio. — *Ibid.* ad 2.

Ad tertium dicendum, quod secundum Philosophum, ut dictum est (supra in corp.), cujus est potentia, ejus est actio ; unde potentiæ *illæ* quarum operationes non sunt solius animæ sed conjuncti, sunt in organo sicut in subjecto, in anima autem sicut in radice : sicut sunt potentiæ sensitivæ, quæ propterea sunt proprietates naturales compositi ut subjecti, animæ vero ut principii. *Solum* autem *illæ* potentiæ sunt in anima sicut in subjecto, quarum operationes anima non per organum exsequitur, quæ tamen sunt animæ secundum quod excedit corpus, cujusmodi sunt potentiæ intellectivæ. — *de Spirit. Creat.* a. 4, ad 3; *Quæst. disp. de Anima* a. 19, ad 1.

ARTICULUS VI

UTRUM POTENTIÆ ANIMÆ FLUANT AB EJUS ESSENTIA.

Videtur quod potentiæ animæ non fluant ab ejus essentia.

1. Ab uno enim simplici non procedunt diversa ; sed essentia animæ est una et simplex : cum ergo potentiæ animæ sint

multæ et diversæ, non possunt procedere ab ejus essentia. — 1a, q. 77, a. 6, arg. 1.

2. Præterea, illud a quo aliquid procedit, est causa ejus; sed essentia animæ non potest dici causa potentiarum, ut patet discurrenti per singula genera causarum: ergo potentiæ animæ non fluunt ab ejus essentia. — *Ibid.* arg. 2.

3. Præterea, emanatio quendam motum nominat; sed nihil movetur a se ipso, ut probatur in 7. *Phys.* (*text.* 2; c. 1), nisi forte ratione partis — sicut animal dicitur a se ipso moveri, quia una pars ejus est movens, et alia mota —; neque etiam anima movetur, ut probatur in 1. *de Anima* (*text.* 66; c. 4): non ergo anima causat in se suas potentias. — *Ibid.* arg. 3.

Sed contra, potentiæ animæ sunt quædam naturales proprietates ipsius; sed subjectum est causa propriorum accidentium; unde et ponitur in definitione accidentis, ut patet in 7. *Metaphys.* (*text.* 13 et 19; l. 6, c. 4 et 5): ergo potentiæ animæ procedunt ab ejus essentia. — *Ibid.* arg. *Sed contra.*

Respondeo dicendum, quod forma substantialis et accidentalis partim conveniunt, partim differunt. *Conveniunt* quidem in hoc quod utraque est actus, et secundum utramque aliquid est quodammodo in actu. *Differunt* autem in duobus: — *primo* quidem quia forma substantialis facit *esse simpliciter*, et ejus subjectum est ens in potentia tantum; forma autem accidentalis non facit esse simpliciter, sed *esse tale* aut *tantum* aut *aliquo modo se habens;* subjectum enim ejus est ens (in) actu. Unde patet, quod actualitas prius invenitur in forma substantiali, quam in ejus subjecto. Et quia primum est causa in quolibet genere, forma substantialis causat esse in actu in suo subjecto. Sed e converso actualitas per prius invenitur in subjecto formæ accidentalis, quam in forma accidentali; unde actualitas formæ accidentalis causatur ab actualitate subjecti; ita quod subjectum, in quantum est ens in potentia, est susceptivum formæ accidentalis; in quantum autem est ens in actu, est ejus productivum. Et hoc dico de proprio et per se accidente; nam respectu accidentis extranei subjectum est susceptivum tantum, productivum vero talis accidentis est agens extrinsecum. — *Secundo* autem differunt forma substantialis et accidentalis, quia cum minus principale sit propter principalius, materia est propter formam substantialem; sed e converso forma accidentalis est propter complexionem (1) subjecti. Manifestum autem est ex dictis, quod potentiarum animæ subjectum est vel ipsa *anima sola*, quæ potest esse subjectum accidentis, secundum quod habet aliquid potentialitatis,— vel compositum: compositum autem est in actu per animam. Unde manifestum est, quod omnes potentiæ animæ, sive subjectum earum sit anima sola sive compositum, fluunt ab essentia animæ sicut a principio: quia jam dictum est (supra in c.), quod accidens causatur a subjecto secundum quod est actu, et recipitur in eo in quantum est in potentia. — 1a, q. 77, a. 6, c.

Ad primum ergo dicendum, quod ab uno simplici possunt naturaliter multa procedere ordine quodam; et iterum propter diversitatem recipientium. Sic igitur ab una essentia animæ procedunt multæ et diversæ potentiæ, tum propter ordinem potentialitatis, tum propter diversitatem organorum corporalium. — *Ibid.* ad 1.

Ad secundum dicendum, quod subjectum est *causa* proprii accidentis, et *finalis* et quodammodo *activa* et etiam ut *materialis*, in quantum est susceptivum accidentis. Et ex hoc potest accipi, quod essentia animæ est causa omnium potentiarum, sicut finis et sicut principium activum; quarundam autem sicut susceptivum. — *Ibid.* ad 2.

Ad tertium dicendum, quod emanatio propriorum accidentium a subjecto non est per aliquam transmutationem, sed per aliquam naturalem resultantiam:

(1) Al. « completionem ».

sicut ex uno naturaliter aliud resultat, ut ex luce color. — *Ibid.* ad 3.

ARTICULUS VII

UTRUM UNA POTENTIA ANIMÆ ORIATUR EX ALIA.

Videtur quod una potentia animæ non oriatur ab alia.

1. Eorum enim quæ simul esse incipiunt, unum non oritur ab alio ; sed omnes potentiæ animæ sunt simul animæ concreatæ; ergo una earum ab alia non oritur. — 1a, q. 77, a. 7, arg. 1.

2. Præterea, potentia animæ oritur ab anima sicut accidens a subjecto ; sed una potentia animæ non potest esse subjectum alterius, quia accidentis non est accidens : ergo una potentia non oritur ab alia. — *Ibid.* arg. 2.

3. Præterea, oppositum non oritur a suo opposito, sed unumquodque oritur ex simili secundum speciem ; sed potentiæ animæ ex opposito dividuntur sicut diversæ species : ergo una earum non procedit ex alia. — *Ibid.* arg. 3.

Sed contra : Potentiæ cognoscuntur per actus ; sed actus unius potentiæ causatur ab alia, sicut actus phantasiæ ab actu sensus : ergo una potentia animæ causatur ab alia. — *Ibid.* arg. *Sed contra.*

RESPONDEO DICENDUM, quod in his quæ secundum ordinem naturalem procedunt ab uno, sicut primum est causa omnium, ita quod est primo propinquius, est quodammodo causa eorum quæ sunt magis remota. Ostensum est autem supra (a. 4), quod inter potentias animæ est multiplex ordo ; et ideo una potentia animæ ab essentia animæ procedit mediante alia. — Sed quia essentia animæ comparatur ad potentias et sicut principium activum et finale et sicut principium susceptivum, vel seorsum per se vel simul cum corpore — agens autem et finis sunt perfectiora ; susceptivum autem principium, in quantum est hujusmodi, est minus perfectum — ; consequens est quod potentiæ animæ quæ sunt priores secundum ordinem perfectionis et naturæ, sint principia aliarum per modum finis et activi principii. Videmus enim quod sensus est propter intellectum, et non e contra ; sensus etiam est quædam deficiens participatio intellectus ; unde secundum naturalem originem quodammodo est ab intellectu, sicut imperfectum a perfecto. Sed secundum viam susceptivi principii e converso potentiæ imperfectiores inveniuntur principia respectu aliarum : sicut anima, secundum quod habet potentiam sensitivam, consideratur sicut subjectum et materiale quoddam respectu intellectus. Et propter hoc imperfectiores potentiæ sunt priores in via generationis ; prius enim animal generatur quam homo. — 1a, q. 77, a. 7, c.

Ad primum ergo dicendum, quod sicut potentia animæ ab essentia fluit non per transmutationem, sed per naturalem quandam resultantiam, et est simul cum anima, ita est etiam de una potentia respectu alterius. — *Ibid.* ad 1.

Ad secundum dicendum, quod accidens per se non potest esse subjectum accidentis ; sed unum accidens per prius recipitur in substantia quam aliud, sicut quantitas quam qualitas ; et hoc modo unum accidens dicitur esse subjectum alterius, ut superficies coloris, in quantum substantia uno accidente mediante recipit aliud ; et similiter potest dici de potentiis animæ. — *Ibid.* ad 2.

Ad tertium dicendum, quod potentiæ animæ opponuntur ad invicem oppositione *perfecti* et *imperfecti*, sicut etiam species numerorum et figurarum ; hæc autem oppositio non impedit originem unius potentiæ ab alia, quia imperfecta naturaliter a perfectis procedunt. — *Ibid.* ad 3.

ARTICULUS VIII

UTRUM OMNES POTENTIÆ ANIMÆ REMANEANT IN ANIMA A CORPORE SEPARATA.

Videtur quod omnes potentiæ animæ remaneant in anima a corpore separata :—

1. quia potentiæ animæ sunt ejus naturales proprietates ; sed proprium semper inest, et nunquam separatur ab eo cujus est proprium : ergo potentiæ animæ sunt in ea etiam post mortem. — 1a, q. 77, a. 8, arg. 2.

2. Præterea, potentiæ animæ etiam sensitivæ non debilitantur, debilitato corpore, quia, ut dicitur in 1. *de Anima* (*text.* 65 ; c. 4) : si senex accipiat oculum juvenis, videbit utique sicut et invenis. Sed debilitas est via ad corruptionem; ergo potentiæ animæ non corrumpuntur corrupto corpore, sed manent in anima separata. — *Ibid.* arg, 3.

3. Præterea, memoria est potentia animæ sensitivæ, ut Philosophus probat 1. *de Memoria et Reminisc.* c. 1 et 4 (2) ; sed memoria manet in anima separata — dicitur enim (Lucæ 16, 25) diviti epuloni in inferno secundum animam existenti : Recordare, quia recepisti bona in vita tua —: ergo memoria manet in anima separata, et per consequens aliæ potentiæ sensitivæ partis. — *Ibid.* arg. 4.

4. Præterea, gaudium et tristitia sunt in concupiscibili, quæ est potentia sensitivæ partis ; manifestum est autem animas separatas tristari et gaudere de præmiis vel pœnis quas habent : ergo vis concupiscibilis manet in anima separata. — *Ibid.* arg. 5.

5. Præterea, eorum quæ sunt idem secundum esse vel secundum substantiam, unum potest esse sine altero ; sed anima sensibilis et rationalis in homine sunt idem secundum substantiam et esse : ergo non potest esse quin sensus remaneat in anima separata. — *Quæst. disp. de Anima* a. 19, arg. 12.

6. Præterea, quod cedit in nihilum, non resumitur idem numero ; sed si potentiæ sensitivæ non manent in anima separata, oportet quod cedant in nihilum : ergo in resurrectione non erunt eædem numero, et sic, cum potentiæ sensitivæ sint actus organorum, neque organa erunt eadem numero, neque totus homo erit idem numero; quod est inconveniens. — *Ibid.* arg. 13.

7. Præterea, non est totum integrum, cui aliqua partium deest; sed potentiæ animæ dicuntur partes ipsius : si ergo anima aliquas potentias post mortem amittit, non erit anima integra post mortem ; quod est inconveniens. — 4. *Sent.* dist. 44, q. 3, a. 3, quæstiunc. 1, arg. 4 ; *Quæst. disp. de Anima* a. 19, arg. 4.

Sed contra est ; 1. quod Philosophus dicit (in 2. *de Anima text.* 21 ; c. 2) de intellectu loquens, quod hoc solum separatur, sicut perpetuum a corruptibili, reliquum autem genus animæ manifestum est ex his quod non separabile est. — 4 *Sent.* l. c. arg. 3 *Sed contra* ; *Quæst. disp. de Anima* a. 19, arg. 1 *Sed contra.*

2. Præterea, 12. *Metaphys.* (*text.* 17; l. 11, c. 3) loquens Philosophus de separatione animæ sic dicit : « si autem aliquid remanet, in postremo quærendum est de hoc ; in quibusdam enim non est impossibile, v. g. si anima est talis dispositionis non tota, sed intellectus, tota enim forte impossibile, quærendum est de hoc. » Quibus verbis videtur Philosophus sentire quod anima tota a corpore non separetur sed solum potentiæ intellectivæ.— 4.*Sent* l. c. arg 2 *Sed contra.*

3. Præterea, Philosophus dicit in 16 *de Animalibus* (sive 2. *de Generat. Animal* c. 3), quod quarum potentiarum operationes non sunt sine corpore, neque ipsa potentiæ sunt sine corpore ; sed operationes potentiarum sensitivarum non sunt sine corpore ; excercentur enim per organa corporalia ; ergo potentiæ sensitivæ non sunt sine corpore. — *Quæst. disp. de Anima* a. 19, arg. 2 *Sed contra.*

4. Præterea, frustra est potenti quæ non reducitur ad actum ; nihil autem est frustra in operationibus Dei : ergo potentiæ sensitivæ non manent in anima separata, in qua non possunt reduci in actum — *Ibid.* arg. 4 *Sed contra.*

Respondeo dicendum, quod, sicut jam dictum est (supra, a. 5), omnes potentiæ animæ comparantur ad animam solam sicut

d principium. Sed *quædam* potentiæ comarantur ad animam solam sicut ad subjetum, ut intellectus et voluntas; et hujusmodi potentiæ necesse est quod maneant in nima corpore destructo. *Quædam* vero potentiæ sunt in conjuncto sicut in subjecto, icut omnes potentiæ sensitivæ partis et utritivæ. Destructo autem subjecto accidens non potest remanere. Unde corruto conjuncto non manent hujusmodi potentiæ actu, sed virtute tantum, in anima icut in principio vel radice. Et sic falum est quod quidam dicunt, hujusmodi otentias in animà remanere, etiam corore corrupto ; et multo falsius quod dicunt, etiam actus harum potentiarum remanere in anima separata ; quia talium otentiarum nulla est actio nisi per organum corporeum. — 1a, q. 77, a. 8, c.

Ad primum ergo dicendum, quod hæ potentiæ quas dicimus actu in anima separata non manere, non sunt proprietates olius animæ, sed conjuncti. — *Ibid.* ad 2.

Ad secundum dicendum, quod dicuntur non debilitari hujusmodi potentiæ, debilitato corpore, quia anima manet immutabilis, quæ est virtuale principium hujusmodi potentiarum. — *Ibid.* ad 3.

Ad tertium dicendum, quod illa recordatio accipitur eo modo, quo divus Augustinus ponit memoriam in mente (*de Trin.* l. 10, c. 11 ; — Migne PP. L. t. 42, col. 982), non eo modo, quo ponitur pars animæ sensitivæ. — *Ibid.* ad 4.

Ad quartum dicendum, quod tristitia et gaudium sunt in anima separata non secundum appetitum sensitivum, sed secundum appetitum intellectivum, sicut etiam in angelis. — *Ibid.* ad 5.

Ad quintum dicendum, quod substantia animæ sensibilis in homine manet post mortem, non tamen manent potentiæ sensitivæ. — *Quæst. disp. de Anima* a. 19, ad 12.

Ad sextum dicendum, quod sicut sensus prout nominat potentiam, non est forma totius corporis, sed anima sensitiva ; sensus autem est proprietas compositi : ita etiam potentia visiva non est actus oculi, sed anima secundum quod est principium talis potentiæ ; quasi ita dicatur, quod anima visiva est actus oculi, sicut anima sensitiva est actus totius corporis, potentia autem visiva est proprietas consequens. Unde non oportet quod sit alius oculus resurgentis, licet sit alia potentia sensitiva. — *Ibid.* ad 13.

Ad septimum dicendum, quod potentiæ animæ non sunt partes essentiales vel integrales, sed potentiales. (*Ibid.* ad 4.) Talium vero totorum ista est natura, quod tota virtus totius consistit in una partium perfecte, in aliis autem partialiter : sicut in anima virtus animæ perfecte consistit in virtute intellectiva, in aliis autem partialiter. Unde, cum in anima separata remaneant vires intellectivæ partis, integra remanebit, non diminuta, quamvis sensitivæ potentiæ actu non remaneant : sicut nec potentia regis remanet diminuta mortuo præposito, qui ejus potentiam participabat. — 4. *Sent.* dist. 44, q. 3, a. 3, sol. 1, ad 4.

ARTICULUS IX

UTRUM QUINQUE GENERA POTENTIARUM SINT DISTINGUENDA.

Videtur quod non sint quinque genera potentiarum distinguenda, scilicet vegetativum, sensitivum, appetitivum, secundum locum motivum, et intellectivum.

1. Potentiæ enim animæ dicuntur partes ipsius ; sed tantum tres partes animæ communiter ab omnibus assignantur, scilicet anima vegetabilis, sensibilis et rationalis : ergo tria tantum sunt genera potentiarum, non autem quinque. — 1a q. 78, a. 1, arg. 1.

2. Præterea, potentiæ animæ sunt principia operum vitæ ; sed quatuor modis dicitur aliquid vivere. Dicit enim Philosophus (2. *de Anima text.* 13; c. 2) : « Multipliciter ipso vivere dicto, etsi unum aliquod horum insit solum, aliquid dicimus vivere, ut intellectus et sensus, motus et status se-

cundum locum, adhuc autem motus secundum alimentum et decrementum et augmentum ». Ergo tantum quatuor sunt genera potentiarum. — *Ibid.* arg. 2.

3. Præterea, ad illud quod est commune omnibus potentiis, non debet deputari aliquod speciale animæ genus. Sed appetere convenit cuilibet potentiæ animæ ; — visus enim appetit visibile conveniens ; unde dicitur *Eccli.* 40, 22 : « Gratiam et speciem desiderabit oculus, et super hoc virides sationes »; et eadem ratione quælibet alia potentia desiderat objectum sibi conveniens. — Ergo non debet poni appetitivum unum speciale genus potentiarum animæ. — *Ibid.* arg. 3.

4. Præterea, principium movens in animalibus est sensus, aut intellectus, aut appetitus, ut dicitur 3. *de Anima* (*text.* 48 sqq. ; c. 10) ; non ergo motivum debet poni speciale genus animæ præter predicta. — *Ibid.* arg. 4.

5. Præterea, potentiæ animæ ordinantur ad aliquid altius quam natura, alias in omnibus corporibus naturalibus essent vires animæ ; sed potentiæ animæ quæ attribuuntur animæ vegetabili, non videntur ordinari ad aliquid altius quam natura ; ordinantur enim ad conservationem speciei per generationem, et conservationem individui per nutrimentum, et perfectam quantitatem per augmentum, quæ omnia operatur natura etiam in rebus naturalibus : — non igitur ordinandæ sunt potentiæ animæ ad hujusmodi, et sic potentiæ animæ erunt pauciores quam quinque. — *Quæst disp. de Anima* a. 13, arg. 14.

6. Præterea, potentiæ animæ *aut* distinguuntur secundum principia *aut* secundum modos operandi. *Si primum*, sequitur potentiarum genera tantum esse tria ; nam animarum, quæ sunt principia potentiarum, tria tantum sunt genera : vegetabilis, sensibilis et rationalis; *si secundum*, idem sequitur; nam tres tantum sunt modi operandi, puta per qualitates sensibiles, per organa corporalia et sine utrisque. Ergo tres tantum erunt potentiæ, vegetabilis, quæ agit mediantibus qualitatibus activis et passivis ; sensibilis quæ licet non egeat qualitatibus sensibilibus, eget tamen organo corporali ; et intellectualis, quæ neutro prædictorum indiget, sed perficitur in operatione sua absque organo corporali. — 1. *de Anima* l. 14 ; 2. *de Anima* l. 5.

Sed contra est auctoritas Philosophi 2 *de Anima* (*text.* 27; c. 3) distinguentis quinque genera potentiarum. — *de Anima* l. 3.

Respondeo dicendum, quod genera potentiarum sunt tantum quinque. Quod potest esse manifestum *ex duobus* : et *primo* quidem ex *operationibus* animæ *diversis*. Cum enim omnis potentia dicatur ad actum proprium, et operativa potentia dicatur ad actum qui est operatio, potentiæ autem animæ sint operativæ, tali enim est potentia formæ, — necesse est secundum diversas operationes animæ accipi diversitatem potentiarum. Operatio autem animæ est operatio rei viventis. Cum igitur unicuique rei competat propria operatio, secundum quod habet esse eo quod unumquodque operatur in quantum est ens ; oportet operationes animæ considerare secundum quod invenitur in viventibus. — Hujusmodi autem viventia inferiora, quorum actus est anima, habent *duplex esse*: *unum* quidem *materiale*, in quo conveniunt cum aliis rebus materialibus ; aliud autem *immateriale*, in quo communicant cum substantiis superioribus aliqualiter. Est autem *differentia* inter utrumque esse, quia secundum esse materiale quod est per materiam contractum, unaquæque res est hoc solum quod est, sicut hic lapis non est aliud quam hic lapis ; secundum vero esse immateriale, quod est amplum et quodam modo infinitum, in quantum non est per materiam terminatum, res non solum est id quod est, sed etiam est quodam modo alia. Unde in substantiis superioribus immaterialibus sunt quodam modo omnia sicut in universalibus causis. — Hujusmodi autem *immateriale esse* habet *duos gradus* in istis inferioribus. Nam *quoddam* est *penitus immateriale* scilicet esse intelligibile. In intellectu enim

habet esse et sine materia et sine condi-
nibus materialibus individuantibus, et
iam absque organo corporali. — Esse
tem *sensibile* est medium inter utrum-
ie. Nam in sensu res habet esse sine ma-
ria, non tamen absque conditionibus ma-
rialibus individuantibus neque sine or-
no corporali. Est enim sensus particu-
rium, intellectus vero universalium. Et
antum ad hoc duplex esse dicit Philo-
phus in tertio hujus, quod anima est
odammodo omnia. — *Operationes* igitur
æ competunt viventi secundum *esse ma-*
riale, sunt operationes quæ attribuun-
r animæ vegatabili; quæ tamen licet or-
nentur ad id ad quod etiam ordinantur
tiones in rebus inanimatis, scilicet ad
nsequendum esse et conservandum, ta-
en in viventibus hoc fit per altiorem et
biliorem modum. Corpora enim inani-
ata generatur et conservantur in esse a
incipio motivo extrinseco : animata vero
nerantur a principio intrinseco, quod est
semine, conservantur vero a principio
utritivo intrinseco. Hoc enim videtur esse
ventivum proprium, quod operentur tam-
iam ex se ipsis mota. — Operationes au-
em quæ attribuuntur rebus viventibus se-
ndum *esse penitus immateriale*, perti-
ent ad partem animæ intellectivam. —
uæ vero attribuuntur eis secundum *esse*
dium, pertinent ad partem animæ sensi-
vam. — Et secundum hoc triplex esse di-
inguitur communiter triplex anima, sci-
cet vegetabilis, sensibilis et rationalis.
ed quia omne esse est secundum aliquam
rmam, oportet quod esse sensibile sit
ecundum formam sensibilem, et esse
telligibile secundum formam intelligibi-
em. Ex unaquaque autem forma sequitur
liqua inclinatio et ex inclinatione opera-
o: sicut ex forma naturali ignis sequitur
clinatio ad locum qui est sursum, et
ecundum quam ignis dicitur levis; et ex
ac inclinatione sequitur operatio, scilicet
otus qui est sursum. Ad formam igitur
m sensibilem quam intelligibilem sequi-
r inclinatio quædam, quæ dicitur appe-
tus sensibilis vel intellectualis, sicut in-
clinatio sequens formam naturalem dicitur
appetitus naturalis; ex appetitu autem
sequitur operatio, quæ est motus localis.
Et hæc est prior ratio, propter quam oportet esse quinque genera potentiarum animæ. — 2. *de Anima* l. 5.

Secundo potest idem esse manifestum *ex objectis;* penes enim hæc etiam potentiæ distinguuntur, ut dictum est (supra a. 3, c.): quia quanto potentia est altior, tanto respicit universalius objectum, ut dictum est (ibid. ad 4). Objectum autem operationis animæ *in triplici ordine* potest considerari. *Alicujus* enim potentiæ animæ objectum est solum corpus animæ unitum; et hoc genus potentiarum animæ dicitur vegetativum. Non enim vegetativa potentia agit nisi in corpus, cui anima unitur. Est autem *aliud* genus potentiarum animæ, quod respicit adhuc universalius objectum, scilicet omne corpus sensibile, et non solum corpus animæ unitum. Est autem *aliud* genus potentiarum animæ, quod respicit adhuc universalius objectum, scilicet non solum corpus sensibile, sed universaliter omne ens. Ex quo patet, quod ista duo secunda genera potentiarum animæ habent operationem non solum respectu rei conjunctæ, sed etiam respectu rei extrinsecæ.

Cum autem operans oporteat aliquo modo conjungi suo objecto, circa quod operatur, necesse est extrinsecam rem, quæ est objectum operationis animæ, *secundum duplicem rationem* ad animam comparari. *Uno modo*, secundum quod nata est animæ conjungi, et in anima esse per suam similitudinem; et quantum ad hoc sunt *duo genera potentiarum*, scilicet *sensitivum* respectu objecti minus communis, quod est corpus sensibile; et *intellectivum* respectu objecti communissimi, quod est ens universale. *Alio* vero *modo*, secundum quod ipsa anima inclinatur et tendit in rem exteriorem; et secundum hanc etiam comparationem sunt *duo genera* potentiarum animæ: *unum* quidem, scilicet *appetitivum*, secundum quod anima comparatur ad rem extrinsecam ut ad finem, qui

est primum in intentione; *aliud* autem, *motivum* secundum locum, prout anima comparatur ad rem exteriorem sicut ad terminum comparationis et motus. Ad consequendum enim aliquod desideratum et intentum omne animal movetur. — Et hæc est posterior ratio, quare sint distinguenda quinque genera potentiarum. — 1a, q. 78, a. 1, c.

Ad primum ergo dicendum, quod licet potentiæ dicantur partes animæ, tres tamen tantum sunt animæ et quinque genera potentiarum. Et hujus diversitatis ratio est, quia genera potentiarum animæ distinguuntur vel ex diversis operationibus animæ vel ex diversis objectis, ut dictum est (supra in c. et a. 3, c.); sed diversæ animæ distinguuntur secundum quod diversimode operatio animæ supergreditur operationem naturæ corporalis. Tota enim natura corporalis subjacet animæ et comparatur ad ipsam sicut materia et instrumentum. — Est ergo quædam operatio animæ, quæ in tantum excedit naturam corpoream, quod neque etiam exercetur per organum corporale; et talis est operatio *animæ rationalis*. Est autem alia operatio animæ infra istam, quæ quidem fit per organum corporale, non tamen per aliquam corpoream qualitatem; et talis est operatio *animæ sensibilis*; quia etsi calidum et frigidum et humidum et siccum et aliæ hujusmodi qualitates corporeæ requirantur ad operationem sensus, non tamen ita, quod mediante virtute talium qualitatum operatio animæ sensibilis procedat, sed requiruntur solum ad debitam dispositionem organi. Infima autem operationum animæ est, quæ fit per organum corporeum et virtute corporeæ qualitatis; supergreditur tamen operationem naturæ corporeæ, quia motiones corporum sunt ab exteriori principio; hujusmodi autem operationes sunt a principio intrinseco; hoc enim commune est omnibus operationibus animæ, omne enim animatum aliquo modo movet seipsum; et talis est operatio *animæ vegetabilis*. Digestio enim et ea quæ consequuntur, fiunt *instrumentaliter* per actionem caloris, dicitur in 2. *de Anima* (*text.* 50; c. 4 — 1a, q. 78, a. 1, c.

Ad secundum dicendum, quod potentiarum quinque sunt genera, quatuor vero modorum vivendi; et ratio diversitatis est, quia potentiarum distinctio sumitur vel ex diversis operationibus animæ vel ex diversis objectis; at modi vivendi distinguuntur secundum gradus viventium. *Quædam* enim viventia sunt in quibus est tantum vegetativum, sicut in plantis. *Quædam* vero in quibus cum vegetativo est etiam sensitivum, non tamen motivum secundum locum, sicut sunt immobilia animalia, ut conchilia. *Quædam* vero sunt quæ supra hoc habent motivum secundum locum, ut perfecta animalia, quæ multum indigent ad suam vitam, et ideo indigent motu, ut vitæ necessaria procul posita quærere possint. *Quædam* vero viventia sunt in quibus cum his est intellectivum, scilicet in hominibus. Appetitivum autem non constituit aliquem gradum viventium, quia in quibuscunque est sensus, est etiam appetitus, ut dicitur 2. *de Anima* (*text.* 27; c. 3). — 1a, q. 78, a. 1, in c.; 2. *Anima* l. 5.

Ad tertium dicendum, quod *appetitus naturalis* est inclinatio cujuslibet rei ad aliquid ex natura sua. Unde naturali appetitu quælibet potentia desiderat sibi conveniens. Sed *appetitus animalis* consequitur formam apprehensam; et ad hujusmodi appetitivum requiritur specialis animæ potentia, et non sufficit sola apprehensio. Res enim appetitur prout est in natura sua; non est autem secundum suam naturam in virtute apprehensiva, sed secundum suam similitudinem. Unde patet, quod visus appetit naturaliter visibile solum ad suum actum, scilicet ad videndum. Animal autem appetit rem visam per vim appetitivam non solum ad videndum, sed etiam ad alios usus. Si autem non indigeret animal rebus perceptis a sensu nisi propter actum

s sensuum, scilicet ut ea sentiret, non orteret appetitivum ponere speciale nus inter potentias animæ, quia suffiret appetitus naturalis potentiarum. — , l. c. ad 3.

Ad quartum dicendum, quod quamvis nsus et appetitus sint principia movenin animalibus perfectis, non tamen sens et appetitus, in quantum hujusmodi, flicerent ad movendum, nisi superadretur eis aliqua virtus. Nam in immoibus animalibus est sensus et appetis, non tamen habent vim motivam. Hæc tem vis motiva non solum est in appeu et sensu ut imperante motum, sed am est in ipsis partibus corporis, ut t habiles ad obediendum appetitui imæ moventis. Cujus signum est, quod ando membra removentur a sua dispoione naturali, non obediunt appetitui motum. — *Ibid.* ad 4.

Ad quintum dicendum, quod potentiæ imæ vegetabilis licet non operentur i quod natura facit in corporibus; illud nen efficiunt altiori modo, quam facit ura, ut dictum est (in c.). — *Quæst. p. de Anima* a. 13, ad 14; 1a, q. 78, a. ad 1.

Ad sextum dicendum, quod potentiæ tinguuntur secundum operationes actas secundum genera ipsarum, non em acceptas secundum varios modos randi, ut dictum est (in c. et ad 1 et — 1. *de Anima* l. 14.

QUÆSTIO LII

DE ANIMA VEGETATIVA.

Deinde considerandum est de animabus in particulari, et primum de anima vegetativa.

Circa quam primum considerandum est de ejus substantia, deinde de illius potentiis.

CIRCA PRIMUM QUÆRITUR:

UTRUM ANIMA VEGETATIVA SIT FORMA CORPORIS VIVENTIS.

ARTICULUS UNICUS

UTRUM ANIMA VEGETATIVA SIT FORMA SUBSTANTIALIS CORPORIS VIVENTIS.

Videtur quod anima vegetativa non sit forma substantialis corporis viventis.

1. Dicit enim Philosophus (2. *de Anima text.* 6; c. 1), quod anima est actus primus, *tum* ad differentiam actus qui est operatio, *tum* ad distinctionem formarum elementarium, quæ semper habent suam operationem, nisi impediantur; sed etiam anima vegetativa semper habet suam operationem conjunctam, puta nutritionem, ut dicit Philosophus (2. *de Anima text.* 14, c. 2; 3. *de Anima text.* 59; c. 12): ergo anima vegetativa non est forma substantialis corporis viventis. — 2. *de Anima* l. 1 et 3; 3. *de Anima* l. 17.

2. Præterea, forma substantialis, cum sit natura, non movet ad contraria, sed est determinata ad unum; sed anima vegetativa movet ad contraria; motus enim augmenti et decrementi est secundum contraria loca; augentur enim vegetabilia omnia non solum sursum et deorsum, sed etiam utroque modo: ergo anima vegetativa non est forma corporis viventis. — 2. *de Anima* l. 3.

Sed contra est, quod Philosophus (2. *de Anima text.* 6 ; c. 1) definitionem animæ, quæ est esse actum primum seu formam substantialem corporis viventis, tribuit etiam animæ vegetativæ. — 2. *de Anima* l. 1 et 2.

Respondeo dicendum, quod etiam anima vegetativa vere est forma substantialis corporis viventis. Et ratio ex dictis (q. 48, a. 5 et 6) est, quia nihil aliud est esse formam substantialem corporis viventis, quam esse primam et substantialem perfectionem corporis habentis esse animatum per illam et existentis in potentia ad secundam perfectionem corporis viventis, puta ad operationes vitales ipsius. Hujusmodi autem est anima vegetativa. Per hanc enim, ut dictum est (q. 48, a. 4), habet corpus, quod substantialiter vivat, et quod sit in potentia ad vitales operationes, puta ad generationem, nutritionem et augmentum, ut patet in plantis, quæ tantum habent animam vegetativam. Ergo anima vegetativa vere est forma substantialis corporis viventis. — *Ibid.*

Ad primum ergo dicendum, quod formæ elementorum semper habent omnes suas actiones, nisi impediantur ; at vero anima etiam vegetativa non habet semper omnes suas actiones : non enim semper in est augmentum et decrementum, ut dicit Philosophus 3. *de Anima* (textu citato). — 3. *de Anima* l. 17.

Ad secundum dicendum, quod in aliquibus natura est determinata ad unum numero, in aliquibus ad unum specie, in aliis ad unum genere ; et ideo potest anima movere ad contrarias partes ; contraria enim sub uno genere continentur. — 1a 2ae, q. 10, a. 1, ad 3 ; v. Cajetanum *ibid.*

QUÆSTIO LIII

DE POTENTIIS ANIMÆ VEGETATIVÆ IN COMMUNI.

Deinde considerandum est de potentii animæ vegetativæ, et primum quiden dicendum de illis est in communi, dein de in particulari.

CIRCA PRIMUM QUÆRITUR:

UTRUM CONVENIENTER ASSIGNENTUR TRE POTENTIÆ ANIMÆ VEGETATIVÆ : GENERA TIVA, NUTRITIVA ET AUGMENTATIVA.

ARTICULUS UNICUS

UTRUM CONVENIENTER ASSIGNENTUR TRI POTENTIÆ ANIMÆ VEGETATIVÆ : GENE RATIVA, NUTRITIVA ET AUGMENTATIVA.

Videtur quod inconvenienter assignen tur tres potentiæ vegetativæ : generativ nutritiva et augmentativa.

1. Dicit enim Philosophus (2. *de Anim text.* 42 ; c. 4), quod eadem est anim potentia nutritiva et generativa ; erg inconvenienter ponuntur generativa nutritiva tamquam potentiæ distinctæ.- 2. *de Anima* l. 9.

2. Præterea, Philosophus (2. *de Anin text.* 49 ; c. 4) animam vegetativam def nit per ordinem ad solum actum gener tionis, dicens illam esse generativa talis (seu) principium generandi ta quale est habens hanc animam ; erg solum potentia generativa est potent animæ nutritivæ. — *Ibid.*

3. Præterea, hujusmodi tres potenti dicuntur vires naturales ; sed potent animæ sunt supra vires naturales : er hujusmodi potentiæ seu vires non debe poni potentiæ animæ. — 1a, q. 78, a. arg. 1.

4. Præterea, ad id quod est commu viventibus et non viventibus, non deb aliqua potentia animæ deputari ; s

eratio est communis omnibus genera-
bus et corruptibilibus, tam viventibus
m non viventibus : ergo vis genera-
non debet poni potentia animæ. —
. arg. 2.

. Præterea, quanto aliqua virtus est
or atque potentior, tanto una existens
plura se extendit : sed virtus animæ
supra vires naturæ, sicut et ipsa anima
pars potentior natura corporea : cum
ur natura eadem virtute producat in
corpus naturale et det ei debitam
ntitatem et conservet ipsum in esse,
tur quod hoc fortius anima una vir-
operetur. — *Ibid.* arg. 3 ; *Quæst.*
. *de Anima* a. 13, arg. 15.

. Præterea, unaquæque res conserva-
in esse per id per quod esse habet ; sed
ntia generativa est per quam acqui-
r esse viventis : ergo per eandem res
conservatur ; sed ad conservationem
viventis ordinatur vis nutritiva, ut di-
r 2. *de Anima* (*text.* 48; c. 4), est enim
ntia potens salvare suscipiens ipsam :
debet ergo distingui nutritiva poten-
a generativa. — 1a, q. 78, a. 2, arg. 4.

. Præterea, natura non facit per plura
d potest facere per pauciora ; sed ad
erationem rei viventis sufficiunt qua-
es elementorum, ut instrumenta ani-
— sicut sufficiunt in generatione
nalium ex putri eadem, ut instrumenta
, et similiter eadem sufficiunt ad nu-
onem et augmentum : — ergo frustra
ntur prædictæ tres potentiæ animæ.
. *c. Gent.* c. 89.

ed contra est : 1. quod Philosophus 2. *de*
na text. 49 et 50 (c. 4) ponit poten-
nutritivam distinctam a calore ; nam
calorem esse instrumentum conjun-
hujus potentiæ ; — et *text.* 33 (c. 4)
nguit potentiam nutritivam ab aug-
tativa ex objecto ; — et *text.* 34 (c. 4)
itivam a generativa, quod hæc non
n omnibus viventibus, illa vero om-
s inest ; — et *text.* 42 et 47 (c. 4) ex
cto tripliciter considerato colligit tri-
m potentiam animæ vegetativæ. —
Anima l. 6, 7 et 9.

2. Præterea, dicit Philosophus (2. *de Anima text.* 34 ; c. 4), quod opera animæ nutritivæ sunt generare, alimento uti et augmentum facere ; sed operationes animæ non immediate procedunt ab anima, sed tantum mediate, mediantibus scilicet potentiis, cum nulla forma substantialis sit immediate activa, ut dictum est (q. 9, a. 4) : ergo dantur tres potentiæ quæ immediate sint productivæ prædictarum trium operationum. — 2. *de Anima* l. 7.

Respondeo dicendum, quod tres sunt potentiæ animæ vegetativæ. Vegetativum enim, ut dictum est (q. 51, a. 9), habet pro objecto ipsum corpus vivens per animam ; ad quod quidem corpus *triplex* animæ *operatio* est necessaria. *Una* quidem, per quam esse acquirat, et ad hoc ordinatur potentia generativa. *Alia* vero, per quam corpus vivum acquirit debitam quantitatem, et ad hoc ordinatur vis augmentativa. *Alia* vero, per quam corpus viventis salvatur et in esse et in quantitate debita, et ad hoc ordinatur vis nutritiva. — Est tamen quædam *differentia* attendenda inter has potentias. Nam nutritiva et augmentativa habent suum effectum in eo in quo sunt, quia ipsum corpus unitum animæ augetur et conservatur per vim augmentativam et nutritivam in eadem anima existentem ; — sed vis generativa habet effectum suum non in eodem corpore, sed in alio, quia nihil est generativum sui ipsius ; et ideo vis generativa quodammodo appropinquat ad dignitatem animæ sensitivæ, quæ habet operationem in res exteriores, licet excellentiori modo et universali (1). Supremum enim inferioris naturæ attingit id quod est infimum superioris, ut patet per Dionysium (*de Div. Nom.* c. 7, § 3 ; — Migne PP. Gr. t. 3, col. 871) : et ideo inter istas tres potentias finalior et principalior et perfectior est generativa, ut dicitur in 2. *de Anima* (*text.* 49 ; c. 4) ; est enim rei jam perfectæ facere alteram, qualis ipsa est : generativæ autem deserviunt et augmentativa et nu-

(1) Al. « universaliori ».

tritiva ; augmentativæ vero nutritiva. — 1a, q. 78, a. 2, c.

Ad primum ergo dicendum, quod nutritiva et generativa dicuntur eadem potentia *generice*, non autem *specifice;* nutritiva enim est quædam specialis potentia distincta a generativa. — 2. *de Anima* l. 9.

Ad secundum dicendum, quod anima vegetativa definitur a Philosopho per ordinem ad generationem, non quia hujus animæ sit una tantum operatio, puta generatio, et consequenter una tantum potentia generativa; sed quia, cum inter tres operationes animæ vegetabilis sit quidam ordo; — nam *prima* ejus operatio est nutritio, per quam salvatur aliquid ut est : *secunda* autem perfectior est augmentum, quo aliquid proficit in majorem perfectionem et secundum quantitatem et secundum virtutem : *tertia* autem perfectissima et finalis est generatio, per quam aliquid jam quasi in se ipso perfectum existens, alteri esse et perfectionem tradit : tunc enim unumquodque maxime perfectum est, ut in 3. *Meteorol.* sum. 1, c. 4 (3) dicitur, cum potest facere alterum tale, quale ipsum est; — et justum sit ut omnia definiantur et denominentur a fine ; — convenienti definitione voluit Philosophus a fine operum animæ vegetabilis, qui est generare alterum tale, quale ipsum est, animam vegetativam definire, ut sit generativa alterius similis secundum speciem. — *Ibid.*

Ad tertium dicendum, quod hujusmodi vires seu potentiæ animæ vegetativæ dicuntur naturales, *tum* quia habent effectum similem naturæ, quæ etiam dat esse et quantitatem et conservationem, licet hæ vires habeant hoc altiori modo; *tum* quia exercent suas actiones per qualitates activas et passivas, quæ sunt naturalium actionum principia. — 1a, q. 78, a. 2, ad 1; *Quæst. disp. de Anima* a. 13, c. et ad 14.

Ad quartum dicendum, quod generatio in rebus inanimatis est totaliter ab extrinseco ; sed generatio viventium est quodam altiori modo per aliquid ipsius viventis, quod est semen, in quo est aliquod principium corporis formativum; ideo oportet esse aliquam potentiam viventis per quam semen hujusmodi præparetur, et est vis generativa. — *Ibid.* ad 2.

Ad quintum dicendum, quod, quia generatio viventium est ex aliquo semine oportet quod in principio animal generetur parvæ quantitatis ; et propter hoc necesse est quod habeat potentiam animæ per quam ad debitam quantitatem producatur ; sed corpus inanimatum generetur ex materia determinata ab agente extrinseco, et ideo simul recipit speciem et quantitatem secundum materiæ conditionem. — *Ibid.* ad 3; *Quæst. disp. de Anima* a. 13, ad 15.

Ad sextum dicendum, quod, sicut jam dictum est (q. 51, a. 9), operatio vegetativi principii completur mediante calore cujus est humidum consumere ; et ideo ad restaurationem humidi deperditi necesse est habere potentiam nutritivam per quam alimentum convertatur in substantiam corporis; quod etiam est necessarium ad actus virtutis augmentativæ et generativæ. — 1a, q. 78, a. 2, ad 4.

Ad septimum dicendum, quod necesse est dicere ad generationem, nutritionem et augmentum præter qualitates activas et passivas requiri particulares potentias distinctas a qualitatibus prædictis. Quod multipliciter potest esse manifestum : — *primo, quia* Philosophus illas distinguit ; nam 2. *de Anima text.* 49 et 50 (c. 4) calorem, qui est potissima qualitas activa, dicit esse instrumentum potentiæ nutritivæ, non autem ipsam potentiam nutritivam : et *text.* 34 (c. 4) dicit, quod generare, nutrire et augmentum facere sunt opera animæ, non autem opera naturæ; essent autem, si qualitates elementares per se sufficientes essent ad illa efficienda. — 2. *de Anima* l. 7 et 9.

Secundo, quia anima comparatur ad potentias, sicut forma substantialis ad proprietates consequentes : omnem enim gradum sive genericum sive specificum

ui maxime sumitur ex forma, consequi-
r propria passio ; calor autem et qua-
ates activæ non sunt proprietates con-
quentes animam, sed formam corporis
rruptibilis, sicut quantitas consequitur
rmam corporis, ut corpus est : non er-
possunt habere rationem potentiarum
imæ, nec de se sufficere ad opera vitæ
ragenda. — *de Malo* q. 4, a. 4, c. et ad
ct. *de Spirit. Creat.* a. 3, ad 18.

Tertio, cum potentiæ animæ ordinen-
r ad opera, quæ sunt animatorum
opria, secundum hoc aliqua operatio
bet, quod ad eam specialis potentia
imæ deputetur, quod ipsa est operatio
ɔpria animati; sed movere se ad deter-
natas species motus, puta augmenta-
nis, alterationis et generationis, est
eratio propria viventis : ergo ad has
erationes specialis potentia debet depu-
i : sed talis potentia non potest esse
or aut similis qualitas elementaris,
ia hujusmodi qualitates sunt principia
ibus aliquid movet aliud, et respectu
mæ substantialis animatæ præsertim,
ıt tantum dispositiones materiales; ma-
ia autem non sufficit ad agendum :
ɔo potentiæ animæ debent esse quid
tinctum ab illis qualitatibus. — *de*
rit. q. 22, a. 3, c.; *Quæst. disp. de Anima*
13, c. ; 1a, q. 115, a. 3, ad 2.

Quarto, potentiæ animæ est perducere
ens ad debitam quantitatem ; nam cum
semine generatur vivens, semper in
ncipio generatur parvæ quantitatis :
calor ut calor non perducit ad hanc
ıntitatem, quia indifferenter se habet
omnem quantitatem ; ergo non potest
or habere rationem potentiæ animæ. —
q. 78, a. 2, ad 3 ; *Quæst. disp. de*
ima a. 13, c. et ad 15.

Quinto, qualitates activæ et passivæ sunt
ıcipia naturalium actionum ; potentiæ
o animæ sunt principia actionum vi-
ıum; sicut ergo actiones horum princi-
rum sunt plane diversæ, ita et erunt
ıcipia illarum, ita ut principia actio-
ı unius generis non possint esse principia alterius ; et sic calor nullo modo poterit esse potentia animæ. — 1a, q. 78, a. 2, ad 1; *Quæst. disp. de Anima* l. c.

Sexto, cum potentiæ animæ sint ejus proprietates naturales, ut dictum est (q. 51), sicut proprietas fluit ab essentia subjecti, ut dictum est in logicis (q. 6), et habet pro subjecto id ex cujus essentia manat; ita potentia animæ fluit ab essentia animæ, ut dictum est, et habet pro subjecto animam, vel corpus ut habet animam ; sed qualitates activæ non fluunt ab essentia animæ, nec habent pro subjecto animam, vel corpus ut habet animam, ut manifestum est ex dictis : ergo non possunt habere rationem potentiarum animæ. — 1a, q. 78, a. 2.

Septimo, unicuique motori debentur propria instrumenta ; alia enim sunt instrumenta tibicinis, alia architectoris ; sed anima comparatur ad corpus ut motor ipsius, et similiter respectu generationis, augmentationis et nutritiones; ergo debet habere propria instrumenta, quibus illas operationes efficiat : sed qualitates activæ elementares non sunt instrumenta propria animæ, sed formæ elementaris : ergo tales qualitates non possunt habere rationem potentiarum, quæ sunt propria instrumenta animæ. — 2. c. *Gent.* c. 73.

Postremo, sicut est quoddam agens de se sufficiens ad inducendam formam suam in patiens (sicut ignis *de se sufficiens* est ad calefaciendum), ita datur quoddam agens quod *de se non sufficit* ad inducendam formam suam in patiens, nisi superveniat aliud agens. Cujus ratio est, quia aliquando actio principalis agentis pertingit ad aliquid in operato, ad quod non pertingit actio instrumenti, licet instrumentaliter operetur disponendo ; ut patet in generatione hominis : actio enim Dei producit animam rationalem, quam virtus seminis producere non potest, sed disponit ad eam. Sed ita se habet res in proposito ; nam calor ignis de se non sufficit ad complendam actionem nutritionis, nec perducit ad speciem carnis, licet instru-

mentaliter operetur ad eam resolvendo et consumendo nisi per virtutem potentiæ nutritivæ : unde virtus hæc est principale agens, calor vero instrumentale, ut dictum etiam est ex Philosopho ; ergo calor non potest fungi munere potentiæ animæ. — *Quodl.* 8, a. 3, c.; 2. *c. Gent.* c. 89.

QUÆSTIO LIV

DE POTENTIA GENERATIVA.

Deinde considerandum est de potentiis animæ vegetativæ in particulari ; et primo quidem de generativa, secundo de augmentativa, postremo de nutritiva.

CIRCA PRIMUM QUÆRUNTUR QUINQUE :

1. Utrum generatio sit opus naturalissimum et perfectissimum inter opera animæ vegetativæ.
2. Quid sit potentia generativa.
3. Utrum potentia generativa activa sit in matre.
4. Utrum omnia quæ ex semine generantur, possint sine semine per putrefactionem generari.
5. Utrum animalia genita per putrefactionem sint ejusdem speciei cum genitis ex semine.

ARTICULUS I

UTRUM GENERATIO SIT OPUS NATURALISSIMUM ET PERFECTISSIMUM INTER OPERA ANIMÆ VEGETATIVÆ.

Videtur quod generatio non sit opus naturalissimum et perfectissimum inter opera animæ vegetativæ.

1. Illud enim est magis naturale, quod est magis commune omnibus viventibus ; sed generare non est hujusmodi, sed potius nutriri ; quia non omnia viventia generant, ut plantæ et animalia imperfecta : nutriri autem est commune omnibus viventibus : ergo generatio non est opus naturalissimum et perfectissimum inter opera animæ vegetativæ. — 2. *de Anima* l. 7.

2. Præterea, illa operatio est magis naturalis et perfecta, quæ est omnium prima : sicut et esse, quia est prius omni participatione, est perfectius aliis gradibus ; sed inter omnes operationes animæ vegetativæ prima est nutritio, per quam salvatur aliquid ut est : ergo generatio non est opus naturalius et perfectius reliquis operibus. — *Ibid.* l. 9 ; *Tabula Aurea* voce « esse » n. 35, 36.

3. Præterea, natura magis inclinat ad conservationem sui in numero quam in specie, sicut magis quis seipsum in se amat quam in altero, unde amicabilia in alterum veniunt ex amicabilibus ad se, ut dicitur 9. *Ethic.* (c. 4); sed per nutritionem vivens conservat se in numero, per generationem in specie : ergo generatio non est opus magis naturale quam nutritio. — 3. *Sent.* dist. 29, q. 1, a. 1, arg. 3 ; 2. *de Anima* l. 9.

Sed contra est, quod Philosophus (2. *de Anima text.* 34 ; c. 4) dicit, quod generatio est opus naturalissimum et perfectissimum omnium. — 2. *de Anima* l. 7.

Respondeo dicendum, quod generatio est inter omnia animæ vegetativæ opera magis *naturalis* et *perfecta ; naturalis* quidem, *tum* quia in hoc conveniunt viventia cum aliis rebus inanimatis, quæ generationem habent, licet alio modo ; *tum* quia quælibet res naturaliter conatur, quantum fieri potest, assimilari deo divino et sempiterno ; hoc autem fit per generationem, per quam res quælibet saltem eadem specie perpetuo durat. — Est autem magis *perfecta*, quia generatio est finis aliorum operum vegetativæ, unde et ab illa tamquam a fine definitur a Philosopho anima vegetativa, quod sit generativa alterius similis secundum speciem, ut dictum est (q. 53, art. un., ad 2). — *De Anima* l. 7 et 9.

Ad primum ergo dicendum, quod ger-

re dicitur opus naturalissimum, quia co viventia conveniunt cum aliis rebus animatis, quia generationem habent, licet diverso modo. Habent enim inanimata generationem ab extrinseco generante, sed viventia a principio intrinseco, in quantum generantur ex semine, quod proficit in rem vivam. Quamquam ab ista generalitate viventium excipiuntur tria quibus hoc opus non convenit : — *primo* illa quæ sunt imperfecta, ut pueri ; hi enim non generant : quod enim potest alterum facere tale, quale ipsum est, in unoquoque genere perfectum est ; *secundo* illa quæ patiuntur aliquem defectum alicujus principii naturalis, sicut sunt spadones et frigidi ; *tertio* animalia et plantæ quæ generantur ex semine per putrefactionem ; his enim propter sui imperfectionem sufficit ad eorum productionem agens universale, scilicet virtus corporis cœlestis et materia disposita. In animalibus autem perfectis plura requiruntur principia. Non sufficit agens universale sufficit, sed requiritur agens proprium univocum. — 2. *de Anima* l. 7.

Ad secundum dicendum, quod nutritio est prima via originis, non autem via perfectionis, cum generatio sit finis nutritionis et augmentationis. Esse autem nobilius est reliquis gradibus, si sumatur ut perfectione distinguitur a reliquis, secus quam ut in illis imbibitur. — 2. *de Anima* l. 9.

Ad tertium dicendum, quod amicabilia ad alterum veniunt ex amicabilibus ad se non sicut ex causa finali, sed sicut ex quod est prius via generationis, quia quilibet est sibi prius et magis notus in se quam in alio. — 3. *Sent.* dist. 29, q. 1, a. 7, ad. 3.

ARTICULUS II

QUID SIT POTENTIA GENERATIVA.

I. Videtur quod virtus generativa sit calor naturalis internus ut instrumentum animæ.

1. Dicit enim Philosophus (2. *de Anima text.* 50 ; c. 4), quod anima utitur calido ad digestionem et generationem carnis ; sed anima utitur sua potentia ad prædicta opera : ergo calor naturalis erit potentia generativa. — 2. *de Anima* l. 9.

2. Præterea, ad generationem viventium ex putri sufficit materia disposita et virtus cœli, ut dictum est (a. praec. ad 1) ; sed hæc virtus cœli non est alia præter calorem cœlestem a sole productum in his inferioribus : ergo calor est potentia generativa.

3. Præterea, sicut calor ut instrumentum formæ substantialis ignis producere potest ignem, ita et calor naturalis ut instrumentum animæ potest generare carnem et simile in specie viventi ; sed ignis non habet aliam potentiam generativam sui similis præter calorem : ergo et anima non habebit aliam potentiam generativam similis in specie præter calorem naturalem conjunctum. — *Tabula Aurea* voce « calor » n. 3.

Sed contra est, quod Philosophus (2. *de Anima text.* 49 et 50 ; c. 4) dicit, quod calor non est potentia animæ, sed ejus instrumentum potentiæ. — 2. *de Anima* l. 9.

II. Videtur quod potentia generativa sit virtus existens in semine.

1. Illa enim est potentia generativa, per quam vivens generat sibi simile, ut dicit Philosophus (2. *de Anima text.* 49 ; c. 4) ; sed vivens producit simile in specie per virtutem existentem in semine : ergo virtus generativa est virtus existens in semine. — 2. *de Anima* l. 9 ; 1a, q. 118, a. 1, arg. 3 et 4.

2. Præterea, Philosophus (1. *de Generat. Animal.* c. 2 et 20) dicit, quod virtus activa viventis generantis sibi simile in specie est in semine maris : ergo illa est potentia generativa. — 1a, q. 118, a. 1, arg. 3 et 4.

3. Præterea, potentia generativa est quæ attingit productionem animæ ; sed virtus producens, verbi gratia, animam sensitivam in equo generato, est virtus

existens in semine: ergo potentia generativa est talis virtus. — *Ibid.*

Sed contra est, quod potentia generativa est proprietas compositi viventis, seu generantis, ut dictum est (q. 51, a. 5, c.); sed omnis proprietas est in re, cujus est proprietas, tamquam subjecto: ergo potentia generativa non est virtus existens in semine, quod est loco separatum a generante, cum sit ab illo decisum, sed est virtus existens in generante.

Respondeo dicendum, quod potentia generativa neque est calor naturalis, neque virtus activa existens in semine, sed est virtus existens in generante, a quo derivatur virtus activa seminis, per quam deinde producitur vivens. — Ad cujus manifestationem sciendum, quod quia generans est simile generato, necesse est naturaliter quod anima sensitiva et vegetativa et aliæ hujusmodi formæ producantur in esse ab aliquibus agentibus corporalibus transmutantibus materiam de potentia in actum per aliquam virtutem corpoream, quæ est in eis. Quanto autem aliquod agens est potentius, tanto potest suam actionem diffundere ad magis distans: sicut quanto aliquod corpus est magis calidum, tanto ad remotius calefactionem producit. Corpora igitur non viventia, quæ sunt inferiora naturæ ordine, generant quidem sibi simile, sed non per aliquod medium sed per seipsa; sicut ignis per se ipsum generat ignem. Sed corpora viventia tamquam potentiora agunt ad generandum sibi simile et sine medio et per medium; *sine medio* quidem in opere nutritionis, in quo caro generat carnem; *cum medio* vero in actu generationis, quia ex anima generantis derivatur quædam virtus activa ad ipsum semen animalis vel plantæ: sicut et a principali agente derivatur quædam vis motiva ad instrumentum. Verum in utroque modo agendi semper generans agit per virtutem generativam activam in se existentem. Quod manifestum est, *primum* quia potentiæ vegetativæ objectum est solum corpus animæ unitum; non enim vegetativa potentia agit nisi in corp cui anima unitur: unde necesse est qu potentia ipsa vegetativa, quæcunque s resideat in ipso vivente; semen aut immissum in matrem per decisionem, n amplius est in ipso generante. — *Dein* quia, cum omnis actio animæ sit ac vitæ, vivum autem est quod per se ipsu se movet ad operandum, oportet qu omnis operatio animæ, atque adeo ger ratio, procedat ab aliquo principio i trinseco agenti et viventi. Cum autem s men non sit quid vivum, non potest ge rativa potentia esse virtus illa, quæ in semini. — 1a, q. 118, a. 1, c. et q. a. 1 et 2, c.; *Quæst. disp. de Anima* a. c. — *Demum* quia potentia generati non desinit esse neque corrumpitur generationem unicam: virtus autem qu inest semini, desinit esse dissoluto semi et evanescente spiritu qui inerat semi Manifestum igitur est quod potentia ge rativa est virtus existens in genera distincta a virtute existente in semi et multo magis a calore, ut ostensum (q. 53, art. unic., ad 7). — 1a, q. 118, 1, ad 4.

Ad primum ergo dicendum, quod ca est instrumentum virtutis seu pote tiæ generativæ, sicut et potentiæ nutri væ, ut dictum est ex Philosopho (q. art. unic.).

Ad secundum dicendum quod, quia generationem eorum quæ ex putri na cuntur, pauciora requiruntur, ut dict est ex Philosopho (a. præc. ad 1), pr terea sufficit vel calor solis ut instrume tum illius, vel certe lumen ut instrum tum ejusdem, ut dictum est (q. 32, a. ad 1); secus vero in generatione vive tium, quæ producuntur ex semine, dictum est (a. præc.).

Ad tertium dicendum, quod aliquan actio instrumenti non potest pertinge ad effectum actionis principalis agent et sic est in proposito; calor enim nat ralis tantum disponit ad carnem ger randam et ad animam introducendan at anima inducitur per virtutem anim

eneratívam et nutritivam, ut dictum est q. 53, art. unic., ad 5, 6 et 7).

Ad quartum (ad arg. *Sed contra*) patet ex dictis.

Ad quintum (ad 1. *secundæ quæstionis*) icendum, quod virtus existens in semine st instrumentum virtutis generativæ, et iasi quædam motio ipsius animæ generantis. In omni autem motione aliud est rtus movens, aliud motio. — 1a, q. 18, a. 1, ad 3 et 4 et in c.

Ad sextum (ad 2. *sec. quæst.*) dicendum, iod quia vivens in generatione agit per edium, ut dictum est (supra in c.), se-en se habet tamquam medium, per iod generans generat sibi simile. Unde n potest virtus ejus esse ipsa potentia eneralíva generantis, cum præsertim lis virtus esse desinat permanente ad-ie in generante potentia generativa, ut ctum est (in c.). — *Ibid.*

Ad septimum (ad 3. *sec. quæst.*) dicendum, iod virtus existens in semine attingit generatione equi productionem animæ nsitivæ, sed in virtute potentiæ generaæ animæ generantis, cujus est instruentum. — *Ibid.* ad 4.

ARTICULUS III

TRUM POTENTIA GENERATIVA ACTIVA SIT IN MATRE.

Videtur quod potentia generativa acti-sit in matre.

1. Ponit enim Commentator (in 2. *de nima text.* 33 sqq.) distinctionem hanc otentiarum animæ, quod potentiæ nutriæ partis omnes sunt activæ: potentiæ nsitivæ omnes sunt passivæ : in intelctu autem est activum, ut intellectus ens, et aliquid passivum, ut intellectus ssibilis ; sed potentia generativa ad imam vegetativam pertinet, unde etiam antis inest : ergo est potentia activa : m ergo mater per potentiam generatim filium concipiat, videtur quod etiam matre sit potentia generativa activa. — *Sent.* dist. 3, q. 2, a., 1, arg. 5 ; 3a, 32, a, 4, arg. 2.

2. Præterea, si mater in generatione solam materiam ministraret et nihil active in illa operaretur, id non videretur sufficere ad rationem matris, quia alioqui lignum diceretur esse mater lecti vel scamni : ergo dicendum, quod in matre etiam est potentia generativa activa. — 3a, q. 35, a. 3, arg. 1 ; 3. *Sent.* dist. 3, q. 2, a. 1, arg. 4.

3. Præterea, motus naturalis est cujus principium est intra ; sed generatio filii ex matre est naturalis ; ergo in ipsa materia quam mater ministrat ad formationem conceptus, est principium aliquod active cooperans ad conceptionem : et sic etiam in matre est potentia generativa activa. — 3. *Sent.* dist. 3, q. 2, a. 1, arg. 6 ; 3a, q. 32, a. 4, arg. 3.

4. Præterea, Beata Virgo non solum passive, sed etiam active cooperata est ad conceptionem Christi Domini. Dicit enim Damascenus (3. *de Orth. Fide*, c. 2 ; — Migne, t. 94, col. 986), quod Spiritus Sanctus tribuit Virgini virtutem susceptivam et generativam ; per potentiam autem susceptivam intelligitur potentia passiva ; nam potentia mere passiva est receptiva tantum ; per generativam autem potentia activa ; sed quod dicitur de Beata Virgine, idem dici debet de quacunque alia matre : ergo in matre debet esse potentia generativa activa. — 3. *Sent.* l. c. arg. 1 ; 3a, q. 32, a. 4, arg. 1.

Sed contra est, quod Philosophus dicit ad matrem tantum pertinere ministrare materiam, et per consequens passive cooperari ad conceptionem et generationem. Dicit enim, 15. *de Animal.* (vel 1. *de General. Animal.* c. 20), quod vir dat animam, formam et principium motus : femina vero dat corpus et materiam : sicut accidit in lacte coagulato, quod corpus exit ex lacte et coagulatio ex coagulo ; et post pauca subdit : Manifestum est quod mas est operans et femina patiens, sicut exit scamnum ex carpentario et ligno. — 3. *Sent.* dist. 3, q. 2, a. 1, arg. 1 *Sed contra.*

Respondeo dicendum, quod circa hoc

diversimode opinatum est. *Quidam* enim dicunt ad officium matris pertinere, ut aliquod principium activum ad conceptionem ministret, et non materiale tantum. Hoc tamen ponitur *diversimode*. — Quidam enim dicunt, in materia, quam mater ministrat, esse virtutem activam principaliter, *tum* quia ex commixtione seminum conceptionem fierit ponunt, unde sicut semen viri est activum in generatione, ita et semen mulieris, quamvis non sit in eo tanta efficacia ad agendum; *tum* etiam quia ponunt conceptam prolem sensificari et vegetari per animam matris, ut sic etiam principalior inveniatur in generatione mater quam pater : hoc autem Philosophus reprobat in 15. *de Animal.* (vel 1, *de Generat. Animal.* c. 20). In his enim, quæ habent vitam perfectam, distinguuntur agens et patiens in generatione propter perfectam generationem in eis. In plantis autem, quæ imperfectam vitam habent, est in eodem utraque virtus, activa scilicet et passiva, quamvis forte in una planta dominetur virtus activa et in alia virtus passiva; propter quod dicitur etiam una planta masculina et alia feminina. Cum igitur impossibile sit illud quod est determinatum ut patiens, habere virtutem activam respectu ejusdem, oportet quod femina non sit agens in conceptione, sed tantum patiens. — Et ideo *alii* dicunt, quod id quod mater ministrat, se habet in generatione sicut materia naturalis. In materia autem naturali non est potentia passiva tantum, alias generatio esset violenta et non naturalis, sed oportet inesse materiæ ipsam formam, quæ per generationem adducenda est, in potentia et secundum esse incompletum, et ideo non habet perfectam virtutem ad agendum, sed tantum imperfectam ; et ideo per se agere non potest, nisi quodam modo excitetur ab agente exteriori, et sic ei cooperetur. — Hoc autem non potest stare, quia impossibile est idem esse alterans et alteratum ; unde non potest esse quod forma quæ est in aliqua materia agat in ipsam, sive sit perfecta sive imperfecta ; forma enim quæ per se non existit, non agit ; nec proprie patitur, sed compositum agit ratione formæ et patitur ratione materiæ; et ideo non est possibile quod illa forma imperfecta in agendo cooperetur agenti exteriori. Præterea, agere sequitur ad esse perfectum, cum unumquodque agat secundum quod est in actu ; unde oportet quod forma imperfecte existens in materia, prius perficiatur in esse per agens exterius, quam detur sibi agere ; unde non potest in agendo cooperari ad generationem, per quam forma in esse perfectum adducatur. Et præterea, si esset de necessitate matris ut active ad generationem operaretur, Beata Virgo non posset dici mater ; cum enim illa conceptio tota simul sit facta, non potuit per aliquam creativam virtutem creatam fieri unde Beata Virgo non potuit active operari ad conceptionem : et sic non habuisset illud quod ad matrem pertinet ; unde nec mater esset, quod est hæreticum. — 3. *Sent.* dist. 3, q. 2, a. 1, c. ; 3a, q. 31 a. 5 et q. 35, a. 3.

Alii ergo dicunt, quod sufficit ad esse matrem quod materiam ministret, et hæc est sententia Philosophi, secundum quam etiam potest salvari virginitas Sanctissimæ Dei Genitricis Mariæ et ejus maternitas. Ad cujus sententiæ evidentiam sciendum est, quod in conceptione proli *triplex actio* invenitur : — *una*, quæ est principalis, scilicet formatio et organisatio corporis ; et respectu hujus actionis agens est tantum pater, mater vero solummodo ministrat materiam. *Alia* actio est præcedens hanc actionem et præparatoria ad ipsam. Cum enim generatio naturalis sit ex determinata materia, eo quod unus quisque actus in propria materia fit, sicut in 2. *de Anima* (*text.* 26 ; c. 2) dicit Philosophus oportet ut formatio prolis fiat ex materia convenienti et non ex quacunque. Unde oportet esse aliquam virtutem agentem per quam præparetur materia ad conceptum. Sicut autem dicit Philosophus in

Phys. (text. 24 et 25; c. 2), ars quæ ›eratur formam, principatur et imperat quæ præparat materiam, sicut ars ›mpaginans navim ei quæ complanat gna: — ideo virtus quæ præparat mariam ad conceptum est imperfecta reectu ejus quæ ex materia præparata rolem format. Hæc autem virtus præıans est matris, quæ imperfecta est reectu virtutis activæ quæ est in patre. nde dicit Philosophus in 15. *de Animal.* el 1, *de Generat. Animal.* c. 20), quod ulier est sicut puer, qui nondum potest enerare. *Tertia* actio est concomitans el sequens actionem principalem. Sicut nim locus facit ad bonitatem generatioıs, ita et bona dispositio matricis operaır ad bonam dispositionem prolis, quasi ræbens fomentum (1): et hoc est, quod icit Avicenna in cap. de diluviis: Matrix on facit nisi ad melioralionem concep- (2).

Secundum hoc igitur dicendum, quod *n principali actione* formationis corporis ihil est ex parte matris quod sit actium, sed id quod mater ministrat se haet materialiter tantum ad hanc actionem. Et idem dico de Beata Virgine, nisi quod irtus divina fecit totum quod fit in aliis onceptionibus per virtutem seminis, quod st a patre. Et ideo Damascenus divinam irtutem dicit quasi divinum semen. *In ecunda* vero et *tertia actione* omnes mares active operantur, sed hæ non arguunt potentiam generativam activam, icut nec arguunt in Sanctissima Virgine, uæ tamen propriissime est Mater Chrisi Domini, quia in principali actione maerialiter concurrit, quod sufficit ad hoc, uod aliqua sit mater. Et sic manifestum st, quod ad esse matrem non requiritur otentia generativa activa in matre. — . *Sent.* dist. 3, q. 2, a. 1, c.; 3a, q. 31, . 5 et q. 35, a. 3, c.

Ad primum ergo dicendum, quod poentia generativa activa est; sed hæc otentia est perfecte in viro, unde ejus actio se extendit usque ad formationem generati; in femina autem est imperfecta, unde non se extendit ejus actio nisi ad præparationem materiæ: sicut in artibus ars inferior disponit materiam, superior vero inducit formam, ut dicitur 2. *Phys.* (*text.* 25; c. 2). — 3. *Sent.* dist. 3, q. 2, a. 1, ad 5; 3a, q. 32, a. 4, ad 2.

Ad secundum dicendum, quod *paternitas* sive *maternitas* et *filiatio* non competunt in quacunque generatione, sed in sola generatione viventium; et ideo si aliqua inanimata ex aliqua materia fiant, non propter hoc consequitur in eis relatio maternitatis et filiationis, sed solum in generatione viventium, quæ proprie nativitas dicitur. — 3a, q. 35, a. 3, ad 1.

Vel dic, quod præbere materiam *simpliciter* ad generationem alicujus non facit matrem, sed præbere *talem* materiam sic præparatam, est id quod matrem facit. In ligno enim non est potentia naturalis ut ex eo fiat scamnum, cum in actum per agens naturale non compleatur, sicut similiter nec in limo terræ ut ex eo fiat homo: unde quod inducitur non est simile. — 3. *Sent.* dist. 3, q. 2, a. 1, ad 4.

Ad tertium dicendum, quod cujuslibet motus naturalis principium est in eo quod movetur, non tamen eodem modo, ut in 2. *Phys.* (*text.* 3 et 4) dicit Commentator. *In quibusdam* enim est principium activum, ut in motu gravium et levium: *in quibusdam* vero principium passivum, ut in generatione simplicium corporum; unde et Philosophus naturam, quam principium motus in eo quod movetur definit, statim subdividit in materiam et formam. Unde non oportet, quamvis generatio perfecti animalis sit naturalis, quod in materia quam femina ministrat, sit principium activum, sed passivum tantum. — 3. *Sent.* l. c. ad 6; 3a, q. 32, a. 4, ad 3.

Ad quartum dicendum, quod in conceptione Christi Domini fuit duplex miraculum: *unum*, quod femina concepit Deum; *aliud*, quod virgo peperit filium.

(1) Al. « locatum ».
(2) Al. « generati ».

Quantum ergo ad *primum*, Beata Virgo se habuit ad conceptionem secundum potentiam obedientiæ tantum, et adhuc multo remotius quam costa viri, ut ex ea mulier formaretur. In talibus autem simul dantur actus et potentia ad actum, secundum quam dici posset, quod hoc est possibile. Sed quantum ad *secundum*, habuit Beata Virgo potentiam passivam, naturalem tamen, quæ per agens naturale in actum reduci potuit. Unde quantum ad primum dicit Damascenus potentiam receptivam Verbi Dei, quantum vero ad secundum dicit simul activam et generativam ; utramque enim potentiam in actum reduxit Spiritus Sancti virtus. — 3. *Sent.* l. c. ad 1 ; 3a, l. c. ad 1.

ARTICULUS IV

UTRUM OMNIA QUÆ EX SEMINE GENERANTUR, POSSINT SINE SEMINE PER PUTREFACTIONEM GENERARI.

Videtur quod omnia animalia quæ ex semine generantur, possint sine semine generari.

1. Dicit enim Avicenna (apud Averroem in 2. *Metaphys. text.* 15), quod omnia quæ generantur ex semine, eadem specie possunt generari sine semine per putrefactionem vel per aliquem modum commixtionis terrenæ materiæ. — 7. *Metaphys.* l. 6 et 8; 1a, q. 71, a. un., ad 1.

2. Præterea, nihil fit ex materia corporali nisi per aliquam materiæ transmutationem ; sed omnis transmutatio corporalis causatur ex motu cœlestis corporis, qui est primus motuum ; ergo quodlibet corpus, quod fit ex semine, potest etiam produci sine semine per virtutem cœlestis corporis. — 1a, q. 91, a. 2, arg. 3.

3. Præterea, causa prima est vehementioris impressionis in causatum causæ secundæ, quam ipsa causa secunda ; et ideo remota influentia hujus potest remanere influentia primæ; sed cœlum est causa prima et primum movens effectuum sublunarium ; unde Philosophus dicit (2. *Phys. text.* 26; c. 2), quod sol et homo generant hominem : ergo quodlibet animal genitum ex semine poterit a sole generari sine semine. — *Tabula Aurea* voce « causa » n. 78 ; 2. *Phys.* l. 4.

4. Videtur quod nullum animal ex semine genitum possit sine semine generari. Natura enim determinatis mediis procedit ad suos effectus : ergo illa quæ naturaliter generantur ex semine, sine semine generari non possunt. — 1a, q. 71, a. un., ad 1.

Sed contra est, quod Philosophus (7. *Metaphys. text.* 23 et 31; l. 6, c. 7. et 9) dicit, quod non omnia quæ ex semine generantur possunt sine semine generari, sed quædam sic, quædam non. — 7. *Metaphys.* l. 6 et 8.

Respondeo dicendum, quod hac de re sunt *tres sententiæ*. Prima est *Averrois* (in 8. *Phys. text.* 46) dicentis, quod non potest esse idem animal in specie, quod generatur ex spermate, et quod generatur sine spermate. — *Avicenna* vero oppositum asserit, omnia quæ ex semine generantur, sine semine per putrefactionem posse generari. — Sententia vera *Aristotelis* videtur esse media inter hæc duas opiniones. Asserit enim, quod aliqua possunt et sine semine generari et ex semine, non tamen omnia.

Quæ sententia potest ex his probari : et *primo*, quia cum ars naturam imitetur, sicut in *artificialibus* non omnia possunt fieri per artem et sine arte; sed quædam sunt per artem tantum, ut domus; quædam vero per artem et sine arte, ut sanitas, et tunc fieri possunt aliqua et ab arte et sine arte, quando materia potest movere a seipsa eo motu quo movetur ab arte, ut patet in sanitate (quia enim in corpore verbi gratia humano, quod est materia sanationis, inest virtus activa, per quam corpus potest sanare se ipsum : ideo sanitas potest aquiri per artem a principio extrinseco, et sine arte per principium intrinsecum ; — tunc vero non nisi ab arte fieri possunt aliqua, quando non po

est illorum materia moveri per principium intrinsecum eo modo, quo movetur b arte, ut patet in fabricatione domus); — ta similiter in *naturalibus* illa non possunt fieri aliter quam ex semine, ut animalia perfecta, homo, equus et similia, uorum materia non potest moveri a se psa eo motu, quo a spermate movetur; lla vero possunt generari ex semine et ine semine, quorum materia eo motu potest a se ipsa moveri, quo movetur a spermate, ut animalia imperfecta, quæ sunt icina plantis; et plantæ, quæ generantur per putrefactionem : hæ namque roducuntur sine semine per actionem olis in terra ad hoc bene disposita; et amen plantæ sic productæ producunt emina, ex quibus plantæ similes in specie generantur.

Secundo probatur, quia quanto aliquid est perfectius, tanto plura ad ejus completionem requiruntur, et per consequens requiritur major virtus producens; sed aliqua sunt animalia perfectiora aliis : ergo si ad *perfectorum* generationem requiritur cum virtute cœlesti virtus seminis — unde Philosophus loquens de generatione illorum dicit, quod sol et homo generant hominem —, ad generationem animalium *imperfectorum* et plantarum sufficiet sola virtus cœlestis. Unde manifestum est, quod non omnia quæ generantur ex semine, possunt sine semine generari, sed tantum quædam. — 7. *Metaphys.* l. 6 et 8; 2. *de Anima* l. 7; 3. c. *Gent.* c. 69, ad 4 rationem. — Et ex his patet *ad primum objectum.*

Ad secundum dicendum, quod licet motus cœli sit causa transmutationum naturalium, non tamen is sufficit ad quamcunque transmutationem, ut ad generationem animalium perfectorum, ut dictum est (in c. art). — 1a, q. 91, a. 2, ad 3.

Ad tertium dicendum, quod cœlum non est causa prima simpliciter, sicut nec primum movens simpliciter, sed prima causa et primum movens simpliciter est Deus, ut dictum est (q. 25, a. 2).

Ad quartum dicendum, quod in natura unus est modus generationis *naturalis et per se*, quæ autem fiunt sine semine, fiunt *a casu et per accidens*, ut dicit Philosophus (7. *Metaphys. text.* 23; l. 6, c. 7). — 7. *Metaphys.* l. 6.

ARTICULUS V

UTRUM ANIMALIA GENITA PER PUTREFACTIONEM SINT EJUSDEM SPECIEI CUM GENITIS EX SEMINE.

Videtur quod animalia genita per putrefactionem sine semine non sint ejusdem speciei cum genitis ex semine.

1. Una enim res unum tantum modum habet, quo oritur ex alio, ut manifeste patet, tum quia natura procedit viis determinatis, tum quia, cum causæ naturales habeant determinatos effectus, eo quod earum virtutes sunt finitæ et limitatæ ad unum, sequitur necessario, quod quæ a diversis causis naturalibus producuntur in esse secundum diversum generationis modum, sint specie diversa; — ergo non potest eadem res specie produci a natura ex semine et sine semine. — 1. *Sent.* dist. 10, q. 1, a. 5, c.; *de Pot.* q. 3, a. 11, ad 1; *de Verit.* q. 12, a. 2, arg. 4; 1a, q. 71, a. un., c.

2. Præterea, in omni natura invenitur tantum unus modus communicationis illius naturæ; sed in omni generatione fit communicatio naturæ : ergo una res secundum speciem non potest generari nisi uno modo. — 1a, q. 27, a. 3, arg. 2.

3. Præterea, dicit Philosophus (1. *de Generat. Animal.* c. 1 et 16), quod quæ non ex coitu animalium producunt, sed ex putri materia, licet generent, non tamen sui generis prolem procreant.

4. Præterea, si materiæ sunt diversæ, et formæ sunt diversæ, quia materia est propter formam, non e contra, ut docet Philosophus (2. *Phys. text.* 23; c. 2); sed constat aliam materiam esse rem putrem et aliam sanguinem menstruum : ergo e

forma erit diversa. — 1a, q. 47, a. 1 et 2, c. et q. 65, a. 2, c.

5. Præterea, si eadem natura specifica posset produci ex semine et sine semine, sequeretur, quod eadem species esset a natura et a casu; hoc autem est falsum, tum quia fieri a natura opponitur ei, quod est fieri a casu; tum quia nulla species est a casu.

Sed contra est, quod Philosophus (7. *Metaphys. text.* 21; l. 6, c. 7; et *text.* 31; l. 6, c. 9) dicit, quod eadem sanitas potest et arte et natura aquiri, et similiter idem animal et sine semine et ex semine generari. — 7. *Metaphys.* l. 6 et 8.

2. Præterea, Commentator (12. *Metaphys. text.* 18) dicit, quod apes utroque modo generantur; sunt autem apes omnes ejusdem speciei — videmus enim in illis eandem figuram esse, eadem accidentia, easdem operationes, eosdem motus, eademque organa motus; item eadem conservantia et eadem corrumpentia; ex quibus in cognitionem speciei devenitur: — ergo potest idem animal specie generari ex semine et sine semine.

3. Præterea, plantæ productæ ex semine sunt ejusdem speciei cum plantis, a quibus ex semine productæ sunt, ut manifestum est; sed plantæ nonnullæ producentes alias ex semine possunt esse productæ sine semine per putrefactionem, ut dictum est (art. præced. in c.): ergo idem quod prius. — 7. *Metaphys.* l. 6.

Respondeo dicendum, quod, ut ex dictis patet, necesse est dicere, quod quæ generantur ex semine, sunt ejusdem speciei cum generatis sine semine. Et ratio est, quia sicut in artificialibus eadem specie sanitas est, sive generetur per artem sive sine arte; ita et in naturalibus idem specie erit animal genitum ex putrefactione sine semine et ex semine: ars enim imitatur naturam in productione suorum effectuum. — 7. *Metaphys.* l. 6 et 8; 2. *Sent.* dist. 15, q. 1, a. 1, ad 2.

Ad primum ergo dicendum, quod una res unoa tantum modo oritur ex alio et generatur, per se scilicet et naturaliter, quando nimirum ex semine generatur; potest autem alio modo produci, per accidens nimirum et casualiter, puta quando producitur per putrefactionem sine semine, ut dicit Philosophus (7. *Metaphys. text.* 23; l. 6, c. 7). — 7. *Metaphys.* l. 6. — Eodemque modo respondetur *ad secundum.*

Ad tertium dicendum, quod quæ ex putrefactione generantur, ut insecta, sunt in triplici differentia: — *quædam* enim sunt, quæ non nisi ex putrefactione generari possunt, et non generant, ut culices et vermiculi; *quædam* tantum ex putrefactione nascuntur et generant, sed animalia diversi generis, ut pulices, muscæ et scarabei; *quædam* et ex putrefactione et ex semine generari possunt, et hæc procreant animalia ejusdem generis, ut locustæ, cicadæ, vespæ et formicæ. Ita Philosophus docet (1. *de Generat. Animal.* c. 16). — *Tabula Concord.* n. 214; cf. Ferrariensis in 3. *c. Gent.* c. 69.

Ad quartum dicendum, quod materiarum diversitas arguit diversitatem formarum in his, quæ per se et naturaliter tantum generari possunt; secus vero in his, quæ tam per se quam per accidens et casualiter generantur, ut dictum est (ad 1).

Ad quintum dicendum, quod nihil prohibet aliquam generationem esse per se, cum refertur ad unam causam, quæ tamen est per accidens et casualis, cum refertur in aliam causam. Cum enim sanitas ex confricatione sequitur præter intentionem confricantis, ipsa quidem sanatio, si referatur ad naturam, quæ est corporis regitiva, non est per accidens, sed per se intenta; si vero referatur ad intellectum confricantis, erit per accidens et casualis. Similiter etiam generatio animalis ex putrefactione generati, si referatur ad causas particulares hic inferius agentes, invenitur esse per accidens et casualis. Non enim calor, qui causat putredinem, intendit naturali appetitu generationem hujus vel illius animalis, quæ ex putre-

tione sequitur, sicut virtus quæ est semine intendit productionem talis ciei; sed si referatur ad virtutem cœ-tem, quæ est universalis regitiva vir- generationum et corruptionum in is- inferioribus, non est per accidens, sed se intenta, quia de ejus intentione , ut educantur in actu omnes formæ, e sunt in potentia materiæ.

x his *primo sequitur* nihil prohibere ciem aliquam esse per se intentam, atam ad unam causam; esse per acci- s et casualiter intentam, relatam ad m causam. *Secundo sequitur* oppositos dos productionis posse eidem naturæ stantiali competere, sicut et compe- t eidem naturæ accidentali, puta sani- , ut dictum est. *Sequitur tertio* nullam ciem esse tantum a casu; nam quæ e semine per putrefactionem generan- , relata ad virtutem cœlestem non t a casu, sed per se intenta, ut dictum . — 7. *Metaphys.* l. 6.

QUÆSTIO LV

einde considerandum est de potentia augmentativa.

CIRCA QUAM QUÆRUNTUR DUO :

Utrum augmentum proprie sit tantum in iventibus.

Utrum potentia augmentativa sit realiter listincta a nutritiva.

ARTICULUS I

RUM AUGMENTUM SIT PROPRIE TANTUM IN VIVENTIBUS.

Videtur quod augmentum non sit pro- ie tantum in viventibus.

1. Dicit enim Philosophus (1. *de Genec. text.* 24; c. 4), definiens augmentum, od est transmutatio secundum quantita- n, sicut alteratio est transmutatio se- ndum qualitatem; et 5. *Phys.* (text. 18; c, 2) dicit, quod termini augmentationis sunt imperfecta, et perfecta magnitudo; sed etiam inanimata transmutantur secundum quantitatem, ut cum per præexistens fit rarior; — in rarefactione enim acquiritur major quantitas, ut docet Philosophus (1. *de Generat. text.* 33; c. 5); ergo augmentatio proprie non est tantum in viventibus. — 1. *de Generat.* l. 10; 5. *Phys.* l. 4.

2. Præterea, illud augetur, quod efficitur majus per additionem quantitatis, quæ est terminus augmenti, ut dicit Philosophus (2. *de Anima text.* 46; c. 4); sed inanimata efficiuntur majora per additionem quantitatis, ut cum lignum additur ligno et linea lineæ : ergo augmentum proprie sumptum non est tantum in viventibus. — 2. *de Anima* l. 9; 1. *Sent.* dist. 17, q. 2. a 1, c.

3. Præterea, contraria nata sunt fieri circa idem; sed diminutio et augmentum sunt contraria : ergo sicut diminutio convenit qualitatibus et habitibus, ita et augmentum; et sic non tantum erit in viventibus. — 1a 2æ, q. 53, a. 2, arg. *Sed contra*; et 2a 2æ, q. 24, a. 10, arg. 1.

4. Præterea, dicit Philosophus (1. *de Generat. text.* 39; c. 5), quod sicut augmentum est in viventibus, ita et in igne. Unde ait, quod quando ligna igniuntur adjuncta igni præexistenti est augmentatio ignis; quando vero ipsa ligna incenduntur seorsim non adjuncta aliis lignis adustis, tunc est generatio. Ergo idem quod prius.

Sed contra est, quod Philosophus (2. *de Anima text.* 46; c. 4) dicit, quod nihil nutritur nisi vivens; sed nihil proprie augetur, nisi quod nutritur : unde a Philosopho augmentum tribuitur animæ vegetativæ, ut inter ejus operationes perfectior quam nutritio, ut patet (2. *de Anima, text.* 49; c. 4); ergo augmentum proprie tantum est in viventibus. — 2. *de Anima* l. 9.

Respondeo dicendum, quod *augeri* nihil aliud est quam sumere majorem quantitatem. Unde secundum quod aliquid se habet ad quantitatem, ita se habet ad

augmentum. Quantitas autem dicitur dupliciter: quædam virtualis, quædam dimensiva. *Virtualis quantitas* non est ex genere suo quantitas, quia non dividitur divisione essentiæ suæ; sed magnitudo ejus attenditur ad aliquid divisibile ad extra vel multiplicabile, quod est objectum vel actus virtutis. Sed ex genere suo est vel forma accidentalis in genere qualitatis, vel forma substantialis, quæ tamen non est major vel minor. Et ideo augmentum secundum quantitatem virtutis non pertinet ad speciem motus, quæ augmentum dicitur, sed magis ad alterationem. Et hoc modo augentur qualitates et habitus, ut charitas, fides et alii habitus sive supernaturales sive naturales.

Quantitas autem *dimensiva* est quorundam per accidens, sicut albedinis, quæ dicitur quanta secundum quantitatem superficiei, ut in *Prædicam.* (c. 7, al. 6.) dicitur. Unde non augetur nisi per accidens; sed per se invenitur in corporibus, quæ per se augentur. Hoc autem contingit dupliciter : quia aliquando illud, quod sumit maiorem quantitatem, movetur de quantitate minori in majorem ; aliquando autem est sine motu ipsius, quod augeri dicitur ; unde non quælibet pars augetur, sicut quælibet pars moti per se movetur; — et hoc contingit, quando efficitur major quantitas per additionem quantitatis: sicut quando additur lignum ligno vel linea lineæ ; unde hoc est augmentum, sed non motus augmenti. — Quod autem moveatur aliquid ad majorem quantitatem, contingit dupliciter: *vel* ita quod quantitas sit per se terminus motus ; *vel* quod consequatur terminum. Quando *per se* quantitas est *terminus motus*, oportet quod sit ibi additio ad totum, et quod ad quamlibet partem, ut totum augeatur et quælibet pars ejus (sicut est in animali et in planta) ; et tunc proprie est motus augmenti. Unde motus augmenti non est nisi in habentibus nutritivam. *Consequitur* autem (quantitas) *terminum motus*, quando est ad formam aliquam, quam consequitur aliqua quantitas : cuilibet enim formæ debetur quantitas determinata. I quia motus non specificatur nisi ab e quod est per se terminus motus; ide talis motus non dicitur per se motus *aug menti*, sed vel *generatio*, si sit forn substantialis, sicut quando ex aere f ignis ; vel *alteratio*, quando est form accidentalis, sicut in rarefactione aer patet. — 1. *Sent.* dist. 17, q. 2, a. 1,

Ad primum ergo dicendum, quod m tus augmenti est per se primo ad quan titatem ; at rarefactio est ad quantitate consecutive tantum, et non per se prim ut dictum est (in c.).

Ad secundum dicendum, quod aliud e augmentum, aliud motus augmenti. A ditio ligni ad lignum et lineæ ad linea pertinet ad augmentum, non autem a motum augmenti, de quo hic loquimu

Ad tertium dicendum, quod augme tatio et diminutio improprie sunt in qual tatibus: quia in illis non est quantit dimensiva, ad quam solam proprie e motus augmenti; sed tantum quantit virtutis, secundum quam improprie r dicitur augeri.

Ad quartum dicendum, quod ignis in proprie dicitur augeri, ut dictum e (supra q. 38, a. 4, ad 1, et q. 44, ad

ARTICULUS II

UTRUM POTENTIA AUGMENTATIVA REALITER DISTINGNATUR A NUTRITIVA.

Videtur quod potentia augmentati non distinguatur realiter a nutritiva.

1. Dicit enim Philosophus 2. *de Ani* (*text.* 34 ; c. 4), quod opera vegetati sunt generare et alimento uti ; sed pote tiæ distinguuntur per actus, ut dicitur i dem (*text.* 33; c. 4): ergo potentia augm tativa et nutritiva, quæ ad idem op ordinantur, erunt realiter una potent et non duæ. — 2. *de Anima* l. 7.

2. Præterea, potentiæ distinguun ex objectis, ut dictum est (q. 51, a. sed idem realiter est objectum poten

mentativæ et nutritivæ — dicit enim losophus (2. *de Anima text.* 47; c. 4), d idem alimentum, quod in nutritio- convertitur in substantiam viventis, et rit et auget — : ergo potentia augmen- va et nutritiva sunt realiter eadem entia. — 2. *de Anima* l. 9.

3. Præterea, per potentiam augmenta- am acquirit vivens majorem quanti- em (nam augmentatio est motus ad antitatem); sed potest vivens etiam per entiam nutritivam acquirere majorem antitatem; puta quando per nutritio- n plus substantiæ quantæ acquisitum , quam fuerit deperditum, ut dictum (supra q. 38, a. 2, in c., et in hac æst., a. præc): ergo potentia augmenta- a non distinguitur realiter a nutritiva.

Sed contra est, quod Philosophus di- nguit potentias ex objecto; sed aliud t objectum potentiæ nutritivæ, aliud gmentativæ : nam hujus objectum est antitas, illius substantia, ut dicit Phi- sophus (2. *de Anima* text. 47 ; c. 4), æ duo realiter inter se distinguuntur, dictum est (in Logica q. 11, a. 2) : ergo tentia augmentativa et nutritiva rea- er inter se distinguuntur. — 2. *de Ani- a* l. 7 et 9.

Respondeo dicendum, quod potentia aug- entativa et nutritiva inter se realiter di- inguuntur. Quod multipliciter potest esse anifestum : et *primo* quidem, quia po- ntiæ distinguuntur per actus, ut dictum t ex Philosopho ; potentiæ autem aug- entativæ actus est omnino diversus ab tu nutritivæ; nam huius actus est con- rvare rem in esse, ut dicit Philosophus . *de Anima text.* 47; c. 4), illius vero per- cere rem ad majorem perfectionem, et cundum quantitatem et secundum vir- tem. *Secundo*, nutritio semper durat in ente, quamdiu salvum manet, ut dicit hilosophus (l. c.) ; augmentatio vero n, ut dicitur 1. *de Generat.* (*text.* 41 ; 5). *Demum*, potentia augmentativa lon- perfectior est nutritiva, hæc enim illi vit, sicut utraque servit generativæ tquam perfectiori ; ergo potentia aug- mentativa et nutritiva realiter inter se distinguuntur. — 2. *de Anima* l. 7 et 9; 1. *de Generat.* l. 17 ; 1a, q. 78, a. 2, c.; *Quæst. disp. de Anima* a. 13, ad 15.

Ad primum ergo dicendum, quod sensus Philosophi est, quod potentiæ generativæ opus est generare et alimento uti, quia ad generationem requiritur etiam alimentum. Dicit enim Philosophus (2. *de Anima text.* 47; c. 4), quod alimentum efficit generationem et ortum non ejus quod alitur, sed alterius, quod est tale secundum speciem, quale est quod alitur (quia substantia quæ alitur, jam est; et quod est non generatur; et nihil generat seipsum ; quia quod generat jam est, quod generatur nondum est); sed aliquid potest agere ad sui conservationem.— 2. *de Anima* l. 9.

Ad secundum dicendum cum Philosopho (2. *de Anima, textu* citato), quod licet idem sit subjecto quod est objectum nutritionis et augmenti, differt tamen ratione. Cum enim alimentum sit in potentia ad corpus animatum, corpus autem animatum et sit quoddam quantum et sit hoc aliquid et substantia : secundum quod est quoddam quantum, secundum hoc alimentum adveniens ei (quod etiam et ipsum quoddam quantum est) facit augmentum et dicitur augmentativum; in quantum autem est corpus animatum, hoc aliquid et substantia, habet rationem alimenti seu est nutritivum. — 2. *de Anima* l. 9.

Ad tertium dicendum, quod in nutritione acquiritur quantitas per accidens et concomitanter, ut dictum est (art. præced.); at motus augmentationis per se primo est ad quantitatem, ut dictum est.

QUÆSTIO LVI

DE POTENTIA NUTRITIVA.

Deinde considerandum est de potentia nutritiva.

CIRCA QUAM QUÆRUNTUR DUO :

1. Utrum nutritio proprie tantum conveniat viventibus.
2. Utrum potentia nutritiva distinguatur realiter a generativa.

ARTICULUS I

UTRUM NUTRITIO PROPRIE TANTUM CONVENIAT VIVENTIBUS.

Videtur quod nutritio proprie non conveniat solis viventibus.

1. Dicit enim Philosophus (2. *de Anima text.* 40 ; c. 4; et 2. *de Generat. text.* 50 ; c. 7), quod solus ignis inter simplicia corpora nutritur ; ergo nutritio non convenit solis viventibus. — 2. *de Anima* l. 8; 2. *de Generat.* l. 8.

2. Præterea, illud vere et proprie nutritur, in cujus naturam nutrimentum convertitur, et respectu cujus nutrimentum est sicut materiale, et ipsum respectu nutrimenti est sicut forma et species conjuncta materiæ, ut dicit Philosophus 2. *de Generat.* (l. c.) ; sed hoc modo se habet ignis, ut dicit Philosophus ibidem : ergo nutritio proprie non convenit solis viventibus. — *Ibid.*

Sed contra est, quod Philosophus (2. *de Anima text.* 46 ; c. 4) dicit, quod nihil nutritur nisi participans vitam ; sed omne participans vitam est animatum : ergo solum corpus animatum proprie nutritur. — 2. *de Anima* l. 9.

Respondeo dicendum, quod nihil proprie nutritur nisi corpus animatum. Ignis autem videtur quidem per quandam similitudinem nutriri, sed proprie non nutritur. Quod sic patet. Id proprie nutriri dicimus, quod in se ipso aliquid recipit a sui ipsius conservationem ; hoc autem i igne videtur quidem accidere, sed tam non accidit. Cum enim igne accenso al qua materia combustibilis additur, in il materia combustibili novus ignis gener tur, non autem ita, quod illud combustibi additum cedat in conservationem ign in alia materia accensi (puta si aliqu lignum de novo ignitur, per hanc ign tionem non conservatur ignitio alteri ligni prius igniti). Totus enim ignis, q est ex congregatione multorum ignit rum, non est unus simpliciter ; sed vid tur unus congregatione, sicuti acerv lapidum est unus : et propter talem un tatem est ibi quædam similitudo nutr tionis. — Sed *corpora animata* vere n triuntur, quia per alimentum conservat vita in illa parte eadem, quæ prius fu Et propter hoc etiam sola animata ve augentur, quia quælibet pars eorum n tritur et augetur, quod non conveniet r bus inanimatis, quæ videntur per add tionem crescere ; non enim crescit i quod prius fuit, sed ex additione alteri constituitur aliud quoddam totum maju Ideo autem similitudo augmenti et nut menti præcipue apparet in igne, qu ignis habet plus de forma quam alia el menta, et est potentior in virtute activ unde propter hoc, quod manifeste al convertit in se, videtur nutriri et auge — *de Anima* l. 9 ; 2. *Meteorol.* l. 2 ; *Juvent. et Senect.* l. 4 ; *de Generat.* l.

Ad primum ergo dicendum, quod ig improprie nutritur ob rationem dicta Proprie enim, cum igne accenso aliq materia combustibilis additur, nov ignis numero generatur, ut dicit Pl losophus 2. *Meteorol.* c. 2; *de Juvent. Senect.* c. 3 (al. 5) et c. 10 (al. *de Resp rat.* c. 8), ubi ait, quod ignis se per manet idem specie, non numero secundum materiam ; sed fluit, sic fluvius ; sed latet nos propter celerit tem. Causa autem, quare non man idem numero, est quia humidum qu est subjectum et materia flammæ, n

met idem, sed est aliud et aliud. — 2. *Anima* l. 9; 2. *Meteorol.* l. 2; *de Juv. et Senect.* l. 4 in fine. — Et ex his et *ad secundum*.

ARTICULUS II

UTRUM POTENTIA NUTRITIVA REALITER DISTINGUATUR A GENERATIVA.

Videtur quod potentia nutritiva non distinguatur realiter a generativa.

1. Dicit enim Philosophus (*de Anima* l. 42; c. 4), quod eadem potentia est nutritiva et generativa; ergo non distinguntur realiter inter se. — 2. *de Anima* l. 9.

2. Præterea, dicit Philosophus (1. *de Generat. text.* 39; c. 5), quod in nutritione generatio carnis et corruptio alimenti; ergo potentia nutritiva est etiam generativa; sed frustra ponuntur plures potentiæ generativæ, cum una sufficiat: ergo potentia nutritiva est eadem realiter cum generativa. — 1. *de Generat.* l. 16.

3. Præterea, potentiæ distinguuntur per objecta, ut dicitur 2. *de Anima* (*text.* 47; c. 4); sed idem est objectum, puta alimentum utriusque potentiæ, ut patet ex Philosopho (2. *de Anima text.* 32 et 47; c. 3 et 4): ergo est una tantum potentia nutritiva. — 2. *de Anima* l. 7 et 9.

4. Præterea, unaquæque res conservatur in esse per id, per quod esse habet; sed potentia generativa est per quam acquiritur esse viventis: ergo per eandem res viva conservabitur; sed ad conservationem rei viventis ordinatur vis nutritiva, ut dicitur 2. *de Anima* (*text.* 48; c. 4); est enim « potentia salvare potens habentem ipsam »: non debet ergo distingui potentia nutritiva a generativa. — 1a, q. 78, a. 2, arg. 4.

Sed contra est, quod Philosophus (2. *de Anima text.* 34 et 35; c. 4) dicit potentiam generativam non esse in omnibus viventibus, in quibus tamen est nutritiva: quamdiu enim animal salvum manet, nutritur, ut dicitur 1. *de Generat.* (*text.* 41; c. 5) et 2. *de Anima* (*text.* 47; c. 4); ergo distinguuntur inter se potentia generativa et nutritiva. — 2. *de Anima* l. 7; 1. *de Generat.* l. 17; — 2. *de Anima* l. 9.

Respondeo dicendum, quod potentia nutritiva et generativa realiter inter se distinguuntur. Et ratio est, quia potentiæ distinguuntur per actus et objecta, ut dictum est ex Philosopho; sed tam actus quam objecta utriusque potentiæ sunt diversa. Nam actus potentiæ generativæ est generare aliud vivens distinctum realiter a generante, et per medium, puta mediante semine; actus vero potentiæ nutritivæ est conservare idem numero vivens, quod nutritur, et hoc facit sine medio. Præterea, objectum potentiæ generativæ est alimentum non quomodocunque, sed superfluum alimenti, puta semen, hoc enim est generationis factivum; alimentum autem spectans ad nutritionem tamquam ejus factivum, non est semen, sed vere cibus qui convertitur in substantiam viventis, ut dicit Philosophus (2. *de Anima text.* 47; c. 4). Unde manifestum est potentiam generativam et nutritivam esse potentias realiter distinctas. — 2. *de Anima* l. 7 et 9; 1a, q. 118, a. 1, c., et q. 78, a. 2, c.

Ad primum ergo dicendum, quod eadem dicitur potentia generativa et nutritiva generice, quia etiam nutritiva generat, ut dictum est (in c.); specifice namque distinguuntur in se. — 2. *de Anima* l. 9.

Ad secundum dicendum, quod aliud est generare totum vivens numero distinctum ab ipso generante, aliud aggenerare partes, ut conservetur vivens generans; hoc facit potentia nutritiva, illud vero generativa: unde realiter distinguuntur.

Ad tertium dicendum, quod est diversum objectum nutritivæ et generativæ, ut dictum est (in c.).

Ad quartum dicendum, quod operatio vegetativi principii completur mediante calore, cujus est humidum consumere; et ideo ad restaurationem humidi deperditi

necesse est habere potentiam nutritivam, per quam alimentum convertatur in substantiam corporis, quod etiam est necessarium ad actus virtutis augmentativæ et generativæ. — 1a, q. 78, a. 2, ad 4.

QUÆSTIO LVII

DE ANIMA SENSITIVA.

Deinde considerandum est de *anima sensitiva ;* et primum quidem considerandum est de illius *substantia*, deinde de *proprietatibus*, postea de *potentiis*.

CIRCA PRIMUM QUÆRUNTUR QUATUOR:

1. Utrum animæ brutorum sint subsistentes.
2. Utrum anima sensitiva traducatur cum semine.
3. Utrum anima sensitiva sit in semine quando deciditur.
4. Utrum anima sensitiva sit forma substantialis animalis.

ARTICULUS I

UTRUM ANIMÆ BRUTORUM SINT SUBSISTENTES.

Videtur quod animæ brutorum sint subsistentes.

1. Homo enim in genere convenit cum aliis animalibus ; sed anima sensitiva hominis est aliquid subsistens : ergo et animæ sensitivæ aliorum animalium sunt subsistentes. — 1a, q. 75, a. 3, arg. 1.

2. Præterea, similiter se habet sensitivum ad sensibilia, sicut intellectivum ad intelligibilia ; sed intellectus intelligit intelligibilia sine corpore : ergo et sensus apprehendit sensibilia sine corpore. Animæ autem brutorum sunt sensitivæ : ergo sunt subsistentes pari ratione qua et anima hominis, quæ est intellectiva. — *Ibid.* arg. 2.

3. Præterea, brutorum animalium anima movet corpus ; corpus autem non movet, sed movetur : ergo anima bruti habet aliquam operationem sine corpore et per consequens erit subsistens. — *Ibid.* arg. 3.

Sed contra est, quod impossibile est quod forma subsistens desinat esse ; sed animæ brutorum desinunt esse corrupto corpore : ergo animæ brutorum non sunt subsistentes. — 1a, q. 75, a. 6, c.

Respondeo dicendum, quod antiqui philosophi nullam distinctionem ponebant inter sensum et intellectum, et utrumque corporeo principio attribuebant, ut dictum est (supra q. 48, a. 1, c.). Plato autem distinxit inter intellectum et sensum, utrumque tamen attribuit principio incorporeo, ponens quod sicut intelligere ita et sentire convenit animæ secundum seipsam : et ex hoc sequebatur quod etiam animæ brutorum animalium sint subsistentes. Sed Aristoteles posuit quod solum *intelligere* inter opera animæ sine corporeo organo exercetur; *sentire* vero et consequentes operationes animæ sensitivæ manifeste accidunt cum aliqua corporis immutatione, sicut in videndo immutatur pupilla per speciem colloris; et idem apparet in aliis. Et manifestum est quod anima sensitiva non habet aliquam operationem propriam per se ipsam, sed omnis operatio sensitivæ animæ est conjuncti. Ex quo relinquitur quod, cum animæ brutorum animalium per se non operentur, non sint subsistentes ; similiter enim unumquoque habet esse et operationem. — 1a, q. 75, a. 3, c.

Ad primum ergo dicendum, quod homo etsi conveniat genere cum aliis animalibus, specie tamen differt. Differentia autem speciei attenditur secundum differentiam formæ ; nec oportet quod omnis differentia formæ faciat generis diversitatem. — 1a, q. 75, a. 3, ad 1.

Ad secundum dicendum, quod sensitivum quodam modo se habet ad sensibilia, sicut intellectivum ad intelligibilia

iantum scilicet utrumque est in potentia l suum objectum; sed quodammodo ssimiliter se habent, in quantum sensi- vum patitur a sensibili cum corporis imutatione. Unde excellentia sensibi- im corrumpit sensum; quod in intel- ctu non contingit: nam intellectus intel- gens maxima intelligibilium, magis po- st postmodum intelligere minora. Si vero intelligendo corpus fatigatur, hoc est r accidens, in quantum intellectus indi- t operatione sensitivarum virium, per as ei phantasmata præparantur. — *Ibid.* 2.

Ad tertium dicendum, quod vis motiva t duplex: *una*, quæ imperat motum, ilicet appetitiva; et hujus operatio in nima sensitiva non est sine corpore: nam a, gaudium et hujusmodi passiones sunt m aliqua corporis immutatione. *Alia* s motiva est exsequens motum, per em membra redduntur habilia ad obe- endum appetitui, cujus actus non est overe, sed moveri. Unde patet quod overe non est actus animæ sensitivæ ne corpore. — *Ibid.* ad 3.

ARTICULUS II

UTRUM ANIMA SENSITIVA TRADUCATUR CUM SEMINE.

Videtur quod anima sensitiva non tra- icatur cum semine.

1. Principium enim generationis in re- is viventibus est per potentiam gene- tivam, quæ cum numeretur inter vires imæ vegetabilis, est infra animam sen- tivam. Nihil autem agit ultra suam spe- em; ergo anima sensitiva non potest usari per vim generativam animalis. — , q. 118, a. 1, arg. 2.

2. Præterea, generans generat sibi si- ile; et sic oportet quod forma generati t actu in causa generationis; sed anima nsitiva non est actu in semine, nec ipsa ec aliqua pars ejus; quia nulla pars imæ sensitivæ est nisi in aliqua parte corporis; in semine autem non est aliqua corporis particula, quia nulla particula corporis est, quæ non fiat ex semine et per virtutem seminis: ergo anima sensitiva non causatur ex semine. — *Ibid.* arg. 3.

3. Præterea, si in semine est aliquod principium activum animæ sensitivæ, aut illud principium manet genito iam animali, aut non manet. Sed *manere* non potest: quia vel esset *idem* cum anima sensitiva animalis generati; — et hoc est impossibile, quia sic esset idem generans et generatum, et faciens et factum; vel esset aliquid *aliud*; — et hoc etiam est impossibile, quia in uno animali non est nisi unum principium formale, quod est una anima. Si autem *non manet*, hoc etiam videtur impossibile, quia sic aliquod agens ageret ad corruptionem sui ipsius, quod est impossibile. Non ergo anima sensitiva potest generari ex semine. — *Ibid.* arg. 4.

4. Præterea, eorum quæ sunt idem secundum substantiam, est idem modus prodeundi in esse; sed anima sensibilis et vegetabilis in homine est ejusdem rationis et speciei atque in brutis et plantis: ergo sicut in homine anima vegetabilis et sensibilis non traducitur cum semine, nec traducetur in brutis et plantis. — *de Pot.* q. 3, a. 11, arg. 1; 2. *Sent.* dist. 18, q. 2, a. 3, arg. 4.

5. Præterea, quando aliquid est nobilius, tanto nobiliorem causam habet, vel saltem non minus nobilem; sed anima sensibilis nobilior est in animalibus perfectis quam in imperfectis genitis ex putri: ergo cum in his non possit anima sensibilis traduci cum semine, cum non generentur ex sibi similibus; nec traducetur cum semine in animalibus perfectis, sed in utrisque creabitur. — 2. *Sent.* dist. 18, q. 2, a. 3, arg. 5; *de Pot.* q. 3, a. 11, arg. 12.

Sed contra est: 1. quod Philosophus dicit in 16. *de Animalibus* (sive 2. *de Generat. Animal.* c. 3), quod intellectus solus ab extrinseco est; ergo videtur quod

anima sensibilis non sit ab extrinseco et per consequens quod non creetur, sed traducatur cum semine. — 2. *Sent.* dist. 18, q. 2, a. 3, arg. 2 *Sed contra.*

2. Præterea, se habet virtus quæ est in semine, ad animalia quæ ex semine generantur, sicut se habet virtus quæ est in elementis mundi, ad animalia quæ ex elementis mundi producuntur, sicut quæ ex putrefactione generantur ; sed in hujusmodi animalibus animæ producuntur ex virtute quæ est in elementis, secundum illud *Genes.* (1, 20): *Producant aquæ reptile animæ viventis :* ergo et animalium, quæ generantur ex semine, animæ producentur ex virtute quæ est in semine. — 1a, q. 118, a. 1, arg. *Sed contra ;* 2. *Sent.* dist. 18, q. 2. a. 3, arg. 1 *Sed contra ; de Pot.* q. 3, a. 11, arg. 1 *Sed contra.*

Respondeo dicendum, quod quidam posuerunt animas sensitivas animalium a Deo creari. Quæ quidem positio conveniens esset, si anima sensitiva esset res subsistens, habens per se esse et operationem. — Sic enim sicut per se haberet esse et operationem, ita per se deberetur ei fieri ; et cum res simplex et subsistens non possit fieri nisi per creationem, sequeretur quod anima sensitiva procederet in esse per creationem. — Sed ista radix est falsa,scilicet quod anima sensitiva per se habeat esse et operationem; nam non corrumperetur corrupto corpore. Et ideo cum non sit forma subsistens, habet se in essendo ad modum aliarum formarum corporalium, quibus per se non debetur esse, sed esse dicuntur in quantum composita subsistentia per eas sunt ; unde et ipsis compositis debetur fieri. Et quia generans est simile generato, necesse est quod naturaliter tam anima sensitiva quam aliæ hujusmodi formæ producantur in esse ab aliquibus corporibus agentibus, transmutantibus materiam de potentia in actum per aliquam virtutem corpoream, quæ est in eis. Quanto autem aliquod agens est potentius, tanto potest suam actionem diffundere ad magis distans : sicut quant aliquod corpus est magis calidum, tant ad remotius calefactionem perducit. Co pora igitur *non viventia*, quæ sunt inf riora naturæ ordine, generant quide sibi simile, non per aliquod medium, se per se ipsa : sicut ignis per se ipsu generat ignem. Sed corpora *viventia*, tan quam potentiora, agunt ad generandu sibi simile et sine medio et per medium — *sine medio* quidem, in opere nutriti nis, in quo caro generat carnem ; *cu medio* vero in actu generationis, quia e anima generantis derivatur quæ dam virtu activa ad ipsum semen animalis vel pla tæ, sicut et a principali agente derivat quædam vis motiva ad instrumentum. I sicut non refert dicere, quod aliqu moveatur ab instrumento vel a princip agente ; ita non refert dicere, quod anim generati causetur ab anima generanti vel a virtute derivata ab ipsa, quæ e in semine. — 1a, q. 118, a. 1, c. ; *Sent.* dist. 18, q. 2, a. 3, c. ; *de Pot.* q. a. 11, c.

Ad primum ergo dicendum, quod vi tus generativa non generat solum in vi tute propria, sed in virtute totius anim cujus est potentia; et ideo virtus gener tiva plantæ generat plantam ; virtus ve generativa animalis generat animal.Qua to enim anima fuerit perfectior, tan virtus ejus generativa ordinatur ad p fectiorem effectum. — 1a, q. 118, a. ad 2.

Ad secundum dicendum, quod virt illa activa quæ est in semine, ex ani generantis derivata, est quasi quæda motio ipsius animæ generantis ; nec e anima aut pars animæ nisi in virtu sicut in serra vel securi non est form lecti, sed motio quædam ad talem fo mam. Et ideo non oportet quod ista v activa habeat aliquod organum in ac sed fundatur in ipso spiritu incluso semine,quod est spumosum, ut attestat ejus albedo ; in quo etiam spiritu quidam calor ex virtute cœlestium corp rum, quorum etiam virtute agentia in

ra agunt ad speciem. Et quia in jusmodi spiritu concurrit virtus animæ n virtute cœlesti, dicitur quod « homo nerat hominem et sol ». Calidum autem mentare se habet instrumentaliter ad tutem animæ, sicut etiam ad virtutem ritivam, ut dicitur in 2. *de Anima* t. 30; c. 4). — *Ibid.* ad 3.

Ad tertium dicendum, quod in animaus perfectis, quæ generantur ex coitu, *tus activa* est in semine maris, secun- n Philosophum 1. *de Generat. Animal.* 2 et 20). *Materia* autem fœtus est illud d ministratur a femina ; in qua qui- n materia statim a principio est anima etabilis, non quidem secundum ac- secundum, sed secundum actum mum, sicut anima sensitiva est in dor- atibus ; cum autem incipit attrahere nentum, tunc jam actu operatur. Hu- modi igitur *materia* transmutatur a ute quæ est in semine maris, quous- perducatur in actum sensitivæ animæ : non ita, quod ipsamet vis quæ erat semine, fiat anima sensitiva, quia sic m esset generans et generatum ; et magis esset simile nutritioni et aug- nto quam generationi, ut dicit Philo- hus 1. *de Generat.* (*text.* 33 ; c. 5). tquam autem per virtutem principii vi quod erat in semine, producta est ma sensitiva in generato quantum aliquam partem principalem, tunc illa anima sensitiva prolis incipit rari ad complementum proprii corpo- per modum nutritionis et augmenti. *tus* autem *activa* quæ erat in semine, et desinit dissoluto semine, et evane- nte spiritu qui inerat. Nec hoc est onveniens, quia vis ista non est prin- ale agens, sed instrumentale ; motio em instrumenti cessat effectu jam ducto in esse. — *Ibid.* ad 4.

Ad quartum dicendum, quod licet ani- sensitiva in hominibus et brutis sit sdem rationis secundum genus, non nen est ejusdem rationis secundum ciem : sicut nec idem animal specie homo et brutum. Unde et operationes animæ sensibilis sunt multo nobiliores in homine quam in brutis : ut patet in tactu et in apprehensivis interioribus. [Nec oportet eorum quæ sunt in genere, si specie differant, esse unum modum procedendi in esse :] ut patet in animalibus genitis ex semine et ex putri, quæ in genere conveniunt et specie differunt. — *de Pot.* q. 3, a. 11, ad 1 ; 2. *Sent.* dist. 18, q. 2, a. 3, ad 4.

Ad quintum dicendum, quod in animalibus generatis ex putri virtus cœli, ut dicit Commentator (7. *Metaphys. text.* 31) supplet locum virtutis formativæ in semine. Hujusmodi enim animalia propter sui imperfectionem non tot requirunt ad sui generationem, sicut animalia perfectiora, in quibus oportet quod cum virtute cœlesti adsit in semine virtus animæ a patre derivata. Est enim virtus cœlestis in omnibus corporibus inferioribus sicut virtus motoris in moto, ut inducat unumquodque in speciem, secundum materiæ dispositionem. Et hæ virtutes cœlestes in elementis receptæ vocantur a Philosopho (in 16. *de Animal.* sive 2. de *Generat. Animal.* c. 3) *virtutes animæ*, quibus omnia elementa plena dicit, eo quod hujusmodi virtutes sunt sufficientes ad animationem materiæ, si pertingant ad aliquam complexionis æqualitatem. — 2. *Sent.* l. c. ad 5.

ARTICULUS III

UTRUM ANIMA SENSIBILIS VEL VEGETABILIS SIT IN SEMINE A PRINCIPIO, QUANDO DECIDITUR.

Videtur quod anima sensibilis vel vegetabilis sit in semine a principio quando deciditur.

1. Dicit enim Philosophus in 16. *de Animal.* (sive 2. *de Generat. Animal.* c. 4), quod virtus quæ est in semine, est sicut filius de domo patris egrediens ; sed filius est ejusdem speciei cum patre : ergo et illa virtus quæ est in semine, est ejusdem speciei cum anima sensibili, a qua

derivatur. — *de Pot.* q. 3, a. 12, arg. 3.

2. Præterea, dicit Philosophus loco citato, quod virtus illa est sicut ars, quæ si in materia esset, ad perfectionem artificiati operaretur ; sed in arte est species artificiati : ergo et in illa virtute seminis est species animæ sensibilis, quæ per semen producitur. — *Ibid.* arg 4.

3. Præterea, decisio seminis est naturalis, decisio vero animalis anulosi est contra naturam ; sed in parte animalis anulosi decisi est anima, ut dicit Philosophus : ergo multo magis est in semine deciso. — *Ibid.* arg. 5.

4. Præterea, dicit Philosophus in 16. *de Animal.* (sive 2. *de Generat. Animal.* l. c.), quod mas in generatione animalis dat animam; sed nihil est egrediens a patre nisi semen : ergo anima est in semine. —*Ibid.* arg. 6.

5. Præterea, accidens non transfunditur nisi per transfusionem subjecti ; sed aliquæ ægritudines transfunduntur a parentibus in filios, sicut lepra et podagra et hujusmodi : ergo et eorum substantia transfunditur ; hæc autem non est sine anima : ergo anima est in principio in semine. — *Ibid.* arg. 7.

6. Præterea, Hyppocrates dicit, quod per decisionem venæ quæ est juxta aures, generatio impeditur; hoc autem non esset, nisi semen decideretur a toto corpore, quasi actu prius existens : ergo cum id quod est actu pars animalis, habeat animam, videtur quod semen a principio habeat animam. — *Ibid.* arg. 8.

7. Præterea, idem dicit, quod equus quidam propter nimium coitum inventus est sine cerebro ; hoc autem non esset, nisi semen decideretur ab eo quod est actu pars: ergo idem quod prius. —*Ibid.*arg. 9.

8. Præterea, quod est superfluum, non est de substantia rei ; si ergo semen sit superfluum, non erit de substantia generantis ; et ita filius, qui est ex semine, non erit de substantia patris ; quod est inconveniens ; ergo semen est de substantia generantis,et ita in eo erit anima. — *Ibid.* arg. 10.

Sed contra est : 1. quod Philosoph dicit in lib. 2. *de Anima* (*text.* 10; c. quod semen et fructus est in tali potent ad animam, quæ est abjiciens animam — *de Pot.* q. 3, a. 12, arg. 1 *Sed contr*

2. Præterea, si semen a principio hab animam, hoc non videtur esse possib nisi duobus modis : *vel* quod tota anim generantis in semen transeat, *vel* qu pars ejus ; utrumque autem horum vid tur esse inconveniens : quia ex *primo* s quitur quod non remaneat anima in patr ex *secundo* autem sequitur quodnon r maneat ibi tota; ergo anima non est in s mine a principio.— *Ibid.*arg. 2 *Sed contr*

Respondeo dicendum, quod opinio qu rundam fuit, quod anima a principio de sionis esset in semine, volentes quod cut corpus deciditur a corpore, ita sim ter anima propagetur ab anima, ut stat cum corporis particula esset etiam anima. Hæc autem opinio non videt vera, quia secundum quod Philosoph probat in 15. *de Animal.*(sive 1. *de Gen rat. Animal.* c. 18 et 19), semen non d ciditur ab eo quod fuit actu pars, s fuit superfluum ultimæ digestionis, qu nondum erat ultima assimilatione as milatum. Nulla autem corporis pars actu per animam perfecta, nisi sit ulti assimilatione assimilata. Unde semen a decisionem nondum erat perfectum animam, ita quod anima esset forma ej erat tamen ibi aliqua virtus, secundu quam jam per actionem animæ erat al ratum et deductum ad disposition propinquam ultimæ assimilationi. Un et postquam decisum est, non est i anima sed aliqua virtus animæ, et pr pter hoc in 16. *de Animal.* (sive 2. de G nerat. *Animal.* c. 3.) Philosophus dic quod in semine est virtus principii anim

Et præterea, si anima esset in semi a principio, aut esse ibi habens a speciem animæ, aut non, sed ut quæda virtus, quæ converteretur postmodum animam. *Primum* esse non potest, qu cum anima sit actus corporis organi ante qualemcunque organizationem corp

ıscptivum animæ habere esse non po-
st. Et inde etiam sequitur quod totum
l, quod agit in seminibus, non est nisi
uædam dispositio materiæ ; et per conse-
uens non esset generatio, cum genera-
o non sequatur, sed præcedat formam
ıbstantialem ; — nisi forte dicatur, quod
rporis sit alia forma substantialis præ-
r animam : ex quo sequitur quod ani-
a non substantialiter corpori uniretur,
pote adveniens corpori, postquam est
m per aliam formam constitutum hoc
iquid ; sequitur ulterius, quod generatio
ventis non esset generatio, sed decisio
uædam, sicut pars ligni separatur a
gno, ut sit actu lignum. — *Secunda* pars
visionis prædictæ esse non potest, quia
cundum hoc sequeretur, quod forma
ıbstantialis non subito, sed successive
materia proveniret, et sic in substan-
ı esset motus, sicut est in qualitate et
uantitate : quod est contra Philosophum
5. *Phys.* (*text.* 18 ; c. 2);et etiam forma
ıbstantialis reciperet magis et minus,
uod est impossibile. Unde relinquitur
od anima non est in semine : sed vir-
s quædam animæ, quæ agit ad animam
oducendam ab anima derivata. — *de*
t. q. 3, a. 12, c.

Ad primum ergo dicendum, quod vir-
s illa non assimilatur filio egredienti de
mo patris quantum ad complementum
eciei, sed quantum ad acquisitionem
rum, quæ desunt utrimque ad aliquod
nplementum ; perfectio enim prima ma-
estatur plerumque per similitudinem
rfectionis secundæ. — *Ibid.* ad 3.

Ad secundum dicendum, quod assimi-
io inter virtutem prædictam et artem
ocedit quandum ad hoc, quod sicut ar-
ciatum præexistit in arte sicut in virtute
tiva, ita et res viva generanda in vir-
te formativa. — *Ibid.* ad 4.

Ad tertium dicendum, quod ex hoc ipso
cisio animalis anulosi est violenta et
ntra naturam, quod pars decisa erat
tu pars, et perfecta per animam ; unde
r decisionem materiæ anima in utraque
rte remanet; quæ quidem erat in toto
una in actu et plures in potentia. Quod
quidem accidit per hoc, quod hujusmodi
animalia fere sunt similia in toto et par-
tibus : nam eorum animæ, qui a imperfe-
ctiores sunt aliis, modicam diversitatem
organorum requirunt ; et inde est quod
una pars decisa potest esse animæ sus-
ceptiva, utpote habens tantum de orga-
nis, quantum sufficit ad talem animam
suscipiendam, sicut accidit aliis corporibus
similibus, utpote ligno, lapidi, aquæ et aeri.
Ex hoc autem Philosophus probat in 15. *de*
Animal. (sive 1. *de Generat. Animal.* c. 18)
quod sperma non fuit actu pars ante
decisionem, quia ejus decisio non fuisset
naturalis, sed modus corruptionis cujus-
dam. Unde non oportet quod per deci-
sionem seminis in ipso semine anima
remaneat. — *Ibid.* ad 5.

Ad quartum dicendum, quod mas dici-
tur dare animam, in quantum in semine
maris continetur virtus, quæ agit ad ani-
mam. — *Ibid.* ad 6.

Ad quintum dicendum, quod ægritu-
dines, de quibus est objectio, non tradu-
cuntur cum semine quasi actu in semi-
ne sint, sed quia est principium eorum
in semine per aliquam seminis indispo-
sitionem. — *Ibid.* ad 7.

Ad sextum dicendum, quod cum sper-
ma sit quædam superfluitas, habet quas-
dam proprias vias, sicut et aliæ super-
fluitates ; quibus intercisis generatio
impeditur; non propter hoc, quod aliquid
ex eo quod erat actu pars, resolvatur.
— *Ibid.* ad 8.

Ad septimum dicendum, quod sicut im-
moderatus aliarum superfluitatum fluxus
solvit aliquid de eo quod erat jam con-
versum, per violentiam quandam et non
naturaliter ; ita etiam immoderatus flu-
xus seminis ; ea vero quæ fiunt contra
náturam, non sunt in consequentiam na-
turæ trahenda. — *Ibid.* ad 9.

Ad octavum dicendum, quod semen est
tale superfluum, quod licet non sit actu
pars substantiæ patris, est tamen poten-
tia ; et ob hoc dicitur filius de substantia
patris esse. — *Ibid.* ad 10.

ARTICULUS IV

UTRUM ANIMA SENSITIVA SIT FORMA SUBSTANTIALIS ANIMALIS.

Videtur quod anima sensitiva non sit forma substantialis animalis: —

1. quia nulla forma substantialis potest esse movens, quæ non est subsistens; unde formæ elementorum secundum Philosophum in 8. *Phys.* (*text.* 28 sqq.; c. 3) non sunt moventes; sed anima sensitiva est movens, cum omne animal moveatur ab anima sua, et non est subsistens, ut dictum est: ergo anima sensitiva non est forma substantialis animalis. — 1a, q. 118, a. 1, arg. 1; *de Pot.* q. 3, a. 11, arg. 18; 2. *Sent.* dist. 18, q. 2, a. 3, arg. 1.

2. Sed dices, quod anima sensitiva non movet per se corpus, sed ipsum corpus animatum movet seipsum. — Contra Philosophus probat (8. *Phys. text.* 40 sqq.; c. 5), quod in quolibet movente seipsum oportet unam partem esse quæ sit movens tantum, et alteram quæ sit mota; sed corpus non potest esse movens sensum, quia nullum corpus movet nisi motum: ergo oportet quod anima sit movens tantum: et ita anima sensitiva habet operationem in qua non communicat sibi corpus; unde sequitur quod non sit forma substantialis. — *de Pot.* q. 3, a. 11, arg. 19.

3. Præterea, omnis operatio agentis naturalis tendens ad productionem formæ substantialis materialis reducitur in virtutem cœlestem, sicut in virtutem primi alterantis; sed per virtutem cœli anima sensitiva non potest educi, cum corpus cœleste sit inanimatum, et nihil agat ultra speciem, quia effectus non potest esse potior sua causa agente: ergo anima sensitiva non est forma substantialis. — 2. *Sent.* dist. 18, q. 2, a. 3, arg. 3; *de Pot.* l. c. arg. 13.

4. Sed dices, quod cœlum potest agere ad productionem animæ sensitivæ in virtute substantiæ spiritualis, quæ ipsum movet. — Sed contra, quod recipitur in alio, est in eo per modum recipientis, et non per modum sui; si ergo virtus intellectualis substantiæ recipitur in corpore cœlesti non viventi, non erit ibi ut virtus vitalis, quæ possit esse principium vitæ. — *de Pot.* q. 3, a. 11, arg. 14.

5. Præterea, substantia intellectualis non solum vivit, sed etiam intelligit; si ergo per ejus virtutem corpus cœleste a ea motum potest conferre vitam, pari ratione poterit conferre intellectum, et ita anima rationalis erit generabilis, quod est falsum. — *Ibid.* arg. 15.

Sed contra est, quod Philosophus (2. *de Anima text.* 7 et 8; c. 1) animam quam dividit in vegetativam, sensitivam et rationalem, definit esse corporis animati formam. — 2. *de Anima* l. 1 et 2.

Respondeo dicendum, quod necesse est dicere, quod anima sensitiva est forma substantialis animalis. Et ratio est, quia illud, quod est de quidditate et essentia rei compositæ dans illi speciem, est forma substantialis illius: ab hac enim sumitur ratio rei, ut patet in simili in rebus artificialibus; sed anima sensitiva est de quidditate et essentia animalis, quippe cujus ratio et species ab illa desumitur: ergo anima sensitiva est forma substantialis animalis. — 2. *de Anima* l. 2.

Ad primum ergo dicendum, quod anima sensitiva non est substantia perfecta vel forma immaterialis, quia non habet esse absolutum et subsistens: cum nulla ejus operatio sit independens a corpore. Neque hoc ipsum, quod est movere motu progressivo, facit sine organo corporali. Movet enim anima sensitiva per duas virtutes motrices, unam imperantem et alteram imperatam. Imperans est appetitus cujus actus exercetur per organum corporale, et proinde non est animæ tantum sed compositi. Virtus autem imperata et exsequens motum est vis quæ dammusculis et lacertis affixa, quorum motu totum corpus movetur. Unde sequitur quod anima

sensitiva est forma substantialis, sed terialis. — *de Pot.* q. 3, a. 11, ad 18; *Sent.* dist. 18, q. 2, a. 3, ad 1.

Ad secundum dicendum, quod corpus est movere, quasi non motum illa spe- motus qua movet, licet non possit vere nisi aliquo modo motum : cor- enim cœli alterat non alteratum, sed aliter motum ; et similiter organum tutis appetitivæ movet localiter, non aliter motum, sed aliquo modo altera- n : operatio enim appetitus sensitivi e corporali alteratione non contingit, ut patet in ira et hujusmodi passioni- s. — *de Pot.* l. c. ad 19.

Ad tertium dicendum, quod corpus cœ- te etsi non vivum, agit tamen in virtu- substantiæ viventis, a qua movetur, e sit angelus sive Deus. — *Ibid.* ad

Ad quartum dicendum, quod virtus stantiæ spiritualis moventis relin- itur in corpore cœlesti et motu ejus, n sicut forma habens esse completum natura, sed per modum intentionis, ut virtus artis est in instrumento ar- is. — *Ibid.* ad 14.

Ad quintum dicendum, quod anima ratio- lis excedit locum et ordinem (totum or- nem) corporalium principiorum. Anima ro vegetabilis et sensitiva non excedunt em locum et ordinem. Quod patet ex ea- moperationibus; nam secundum ordinem turarum sunt etiam ordines actionum. venimus enim quasdam formas, quæ se erius non extendunt, quam ad id quod r principia *materialia* fieri potest : sic- formæ elementares et corporum mix- um, quæ non agunt ultra actionem lidi et frigidi ; unde sunt penitus mate- e immersæ. Anima vero *vegetabilis* licet n agat nisi mediantibus (qualitatibus) rdictis, attingit tamen operatio ejus ad quid, ad quod qualitates prædictæ non extendunt, videlicet ad producendam rnem et os, et ad præfigendum terminum gmenti, et ad hujusmodi. Unde et ad- c detinetur infra ordinem materialium incipiorum, licet non quantum formæ prædictæ. Anima vero *sensibilis* non agit per virtutem calidi et frigidi de necessitate, ut patet in actione visus et imaginationis et hujusmodi ; quamvis ad hujusmodi operationes requiratur determinatum temperamentum calidi et frigidi ad constitutionem organorum, sine quibus actiones prædictæ non fiunt. Unde non totaliter transcendit ordinem materialium principiorum, quamvis ad ea non tantum deprimatur, quantum formæ prædictæ. Anima vero *rationalis* etiam agit actionem ad quam virtus calidi et frigidi non se extendit; nec eam exercet per virtutem calidi et frigidi, nec per organum corporale. Unde ipsa sola transcendit ordinem naturalium principiorum (et ideo nullum corpus potest agere, etiam ut instrumentum, ad ejus productionem); secus autem anima sensibilis in brutis et vegetabilis in plantis. — *Ibid.* ad 15 et in c.

QUÆSTIO LVIII

DE PROPRIETATIBUS ANIMÆ SENSITIVÆ.

Deinde considerandum est de proprietatibus animæ sensitivæ.

CIRCA QUAS QUÆRUNTUR DUO :

1. Utrum anima sensitiva sit corruptibilis.
2. Utrum anima sensitiva in homine sit nobilior et perfectior quam in bruto.

ARTICULUS I

UTRUM ANIMA SENSITIVA SIT CORRUPTIBILIS.

Videtur quod anima sensitiva sit incorruptibilis.

Dicit enim Philosophus (10. *Metaphys.* text. 26 ; l. 9, c. 10), quod corruptibile et incorruptibile differunt genere ; sed animæ hominis et brutorum non differunt

genere, quia nec homo a brutis genere differt : ergo anima hominis et brutorum non differunt secundum corruptibile et incorruptibile; sed anima hominis est incorruptibilis: ergo et anima sensitiva bruti. — *Quæst. disp. de Anima* a. 14, arg. 2.

2. Præterea, substantia vivens naturæ ordine præfertur substantiæ non viventi; sed anima sensibilis et vegetabilis sunt substantiæ viventes : ergo sunt nobiliores substantiis non viventibus. Aliquæ autem substantiæ non viventes sunt incorruptibiles, ut cœli; ergo et anima sensibilis et vegetabilis erunt incorruptibiles. — *Quodl.* 9, a. 11, arg. 1.

3. Præterea, quorum est simile principium, et similis processus, videtur etiam similis finis; sed simile est principium generationis hominum et brutorum, quia de terra facta sunt; similis etiam est vitæ processus in utrisque, quia *similiter spirant omnia et nihil habet homo jumento amplius*, ut dicitur *Eccles.* (3, 19) : ergo, ut ibidem concluditur, *unus est interitus hominis et jumentorum et æqua utriusque conditio;* sed anima hominis est incorruptibilis : ergo et animæ brutorum erunt incorruptibiles; vel si hæ sunt corruptibiles, etiam anima rationalis erit corruptibilis. — 1a, q. 75, a. 6, arg. 1 ; 2a 2æ, q. 164, a. 1, arg. 2.

Sed contra est, quod anima sensitiva bruti est forma non subsistens, ut dictum est (supra q. 57, a. 1 et 2); sed nulla forma non subsistens potest a corpore, a quo dependet in esse, separari atque adeo esse incorruptibilis : ergo anima sensitiva bruti est corruptibilis. — 1a, q. 75, a. 3 et 5.

Respondeo dicendum, quod anima sensitiva bruti corrumpitur corpore corrupto. Et ratio est, quia esse animæ sensitivæ bruti non potest consistere nisi in unione ad corpus : quod ejus operationes ostendunt, quæ sine organo corporali esse non possunt, ut dictum est (q. præced. a. 1, 2, 4). Unde nec esse illius est illi absolute sine dependentia ad corpus; propter quod nec a corpore separari potest, nec iterum in esse produci, nisi quatenus pr ducitur corpus; et ideo corrupto corpo necesse est quod et ipsa corrumpatur. - *de Pot.* q. 3, a. 11, c.

Ad primum ergo dicendum, quod anima humana et brutorum per se co locarentur in genere, sequeretur qu diversorum generum essent secundu naturalem generis considerationem; s enim corruptibile et incorruptibile nec se est genere differre, licet in aliqua r tione communi possint convenire, ex q et in uno genere logico possunt esse s cundum logicam considerationem. Nu autem anima non est in genere sicut sp cies, sed sicut pars speciei; utrumq autem compositum corruptibile est, t illud, cujus pars est anima humana, qu illud, cujus pars est anima bruti; et pr pter hoc nihil prohibet ea esse unius g neris. — *Quæst. disp. de Anima* a. 1 ad 2.

Ad secundum dicendum, quod ani vegetativa et sensitiva non sunt substa tiæ viventes, sicut nec subsistentes, s sunt principia vivendi et essendi ; et i rum non oportet, si quid minus nob est incorruptibile, quod etiam quod magis nobile, sit tale. Causa enim cor ptibilitatis est materia, ut dictum est (s pra q. 3, a. 10); nobilitas autem rei o tur ex forma, inest enim cuique rei s cundum suum esse, quod est effectus fo mæ. — *Quodl.* 9, a. 11, ad 1; *Tab Aurea* voce « forma »; 1. c. *Gent.* c. 2

Ad tertium dicendum, quod Salom inducit rationem illam ex persona in pientium, ut exprimitur *Sap.* (2, 1 sqq Quod ergo dicitur, quod homo et a animalia habent simile *principium gen rationis*, verum est quantum ad corpu similiter enim de terra facta sunt omn animalia; non autem quantum ad animar nam anima brutorum producitur ex virt te aliqua corporea; anima autem huma a Deo. Et ad hoc significandum dicit *Genes.* c. 1 quantum ad alia animali *Producat terra animam viventem;* qua tum vero ad hominem dicitur, quod i

avit in faciem ejus spiraculum vitæ. Et
o concluditur *Eccles.* c. ult.: *Revertatur pulvis in terram suam, unde erat, et ritus redeat ad Deum, qui dedit illum.* Similiter *processus vitæ* est similis ntum ad corpus, ad quod pertinet, od dicitur *Eccles.* l. c.: *Similiter spirant nia*, et *Sap.* c. 2: *Fumus flatus est naribus nostris.* Sed non est similis ocessus quantum ad animam, quia ho- intelligit, non autem alia animalia. de falsum est quod dicitur: *nihil habet no jumento amplius.* Et ideo similis est *eritus* quantum ad corpus, sed non antum ad animam. — 1a, q. 75, a. ad 1.

ARTICULUS II

UTRUM ANIMA SENSITIVA IN HOMINE SIT NOBILIOR ET PERFECTIOR QUAM IN BRUTIS.

Videtur quod anima sensitiva non sit rfectior in homine quam in brutis.

1. Homo enim a brutis non differt se- ndum animam sensitivam; ergo non t perfectior anima sensitiva in homine iam in brutis. — 2. *Sent.* dist. 17, q. a. 2, arg. 1; dist. 18, q. 2, a. 3, arg. *Quæst. disp. de Anima* a. 11.

2. Præterea, operatio attestatur nobili- tem virtutis, et nobilitas hujus nobili- tem formæ; sed quædam animalia sunt erfectioris sensus et motus quam homo: am canes cum melius odorent, sunt acu- oris sensus, et aves cum velocius mo- eantur, sunt velocioris motus quam omo: ergo et bruta habent nobiliorem ormam sensitivam quam homo. — 1a, .91, a. 3, arg. 1.

3. Præterea, si anima sensitiva est per- ectior in homine, maxime quia in illo st incorruptibilis et rationalis, in brutis ero est corruptibilis et irrationalis; sed lud est falsum: nam potentiæ animæ ensitivæ in homine sunt corruptibiles t irrationales; impossibile autem est ropriam passionem quæ semper inest subjecto, cujusmodi est anima respectu potentiæ, ut dictum est, corrumpi non corrupto subjecto: ergo anima sensitiva in homine non est perfectior quam in brutis. — *Quæst. disp. de Anima* a. 11, arg. 12-14.

Sed contra: Anima sensitiva in homine non solum est sensitiva, sed etiam rationalis, cum in homine non sit nisi una anima, in brutis vero est tantum sensitiva; ergo anima sensitiva in homine est nobilior et perfectior quam in brutis. — *Quæst. disp. de Anima* a. 11.

Respondeo dicendum, quod anima sensitiva in homine est longe nobilior et perfectior quam in brutis. Et ratio est, quia quæ sunt inferioris, præexistunt in superiori perfectius, ut dicit D. Dionysius (*de Div. Nom.* c. 7, § 2; — Migne t. 3, col. 870). Dignius enim est alicui, quod existat in aliquo se digniore, quam quod existat per se. Vis autem sensitiva se habet ad intellectivam sicut inferius ad superius: ergo debet in anima intellectiva esse perfectiori modo; et per consequens anima sensitiva erit in homine nobilior et perfectior quam in aliis animalibus, quia in homine est conjuncta cum nobiliori et perfectiori forma completiva, ratione cujus conjunctionis et est virtuosior, licet in homine non constituat speciem, sicut constituit in ceteris animalibus, quia in illis consideratur ut ultima forma, secus in homine. — 1a, q. 76, a. 5, c.; *Quæst. disp. de Anima* a. 11; 3a, q. 2, a. 2, ad 2, et a. 5, ad 1.

Ad primum ergo dicendum, quod licet homo et equus in hoc convenient, quod uterque est sensibilis, non tamen oportet quod anima sensibilis sit unius rationis in homine et equo, quia homo et equus non sunt unum animal in specie. Unde in homine anima sensibilis est multo nobilior quam in aliis animalibus quantum ad principales actus, ut patet in actibus interiorum sensuum, et in operatione tactus, qui est principalis sensus. In omni enim toto potestativo potentia inferior superiori conjuncta perfectior invenitur: ut potestas præpositi multo excellentior

est in rege, et humana natura multo perfectior est in Christo quam in nobis, propter unionem cum Verbo. Anima autem sensibilis in homine per essentiam conjungitur animæ rationali. — 2. *Sent.* dist. 18, q. 2, a. 3, ad 4; 3a, q. 2, a. 2, ad 2.

Ad secundum dicendum, quod tactus, qui est fundamentum aliorum sensuum, est perfectior in homine quam in aliquo alio animali; et propter hoc oporteret quod homo haberet temperatissimam complexionem inter omnia animalia. Præcedit etiam homo alia animalia quantum ad vires sensitivas interiores, ut dictum est (supra ad 1). Ex quadam autem necessitate contingit, quod quantum ad aliquos exteriores sensus homo ab aliis animalibus deficiat: sicut homo inter omnia animalia habet pessimum olfactum. Necessarium enim fuit quod homo inter omnia animalia respectu sui corporis haberet maximum cerebrum: tum ut in eo perficerentur operationes interiores virium sensitivarum, quæ sunt necessariæ ad intellectus operationem; tum etiam ut frigiditas cerebri temperaret calorem cordis, quem necesse est abundare in homine, ad hoc quod homo sit rectæ staturæ. Magnitudo autem cerebri propter ejus humiditatem est impedimentum olfactus, qui requirit siccitatem. Et similiter potest assignari ratio, quare quædam animalia sunt acutioris visus et subtilioris auditus quam homo, propter impedimentum horum sensuum, quod necesse est consequi in homine ex perfecta æqualitate complexionis. Et eadem etiam ratio est assignanda de hoc, quod quædam animalia sunt homine velociora; cui excellentiæ velocitatis repugnat æqualitas humanæ complexionis. — 1a, q. 91, a. 3, ad 1.

Ad tertium dicendum, quod anima sensitiva in homine propter conjunctionem cum anima rationali secundum substantiam est rationalis et incorruptibilis, licet potentiæ sensitivæ sint corruptibiles; non enim hæ sunt proprietates animæ, sed conjuncti; unde tantum respiciunt in homine animam sensitivam ut principium et originem, non ut subjectum, dictum est (supra q. 51, a. 8). — *Quæ disp. de Anima* a. 11, ad 12-14.

QUÆSTIO LIX

DE OBJECTO SENSUS.

Deinde considerandum est de potentiis animæ sensitivæ; et erit hæc consideratio in quinque partes distributa: nam *primo* considerandum est de sensu communi, *secundo* de sensibus exteriori, *tertio* de internis, *quarto* de appetitu sensitivo, *quinto* de potentia motiva.

Circa primum consideranda sunt quinque: primo objectum sensus, secundo species sensibiles, tertio operatio sensus seu sensatio, quarto organum, quinto ipsa potentia sensitiva.

CIRCA PRIMUM QUÆRUNTUR SEPTEM:

1. Utrum objectum sensus sit extra sensum.
2. Utrum objectum sensus sit tantum existens et præsens.
3. Utrum objectum sensus sit substantia.
4. Utrum possint plura sensibilia per sensum ab eodem percipi.
5. Utrum recte dividatur sensibile in perceptibile et per se, et per se in proprium et commune.
6. Utrum sensus possit decipi circa proprium sensibile.
7. Utrum sensibilia communia sint tantum quinque.

ARTICULUS I

UTRUM OBJECTUM SENSUS SIT EXTRA SENSUM.

Videtur quod objectum sensus non sit extra sensum.

1. Dicit enim Philosophus (2. *Post. text.* 27; c. 11), quod sensus est ipsi

iversalis; sed universale est in anima, dicitur 2. *de Anima* (*text.* 60; c. 5); o objectum sensus non est extra sen-n. — 2. *Poster.* l. ultima; 2. *de Anima* 12.

2. Præterea, dicit Philosophus 2. *Pos-* (l. c.), quod sensus facit universale; illud non facit nisi cognoscendo: er-objectum sensus non semper est sin-are existens extra sensum. — 2. *Pos-* l. ultima.

3. Præterea, cum simile simili cogno-tur, sensus debet esse ipsa sensibilia actu; sed sensibilia in actu sentiri sunt: ergo et ipse sensus sentiri po-it, et ita objectum sensus non erit ra sensum. — 2. *de Anima* l. 10.

4. Præterea, sensorium sensus est mpositum ex qualitatibus sensibilibus; hæ sentiuntur, cum pertineant ad ectum sensus: ergo sensorium sentitur, d tamen non est extra sensum.

5. Præterea, dicit Philosophus (2. *de ima text.* 136; l. 3. c. 2), quod visus vi-se videre; sed visio est intra sensum, extra, cum sit actus immanens, sicut ntellectio: ergo objectum sensus non extra sensum. —3. *de Anima* l. 2; *Ta-a Aurea* voce « sensus » n. 32.

6. Præterea, dicit Philosophus (2. *de ima text.* 138; l. 3, c. 2), quod visu cernimus tenebras; sed tenebra nihil d est quam privatio, quæ est ens ra-is, quod tantum habet esse in intel-u: ergo idem quod prius. — 2. *de ima* l. 15 et 3. *de Anima* l. 3; *Tabula ea* voce « ens » n. 18.

7. Præterea, dicit Philosophus. lib. *de su et Sensibili* c. 2, quod oculus mo-videt fulgorem in se existentem, et et seipsum; ergo objectum vivus non per est extra. *De Sensu et Sensibili*. l. 3.

8. Præterea, oculus in speculo videt ginem et speciem sui; sed hæc non nisi in organo visus: ergo objectum sus non semper est extra sensum. — l. l. 4.

Sed contra est, quod Philosophus (2. *de ima text.* 60; c. 5) dicit, quod objectum sensus est sensibile extra sensum existens. — 2. *de Anima* l. 12.

Respondeo dicendum, quod hæc est differentia inter objectum sensus externi et intellectus, quod objectum intellectus est intra intellectum, objectum vero sensus est extra. Et ratio hujus est, quia sensus secundum actum sunt singularium, quæ sunt extra animam; scientia vero est universalium, quæ sunt intra animam. Ex quo patet, quod ille qui jam habet scientiam, non oportet quod quærat extra sua objecta, sed habet ea in se; unde potest illa considerare quando vult, nisi forte per accidens impediatur. Sed sentire non potest quando vult, quia sensibilia non habet in se, sed oportet quod adsint ei extra. Ideo vero sensus est singularium, et scientia universalium, quia sensus est virtus in organo corporali; intellectus vero est virtus immaterialis, quæ non est actus alicujus organi corporalis. Unumquodque autem recipitur in aliquo per modum sui. Cognitio autem omnis fit per hoc, quod cognitum est aliquo modo in cognoscente, scilicet secundum similitudinem; nam cognoscens in actu est ipsum cognitum in actu. Oportet igitur quod sensus corporaliter et materialiter recipiat similitudinem rei, quæ sentitur. Intellectus autem recipit similitudinem ejus, quod intelligitur, incorporaliter et immaterialiter. *Individuatio* autem naturæ communis in rebus corporalibus et materialibus, est ex materia corporali sub determinatis dimensionibus contenta. *Universale* autem est per abstractionem ab hujusmodi materia et materialibus conditionibus individuantibus. Manifestum est igitur, quod similitudo rei recepta in *sensu* repræsentat rem secundum quod est singularis; recepta autem in *intellectu* repræsentat rem secundum rationem universalis naturæ. Et inde est quod sensus cognoscit singularia, intellectus vero universalia, et per consequens objectum sensus est extra sensum, objectum vero intellectus est intra intellectum. — 2. *de Anima* l. 12; 2. *c. Gent.* c. 66.

Ad primum ergo dicendum, quod *singulare* sentitur proprie et per se; sed tamen sensus est quo lammodo ipsius *universalis*; cognoscit enim Calliam, non solum in quantum est Callias, sed etiam in quantum est hic homo. Et inde est quod tali acceptione in sensu præexistente, anima intellectiva potest considerare hominem in utroque, et sic facere universale. — 2. *Poster.* l. ultima.

Ad secundum dicendum, quod sensus dicitur facere universale, quatenus anima universalium cognitionem accipit per viam inductionis ex consideratione omnium singularium. —*Ibid.*

Ad tertium dicendum, cum Philosopho (2. *de Anima text.* 52 sqq.; *de Sensu et Sensibili* c. 2), quod sensus non est sensibilia in actu, sed tantum in potentia; tunc autem est actu, quando recipit eorum similitudines. Unde non sequitur, quod sensus sentiat seipsum, et quod ejus objectum non sit extra. Ideo vero visus non potest cognoscere seipsum, quia visus tantum cognoscit illud, cujus species potest fieri in pupilla: quia cujuslibet virtutis operantis per organum corporale oportet ut organum sit medium inter ipsam et objectum ejus. Cum ergo non sit possibile, ut organum cadat medium inter virtutem aliquam et ipsam essentiam virtutis, non erit possibile, ut aliqua virtus operans mediante organo corporali cognoscat seipsam. — 2. *de Anima* l.10 et 11; *de Sensu et Sensibili* l. 3; 2. *c. Gent.* c. 66; 2. *Sent.* dist. 19, q. 1, a. 1, c.

Ad quartum dicendum, quod sensorium sensus non sentitur, quia ad hoc ut objectum aliquod sentiatur, debet movere sensum mediante aliquo medio; est enim sensus potentia passiva; præterquam quod si sensibile inhærens organo sentiri posset, semper sentiretur, quod est falsum. — *de Sensu et Sensibili* l. 3; cf. de *Verit.* q. 25, a. 4, c.

Ad quintum dicendum, quod sensus exterior non sentit suam sensationem, sed sensus communis, secundum quod ratione continuationis cum sensu externo nominatur nomine sensus externi, [illegible] probat Philosophus (*de Sensu et Sensibili* c. 2; 2. *de Anima text.* 137; l. [illegible] c. 2). Unde cum ibidem videtur oppositum docere, id tantum disputative a[illegible]serit. — *Vel dic*, quod actio visus pote[illegible] considerari, vel secundum quod consis[illegible] in immutatione organi a sensibili exte[illegible]ori; — et sic non sentitur nisi colo[illegible] unde ista actione visus non videt se v[illegible]dere. Alia est actio visus, secundum qua[illegible] post immutationem organi judicat de ip[illegible] perceptione organi a sensibili, etiam ab[illegible]unte sensibili; — et sic visus non vid[illegible] solum colorem vel sentit, sed sentit etia[illegible] visionem coloris. — *de Sensu et Sensib*[illegible] l. 19; 2. *de Anima* l. 13 et 3. *de Ani*[illegible] l. 1; 1a, q. 78, a. 4, ad 2; 2. *c. Ge*[illegible] c.66, ubi v. Ferrar.; — 3. *de Anima* l.

Ad sextum dicendum, quod visus di[illegible]cernit tenebras non quidem per immut[illegible]tione illarum, quomodo videm colore[illegible] et quidquid est per se objectum ejus, s[illegible] quatenus non videt per immutatione[illegible] ab exteriori sensibili factam. — 3. *de A*[illegible]*ma* l. 2.

Ad septimum dicendum, quod oc[illegible] fulgor apparet moto oculo, non aut[illegible] quiescente. Et ratio hujus est, quia [illegible]cidit per oculi motionem, quasi qu[illegible] unum fiat duo; unum enim et idem su[illegible]jecto est pupilla fulgens et videns; [illegible] quantum autem est *fulgens* projicit f[illegible]gorem suam ad extra; in quantum aut[illegible] est *videns*, cognoscit fulgorem, quasi [illegible]cipiendo ipsum ab exteriori. Cum aut[illegible] est quiescens, emissio fulgoris fit ab [illegible]tra; et ita visus hujusmodi fulgorem n[illegible] recipit, ut videre possit. Sed quando oc[illegible]lus celeriter movetur, illud nigrum oc[illegible] transfertur ad locum exteriorem, in qu[illegible] pupilla emittebat suum splendorem, a[illegible]tequam ille splendor deficiat, et ideo p[illegible]pilla ad alium locum velociter transl[illegible] recipit splendorem suum quasi ab ext[illegible]riori, ut sic videatur esse aliud vide[illegible] et visum, quamvis sit idem subjecto. [illegible] ideo hujusmodi apparitio fulgoris non f[illegible] nisi oculus celeriter moveatur, quia [illegible]

oveatur tarde, prius deficiet impressio lgoris ab exteriori loco, ad quem fulgor erveniebat, quam pupilla illuc perveat. — *de Sensu et Sensibili* l. 3.

Ad octavum dicendum, quod oculus let in speculo non speciem, sed seipsum, r speciem tamen repercussam et reflem a speculo ad oculum. — *de Sensu Sensibili* l. 4.

ATRICULUS II

UTRUM OBJECTUM SENSUS SIT TANTUM RES PRÆSENS ET EXISTENS.

Videtur quod objectum sensus non sit ntum res præsens et existens.

1. Dicit enim Philosophus lib. *de Soiis* (c. 2), quod abeunte sensibili adhuc sus illud sentit. Quod probat quatuor gnis : *primum* est, quia ubi continue lem videmus, et postea avertimus ocu-, nihil videmus, quia adhuc remanet sio lucidi, quod tamen tunc non est præns et existens. *Secundum* est, quia ubi r longum tempus vidimus colorem alm vel viridem, et transferimus oculos alium colorem, ille per breve tempus letur ejusdem coloris cum priore. *Term* est, quia videns solem si mox claut oculos, primo ei apparebit color rei lendidæ, deinde mutabitur in medios coes successive, donec veniat ad nigrum evanescat. *Quartum* est, si quis reciat flumen velocissime currens, deinde nsferat visum ad res quiescentes, oms illi videbuntur moveri. Ergo sensus rcipit res absentes, et non existentes. — *Somniis* l. 2.

2. Præterea, experientia patet, quod quando duo objecta videntur, puta duo nina, cum tamen vere sit unum tann; ergo tunc videtur aliquid non exens. — *de Sensu et Sensibili* l. 3.

3. Præterea, tristari non solum est de esenti, sed etiam de præterito et futu; sed tristitia pertinet ad vim sensiam : ergo sensus potest etiam sentire res non præsentes et non existentes. — 1a 2æ, q. 35, a. 2, ad 2.

4. Præterea, per phantasiam in somniis videntur res quæ non sunt; sed phantasia pertinet ad sensum : ergo idem quod prius. — 5. *Metaphys.* l. 22.

5. Præterea, aliquando color albus apparet viridis, ut patet experientia, si videatur color albus mediante vitro viridi ; ergo sensus percipit etiam rem non existentem. — *de Verit.* q. 1, a. 11, arg. 2 *Sed Contra.*

Sed contra est, quod Philosophus 2. *de Anima* (*text.* 52; c. 5) et *de Sensu et Sensibili* (c. 2) dicit, quod sensus non nisi rem præsentem sentit; et *de Memoria* (c. 1) dicit, quod per sensum neque futurum neque præteritum cognoscimus, sed tantum præsens. — 2. *de Anima* l. 10; *de Sensu et Sensibili* l. 3; *de Memoria et Reminisc.* l. 1.

Respondeo dicendum, quod sensus exterior tantum apprehendit rem præsentem et existentem, sed interior etiam absentem et non existentem, seu præteritam et futuram. Et ratio hujus est, quia sensus exterior indiget ad suos actus exterioribus sensibilibus, quibus immutatur ; at vero sensus interior habet principale objectum interius, puta phantasmata, quæ sunt similitudines rerum. (1a, q. 78, a. 4, c. et ad 6 ; q. 81, a. 3, ad 3 ; 1a 2æ, q. 35, a. 2, ad 2 ; *de Verit.* q. 1, a. 11, c.) Unde etiam est, quod *sensus exterior* semper apprehendit rem ut est, nisi sit impedimentum in organo vel in medio ; sed *imaginatio,* quæ pertinet ad sensum internum, apprehendit ut plurimum rem ut non est, quia apprehendit eam ut præsentem, cum sit absens ; apprehendit enim et intuetur phantasma, quod non est res vera, sed tantum similitudo rei. Et ideo dicit Philosophus (4. *Metaphys. text.* 24 sqq. ; l. 3, c. 5), quod in sensu non est falsitas, sed in phantasia. Præterea, sensus exterior non subditur imperio rationis, sicut subditur vis interior sensitiva, quia nimirum non est in potestate rationis sensibilium præsentia, sine qua

sensus externus non potest exire in actum; potest autem ratio formare imaginativæ virtutis phantasma; et ideo potest imaginatio percipere rem absentem et non existentem, secus vero sensus exterior. — 4. *Metaphys.* l. 14; 5. *Metaphys.* l. 22; *de Verit.* q. 10, a. 8, ad 2; 1a, q. 52, a. 1, et a. 2, ad 2; 3. *Sent.* dist. 23, q. 1, a. 2, c. — Et ex his patet *ad tertium* et *quartum objectum*.

Ad primum ergo dicendum, quod *sensus exterior* semper apprehendit rem præsentem, nisi sit impedimentum vel ex parte organi, vel medii, quando incipit sentire, ob rationem allatam; sed quia abeunte sensibili per aliquod breve tempus possunt simulacra sensibilium remanere in sensu externo, ideo *sensus communis*, ut continuatur cum sensu externo, quomodo appellatur nomine sensus externi, ut dictum est, dicitur rem existentem et absentem sentire, ut probat objectum. — *de Somniis* l. 2; *de Sensu et Sensibili* l. 4.

Ad secundum dicendum, quod motio organi efficit, ut unum appareat duo; unde quod non videatur res ut est, oritur ex impedimento ex parte organi. — *de Sensu et Sensibili* l. 3.

Ad quintum dicendum, quod ex parte medii impeditur sensus exterior, ne videat colorem ut est; dictum est autem (*ad primum*), quod sensus exterior semper videt rem præsentem sicut est, nisi sit impedimentum vel ex parte organi vel ex parte medii.

ARTICULUS III

UTRUM OBJECTUM SENSUS POSSIT ESSE SUBSTANTIA.

Videtur quod objectum sensus possit esse substantia.

1. Quæ enim est differentia corporum ad spiritualia, ita eadem e converso; sed oculus incorporeus potest corpora videre : ergo et oculus corporeus potest substantiam spiritualem et multo magis materialem videre, et sic objectum sensus poterit esse substantia. — 4. *Se* dist. 49, q. 2, a. 2, arg. 4.

2. Præterea, sensus externus pot percipere Deum ipsum; — sicut enim D est præsens per essentiam suam in int lectu : ita etiam in cœlo post resurrect nem erit præsens in sensu; unde si videbitur ab intellectu ex hoc quod s essentia ei conjungetur, ita poterit eti a sensu videri; — sed Deus est subst tia : ergo substantia potest videri a se externo. — *Ibid.* arg. 7.

Sed contra est, quod Philosophus 2. *Anima* (*text* 64 sqq.; c. 6 sqq.) po objecta sensuum externorum acciden externa, visus quidem colorem et lum auditus sonum, odoratus odorem, gust saporem, tactus tangibiles qualitates. 2. *de Anima* l. 13 sqq.

RESPONDEO DICENDUM, quod sensus ex rior non nisi *accidentia externa* per potest sentire. Quod manifestum *primo*, quia *quod quid est* et per con quens forma substantialis, quæ consti rem in specie, et a Philosopho defini ratio *quod quid erat esse* rei, est sol intellectus objectum, ut dicit Philosop 3. *de Anima* (*text.* 20; c. 5). *Secundo*, lud tantum per se sentitur a sensu, q per se passionem sensui inferre potest; l autem est passibilis qualitas, quæ per dividitur in colorem, sonum et hujusmo *Demum*, objectum sensus externi est quod est illi maxime propinquum; l autem est accidens. Cujus signum quod de solo accidente judicare pot non de substantia. Per accidens tan potest etiam hæc percipi a sensu exter quatenus accidit ei, quod per se sentit ut quia accidit *albo*, quod *per se* sentit quod sit talis vel talis substantia, p Petrus vel Paulus, vel hic equus vel leo, ideo hæ substantiæ per accidens s tiuntur, ut dicit Philosophus 2. *de Ani* (*text.* 65; c. 6). — 1a, q. 67, a. 3 *Phys.* l. 5; 4. *Sent.* dist. 49, q. 2, a. 2, 1a, q. 77, a. 3, c.; *Tabula Aurea* « sensus » n. 13 et 14; 2. *de Anima* l.

Ad primum ergo dicendum, quod om

gnitio fit per aliquam abstractionem a materia; et ideo quanto forma corporalis magis abstrahitur a materia, magis est gnitionis principium. Et inde est, quod rma in materia existens nullo modo est gnitionis principium; in sensu autem iquo modo, prout a materia separatur; in intellectu nostro adhuc melius: et leo oculus spiritualis, a quo removetur npedimentum cognitionis, potest videre m corporalem. Non autem sequitur, uod oculus corporalis, in quo deficit vis gnoscitiva, secundum quod participat materia, possit cognoscere perfecte conoscibilia, quæ sunt substantiæ, et quæ on sunt corporea. — 4. *Sent.* dist. 49, q. , a. 2, ad 4.

Ad secundum dicendum, quod intellctus st spiritualium perceptivus, non autem isus; et ideo intellectus potest cognoscere ivinam essentiam sibi conjunctam, non utem visus. — *Ibid.* ad 7.

ARTICULUS IV

TRUM SIMUL POSSINT AB EODEM PLURA SENSIBILIA PER SENSUM PERCIPI.

Videtur quod simul possint ab eodem lura sensibilia per sensum percipi.

1. Numerus enim pertinet ad objectum ensus; sed numerus constat ex pluribus nitatibus atque adeo ex pluribus rebus: rgo sensus potest simul plura percipere - *de Verit.* q. 8, a. 14, arg. 3.

2. Præterea, sensus et sensibile ad inicem referuntur; sed unum sensibile potest percipi a diversis sensibus: ergo et nus sensus potest simul percipere diersa sensibilia. — *Ibid.* arg. 5.

3. Præterea, sensus est multo spirituaor quam aer; sed in aere propter sui piritualitatem possunt simul esse diverræ formæ, ut albi et nigri, sicut si a diersis videntibus album et nigrum videaur tali dispositione existente, quod lineæ irectæ ab oculis ad res visas intersecent in uno puncto, per quod oportebit simul et semel speciem albi et nigri deferri: ergo multo fortius sensus potest simul formari diversis formis, et ita poterit simul plura sentire. — *Ibid.* arg. 8; *Quodl.* 7, a. 2, arg. 5.

4. Præterea, nihil prohibet diversas formas non oppositas simul eidem actu inesse, sicut odorem et saporem pomo; sed species sensibiles non sunt oppositæ: ergo nihil prohibet sensum unum simul fieri in actu secundum diversas species sensibiles, et sic poterit plura sentire. — 1a, q. 85, a. 4, arg. 2; *Quodl.* 7, a. 2, arg. 4.

5. Præterea, non potest cognosci differentia unius ad alterum, nisi simul utrumque apprehendatur, ut dicitur 2. *de Anima* (*text.* 145 et 146; l. 3, c. 2); et eadem est ratio de quacunque alia comparatione; sed sensus communis cognoscit differentiam albi et dulcis: ergo sensus communis saltem potest plura simul percipere. — 1a, l. c. arg. 4; *Quodl.* 7, a. 2, arg. 1.

Sed contra est: 1. quod Philosophus *de Sensu et Sensibili* (c. 8, al. 7) dicit, quod unus sensus non potest esse duorum. — *de Sensu et Sensibili* l. 17.

2. Præterea, impossibile est idem subjectum perfici simul pluribus formis unius generis et diversarum specierum: sicut impossibile est quod idem corpus secundum idem coloretur diversis coloribus vel figuretur diversis figuris; sed omnes species sensibiles sunt unius generis, quia sunt perfectiones unius potentiæ sensitivæ, licet res, quarum sunt species, sint diversorum generum: ergo impossibile est quod idem sensus externus simul perficiatur diversis speciebus sensibilibus ad sentiendum plura in actu. — 1a, q. 85, a. 4, c.

Respondeo dicendum, quod sensus unus non potest simul multa cognoscere, nisi in quantum faciunt unum per mixturam. Cujus ratio est, quia unus sensus in actu non potest esse simul nisi unius, sicut nec aliqua una operatio aut unus motus terminatur nisi ad aliquod unum; nec

aliqua potentia simul recipit diversas formas. Unde necesse est quod si aliquis sensus, puta visus vel auditus, debeat sentire plura, sentiat ea in quantum facta sunt unum permixtione; et hoc ideo, quia potentia sensitiva sentit illa duo secundum unum sensum in actu, id est secundum unam operationem sensitivam. Ex hoc autem sensus secundum actum, id est operatio sensitiva, habet unitatem secundum numerum, quia est unius sensibilis, specie autem est unus sensus secundum actum sive una operatio sensitiva, ex eo quod est secundum potentiam unam; sicut omnes visiones quorumcunque visibilium sunt ejusdem speciei propter unitatem potentiæ, sed visio unius rei differt a visione alterius rei. Necesse est ergo, si est unus sensus secundum actum, quod unum dicat, id est indicet; ergo oportet quod, si multa sunt, commisceantur in unum; et si non fuerint permixta, necesse est quod sint duo sensus secundum actum, et duæ operationes sensitivæ. Sed necesse est quod unius potentiæ in eodem indivisibili tempore sit una operatio, quia unius rei non potest esse simul nisi unus actus et unus motus. Unde cum operatio sensitiva nihil aliud sit quam usus quidam, quo anima utitur potentia sensitiva, erit motus quidam ipsius potentiæ, in quantum sensus movetur a sensibili. Cum ergo unus sensus sit una potentia, non contingit quod multa simul sentiantur uno sensu. — *de Sensu et Sensibili* l. 17.

Ad primum ergo dicendum, quod sensus cognoscit numerum per modum totius, et per consequens cognoscit plures unitates ut faciunt unum totum. — *de Verit.* q. 8, a. 14, ad 3.

Ad secundum dicendum, quod nihil sensus est in sensibili, sed aliquid ejus, quod sentitur, est in sensu; et sic non est eadem ratio sentiendi multa simul ab uno sensu, et sentiendi unum simul a multis sensibus. — *Ibid.* ad 5.

Ad tertium dicendum, quod plures species sunt in aere tamquam in medio deferente, ideoque sunt ibi per modum dispositionis, et non per modum ultimæ perfectionis, quia sunt ibi sicut in quodam fluxu et ut in fieri; unde non est simile. — *Ibid.* ad 8; *Quodl.* 7, a. 2, ad 5.

Ad quartum dicendum, quod non solum oppositæ formæ non possunt esse in eodem subjecto, sed nec quæcunque forma ejusdem generis, licet non sint oppositæ sicut patet in coloribus et figuris; non enim oportet idem corpus secundum idem simul colorari diversis coloribus vel figurari diversis figuris. — 1a, l. c. in corp. et ad 2.

Ad quintum dicendum, quod sensus non potest plura sentire, sed ex consequenti in quantum plura accipiuntur ut unum sicut plura sensibilia uniuntur in una differentia, vel cognoscuntur plura sub ratione differentiæ, quomodo etiam cognoscuntur partes plures sub ratione totius in quo illæ uniuntur. — 1a, l. c. ad 3 et 4; *Quodl.* 7, a. 2, ad 1.

ARTICULUS V

UTRUM RECTE DIVIDATUR SENSIBILE IN PER ACCIDENS ET PER SE, ET PER SE IN PROPRIUM ET COMMUNE.

Videtur quod non recte dividatur sensibile in per se et per accidens, et per se in proprium et commune.

1. Sicut enim sensibilia per accidens non sentiuntur, nisi in quantum sensibilia propria apprehenduntur: sic nec sensibilia communia apprehenduntur, nisi sensibilia propria apprehendantur; — nunquam enim visus apprehendit magnitudinem aut figuram, nisi in quantum apprehendit coloratum; — ergo videtur quod etiam sensibilia communia sint sensibilia per accidens. — 2. *de Anim.* l. 13.

2. Præterea, inter sensibilia communia ponitur inter cetera figura et magnitudo; sed figura non percipitur ab omnibus sensibus, cum tamen sensibile commune i

licatur, quia est objectum commune omnibus sensibus: ergo saltem figura male ponitur inter sensibilia communia.— *Ibid.*

3. Præterea, sensus definitur per ordinem ad sensibile per se ; sed non definitur per ordinem ad sensibile commune ; ergo sensibile commune non est sensibile per se. — *Ibid.*

4. Præterea, membra opposita nunquam coincidunt, ut sæpius dictum est ; sed sensibile per se et per accidens coincidunt (dulce enim est visibile per accidens, in quantum accidit albo, quod apprehenditur visu, et per consequens est sensibile per accidens ; et tamen est sensibile per se, cum sit objectum proprium gustus): ergo male dividitur sensibile in per se et per accidens. — *Ibid.*

Sed contra est : 1. Philosophus 2. *de Anima* (*text.* 63 sqq. ; c. 6) *et de Sensu et Sensibili* (c. 4), ubi dividit sensibile in per se et per accidens, et per se in sensibile proprium et commune. — 2. *de Anima* l. 13 ; *de Sensu et Sensibili* l. 11.

2. Præterea, esse sensibile est inferre passionem sensui ; sed tantum tripliciter contingit aliquid inferre passionem sensui : *vel* enim illam infert sensui, quatenus conjungitur illi, quod per se passionem infert sensui, et hoc est sensibile per accidens ; *vel* per se infert passionem sensui ut *sensus* est, et hoc est sensibile per se, sed commune ; *vel* per se infert passionem sensui ut *hic sensus*, et hoc est sensibile per se, sed proprium. — 4. *Sent.* dist. 49, q. 2, a. 2, c.

Respondeo dicendum, quod recte dividitur *sensibile* in *per se* et *per accidens*, et per se in *proprium* et *commune*. Ad cujus manifestationem sciendum, quod sentire consistit in quodam pati et alterari, ut dicitur 2. *de Anima* (*text.* 37 ; c. 4). Quidquid igitur facit differentiam in ipsa passione vel alteratione sensus, habet per se habitudinem ad sensum, et dicitur sensibile per se ; quod autem nullam facit differentiam circa immutationem sensus, dicitur sensibile per accidens. Sic enim Philosophus *text.* 65 (c. 6) 2. *de Anima* dicit, quod a sensibili per accidens nihil patitur sensus secundum quod hujusmodi. — Differentiam autem circa immutationem sensus potest aliquid facere dupliciter : *uno* modo quantum ad ipsam *speciem agentem :* et sic faciunt differentiam circa immutationem sensus sensibilia per se propria, nimirum secundum quod hoc est color, illud autem sonus, hoc autem est album, illud vero nigrum. Quædam vero *alia* faciunt differentiam in transmutatione sensuum non quantum ad speciem agentis, sed quantum ad *modum actionis*. Qualitates enim sensibiles movent sensum corporaliter et situaliter ; unde aliter movent secundum quod sunt in majori vel minori corpore, et secundum quod sunt in diverso situ, scilicet vel propinquo vel remoto, vel eodem vel diverso : et hoc modo faciunt circa immutationem sensuum differentiam sensibilia communia, puta magnitudo, figura, numerus, motus, quies. Manifestum est enim quod secundum omnia hæc quinque diversificatur magnitudo vel situs ; et quia non habent habitudinem ad sensum, ut species activorum, ideo secundum ea non diversificantur potentiæ sensitivæ, sed remanent communia pluribus sensibus.

Quod vero attinet ad *sensibile per accidens*, sciendum est, quod ad hoc quod aliquid sit sensibile per accidens, *primo requiritur*, quod accidat ei quod per se est sensibile, sicut accidit albo esse hominem, et accidit ei esse dulce. *Secundo requiritur*, quod sit apprehensum a sentiente ; si enim accideret sensibili, quod lateret sentientem, non diceretur per accidens sentiri. Unde oportet quod per se cognoscatur ab aliqua alia potentia cognoscitiva sentientis. *Tertio requiritur*, ut ista alia potentia cognoscitiva sentientis non sit sensus externus, sed vel intellectus vel vis cogitativa aut vis æstimativa. Dulce enim est visibile per accidens in quantum accidit albo, quod apprehenditur visu ; et tamen ipsum dulce per se cognoscitur ab alio sensu,

scilicet a gustu. Unde proprie loquendo non est hoc universaliter sensibile per accidens, nam est sensibile per se, licet sit visibile per accidens; sensibile autem per accidens nullo modo debet esse sensibile per se (nam illud, ut dictum est, nullo modo movet sensum externum; hoc vero illum movet). Quod ergo est sensibile per accidens, debet cognosci ab alia potentia, — puta *vel intellectus,* si quod sensu proprio non cognoscitur, sit universale, et si statim ad occursum rei sensatæ apprehendatur intellectu — sicut statim cum video aliquem loquentem vel movere seipsum, apprehendo per intellectum vitam ejus; unde possum dicere, quod video eum vivere —; *vel cogitativæ,* si quod sensu externo non percipitur, apprehendatur in singulari, ut puta cum video coloratum, percipio hunc hominem vel hoc animal; — hujusmodi enim apprehensio in homine fit per virtutem *cogitativam,* quæ dicitur etiam ratio particularis (eo quod est collativa intentionum individualium, sicut ratio universalis est collativa rationum universalium); nihilominus tamen hæc vis est in parte *sensitiva,* quia vis sensitiva in sui supremo participat aliquid de vi intellectiva in homine, in quo sensus intellectui conjungitur; — *vel æstimativæ,* ut in animali irrationali: nam in eo fit apprehensio intentionis individualis per æstimativam naturalem, secundum quod ovis per auditum vel visum cognoscit filium vel quid hujusmodi. — 2. *de Anima* l. 13; 4. *Sent.* dist. 49, q. 2, a. 2, c.; *de Sensu et Sensibili* l. 11.

Et ex his patet *ad quartum objectum.*

Ad primum ergo dicendum, quod sensibilia communia non sunt sensibilia per accidens, sed per se, ut patet ex dictis, et probat Philosophus (2. *de Anima text.* 134; l. 3, c. 1): quia quæcunque sentiuntur per hoc quod immutant sensum, sentiuntur per se, et non secundum accidens. Nam hoc est per se sentire, pati aliquid a sensibili; sensus autem nihil patitur a sensibili per accidens. Omnia autem *sensibilia communia* per immutationem quandam sentiuntur. Manifestum enim est, quod *magnitudo* immutat sensum: cum sit subjectum qualitatis sensibilis, puta caloris aut saporis; et qualitates non agunt sine suis subjectis. Ex quo apparet, quod *figuram* etiam cognoscimus cum quadam immutatione: quia figura est aliquid magnitudinis, quia consistit in terminatione magnitudinis; est enim figura, quæ termino vel terminis continetur, ut dicitur in 1. Euclidis (*Element.* c. 1). Manifestum est etiam, quod *quies* comprehenditur ex motu, sicut tenebra per lucem: est enim quies privatio motus. *Numerus* etiam cognoscitur per negationem continui, quod est magnitudo: numerus enim rerum sensibilium ex divisione continui causatur. Unde etiam proprietates numeri per proprietates continui cognoscuntur; quia enim continuum est divisibile in infinitum, et numerus in infinitum crescere potest, ut patet ex 3. *Phys.* (*text.* 68; c. 7.) — 3. *de Anima* l. 1.

Ad secundum dicendum, quod sensibilia communia non ita dicuntur, quia sentiantur ab omnibus sensibus, sed quia non tantum sentiuntur ab uno, sicut sensibilia propria, sed etiam a multis. — 2. *de Anima* l. 13; *de Sensu et Sensibili* l. 1.

Ad tertium dicendum, quod sensibile per se est duplex: *unum* proprie; et hoc est quod ita immutat sensum, ut illi dat speciem, et in ordine ad illud sensus definitur; — *aliud* non ita proprie; hoc facit in sensu immutationem quantum ad modum actionis. — 2. *de Anima* l. 1.

ARTICULUS VI

UTRUM SENSIBILIA COMMUNIA SINT TANTUM QUINQUE.

Videtur quod sensibilia communia sint plura quam quinque.

1. Dicit enim Philosophus (2. *de Anima text.* 133; l. 3, c. 1), quod unum sentitur a multis sensibus; sed quod sentitur a multis sensibus, est sensibile commune

ro sensibilia communia sunt plura
um quinque.

2. Præterea, *de Sensu et Sensibili* (c. 4)
itur, quod asperum et lene, acutum et
usum sunt sensibilia communia; ergo
sibilia communia sunt plura quam
nque.

. Præterea, sicut quies cognoscitur
motum, ita tenebra per lucem; sed
es est sensibile commune : ergo etiam
ebra erit sensibile commune, et sic
nt plura quam quinque. — 3. *de Ani-*
l. 1.

ed contra est, quod Philosophus (2. *de*
ma text. 64 ; c. 6) numerat tantum
nque sensibilia communia : magnitu-
em, numerum, figuram, motum et
etem. — 2. *de Anima* l. 13.

ESPONDEO DICENDUM, quod sensibilia
mmunia sunt prædicta quinque, quia
ia illa faciunt ad immutationem sen-
quantum ad modum actionis, non
ntum ad speciem agentis, quod est
rium sensibilis communis, ut dictum
a. 5). Quod autem sint tantum illa
que, manifestum est, quia omnia alia
la revocari possunt : — unum quidem
umerum, quia numerus nihil aliud
quam multitudo quædam unitatum ;
rum vero et lene pertinent ad figu-
; similiter et acutum et obtusum
inent ad dispositiones figurarum ha-
ium angulos, quamquam et ex præ-
s quinque, ad magnitudinem aliquo
o reliqua revocari possunt. — 2. *de*
na l. 13 ; *de Sensu et Sensibili* l. 2.
t ex his patet *ad prima duo objecta.*
d tertium dicendum, quod tenebras
s non videt directe, per immutatio-
factam in ipso vel secundum speciem
tis vel secundum modum actionis,
indirecte, judicando de ipsa immuta-
e organi a sensibili, etiam abeunte
ibili ; et ideo non est sensibile per se,
proprium sive commune. — 3. *de*
na l. 1 et 2 ; 2. *de Anima* l. 21.

ARTICULUS VII

UTRUM SENSUS POSSIT DECIPI CIRCA PROPRIUM SENSIBILE.

Videtur quod sensus possit decipi circa proprium sensibile.

1. Dicit enim Philosophus 3. *de Anima* (*text.* 26 ; c. 6), quod sensus visus potest aliquando decipi judicando id quod non est esse ; et 2. *de Anima* (*text.* 161 ; l. 3, c. 3), dicit, quod sensus circa proprium objectum habet, licet raro, falsitatem. — 3. *de Anima* l. 11 et 6.

2. Præterea, tunc sensus decipitur circa proprium sensibile, quando aliter apprehendit illud quam sit; sed sensus exterior aliquando aliter apprehendit proprium sensibile quam sit — videt enim visus aliquando objectum alterius coloris quam sit, et aliquando videt multiplicatum, cum tamen a parte rei sit tantum unum : similiter et gustus febricitantis judicat amara, quæ sunt dulcia — : ergo sensus potest decipi circa proprium sensibile. — *de Verit.* q. 1, a. 11, arg. *Sed contra; de Sensu et Sensibili* l. 3 ; 1a, q. 85, a. 6, c. ; q. 17, a. 2, c.

3. Præterea, dicit Philosophus 6. *Metaphys.* (*text.* 8 ; l. 5, c. 3), quod veritas tantum est in mente ; sed si sensus nunquam deciperetur circa proprium sensibile, etiam in sensu esset veritas, et diceretur verus, sicut intellectus apprehendens *quod quid est* semper est verus et nunquam decipitur, ut dicit Philosophus 3. *de Anima* (*text.* 26 ; c. 6) : ergo sensus circa proprium sensibile potest decipi. — 1. *Periherm.* l. 3.

Sed contra est : 1. quod Philosophus 4. *Metaphys.* (*text.* 24 ; l. 3, c. 5) dicit, quod sensus proprii sensibilis non est falsus ; quod idem dicit 3. *de Anima* (*text.* 26 ; c. 6) et 2. *de Anima* (*text.* 63 ; c. 6), ubi ait, quod sensibile proprium est, quod uno tantum sensu sentitur, et circa quod non contingit sensum errare. — 3. *de*

Anima l. 11 ; 1a, q. 17, a. 2, ad 2, et art. 3, c.; 2. *de Anima* l. 13.

2. Præterea, ad proprium objectum unaquæque potentia per se ordinatur secundum quod ipsa ; quæ autem sunt hujusmodi, semper eodem modo se habent. Unde manente potentia nunquam deficit ejus judicium circa proprium objectum ; sed proprium objectum sensus est sensibile proprium ; hoc enim est, quod per se primo attingitur a sensu : ergo circa sensibile proprium per se non fallitur sensus. — 1a, q. 85, a. 6, c. ; 3. *de Anima* l. 6.

Respondeo dicendum, quod sicut res habet esse per propriam formam, ita virtus cognoscitiva habet cognoscere per similitudinem rei cognitæ. Unde sicut res naturalis non deficit ab esse, quod sibi competit secundum suam formam, potest autem deficere ab aliquibus accidentibus vel consequentibus (sicut homo ab hoc, quod est habere duos pedes, non autem ab hoc, quod est esse hominem) ; ita virtus cognoscitiva non deficit in cognoscendo respectu illius rei, cujus similitudine informatur, potest autem deficere circa aliquid consequens ad ipsam vel accidens ei. Quia ergo sensibile proprium est illud, respectu cujus primo et per se sensus informatur similitudine ; sensibile vero commune est, cujus similitudo est quidem per se, sed non primo in sensu ; sensibile vero per accidens, cujus similitudo neque primo neque per se, sed tantum per accidens est in sensu ; — ideo sensus non potest falli et decipi circa *proprium* sensibile, nisi per accidens et in paucioribus, ex eo scilicet quod propter indispositionem organi non convenienter recipit sensibilem formam ; sicut et alia passiva propter suam indispositionem deficienter recipiunt impressionem agentium. Et inde est, quod propter corruptionem linguæ infirmis dulcia amara esse videntur. — Potest autem falli et decipi sensus circa sensibilia *communia* et *per accidens*, etiam si sit recte dispositus, quia sensus non directe refertur ad illa, sed per accidens et ex consequenti, in quantum refertur ad alia. Unde ita se habet sensus ad ista, sicut intellectus cum judicat aliquid alicui inesse vel non inesse, componendo et dividendo ; — nisi quod sensus circa sensibilia communia et per accidens non ita decipitur, ut cognoscat falsitatem et deceptionem, quomodo reperitur deceptio in intellectu, sed tantum quia cognitio ejus falsa est ; cum tamen in intellectu componente et dividente sit deceptio, et quia cognitio intellectus falsa est, et qui intellectus cognoscit falsitatem sicut et veritatem. — 1a, q. 17, a. 2 et 3, c. ; q. 85, a. 6, c. ; *de Verit.* q. 1, a. 11.

Ad primum ergo dicendum, quod sensus exterior dicitur raro falsus, quia deceptio in illo contingit per accidens ratione impedimenti vel intrinseci, puta organi indispositi, vel extrinseci, puta ratione medii, ut cum quis per medium viride videt colorem album, quem falsus judicat esse viridem ratione medii. — *de Verit.* q. 1, a. 11, c.

Ad secundum dicendum, quod sensus exterior, ut dictum est (in c.), respectu sensibilis proprii nunquam per se decipitur, sed tantum per accidens ratione impedimenti vel intrinseci vel extrinseci et hoc, quia per se primo refertur ad sensibile proprium ; et quia sensus externus apprehendit rem præsentem sicut est, ad differentiam sensus interni, puta phantasiæ, quæ quia ut plurimum apprehendit rem ut non est (nam illam apprehendit ut præsentem, cum sit absens) sæpe fallitur. Unde Philosophus (4. *Metaphys. text.* 24 ; l. 3, c. 5) dicit, quod sensus non est dominus falsitatis, sed phantasia. — *de Verit.* q. 1, a. 11, c.

Ad tertium dicendum, quod veritas dicitur tantum esse in mente tamquam in cognoscente veritatem, quia solus intellectus cognoscit veritatem. Unde *intellectus* dupliciter dicitur verus : et qui cognoscit veritatem, et quia cognitio ejus vera est ; *sensus* vero quia non cognoscit veritatem, tantum dicitur verus, quia ejus

ognitio vera est, ut dictum est (in c.). — . *Periherm.* l. 3; 1a, q. 17, a. 3, c.

QUÆSTIO LX

DE SPECIEBUS SENSIBILIBUS.

einde considerandum est de speciebus sensibilibus.

CIRCA QUAS QUÆRUNTUR TRIA :

. Utrum dentur species, quæ sint necessariæ ad actum sentiendi.
. Utrum hæ species sint diversæ speciei a qualitatibus sensibilibus.
. Utrum species sensibiles percipiantur sensu, ut visibiles visu.

ARTICULUS I

TRUM DENTUR SPECIES, QUÆ SINT NECESSARIÆ AD ACTUM SENTIENDI.

Videtur quod non sint necessariæ species sensibiles ad actum sentiendi.

1. Dicit enim Philosophus (3. *de Anima ext.* 6; c. 4), quod sola anima intellectiva st locus specierum; sed si sensus egeret peciebus ad sentiendum et eas reciperet b objecto, etiam sensus dici posset seu nima sensitiva locus specierum : quia tiam intellectus dicitur locus specierum, on quia habeat illas actu in se, sed quia otest illas recipere, ut dicit Philosophus l. c.); ergo non sunt necessariæ species ensibiles in sensu ad actum sentiendi. — . *de Anima* l. 7; *Quæst. disp. de Anima* . 3, arg. 10.

2. Præterea, si dantur hæ species ab bjectis exterioribus in sensibus impressæ, equitur (ut argumentatur Philosophus n lib. *de Memoria et Reminisc.* c. 3, al. . 2) sensum externum posse sentire rem absentem; nam cum sensus exterior sit conformis interiori, sicut hic potest per species permanentes abeuntibus sensibilibus apprehendere rem non præsentem : ita et ille propter prædictam conformitatem posset apprehendere rem non præsentem; sed hoc est falsum, nam sensus tantum apprehendit id, quod est præsens, non autem quod est præteritum vel futurum ut dictum est (supra q. 59, a. 2) : ergo non dantur hujusmodi species. — *de Memoria et Reminisc* l. 5.

3. Præterea, si sunt necessariæ hujusmodi species in sensu externo ad actum sentiendi, vel sunt ejusdem rationis cum objectis vel diversæ. *Non primum*, quia sensus est susceptivus formarum sine materia, ut dicitur 2. *de Anima* (*text.* 121; c. 12; et *text.* 138; l. 3, c. 2), objectum autem sensus externi habet esse materiale; et quia, ut dicit Commentator, omne recipiens debet esse denudatum a natura recepti : sic enim lingua infirmi quia est infecta humore cholerico et amaro, non potest percipere aliquid dulce, sed omnia videntur ei amara. *Neque secundum*, quia sic non repræsentabunt objecta; repræsentare enim est continere similitudinem alicujus. Ergo idem quod prius. — 2. *de Anima* l. 24; 3. *de Anima* l. 2.

4. Præterea, vel hæ species sunt indivisibiles vel divisibiles. *Non primum*, quia subjectantur in corpore divisibili; nullum autem indivisibile est in divisibili, quia sic commensurarentur, quod dici non potest. *Neque secundum*, quia sic non posset ex omni parte medii, in quo dicuntur prius esse quam in sensu, videri objectum, quod est falsum. Ergo non sunt necessariæ hujusmodi species.

5. Præterea, si sunt necessariæ hujusmodi species in sensu externo ad actum sentiendi, — *vel primo*, ut sint medium sentiendi; et hoc non, quia sufficiens medium videndi oculo est lumen intrinsecum; — *vel secundo*, ut uniant objectum cum potentia, cum agens et patiens debeant esse simul; et hoc non, quia ad hoc ut sensus exterior percipiat objectum, necessario debet esse distantia localis inter speciem et objectum; nam sensibile supra sensum positum non facit sensationem;

— *vel tertio*, ut determinet potentiam ad sentiendum ; et hoc non, quia vires sensitivæ exteriores ex se sunt determinatæ ad suos actus : cujus signum est, quod non sunt susceptivæ ullius habitus, cujus est determinare potentiam : — *vel quarto* ad producendum sensationis actum ; et hoc non, quia actus vitalis sufficienter elicitur a potentia vitali ; — *vel demum* ad repræsentandum objectum ; et hoc etiam non, *tum* quia quod repræsentat potentiæ cognoscitivæ aliquid, debet ab illa cognosci, alioqui non duceret ipsam in cognitionem alterius ; *tum* quia sensus non agit producendo similitudinem aliquam vel simulacrum objecti, in quo rem ad extra videat, sicut sensus internus et intellectus, quia quod videtur verbi gratia per visum, immediate est color et lux ad extra ; et idem est de aliis sensibus externis, ad differentiam sensus interni (cujus objectum est similitudo rei externæ, eo quod potest percipere rem absentem) et intellectus, qui quia potest similiter intelligere rem absentem et denudatam a conditionibus individuantibus, necesse est ut sibi formet interius aliquam similitudinem et imaginem, in qua rem illam sic intueatur. Ergo non sunt necessariæ hujusmodi species in sensu externo ad actum sentiendi. — 1a 2æ, q. 50, a. 3, ad 3 ; *de Verit.* q. 14, a. 8, ad 4 et 5.

6. Præterea, forma inferioris gradus non potest producere similitudinem sui in gradum altiorem ; sed forma sensibilis naturalis est inferioris gradus quam species sensibilis producta in medio vel in sensu : ergo forma sensibilis non potest producere speciem sensibilem ; et per consequens cum non detur aliud producens, non dabitur talis species, et sic non erit necessaria ad sentiendum. — 1. *c. Gent.* c. 65, n. 8.

Sed contra est : 1. quod Philosophus (7. *Phys. text.* 11 ; c. 2) cum probasset in motu locali movens et motum debere esse simul, quia ad actionem requiritur contactus, idem probat in omni genere alterationis, et præsertim in alteratione sensus. Dicit enim, quod objectum visibil alterat aerem, cui conjunctus est, et ae alteratus alterat visum, cui absque me dio est conjunctus ; sed aer non alte ratur a colore, nec visus ab aere, nis recipiendo aliquam formam ; et *non ejus dem* speciei cum colore, quia visus u videat, debet esse denudatus ab omn colore, ut dicit Philosophus ; ergo *aliam* quam nos vocamus speciem sensibilem.— 7. *Phys.* l. 3 et 4.

2. Præterea, 2. *de Anima text.* 51 (c 5) dicit Philosophus, quod sensus es potentia passiva ; et *text.* 52, quod si no patitur ab objecto, non est ratio, cur no sentiat se ipsum. Unde concludit *text.* 54 60 et 62, quod quia omnia quæ sunt i potentia, patiuntur et moventur ab activ et existente in actu, sensus patitur a objecto, quatenus recipit ab illo speciem ratione cujus sensus dum patitur ab illo dicitur illi dissimilis ; sed cum jam passu est, dicitur factus illi similis, et talis quale est illud ; quod idem dicit *text.* 11 (c. 11). Non potest autem sensus fier talis *realiter*, quale est objectum, no enim color facit visum coloratum, qui cum dispositio materialis sensus non si similis dispositioni materiali sensibilis sensus non est receptivus qualitatis sen sibilis secundum esse materiale et natu rale ; color autem est qualitas habens i objecto sensibili esse materiale et natu rale. Ergo debet fieri talis *intentionalite* et *spiritualiter*, mediante specie illi impres sa, quale est ipsum naturaliter et mate rialiter. — 2. *de Anima* l. 10, 12, 23, 2

3. Præterea, 2. *de Anima text.* 67 (c. 7 dicit Philosophus, quod color est motivu perspicui in actu, et *text.* 71 quod per spicuum in actu, quod est susceptivun coloris, est sine colore ; sed color no movet perspicuum nisi imprimendo ali quid ; non potest autem imprimere colo rem realem, quia color non est activus e multiplicativus sui realiter, sicut prima qualitates, quæ propterea solæ dicuntu a Philosopho activæ et passivæ ad invi cem (2. *de Generat. text.* 8 ; c. 2) : ergo de-

t imprimere colorem intentionalem seu eriem sensibilem sui. — 2. *de Anima* 14, 15; 2. *de Generat.* l. 2.

i. Præterea, 2. *de Anima text.* 74 et (c. 7) contra Democritum probat, quod inter visum et objectum esset vacuum, n posset videri tale objectum, et non i quia oportet ad hoc ut aliquid videa-r, quod organum visus patiatur a visi-i, recipiendo aliquid ab illo. Non potest tem pati ab ipso visibili immediate, ia visibile supra visum positum non letur, sicut nec aliud sensibile positum ra sensorium sentitur, ut docet Philo-hus ibidem, *text.* 75 (c. 7) et *text.* 114 116 (c. 11), ubi universaliter concludit, od sensibile positum supra sensorium facit sensationem. Ergo debet ab illo i per aliquod medium, mediante quo licet formam aliquam ab objecto reci-t; et sic necesse est quod detur aliquod dium inter visibile et visum. Quod ta-n tollitur posito vacuo; unde sequitur od si daretur vacuum, non sentiretur ectum. Quæ ratio manifeste supponit ectum producere aliquid in medio, et dium in sensu, quod expresse docet m Philosophus 3. *de Anima* (*text.* 31; 7), ubi dicit, quod aer immutatur a ore, et sic immutatus pupillam immu-faciendo illam aliqualem, imprimendo icet illi speciem; et quod pupilla sic nutata immutat sensum internum, rimendo scilicet illi speciem. Ergo essaria est species in sensu ad actum tiendi. — 2. *de Anima* l. 15, 23 et ; 3. *de Anima* l. 12.

. Præterea, 2. *de Anima text.* 121 12) dicit Philosophus, quod sensus est quod est susceptivum formarum sine teria, eo modo, quo cera recipit si-m anuli sine ferro et auro; et *text.* (l. 3, c. 2) melius hoc explicans di-quod quia sensus recipit formam e materia, visus est aliquo modo colo-us, quia recipit colorem sine materia; forma seu color sine materia nihil aliud quam species coloris a colore in visu ducta, quæ quia est similitudo colo-ris, potest dici aliquo modo color, habens esse intentionale et spirituale: ergo dantur species in sensibus. — 2. *de Anima* l. 24 et 3. *de Anima* l. 2.

6. Præterea, 2. *de Anima text.* 138 (l. 3, c. 2) dicit, quod sensibilis et sensus actus idem est et unus; et *text.* 140 (ib.) sensibilis actus in sensitivo existit; et *text.* 141 (ib.) unus est actus sensibilis et sensitivi, esse autem alterum; —at nullus actus sensibilis potest esse in sensu præter speciem (nam hæc est perfectio sensus, et est effectus sensibilis, cum sit ab illo in sensu producta): ergo idem quod prius. — 3. *de Anima* l. 2.

7. Præterea, Philosophus (*de Memoria et Reminisc.* c. 3, al. 1) dicit, quod sensibile imprimit picturam quandam et figuram sensui, quomodo sigillans imprimit figuram ceræ; ergo sicut figura ceræ impressa est aliqua forma in cera producta, ita pictura et figura sensui ab objecto impressa erit aliqua forma ab hoc in illo producta, quam nos vocamus speciem. — *De Memoria et Reminisc.* l. 3; 2. *de Anima* l. 12.

8. Præterea, 2. *de Anima* (*text.* 57; c. 5) et *de Somniis* (c. 2) dicit Philosophus, quod sensibilia in singulis sensibus efficiunt sensationem, quatenus in sensitivis faciunt passionem quandam, quam remanere probat in sensibus, sed præsertim in visu, etiam abeunte sensibili, per quatuor signa manifesta, quam passionem vocat (2. *de Anima text.* 138; l. 3, c. 1) formam sine materia: ergo vere objectum sensibile producit realem formam in sensu, quam nos dicimus speciem. — *de Somniis* l. 2.

9. Præterea, *de Sensu et Sensibili* c. 2 dicit Philosophus, quod motus aer in medio facit videre; ergo objectum movet aerem; sed non alio motu quam alterationis: ergo vere objectum producit aliquam formam in aere seu in medio; sed non eandem specie cum forma objecti, cum color, quod est objectum visus, non sit activus: ergo diversam specie, quam nos vocamus speciem. Et c. 7 (al. 6) di-

cit, quod passio medii fit in instanti; ergo objectum agit in instanti in medium; at omnis actio terminatur ad aliquam formam vi actionis productam. Et c. 2 dicit, quod oculus in speculo videt se ipsum, quia species emissa ab oculo reflectitur et repercutitur a speculo ad oculum, et mediante illa deinde oculus videt seipsum, non autem speciem. Ergo datur species sensibilis. — *de Sensu et Sensibili* l. 2.

10. Præterea, visus determinatur ad videndum aliquid determinatum per aliquid prævium visioni; sed non determinatur per lucem (nam hæc est indifferens ad omnia visibilia), neque determinatur per objectum extra (nam hoc terminat visionem): ergo debet determinari ab objecto externo mediante specie sensibili ab objecto in visu producta. — *de Verit.* q. 2, a. 5, in c. et ad 10.

Respondeo dicendum, quod necesse est dicere, quod in omni sensu tam interno quam externo necessario requiritur ad actum sentiendi species sensibilis ab objecto in sensu externo producta. Quod multipliciter potest esse manifestum: — et *primo* ex natura cognitionis. Hæc enim ex natura sua petit fieri per assimilationem et similitudinem objecti. Quod patet: *primum* quia, cum duplex sit actio, sicut dicitur 9. *Metaphys.* (*text.* 16; l. 8, c. 8): una, quæ manet in agente, ut videre et intelligere; et altera, quæ transit in exteriorem materiam, ut calefacere et secare; et utraque fiat secundum aliquam formam; — *sicut* forma secundum quam provenit actio *tendens in exteriorem materiam*, est similitudo objecti actionis, ut calor calefaciens est similitudo calefacti; ita forma secundum quam provenit actio *manens in agente*, est similitudo objecti. Unde sicut similitudo rei intellectæ est forma, secundum quam intellectus intelligit; ita similitudo rei visibilis est forma, secundum quam visus videt. Ergo sicut forma intellectus dicitur species intelligibilis, ita forma visus dicetur species sensibilis. Et hinc est, quod Philosophus (3. *de Anima text.* 38; c. 8) dicit, quod lapis non est in anima, sed species et forma lapidis. — 1 q. 17, a. 2 et 3, c.; q. 85, a. 2, c.; *Verit.* q, 2, a. 6, c. — *Deinde* quia, si res habet esse per propriam formam, virtus cognoscitiva habet cognoscere similitudinem, ut omnes philosophi an qui communi consensu dixerunt, ut cet Philosophus (1. *de Anima text.* 77; c. 5, et alibi passim). Et ratio hujus est, quia anima est quodamm omnia, ut inquit Philosophus (3. *de Anima text.* 37; c. 8). Nam omnia materialia sunt in spiritualibus substantiis aquo modo tamquam in causis universalibus; et anima secundum virtutem sensitivam est in potentia ipsa sensibil sicut secundum intellectivam intelligibilia, ut ex eodem Philosopho dictum e unde necesse est quod omnia sensib sint in sensu secundum aliquod e proportionatum sensui, et similiter intelligibilia in intellectu secundum esse proportionatum; illud autem est e sensibile, hoc autem intelligibile. Q vero omne esse est secundum aliqu formam, oportet quod esse sensibile rum materialium sit secundum form sensibilem, sicut esse intelligibile earu dum secundum formam intelligibil. Sicut autem forma intelligibilis in intellectu dicitur species intelligibilis, et immaterialis quædam similitudo rer materialium; ita forma sensibilis in sensu dicetur species sensibilis, et erit similitudo in sensu existens repræsenta rei sensibilis externæ.

Secundo, potest idem esse manifes ex eo quod oportet ex cognoscente cognito fieri unum. Sicut enim intelle in actu est intellectum in actu, ita et sus in actu est sensibile in actu; potest autem fieri unum ex utroque per speciem et similitudinem objecti non enim sensus in actu dicitur fieri jectum seu sensibile in actu, quia objectum sensibile fiat substantia vel substantiæ sensus vel intellectus; quia objectum, mediante forma et sp in sensu producta, fit forma illius e

ajunctione utriusque fit hoc unum, quod sensus in actu —: ergo necessario endum est, requiri ad sensationem eiem a sensibili in sensu productam. 1a, q. 17, a. 2, c; 1. *Sent.* dist. 35, q. a, 1, ad 3; *Quodl.* 8, a. 4, c.; *de Verit.* 2, a. 2, c.

Tertio, idem patet ex necessario contu moventis et moti, et necessaria sitate utriusque. Cum enim omne mots et motum necessario debeant esse iul, quod in omni etiam alteratione e probat Philosophus 7. *Phys.* (*text.* sqq.; c. 2), et objectum sensibile imtet et agat in sensum — quod patet ex medio, quod necessario debet incedere inter sensum et objectum, ut tum est ex Philosopho (non enim ulm agens eget medio, nisi sit actio per um, alioqui in ipso reciperetur); *tum* præsentia objecti necessario requisita sensationem (non enim intelligi potest, omodo hæc præsentia faciat ad sensanem sensus externi, si non agat in ipn sensum: quia nec esset ratio, cur ectum valde distans non sentiretur; o enim requiritur determinata distan- ad visionem objecti, quia operatio sitiva perficitur per actionem sensibiin sensum, quæ est actio situalis ad diictionem operationis intellectus, quæ n determinatur per aliquem situm; et sequenter non esset ratio, cur non ita ile videatur objectum distans atque pinquum, cum tamen difficilius videus illud quam hoc, et non nisi quia poris distantis debilior est impressio, ideo difficilius illud sentimus; neque iliter esset ratio, cur objectum proquum majus appareat quam distans): ecessario dicendum est, quod objectum sibile simul sit cum sensu, quem imtat: non potest autem esse simul reaer seu secundum suam substantiam, a sensibile positum supra sensorium n facit sensationem, ut manifeste cont in visu: ergo debet simul esse intenaliter seu per speciem in medio, et hoc in sensu productam.

Quarto, probatur ex sensu interno: hic enim absentibus sensibilibus percipit rem tamquam præsentem, quæ non est præsens, unde errat persæpe; et memoria sensitiva rei præteritæ memoratur. Sed neuter sensus potest percipere objectum sive falso sive vere, nisi adsit aliqua species et similitudo sensibilis absentis. Neque enim dici potest remanere sensationem sensus externi; nam hic tantum potest percipere rem præsentem, ut dictum est (supra q. 59, a. 1); — neque sensationem sensus interni, puta imaginationis, quia sic semper sensus internus esset in actu, quod est falsum et contra experientiam, ut dictum est (v. infra q. 96, a. 5, c.). — 7. *Phys.* l. 4; 2. *de Anima* l. 6 et 16; lib. 3, l. 7; *de Verit.* q. 10, a. 8, ad 1; 2. *de Cœlo et Mundo* l. 12. — *Quinto* probatur experientia speculi: in speculo enim quis videt se; sed non potest se videre nisi per aliquam speciem productam ab ipso vidente, quæ a speculo reflectitur ad eumdem, mediante qua videns se videt, ut dictum est ex Philosopho (*de Sensu et Sensibili* c. 2). — V. supra arg. 9 *Sed contra* (huj. art.). — *Sexto*, si ad sentiendum non requirerentur species, sola immutatio naturalis sufficeret ad sentiendum; et sic omnia corpora naturalia sentirent, dum alterantur; quod est falsum. — 1a, q. 78, a. 3, c.

Septimo, in patria omnes sensus erunt in actu, *tum* quia potentia conjuncta actui est perfectior quam non conjuncta; sed natura humana erit in beatis in maxima perfectione: ergo erunt omnes sensus in actu; — *tum* quia vicinius se habent potentiæ sensitivæ ad animam quam corpus; sed corpus præmiabitur vel punietur secundum delectationem et dolorem, quæ in operatione consistunt; — *tum* quia alioqui vita sanctorum in cœlis assimilabitur magis somno quam vigiliæ; quod non competit illi perfectioni, eo quod in somno corpus sensibile non est in ultimo actu vitæ, propter quod somnus dicitur vitæ dimidium (1. *Ethic.* c. 13); sed non erunt semper in actu secundum

naturalem immutationem (nam tollitur ab impassibilitate): ergo erunt secundum immutationem *spiritualem* per receptionem specierum sine materia. Ergo dicendum est necessariam esse speciem sensibilem in sensu tam interno quam externo ad sensationis actum producendum. — 4. *Sent.* dist. 44, q. 1, a. 3, sol. 4; et q. 2, a. 1, sol. 3 et 4.

Ad primum ergo dicendum est, quod sensus non recipit speciem absque organo; et ideo non dicitur locus specierum, sicut intellectus. — *Quæst. disp. de Anima*, a. 3, ad 10.

Ad secundum dicendum, quod sensus externus per speciem ab objecto sibi impressam non sentit rem absentem; illam tamen sentit sensus interior, *vel* quatenus similitudo objecti remanet abeunte sensibili, *vel* quatenus species sensibilis se multiplicat producendo aliam speciem in sensu interno, ut docet Philosophus (3. *de Anima text.* 31; c. 7), quæ deinde remanet, et est objectum sensus interni, ut dictum est (supra q. 59, a. 2, c.). — *de Memoria et Remisc.* l. 3; 1a, q. 78, a. 4, ad 2; *de Spirit. Creat.* a. 10, ad 17; 3. *de Anima* l. 12.

Ad tertium dicendum, quod species necessaria ad sensationem est diversæ rationis quoad esse naturæ; est autem ejusdem rationis in esse repræsentativo: non enim requiritur ad cognitionem similitudo secundum convenientiam in natura inter cognoscentem et cognitum, sed tantum similitudo secundum repræsentationem. — *de Verit.* q. 2, a. 3, ad 9; q. 8, a. 11, ad 3; q. 10, a. 4, ad 4.

Ad quartum dicendum, quod species sensibiles sunt per accidens divisibiles, cum dividantur ad divisionem subjecti, in quo recipiuntur, puta organi et medii; et sunt indivisibiles secundum propriam rationem et per se, quia in quacumque parte medii est tota species quoad repræsentationem.

Ad quintum dicendum, quod species sensibilis est necessaria ad actum sentiendi *primo* ut *medium quo*. Triplex enim est medium in visione corporali et intellectuali. *Primum est medium sub quo* videtur; et hoc perficit visum ad videndum in generali, non determinans visum ad aliquod objectum speciale; et hoc munus obit respectu visus corporalis lumen corporale et respectu visus spiritualis sive intellectus possibilis lumen intellectus agentis. *Secundum* est *medium quo* videtur; et hoc est forma visibilis, qua determinatur uterque visus ad speciale objectum: non enim potest lumen corporale determinare visum ad species determinatas colorum, nisi adsint colores determinantes visum mediantibus speciebus. *Tertium* est *medium in quo* videtur; et hoc est illud, per cujus inspectionem ducitur visus in aliam rem, sicut inspiciendo speculum ducitur in ea quæ in speculo repræsentantur. — *Secundo*, species est uniens objectum cum potentia, cum ex objecto sensibili et sensu fiat unum in actu, ut dictum est (in c.). — *Tertio*, est forma qua cognoscens cognoscit: sicut enim res habet esse per formam, ita virtus cognoscitiva habet cognoscere per formam et similitudinem rei cognitæ, ut dictum est (in c.). — 4. *Sent.* dist 49, q.2, a. 1, ad 15; v. Capreolum 2 *Sent.* d. 3, q. 2, ad primum Durandi contra quartam conclus. (1); *Quæst. disp. de Anima* a. 5, ad 6; 1a, q. 17, a. 3, c.; *Quodl.* 7, a. 1, c.

Ad sextum dicendum, quod actio sensibilis formæ ad diffusionem similitudini suæ formæ in medio secundum spiritualem intentionem convenit sibi secundum quod participat aliquid de proprietate superioris naturæ, scilicet substantiarum separatarum, quia inferiora semper aliquam superioris participationem habent et ideo agens secundum propriam formam ignobilius potest producere formam nobiliorem, ut participans naturam superiorem. — *de Pot.* q. 5, a. 8, c.

(1) Edit. Venet. an. 1589, t. 2, pag. 174, l.

ARTICULUS II

UTRUM SPECIES SENSIBILES SINT DIVERSÆ SPECIEI A QUALITATIBUS SENSIBILIBUS.

Videtur quod species sensibiles sint ejusdem speciei cum qualitatibus sensibilibus.

1. Dicit enim Philosophus (7. *Metaphys. text.* 30; l. 6, c. 9), quod omnia fiunt ab univoco, sicut naturalia; sed artificialium principium est species existens in anima: ergo species est ejusdem rationis cum forma artificiali extrinseca. — 7. *Metaphys.* l. 8.

2. Præterea, species est similitudo objecti, ut dictum est (art. præced.); sed similitudo proprie est inter ea quæ conveniunt in eadem specie; ut enim ait Philosophus (5. *Metaphys. text.* 20; l. 4, c. 15), similia sunt, quorum est una et eadem qualitas: ergo species est ejusdem speciei cum qualitate sensibili. — 5. *Metaphys.* l. 17 (20).

3. Præterea, species sensibilis est principium cognoscendi secundum rationem, in qua communicat cum re exteriori; sed species perducit in cognitionem rei secundum suam rationem specificam: ergo necessario debet communicare cum illa in ratione specifica, et consequenter debet esse ejusdem rationis et speciei cum re externa. — 4. *Sent.* dist. 49, q. 2, a. 1, c.; 3. *c. Gent.* c. 49, rat. 2.; *de Verit.* q. 10, a. 4, ad 4.

4. Præterea, propterea essentia divina non potest videri per ullam speciem creatam, quia nulla res creata potest esse eadem specie cum natura divina; ergo omnis species debet esse ejusdem speciei cum re quam repræsentat, et per consequens species sensibilis cum qualitate sensibili. — *c. Gent.* c. 49, rat. 3.

Sed contra est: 1. quod Philosophus (2. *de Anima text.* 116; c. 11) dicit, quod sensibile positum supra sensorium non facit sensationem; ergo species, quæ est in sensu, debet esse diversæ rationis a forma sensibilis, alioqui non faceret sensationem. — 2. *de Anima* l. 23.

2. Præterea, albedo et nigredo cum sint contrariæ, non possunt esse in eodem subjecto; sed species albedinis et nigredinis possunt esse in eodem medio et in eodem sensu: ergo species sensibiles sunt diversæ rationis a qualitatibus sensibilibus. — *de Sensu* et *Sensibili* l. 5.

3. Præterea, sensus non est capax formæ rei sensibilis, cum non habeat dispositionem materialem similem dispositioni materiali rei sensibilis; sed est capax speciei sensibilis: ergo species sensibilis non est ejusdem rationis cum qualitate sensibili. — 2. *de Anima* l. 24.

4. Præterea, qualitas sensibilis habet esse materiale, atque adeo in materia; sed species sensibilis non habet esse in materia, nam est forma sine materia, ut dictum est (art. præced.) ex Philosopho: ergo species sensibilis non est ejusdem rationis cum qualitate sensibili.

Respondeo dicendum, quod necesse est dicere, quod species sensibiles sunt diversæ speciei a qualitatibus sensibilibus. Ad cujus evidentiam sciendum, quod similitudo aliquorum duorum ad invicem potest dupliciter attendi: — *uno modo* secundum convenientiam in natura; et talis similitudo non requiritur inter cognoscentem et cognitum: *tum* quia videmus quandoque, quod quanto talis similitudo est minor, tanto cognitio est perspicacior; sicut minor est similitudo speciei quæ est in intellectu ad lapidem, quam illius quæ in sensu ad eundem, cum sit magis a materia remota, et tamen intellectus perspicacius cognoscit lapidem quam sensus; *tum* quia non est similis dispositio in organo sensus ad recipiendam speciem, atque in objecto ad recipiendam qualitatem sensibilem, ut dictum est (art. præced.); formæ autem ejusdem speciei exigunt etiam in subjecto easdem dispositiones, cum quælibet forma recipiatur in materia disposita. — *Alio modo* secundum repræsentationem; et hæc similitudo re-

quiritur inter cognoscentem et cognitum, et reperitur in specie sensibili respectu qualitatis sensibilis, sicut et in specie intelligibili respectu rei omnino materialis. — *de Verit.* q. 2, a. 3, ad 9; q. 8, a. 11, ad 3; et art. præc., c.

Ad primum ergo dicendum, quod Philosophus dicit domum fieri a domo quodammodo univoce, quia est similitudo secundum formam, sed non secundum modum eundem essendi formæ. — 7. *Metaphys.* l. 8.

Ad secundum dicendum, quod inter speciem et objectum, cujus ipsa est similitudo, non debet esse similitudo in natura, de qua loquitur Philosophus loco citato in argumento, sed similitudo secundum repræsentationem, ut dictum est (in c.). — *de Pot.* q. 8, a. 1, c.

Ad tertium dicendum, quod species sensibilis dicitur esse ejusdem rationis, et communicare in natura cum re sensibili, quia ambæ communicant in *forma*, nam utraque est forma; differunt autem in *esse*, quia forma in objecto habet esse naturale et materiale, in sensu vero habet esse intentionale et spirituale, ut dictum est (art. præced.). — 7. *Metaphys.* l. 8.

Ad quartum dicendum, quod essentia divina non potest videri per speciem creatam: — *primo*, quia impossibile est quod aliquod ens creatum sit perfecte actus et similitudo omnium entium, quia sic infinite possideret naturam entitatis. — *Secundo*, quia cum omne quod recipitur in aliquo, sit in eo per modum recipientis, talis species esset in intellectu nostro per modum nostri intellectus; modus autem intellectus est deficiens a receptione perfecta divinæ similitudinis. Quod patet, quia ad hoc quod intellectus intelligat aliquam quidditatem, oportet quod in eo fiat similitudo ejusdem rationis secundum speciem, quamvis non sit idem modus essendi utrobique; — non enim forma existens in intellectu vel sensu, est principium cognitionis secundum modum essendi, quem habet utrobique, sed secundum rationem, in qua communicat cum re exteriori; non potest autem dari ull species creata, quæ sit ejusdem rationi secundum speciem cum divina essentia ut manifestum est. — *de Verit.* q. 20, a 2, c.; q. 8, a. 1, c.; 4. *Sent.* dist. 49, q. 2 a. 1, c.; 3. *c. Gent.* c. 49, rat. 2. — *Terti* quia si daretur talis species, non imme diate videretur Deus, cum tamen bea titudo debeat esse immediate visio D quæ proinde dicitur *visio faciei*. Sequel probatur, quia ideo creaturæ corporale non dicuntur immediate videri, nisi quat do id, quod in eis est conjungibile visui ei conjungitur, quia non sunt conjungi biles per essentiam ratione suæ materia litatis; et ideo tunc immediate videntur quando eorum similitudo intellectui con jungitur; sed Deus per essentiam con jungibilis est intellectui: unde non im mediate videretur nisi essentia sua con jungeretur intellectui. — 4. *Sent.* c. ad 16; *de Verit.* q. 8, a. 5, ad 5 et — *Quarto*, omnis species intelligibili per quam intelligitur quidditas vel esse tia alicujus rei, comprehendit in repra sentando rem illam; unde et oratione significantes quod quid est, terminos rationes et definitiones vocamus; impos sibile autem est quod aliqua similitud creata totaliter Deum repræsentet. Cu enim adæquatio in repræsentando fu detur super adæquatione naturæ int speciem et rem intellectam, sicut impos sibile est adæquari Deum et specie creatam in natura (quia quælibet simil tudo creata est determinati generis, cu omne creatum ad aliquod genus vel sp ciem terminetur; divina vero essentia e infinita comprehendens in se omne perfectionem totius esse): ita impossibi est dari speciem creatam, quæ in repra sentando adæquet divinam essentiam. — *Postremo*, quia superflua esset hujusmo species; quia enim visibilia non sunt lu tantum, ideo oportet ad hoc quod visu determinetur ad ea, quod non solum s ibi lumen, sed etiam species rei visæ; se essentia divina est pure lux, et ideo no requirit ullam speciem quam ipsum lume

, videatur. — *Quodl.* 7, a. 1, c. (non dicit positum, si attente legatur) ; 3. *c. Gent.* 49, rat. 3 et 4 ; v. Ferrariensem.

ARTICULUS III

UTRUM SPECIES SENSIBILES SENSU EXTERNO PERCIPIANTUR, UT SPECIES VISIBILES VISU.

Videtur quod species sensibiles sensu terno percipiantur.

1. Dicit enim Philosophus (2. *de Anima t.* 121 ; c. 12 ; et *de Memoria et Remisc.* c. 2, al. 1), quod species sensibiles nt figuræ quædam et picturæ sensus ; l figura et pictura necessario debet rcipi a potentia cognoscitiva ad hoc, ut am deducat in cognitionem rei figuratæ pictæ : ergo species sensibilis sensu terno percipitur. — *de Memoria et Remisc.* l. 3 ; 2. *de Anima* l. 24.

2. Præterea, 1. *Poster.* (*text.* 5 ; c. 2) itur, quod propter quod unumquodd est, ipsum magis est ; sed propter ecies sensibiles videntur objecta sensia : ergo ipsæ magis debent videri. — q. 87, a. 2, arg. 3.

3. Præterea, dicit Philosophus (*de Memo- et Reminisc.* c. 2, al. 1), quod phanma potest non solum percipi secunn suum esse, sed etiam quatenus præsentativum, sicut animal pictum est videri non solum quatenus animal sed etiam quatenus imago ; sed phanna nihil aliud est quam species sensis, quæ remanere potest abeunte sensi, ut dicit Philosophus (*de Somniis* c. 2) : o species sensibilis potest videri. — *de noria et Reminisc.* l. 3 ; *de Somniis* .

. Præterea, Philosophus dicit (*de Som-* c. 2), quod abeunte sensibili sensus s adhuc videt visibile ; sed sensus rior atque adeo visus non potest re nisi rem præsentem et existentem, lictum est (supra q. 59, a. 2) : ergo non sit præsens res visibilis, sed tantum species, illa est, quæ videtur, et non res. — *de Somniis* l. 2.

5. Præterea, oculus in speculo videt imaginem sui ; sed illa imago nihil aliud est quam species (cum enim potentiæ sensitivæ non possint reflectere se supra se, non potest oculus videre se ipsum, sicut nec actum suum) : ergo idem quod prius. — *de Sensu et Sensibili* l. 4 ; 1. *Sent.* dist. 17, q. 1, a. 5, ad 3 ; 3. *Sent.* dist. 23, q. 1, a. 2, ad 3 ; *Quodl.* 10, a. 7.

6. Præterea, sensibile in actu est in sentiente, quia sensibile in actu est ipse sensus in actu, ut dicitur 2. *de Anima* (*text.* 118 ; c. 11) ; sed nihil de re sensibili est in sensu in actu, nisi species sensibilis producta in illo ab objecto : ergo hujusmodi species est ipsum sensibile in actu, et consequenter ipsa est, quæ videtur. — 1a, q. 85, a. 2, arg. 1.

Sed contra est : 1. quod objectum visus tantum est color et lumen, ut dicit Philosophus (2. *de Anima text.* 66 ; c. 7) ; sed illud tantum cognoscitur a virtute cognoscitiva, quod est ejus objectum : ergo cum species sensibilis neque sit color neque lumen, non poterit sensu externo sentiri. — 2. *de Anima* l. 13 et 14 ; 1a, q. 87, a. 3, arg. 1.

2. Præterea, visus non potest cognoscere nisi illud, cujus species spiritualiter in pupilla potest recipi ; recipiuntur autem in oculo tantum species coloratorum et lucidorum : ergo species sensibiles non videntur. — 2. *de Anima* l. 13 et 14.

3. Præterea, dicit Philosophus (2. *de Anima text.* 116 ; c. 11), quod sensibile positum supra sensorium non facit sensationem ; sed species sensibilis est in sensorio, est enim actus ipsius : ergo species sensibilis non sentitur sensu externo. — 2. *de Anima* l. 23.

Respondeo dicendum, quod sensus externus non potest percipere speciem sensibilem in se ab objecto sensibili productam. Quod multipliciter potest apparere : — et *primo* quidem, quia sensus externus sentit secundum immutationem materialis organi ex sensibili exteriori ; non est

autem possibile, quod aliquid materiale immutet seipsum, sed unum immutatur ab alio; et ideo nec species, quæ est in organo, nec actus sensationis, qui est actus organi, potest percipi directe a sensu externo, sed tantum ab interno. (1a, q. 87, a. 3, ad 3.) — *Secundo*, quia sensus non potest cognoscere, nisi secundum quod fit actu per speciem sensibilem; sicut nihil aliud potest operari secundum quod est potentia, sed secundum quod fit actu per aliquam formam. Unde hæc similitudo se habet in sentiendo sicut sentiendi principium, ut calor est principium calefactionis; sed principium actionis non est nec potest esse terminus illius: ergo cum id, quod videtur, sit terminus cognitionis, non potest species sensibilis esse id, quod videtur, saltem directe et per se; sed hoc erit id, cujus est similitudo talis species, ut patet similiter in intellectu. Et confirmatur; nam licet illud, quo cognoscimus sicut *instrumento*, potest cognosci tamquam objectum, et debet esse primo notum (et sic cognoscimus conclusiones per principia naturaliter nota, ad quæ naturaliter comparatur intellectus agens sicut ad instrumenta, ut dicit Commentator 3. *de Anima*); — illud tamen, quo cognoscimus sicut *forma cognoscentis*, non oportet quod cognoscatur per se et directe (ut patet, quia nec oculus videt lucem, quæ est de sui compositione); ergo nec videbit speciem, per quam videt (*de Pot.* q. 9, a. 5, c.; *Quodl.* 10, a. 7, ad 2). — *Tertio*, quia inter potentias animæ solus intellectus reflectitur supra se, cognoscendo actum suum et ea, quæ in se sunt. Unde licet una potentia sensitiva possit cognoscere actum *alterius*, nulla tamen talis potentia potest reflecti supra se, cognoscendo actum *suum*: quia oporteret quod instrumentum, quo cognosceret, caderet medium inter ipsam potentiam et instrumentum, quo prius cognoscebat; sed eadem est ratio de actu proprio atque de specie. Unde manifestum est, quod species sensibilis non cognoscitur a sensu externo. — 3. *Sent.* dist. 23, q. 1, a. 2, ad 3; v. Capreolu in 1. *Sent.* d. 35, q. 2, conclus. 5; pa 466, a et b.

Ad primum ergo dicendum, quod speci sensibilis respectu sensus *externi* e *medium quo* et *forma* cognoscendi, ut dictum est (supra a. 1 hujus quæst.); r spectu autem sensus *interni* est *objectu quod* percipitur, ut etiam dictum est (s pra q. 59, a. 2 et 3). — *de Memoria Reminisc.* l. 3; 1. *Sent.* l. c. q. 1, a. 5, ad

Ad secundum dicendum, quod illa p positio (propter quod unumquodque, et vera est, si intelligatur in his, quæ su unius ordinis, puta in uno genere caus ut si dicatur, quod sanitas est desiderab lis propter vitam, sequitur quod vita magis desiderabilis. Si autem accipia tur ea, quæ sunt diversorum ordinu non est vera: ut si dicatur, quod sanit est desiderabilis propter medicinam, n ideo sequitur quod medicina sit mag desiderabilis, quia sanitas est in ordi finium, medicina vero in ordine causaru efficientium. Sic igitur si accipiamus du quorum utrumque sit per se in ordi objectorum cognitionis, illud, propter qu aliud cognoscitur, erit magis notum, sic principia conclusionibus; sed species se sibilis non est in ordine objectorum; n enim aliqua cognoscimus propter specie tamquam propter objectum cognitum, s sicut formam, qua cognoscens cognosci et ideo ratio non sequitur. — 1a, q. 8, a. 2, ad 3.

Ad tertium dicendum, quod phant sma relictum est objectum sensus inter non autem externi, ut dictum est (ad 1). 1a, q. 85, a. 2, et alibi.

Ad quartum dicendum, quod quia se sus communis utitur sensibus particul ribus sicut organis et instrumentis, ut cit Philosophus *de Sensu et Sensibili* c 3 (ubicunque enim sunt diversæ potent ordinatæ, inferior ordinatur ad superi rem per modum instrumenti, eo quod s perior movet inferiorem; actio aut attribuitur principali agenti per instr mentum: sicut artifex dicitur secare p

ram); et quia sensus communis conti-
ıtur cum sensu externo et terminat im-
tationem illius; — ideo vocatur no-
ıe sensus externi, puta visus, auditus,
ic de singulis. Et propterea cum Phi-
ophus dicit, quod aleunte visibili vi-
adhuc videt visibile, vel quod videt
videre, nomine *visus* intelligit *sensum*
rnum, ut habet continuationem cum
erno, vel quatenus utitur illo tam-
m instrumento; alioqui sensus exter-
nec percipit rem præteritam vel futu-
ı, sed tantum præsentem, ut dictum
(q. 59, a. 2), nec potest percipere se
ım, ut docet Philosophus *de Sensu et*
sibili c. 3. — 3. *de Anima* l. 2; v.
rariensem in 2. *c. Gent.* c. 60.

ld *quintum* dicendum, quod oculus
videt in speculo imaginem vel speciem
, sed per illam reflexam a speculo ad
psum videt se. Quod patet manifeste,
a imago et species rei visæ non est in
culo ut forma absolute quiescens in
jecto, sed generatur ex reverberatio-
; et ideo quamdiu est una superficies
culi, fit una reverberatio, et per con-
uens una imago resultat; fracto autem
culo, sicut sunt multæ superficies, ita
ltæ reflexiones et imagines multæ re-
tant. Si autem esset forma absolute
escens in subjecto, aut esset consequens
ıntitatem, sicut albedo, quæ fundatur
superficie, aut præcedens quantitatem,
ıt forma substantialis. Si primo modo,
necessitate esset tota in toto, et pars
parte ante fractionem speculi et post;
utem esset secundo modo, esset ante
post tota in toto et tota in partibus,
ıt tota forma substantialis ligni est in
ılibet parte illius; quia totalitas formæ
stantialis non recipit quantitatis tota-
tem, sicut est de totalitate formarum
identalium, quæ fundantur in quanti-
et præsupponunt ipsam. — *de Sensu*
Sensibili l. 4; 4. *Sent.* dist. 10, q. 1, a.
sol. 3.

ıd *sextum* dicendum, quod sensibile est
sentiente per suam similitudinem; et
hunc modum dicitur, quod sensibile
in actu est sensus in actu, in quantum
similitudo rei sensibilis est forma sensus
sicut similitudo rei intelligibilis est forma
intellectus in actu. Unde non sequitur,
quod species sensibilis sit id, quod actu
sentitur, sed quod sit similitudo ejus,
sicut similiter species intelligibilis non
est id, quod actu intelligitur, sed est
similitudo ejus. — 1a, q. 85, a. 2, ad 1.

QUÆSTIO LXI

DE SENSATIONE.

Deinde considerandum est de sensatione.

CIRCA QUAM QUÆRITUR:

Utrum sensatio consistat tantum in receptione speciei sensibilis.

ARTICULUS

UTRUM SENSATIO TANTUM CONSISTAT IN RECEPTIONE SPECIEI SENSIBILIS.

Videtur quod sensatio tantum consistat in receptione speciei sensibilis.

1. Dicit enim Philosophus (2. *de Anima text.* 138, 139, 140; l. 3, c. 2), quod una et eadem est operatio sensus et sensibilis, sed ratione differunt, quia idem actus est sensibilis ut a principio a quo, et sensitivi ut in subjecto; sed operatio sensibilis est productio speciei in sensu: ergo et operatio sensus erit receptio hujus speciei.— 3. *de Anima* l. 2.

2. Præterea, dicit Philosophus 2. *de Anima text.* 51. (c. 5), quod sentire nihil aliud est quam moveri et pati; est enim (inquit) sensus in actu quædam alteratio: quod autem alteratur, patitur; sed sensus patitur ab objecto: quod enim est in potentia, patitur et movetur ab activo et existente in actu, ut dicitur *text.* 54; sensus autem est tantum potentia passi-

va, ut dicitur *text.* 51, et activum sensitivæ operationis est extra, nempe visibile, audibile et similia, ut dicit Philosophus *text.* 59 (c. 5) : ergo sensatio nihil aliud est, quam receptio speciei ab objecto. — 2. *de Anima* l. 10, 11 et 12.

3. Præterea, dicit Philosophus (2. *de Anima text.* 54 ; c. 5), quod idem est sensum moveri et pati, et agere ; sed sensus patitur, quatenus recipit speciem ab objecto : ergo sensus etiam dicitur agere, quatenus recipit eandem speciem ; et sic sensatio nihil aliud erit quam receptio speciei. — 2. *de Anima* l. 10.

4. Præterea, si sensatio est actio, vel idem sensus est agens et patiens, vel alius est sensus agens, et alius patiens ; sed neutrum dici potest. Non primum : tum quia ejusdem potentiæ non est agere et pati ; tum quia, cum sensus sit in potentia ad sensibilia, non potest poni sensus agens, sed tantum patiens. Neque secundum, quia in hoc distinguuntur inter se potentiæ animæ, quod in parte nutritiva omnes potentiæ sunt activæ ; in parte vero intellectiva est aliquid activum et passivum ; in parte autem sensitiva omnes potentiæ sunt passivæ ; unde et Philosophus sensum vocat potentiam tantum passivam. Ergo sensatio non consistit in actione, sed in receptione sola speciei. — *de Verit.* q. 26, a. 3, arg. 4 ; 1a, q. 79, a. 3, arg. 1 et ad 1.

Sed contra est : 1. quod Philosophus (*de Sensu et Sensibili* c. 2) dicit, quod sensatio non consistit in receptione speciei, sed in actione virtutis sensitivæ ; et ibidem asserit, quod sensibile facit sensum agere et operari ; et (2. *de Anima text.* 37 ; c. 4) dicit, quod anima est causa efficiens sensationis ; sed omne efficiens habet actionem : ergo sensatio non consistit tantum in receptione speciei, sed in actione elicita ab ipsa potentia sensitiva. — *de Sensu et Sensibili* l. 4 et 5 ; 2. *de Anima* l. 7.

2. Præterea, dicit Philosophus (3. *de Anima text.* 28 ; c. 7), quod motus ille, quo sensus alteratur a sensibili, recipiendo ab ipso speciem sensibilem, est *actus imperfecti* (et ratio hujus esse potest, quia omne quod est in potentia, in quantum hujusmodi, est imperfectum, et ideo ille motus est actus imperfecti) ; motus autem, quo sensus jam factus in actu per suam speciem, operatur, est *actus perfecti*, quia nimirum sentire non convenit sensui nisi in actu existenti ; ergo sensatio non consistit tantum in receptione. — 3. *de Anima* l. 12.

3. Præterea, nobilius est agere quam pati ; sed potentia nutritiva est activa : ergo potentia sensitiva, quæ est nobilior, erit activa. — *de Verit.* q. 26, a. 3, arg. 5.

Respondeo dicendum, quod sensatio non consistit in receptione speciei sensibilis sed in operatione consequente talem receptionem. Ad cujus evidentiam considerandum est, quod proprie loquendo de actione, secundum quod in naturalibus sumitur, aliud est actio, aliud operatio. Operatio enim agentis *quædam* est ut transiens in effectum : et hæc propria *actio* vel *passio* dicitur, seu operatio activa et passiva ; et tali actioni respondet passio : unde invenitur calefactio actio et calefactio passio. *Quædam* vero operatio est, quæ non significatur ut procedens in aliquem effectum, sed magis secundum quod est aliquid in ipso et siquidem hæc recipitur in ipso, illa receptio dicitur passio ; et actio consequens conjunctum ex recepto et recipiente dicitur *operatio*, quia operatio semper est perfecti. — Et sic se res habet in sensu : sentire enim est quædam operatio sentientis, non procedens in effectum aliquem circa sensibile, sed magis secundum quod species sensibilis in ipso est. Unde sentire, quantum ad ipsam receptionem speciei sensibilis, nominat passionem ; similiter et intelligere, quod etiam quoddam pati est, ut dicitur 3. *de Anima* (*text.* 2 ; c. 4). Sed quantum ad actum consequentem ipsum sensum perfectum per speciem, nominat operationem, quæ dicitur motus sensus, quo scilicet anima dicitur se movere. De quo motu dicitur 3. *de Anima* (*text.* 28 ; c. 7), quod est actus

erfecti : est enim hujusmodi operatio
erfectio operantis, sicut operatio activa
st perfectio operati, non autem operan-
s; et omnes tales operationes non habent
issiones respondentes, nisi per modum
gnificandi tantum ; sicut cum aliquid
citur sciri, non ponitur aliqua passio
cundum rem in scito, sed solum qui-
um respectus ad scientem secundum ra-
onem, qui per modum passionis signi-
catur a grammatico, sicut et operatio
r modum actionis ; unde dicitur, quod
ire est activum et sciri passivum. Et sic
atet, quod sentire non est receptio spe-
ei, nisi causaliter ; formaliter enim con-
stit in operatione quadam consequente
lem receptionem, tamquam effectu suam
usam. — 1. *Sent.* dist. 40, q. 1, a. 1, c.;
st. 15, q. 5, a. 3, ad 4 ; *de Verit.* q. 8,
6, c. ; *de Pot.* q. 10, a. 1, c. ; *de Sensu*
Sensibili l. 4.

Ad primum ergo dicendum, quod si
nsus consideretur ut potentia *passiva*
t, in ordine scilicet ad objectum, quod
t agens respectu illius, idem est actus
riusque ; nam species et producitur ab
jecto, et recipitur in sensu. Si vero
nsideretur ut est potentia *operativa*,
tione scilicet immanente, non est idem
tus utriusque, sed actus potentiæ sen-
tivæ est effectus actionis objecti in sen-
m, et receptionis sensus ab objecto,
dictum est (in c.). — *de Verit.* q. 26,
3, ad 4.

Ad secundum dicendum, quod si sensus
nsideretur ut potentia passiva, et in
dine ad objectum, ejus operatio in
ssione tantum consistit et in moveri
pati. Si vero consideretur ut operativa
se per actionem immanentem, ejus
eratio non consistit in pati, sed in
erari, immanenter tamen, et tunc tan-
m sentit. Dicitur autem a Philosopho
nsus tantum potentia passiva, *tum* quia
on potest esse in actu omnium, ad quæ
extendit sua operatio per naturam
otentiæ (non enim potest esse aliquid,
uod actu habeat omnes colores; et sic
atiendo a coloribus fit in actu, et eis assimilatur et eos cognoscit) ; *tum* quia non dicitur virtus activa, quæ habet aliquem actum, qui est operatio : sic enim omnis potentia animæ est activa ; sed dicitur potentia aliqua activa, quæ comparatur ad suum objectum sicut agens ad patiens. Sensus autem comparatur ad sensibile sicut patiens ad agens, eo quod sensibile transmutat sensum ; visio enim perficitur per hoc, quod species visibilis recipitur in visu, quod est quoddam pati.— *de Verit.* q. 26, a. 3, ad 4; 3. *Sent.* dist. 14, q. 1, a. 1, sol. 2.

Ad tertium dicendum, quod sensus secundum quod est potentia passiva, seu per ordinem ad objectum, dicitur agere, quia sicut motus est actus, ita moveri et sentire est quoddam agere seu esse secundum actum. — 2. *de Anima* l. 10.

Ad quartum dicendum, quod quia, ut dictum est, potentia tantum dicitur activa per ordinem ad objectum, ideo non ponitur sensus agens, quia inveniuntur sensibilia actu extra animam, quæ agunt et transmutant sensum externum, ut dictum est (ad 2). Est tamen idem sensus potentia passiva respectu objecti sensibilis externi, quod agit in ipsum ; et potentia operativa actione immanente in se, ut dictum est. — 1a, q. 79, a. 3, ad 1 ; *de Verit.* q. 26, a. 3, ad 4.

QUÆSTIO LXII

DE ORGANO SENSUS.

Deinde considerandum est de organo sensus.

CIRCA QUOD QUÆRUNTUR DUO :

1. Utrum sensibile positum supra sensorium faciat sensationem.
2. Utrum excellens sensibile corrumpat sensorium.

ARTICULUS I

UTRUM SENSIBILE POSITUM SUPRA SENSORIUM FACIAT SENSATIONEM.

Videtur quod sensibile positum supra sensorium faciat sensationem.

1. Dicit enim Philosophus (2. *de Anima*

text. 114; c. 11), quod hæc videtur esse differentia inter sensus, quod gustus et tactus sentiunt ex eo, quod immediate tangunt, alii autem sensus sentiunt a longe sua sensibilia, non tangendo ipsa. — 2. *de Anima* l. 23.

2. Præterea, dicit Philosophus (*de Sensu et Sensibili* c. 2), quod oculus motus videt in se fulgorem existentem : ergo etiam in visu sensibile positum supra sensum facit sensationem. — *de Sensu et Sensibili* l. 3.

3. Præterea, dicit Philosophus (2. *de Anima text.* 84 ; c. 8), quod qui non sunt boni auditus, sentiunt in auribus tinnitum et sonum ; sed talis tinnitus et sonus est in organo auditus, ut patet ; hoc enim est aer auri interius insitus, ut dicitur 2. *de Anima* (*text.* 82, c. 8) : ergo idem quod prius, respectu etiam auditus. — 2. *de Anima* l. 17.

4. Præterea, sensus odoratus perficitur non solum per immutationem intentionalem, sed etiam realem ; sed realis immutatio requirit contactum odorati cum organo : ergo etiam in odoratu sensibile positum supra sensorium facit sensationem. — 2. *de Anima* l. 20.

5. Præterea, aliquando sonorum pervenit usque ad auditum, secundum esse naturale : ut quando aer motus, in quo est sonus, pervenit usque ad auditum, et tamen percipitur sonus ; et similiter odor contingens organum olfactus percipitur ab odoratu, quando scilicet fumalis evaporatio pervenit ad olfactum ; ergo in sensu auditus et odoratus sensibile positum supra sensorium facit sensationem. — 1a, q. 78, a. 3, c. ; 2. *Sent.* dist. 2, q. 2, a. 2, ad 5 ; *Quæst. disp. de Anima* a. 13, c. ; 2. de *Anima* l. 15, 20, 23 ; lib. 3, l. 1.

6. Præterea, lingua infirmi infecta cholerico et amaro humore sentit illam amaritudinem, et ratione illius omnia dulcia amara illi videntur ; sed in hoc casu gustabile est supra sensum positum : ergo etiam in gustu sensibile positum supra sensorium facit sensationem. — 1a, q. 75, a. 2, c. ; q. 111, a. 4, c.

7. Præterea, dicit Philosophus (1. *Hist. Animal.* c. 4 ; 2. *de Partibus Anima* c. 2, 5, 8), quod caro est sensorium tactus ; sed caro sentit qualitatem superpositam, puta si calefiat ; et idem etiam patet in nervo, qui maxime dolet et sentit, ut patet ex 2. *de Anima* (*text.* 116, c. 11) : ergo etiam in tactu sensibile positum supra sensorium facit sensationem.

Sed contra est, quod Philosophus (2. *de Anima text.* 75, 99, 115 et 116 ; c. 7, et 11) de omnibus sensibus dicit, quod sensibile positum supra sensorium non facit sensationem. — 2. *de Anima* l. 17, 20 et 23.

Respondeo dicendum, quod quidam posuerunt omnes sensus perfici quodam tactu. Dicebant enim oportere quod sensus sensibile tangat, ad hoc quod sentiatur. Aliter tamen existimabant hoc accidere in visu et in aliis sensibus. Dicebant enim quod ex visu egrediebantur lineæ visuales progredientes usque ad rem visam, et per earum contactu visibile videbatur. In aliis autem sensibus dicebant, quod e converso sensibile perveniebat ad sensum — et quod in tactu et gustu hoc manifeste videtur accidere ; nam tangibile et gustabile quodam contactu sentiuntur. In auditu etiam videtur esse ; nam aer motus usque ad auditum pertingit. Circa olfactum etiam idem esse dicebant ; ponebant enim, quod a corpore odorabili resolvatur quædam fumalis evaporatio, quæ est subjectum odoris, et perveniebat usque ad olfactum. Causa enim hujus diversitatis hæc esse videtur, quia antiqui non ponebant nec percipiebant aliquid de immutatione spirituali medii, sed solum de immutatione naturali. In aliis autem sensibus apparet quædam immutatio naturalis in medio, sed non in visu. Manifestum est enim, quod soni et odores deferuntur per ventos vel impediuntur, colores autem nullo modo. Manifestum est etiam, quod contrariorum colorum species per eandem partem aeris deferuntur ad visum, sicut cum unus videt album, alius nigrum simul existentes in eodem aere,

t eodem aere utentes pro medio (quod uidem in olfactu non accidit : nam ontrarii odores etiam in medio se imedire inveniuntur), et ideo non percienteс immutationem, quia medium immutatur a visibili, posuerunt quod visus efertur usque ad rem visam. Sed quia ercipiebant immutationem, qua medium nmutatur ab aliis sensibus, credebant, uod alia sensibilia deferrentur ad senum. Sed manifestum est, quod hoc in lfactu non potest accidere. Cum enim dor cadaveris usque ad quingenta miliaia vel amplius a vulturibus sentiatur, npossibile esset quod aliqua corporas evaporatio cadaveris usque ad tantum patium diffunderetur, præcipue cum senibile immutet medium und que secunum eandem distantiam, nisi impediatur. on autem sufficeret ad occupandum ntum spatium, etiamsi totum cadaver esolveretur in fumalem evaporationem, um sit certus terminus rarefactionis, ad uem corpus naturale pervenire potest, uæ est raritas ignis; et præcipue cum er hujusmodi odorem cadaver non appaat sensibiliter immutatum. — 2. *de nima* l. 20.

Et ideo dicendum est *universaliter*, quod omnibus sensibus sensibile positum ipra sensorium non facit sensationem. t quidem universaliter de omnibus senbus probatur, quia sensibile, ut dicitur *de Anima* (*text.* 28; c. 7), non agit in nsum sicut contrarium in suum conarium ; ut aliquid ab eo abjiciat transutando et alterando ipsum, sed solum ducit illum de potentia in actum, impriendo illi speciem sensibilem. Non potest item immediate talem speciem in illo oducere, sed debet prius eam produre in medio. Quod manifestum est, quia nsus debet discernere omnes differenis proprii sensibilis, ut dicitur 2. *de nima* (*text.* 144 ; l. 3, c. 2); sed si realir immutaretur a sensibili, non posset as discernere ac sentire : sic enim pulla, si affecta esset aliquo colore, non sset sentire reliquos colores; similiter nec organum auditus, si moveretur et reciperet sonum, posset percipere differentias aliorum sonorum; et sic de reliquis sensibus. — 3. *de Anima* l. 3.

Quod vero in *particulari* in omni sensu sensibile positum supra sensorium non faciat sensationem, probatur. Et primo in *visu* manifestum hoc est ipsa experientia: si enim ponatur visibile supra oculum, nihil videbitur; videbitur autem aliquid, si medium intercedat inter oculum et visibile. Et ratio hujus est, quia de ratione coloris, quod est objectum visus, est, quod sit motivum diaphani, quod fit per lumen, quod est actus diaphani; at si poneretur corpus coloratum super organum visus, non esset ibi diaphanum actu, quod moveretur a colore. Nam etsi pupilla sit quoddam diaphanum, non tamen est diaphanum in actu, si superponatur illi corpus coloratum ; oportet autem quod color moveat diaphanum in actu, puta aerem vel aliquid hujusmodi; et ab hoc moveatur sensorium, id est organum visus, sicut a corpore sibi continuato; corpora enim non se immutant, nisi se tangant. — 2. *de Anima* l. 15.

De *sono* vero idem probatur, quia sonus ut generetur, oportet fieri percussionem duorum corporum solidorum ad invicem et ad aerem, et consequenter oportet talem aerem esse mobilem; sed aer, qui est connaturalis auditui ejusque organum, est firmiter dispositus in auribus cum hac proprietate, quod sit immobilis, ad hoc quod animal possit sentire per certitudinem omnes differentias motus et soni. Præterea, organum auditus circumdatur pelle seu meninga, quæ prohibet ne localiter moveatur; unde necesse est quod sonus ad ipsum perveniat intentionaliter, et non realiter. Demum, sæpe contingit ut sentiamus sonum a longe positum, quod etiam docet Philosophus (*de Sensu et Sensibili* c. 7, al. 6; 2. *de Anima text.* 113; c. 11), ubi ait in hoc differre gustum et tactum a ceteris sensibus, quod illi sentiunt immediate tangendo, hi vero sentiunt a longe sua sensibilia. Mo-

dus autem sentiendi auditui unus est, sicut patet in ceteris sensibus et in omnibus potentiis cognoscitivis ; ergo sicut in hoc casu sensibile facit sensationem, si sit procul positum, ita et in aliis casibus sensibile faciet sensationem, si sit longe positum a sensorio, non autem si sit illi superpositum. — 2. *de Anima* l. 17 et 23 ; *de Sensu et Sensibili* l. 14.

De *odore* vero eodem modo probatur, quo de sono ; nam idem est modus et unus, quo odoratus ab odorabili immutatur. At odor sentitur a longe ; et tunc ab odorabili resolvi quidem potest fumalis evaporatio, sed non quæ pertingat usque ad terminum, ubi odor percipitur ; — unde tunc necesse est immutari medium intentionaliter, ultra quam dicta evaporatio pertingere possit, et per medium organum auditus ; ergo eodem modo organum immutabitur, quando fumosa evaporatio potest pertingere usque ad organum auditus. Præterea, in aqua sentitur odor, ut dicit Philosophus (*de Sensu et Sensibili* c. 7, al. 6 ; 2. *de Anima text.* 97 ; c. 9) ; at in aqua non potest odor multiplicari realiter, vel ratione qualitatis (quia odor non est realiter activus, ut dictum est), vel mediante evaporatione vel fumosa exhalatione (quia, ut dicit Philosophus loco citato *de Sensu et Sensibili*, *vapor* pertinet ad aquam, quæ non est odorabilis absque admixtione sicci ; *fumus* autem non potest fieri in aqua, in qua tamen fit odor, cum quædam animalia odorent in aqua) : ergo debet tunc multiplicari intentionaliter et per consequens et immutari organum ; organum autem semper eodem modo a sensibili immutatur : ergo nunquam poterit immutari realiter per sensibilis superpositionem, ita ut sic immutatum sentiat objectum. — *de Sensu et Sensibili* l. 5 et 12 ; et 2. *de Anima* l. 20.

De *gustu* et *tactu* probatur, quia ad sentiendum per hos sensus necessariæ sunt species sensibiles, ut ostensum est ; sed potentiarum naturalium, quales sunt sensitivæ, unus et determinatus modus est operandi : ergo cum operentur per immutationem intentionalem, ut dictum est, non poterunt operari per immutationem realem, factam ab objecto illis præsertim superposito. Deinde, quia non posset sensorium gustus vel tactus sentire differentias contrariarum qualitatum. Demum, quia sæpe accidit ut plus calorem sentiamus in manu quam ibi sit, ut cum illam applicamus juxta magnum ignem, postea manum subito removemus, nam remota manu exiguum caloris sentimus, quod certe non esset, si magnus ille calor quem manus sentiebat, realiter illi inexistebat ; nam cum in manu esset tamquam in proprio et naturali subjecto, poterat in illo permanere et esse principium actionis, atque adeo manum disponere successive ad formam ignis ; ergo signum est quod ille magnus calor non percipiebatur a manu per immutationem realem, sed per intentionalem, et per consequens quod tactus non est aptus natus immutari realiter a tangibili, ad hoc ut illud percipiat, sed tantum intentionaliter. — *de Sensu et Sensibili* l. 16.

Unde manifestum est, quod in omni sensu externo verum est, quod sensibile positum supra sensorium non facit sensationem.

Ad primum ergo dicendum, quod prædicta differentia falsa est. Unde Philosophus illa exclusa ibidem ponit veram ; dicit, quod tangibilia differunt a visibilibus et sonativis ex eo, quod illa sensibilia sentimus per hoc quod movent medium, et iterum medium movet nos ; sed tangibilia sentimus per medium extraneum, — non quasi moti a medio extraneo, sed simul cum medio movemur a sensibili. — 2. *de Anima* l. 23.

Ad secundum dicendum, quod oculus videt fulgorem ad extra, ut dictum est (supra q. 59, a. 1, ad 7).

Ad tertium dicendum, quod ille tinnitus est in aere incluso in concavitatibus aurium ; quod patet ex Philosopho 2. de *Anima* (*text.* 83 et 84 ; c. 8) : *tum* qu

er ille, qui est organum auditus, est nmobilis, ut sentiri possint sonorum fferentiæ, ut dictum est (in c.); *tum* ia si haberet ille aer proprium sonum motum, impediretur auditus (sicut siiliter, si instrumentum visus haberet oprium colorem, impediretur visio), ut et Philosophus 2. *de Anima* (*text.* 84; 8). — 2. *de Anima* l. 17.

Ad quartum dicendum, quod aliquando malis evaporatio non potest pervenire l odoratum, et tamen vere sentitur odor. liquando vero pervenit ad organum; rum tunc non ita pervenit, ut immeate tangat, sed tantum mediate, interdente nimirum parte aeris; si enim neretur odorabile intus in naso, non ntiretur, si homo non respiraret attrando aerem, sed vel exspiraret emittendo rem vel retineret spiritum. — 2. *de Ani*a l. 20. — Et sic patet *ad quintum*.

Ad sextum dicendum, quod lingua et ro non sunt organum gustus, sed meum internum illius; et ideo potest seni humor sapidus positus supra linam. — 2. *de Anima* l. 21 et 23.

Ad septimum dicendum, quod caro non t sensorium ultimum, sed primum; et nsequenter est tantum medium intrincum, non autem organum tactus. — 2. *Anima* l. 25; 3. *de Anima* l. 3.

ARTICULUS II

TRUM EXCELLENS SENSIBILE CORRUMPAT SENSORIUM.

Videtur quod excellens sensibile non rrumpat sensorium.

1. Ita enim se habet sensus ad sensilia, sicut intellectus ad intelligibilia; d intellectus potest intelligere excellens telligibile: ergo et sensus poterit sene excellens sensibile. — 1a, q. 88, a. arg. 3 et 5.

2. Præterea, accidens non corrumpitur si ad corruptionem subjecti, et præsern si sit ejus proprietas; sed sensus est proprietas animæ sensitivæ; ergo sensus permanente anima in corpore non corrumpitur ab excellenti sensibili. — *Quæst. disp. de Anima* a. 19, c.

3. Præterea, sensibile perficit sensum mediante specie; hæc enim in organo recepta non immutat ipsum naturaliter; sed quod perficit aliquid, non potest illud corrumpere: ergo excellens sensibile non potest sensum corrumpere. — 3. *Sent.* dist. 15, q. 2, a. 1, sol. 2.

4. Præterea, dicit Philosophus (3. *de Anima text.* 37; c. 8), quod anima nostra est quodammodo omnia, quia sensus est quodammodo omnia sensibilia, sicut intellectus est omnia intelligibilia; sed inter omnia sensibilia unum est excellens sensibile, sicut inter omnia intelligibilia unum est excellens intelligibile: ergo sensus potest percipere excellens sensibile. — *de Verit.* q. 10, a. 11, arg. 3.

5. Præterea, facultas sensus est in totum suum objectum; sed excellens sensibile est intra objectum sensus, ut excellens visibile est intra facultatem visus, hujus enim objectum est color ut color: ergo visus poterit videre excellens visibile, et per consequens quilibet alius sensus poterit percipere excellens sensibile. — 3. *c. Gent.* c. 54.

Sed contra est: 1. quod Philosophus (2. *de Anima text.* 123; c. 12; et *text.* 143; l. 3, c. 2) dicit, quod excellens sensibile corrumpit sensorium et sensum. — 2. *de Anima* l. 24; 3. *de Anima* l. 2.

2. Præterea, dicit Philosophus (3. *de Anima text.* 7; c. 4) in hoc differe sensum ab intellectu, quod quia hic caret organo, non potest corrumpi ab excellentia proprii objecti, sed ita intelligit excellens intelligibile atque infimum; at sensus, qui habet organum corporeum, efficitur impotens ad sentiendum ex valde sensibili, puta ex vehementi colore et forti odore. — 3. *de Anima* l. 7.

Respondeo dicendum, quod dupliciter considerare et comparare possumus excellens sensibile per ordinem ad corruptionem: vel ad *sensus* et organa sensuum

vel ad *ipsum animal*. — Si *primo modo* loquamur de excellenti sensibili, sciendum est, quod accidens dupliciter corrumpitur : uno modo a suo contrario, sicut frigidum a calido ; alio modo per corruptionem sui subjecti : non enim accidens remanere potest corrupto subjecto. Quæcunque igitur accidentia seu formæ contrarium non habent, non destruuntur nisi ad destructionem subjecti. Manifestum est autem, quod potentiis animæ nihil est contrarium ; et ideo si corrumpuntur, corrumpuntur ad corruptionem subjecti. — *Quæst. disp. de Anima* a. 19. c.

Quia vero potentia sensitiva est immediate actus organi tamquam immediati et proxime subjecti — turbato enim organo impeditur operatio sensus, et illo ablato totaliter, et tollitur sensus —, dicitur corrumpi sensus a sensibili, quia sensibile corrumpit ejus organum. Cum enim oporteat, ut inquit Philosophus (2. *de Anima text.* 123 ; c. 12), in organis sentiendi, ad hoc ut sentiant, esse proportionem quandam, ratione cujus et ipse sensus dicitur proportio quædam et symphonia, si motus sensibilis fuerit fortior, quam organum sit natum pati, solvitur proportio et corrumpitur sensus in proportione organi consistens : sicut patet a simili, cum quis fortiter percutit chordas, solvitur symphonia et sonus instrumenti, qui in quadam proportione consistit. — Quoniam vero sensibile dupliciter potest immutare sensum, vel realiter vel intentionaliter, utroque modo potest sensibile corrumpere sensum : — *intentionaliter* quidem, per impressionem speciei improportionatæ seu excedentis proportionem organi. Cum enim species recipiatur in organo, debet esse proportio inter utrumque ; solvitur autem proportio per superabundantiam et excessum ; et hoc modo excellens grave et acutum corrumpit auditum, et excellens saporosum corrumpit gustum, et fortiter fulgidum vel obscurum corrumpit visum, et fortis odor corrumpit olfactum ; sicut e contra si sensibilia deducantur ad proportionatam mixtionem, efficiuntur delectabilia : sensus enim delectatur proportionatis sicut similibus, eo quod sensus est proportio quædam, ut dictum est ; excellentia autem corrumpit sensum vel saltem contristat eum. — Aliquando vero sensibile *realiter* immutat sensum, ut patet, cum magnus sonus destruit auditum ratione vehementis percussionis aeris, et motus ipsius qui fit simul cum sono ; quomodo etiam destruitur et ipsum animal, cum eodem et lapides frangantur et alia corpora duriora, ut ferrum (2. *de Cœlo et Mundo* l. 14). Similiter et in aliis, excepto tamen visu. Objectum enim tactus ipsum immutat materialiter, calefaciendo et in frigidando ; objectum vero gustus afficiendo sapore aliquo organum gustus mediante saliva ; objectum vero odoratus per fumalem evaporationem. Solum autem objectum visus, cum non immutet organum aut medium nisi spirituali immutatione (non enim pupilla neque aer coloratur, sed solum speciem coloris recipiunt secundum esse spirituale), non nisi etiam intentionaliter illum corrumpit vel contristat. — 1. *Metaphys.* l. 1 ; *de Sensu et Sensibili* l. 1 et 4 ; 7. *Phys.* l. 4 ; 1. *de Anima* l. 10 ; 2. *de Anima* l. 4 ; 3. *de Anima* l. 2 et 7 ; 2. *Sent.* dist. 13, a. 2 et .

Quod si *secundo modo* comparare velluerimus sensibilia sensuum exteriorum non solum ad ipsos sensus et ad organa sensuum, sed etiam ad *ipsum animal*, hoc differunt excellentia sensibilia aliorum sensuum excepto tactu, quod illa corrumpunt quidem *singulos sensus*, puta nimis fulgida visum, et fortes soni auditum ; quia tamen corruptis his sensibus potest animal remanere, — horum excellentiæ non corrumpunt *animal* nisi *per accidens*, in quantum scilicet accidit animal pati simul ab aliquibus tangibilibus corrumpentibus, puta si simul cum sono fiat depulsio et ictus, ut accidit in tonitruo (ex quo interdum animalia moriuntur), et similiter ab his, quæ videntur, aliqua moriuntur, non in quantum sunt visa, sed in quantum aerem inficiunt, u

citur de quibusdam venenosis. Et simi-
er intelligendum est de odoribus, secun-
m quod cum malis odoribus interdum
jungitur corruptio aeris : et ita etiam
sapore est, quod potest corrumpere
imal, non in quantum sapor est, sed in
antum sapori adjungitur aliqua qualitas
gibilis; puta quod talis sapor conse-
itur calorem excedentem vel frigus.
d excellentia qualitatum *tangibilium*
rumpit animal per se, et non per acci-
ns, quia omnis excellentia sensibilis
rumpit sensum : unde et tangibile si
rit excellens corrumpit tactum. — Se-
ndum autem hunc sensum determinatur
animalis : tamdiu enim durat animal,
amdiu durat sensus tactus in eo ; im-
ssibile enim est esse animal sine tactu.
Unde manifestum est, quod in omni-
s sensibus excellens sensibile corrum-
sensum; sed in sensu tactus excellens
gibile non solum corrumpit sensum
tus, sed etiam corrumpit animal, quia
esse est hunc solum inesse animali, ut
et Philosophus (3. *de Anima text.* 68;
13). — 3. *de Anima* l. ult.

Ad primum ergo dicendum, quod inter
sum et intellectum hæc similitudo
eritur, quod quia aliqua proportio
uiritur objecti ad potentiam cognosci-
m, ut activi ad passivum et perfectio-
ad perfectibile ; ideo sicut sensus non
est cognoscere excellens sensibile, quia
improportionatum potentiæ sensitivæ,
in hoc statu nequit noster intellectus
noscere excellens intelligibile seu sub-
ntias immateriales, quia secundum
sentem statum sunt improportionatæ
tro intellectui. Differunt tamen, quod
a intellectus caret organo, non potest
rumpi a vehementi intelligibili, sensus
em, quia habet organum, corrumpitur
ehementi sensibili. — 1a, q. 88, a. 1,
3; 3. *de Anima* l. 7.

Ad secundum dicendum, quod sensus
est proprietas animæ, sed conjuncti
ue adeo organi ; unde hoc sublato vel
rupto et ipsum corrumpitur, ut di-
m est (q. 51, a. 5; et hoc art., in c.).

Ad tertium dicendum, quod species sensibilis perficit sensum, si sit illi proportionata; corrumpit autem vel contristat, si sit improportionata, ut dictum est (in c.).

Ad quartum dicendum, quod anima dicitur quodammodo omnia, quia per intellectum suscipit species intelligibiles, et per sensum species sensibiles, proportionatorum tamen, quia sensus proportio quædam est, ut dictum est. — 3. *de Anima* l. 13.

Ad quintum dicendum, quod aliqua comparari possunt ad sensum dupliciter : *uno* modo, quatenus sunt extra objectum sensus, quomodo sonus est extra objectum sensus visus ejusque facultatem; *alio* modo quatenus sunt intra objectum, et tunc vel sunt supra facultatem sensus vel sunt infra illam : priori modo se habent excellentia sensibilia respectu sensus ; posteriori vero modo sensibilia proportionata ; eodemque modo possunt comparari res ad intellectum. — 3. *c. Gent.* c. 54.

QUÆSTIO LXIII

DE POTENTIA SENSITIVA.

Deinde considerandum est de potentia sensitiva.

CIRCA QUAM QUÆRITUR UNUM :

Utrum recte definiatur a Philosopho sensus.

ARTICULUS

UTRUM RECTE DEFINIATUR A PHILOSOPHO SENSUS.

Videtur quod non recte definiatur a Philosopho sensus, quod sit susceptivus specierum sine materia.

1. Definitio enim debet converti cum definito; sed hæc non convertitur; nam

esse susceptivum speciei vel formæ sine materia primum convenit omni patienti; nam omne patiens recipit aliquid ab agente, secundum quod est agens; agens autem agit per suam formam, et non per suam materiam. Unde omne patiens recipit formam sine materia. Quod etiam patet ad sensum; non enim aer recipit ab igne agente materiam ejus, sed formam. Deinde idem etiam convenit intellectui possibili; hic enim etiam recipit species et formas sine materia. Ergo male definitur sensus per esse susceptivum sine materia. — 2. *de Anima* l. 24.

2. Præterea, dicit Philosophus (2. *de Anima text.* 123; c. 12), quod excellens sensibile corrumpit sensum; sed hoc non potest fieri, nisi sensus realiter et materialiter recipiat speciem sensibilis: ergo idem quod prius. — 2. *de Anima* l. 24.

Sed contra est auctoritas Philosophi 2. *de Anima* (*text.* 121; c. 12) dicentis, quod sensus est susceptivus specierum sine materia. — 2. *de Anima* l. 24.

Respondeo dicendum, quod sensus dupliciter considerari potest, ut dictum est (supra q. 61, art. unic.): *uno modo, per ordinem ad objectum*, respectu cujus habet rationem patientis, et hoc modo habet rationem potentiæ passivæ, et ut sic definitur a Philosopho. Sicut enim est de ratione materiæ esse susceptivam formæ naturalis, sive substantialis sive accidentalis; ita de ratione potentiæ cognoscitivæ passivæ est esse susceptivam objecti secundum esse spirituale et immateriale, quod est esse susceptivum specierum sine materia ab objecto externo — ad differentiam intellectus possibilis, qui recipit species sine materia ab intellectu agente; quamquam etiam distinguitur ab intellectu per hoc quod est potentia passiva organica: unde species non solum recipiuntur in potentia, sed etiam in organo, cum tamen intellectus possibilis sit inorganicus. — *Alio modo* potest considerari sensus *absolute et in se*, quatenus est potentia operativa vel cognoscitiva; et hoc modo potest definiri, quod sit potentia operativa seu cognoscitiva singularis singulare est, organo affixa. In eo em quod dicitur *operativa* seu *cognoscitiv* convenit sensus cum intellectu possibil in eo vero quod additur *organo affix* et *cognoscitiva singularis ut singulare e* distinguitur ab intellectu possibili, q etiam cognoscit objectum universale, est inorganicus, ut dicit Philosophus (*de Anima text.* 7; c. 4). — 2. *de Anima* 24 et 3. *de Anima* l. 7.

Ad primum ergo *dicendum primo*, qu licet sit commune omni patienti, qu recipiat formam ab agente, different tamen est in modo recipiendi. Nam fo ma, quæ in patiente recipitur ab agent quandoque quidem habet eundem modu essendi in patiente, quem habet in agent Et hoc quidem contingit, quando p tiens habet eandem dispositionem ad fo mam, quam habet agens; quodcunq enim recipitur in altero, secundum m dum recipientis recipitur. Unde si eode modo disponatur patiens sicut agen eodem modo recipitur forma in patient sicut erat in agente; et tunc non re pitur forma sine materia. Licet eni illa et eadem materia numero, quæ agentis, non fiat patientis, fit tamen q dammodo eadem, in quantum simil dispositionem materialem ad formam a quirit ei, quæ erat in agente; — et h modo aer patitur ab igne, et quidqu patitur passione naturali. — Quandoq vero forma recipitur in patiente secund alium modum essendi, quam sit in agen quia dispositio materialis patientis ad r cipiendum, non est similis dispositi materiali, quæ est in agente; et id forma recipitur in patiente sine mater in quantum patiens assimilatur agenti s cundum formam et non secundum mat riam; et per hunc modum sensus reci formam sine materia, quia alterius mo esse habet forma in sensu et in re sen bili: nam in re sensibili habet esse n turale, in sensu autem habet esse imm tériale et spirituale. — 2. *de Anima* l. 2

Dicendum secundo, convenire quide

sum et intellectum in hoc quod recipiunt species sine materia ; sed multipliter inter se differunt : et *primo*, sensus potentia organica, intellectus vero est entia inorganica ; unde species sensibiles recipiuntur in organo, species vero elligibiles in ipsa potentia intellectiva. *undo*, sensus est tantum potentia cognoscitiva singularis ut singulare est ; le est susceptivus formarum sine materia quidem, sed non sine conditionibus terialibus individualibus sensibilia repræsentantium ; intellectus vero est potens cognoscitiva directe, et per se universalis, ut dicit Philosophus (1. *Phys. text.* ; c. 5 ; et 2. *de Anima text.* 122 ; c. 12) ; le species intelligibiles repræsentant ectum sine conditionibus individuantibus. *Tertio*, sensus recipit species ab obto sensibili ; intellectus vero possibilis intellectu agente. — 2. *de Anima* l. 1. *Phys.* l. 10, al. 9.

Ad secundum dicendum, quod aliquando sus corrumpitur ab excellenti sensibili que eo quod illud recipiat secundum e materiale, ut dictum est (q. 62, a. 2).

QUÆSTIO LXIV

DE SENSIBUS EXTERIORIBUS.

nde considerandum est de sensibus in articulari ; et primo de sensibus exterioribus, deinde de sensibus internis.

RCA PRIMUM QUÆRUNTUR TRIA :

trum in quolibet sensu externo sit reperire sensum agentem et patientem.
trum sint tantum quinque sensus exteriores.
trum sensus exteriores egeant medio.

ARTICULUS I

UM IN QUOLIBET SENSU EXTERNO SIT PERIRE SENSUM AGENTEM ET PATIENTEM.

idetur quod in quolibet sensu externo sit reperire sensum agentem et patientem.

1. Dicit enim Philosophus (3. *de Anima text.* 17 ; c. 5), quod sicut in omni natura, ita et in anima est aliquid quo est omnia fieri, et quo est omnia facere ; sed id quo est fieri omnia sensibilia, est sensus passivus : ergo debet et dari alius sensus activus, quo anima possit omnia sensibilia facere sensibilia actu. — *Quæst. disp. de Anima* a. 4, arg. 1 *Sed contra ;* 1a, q. 79, a. 3, arg. *Sed contra.*

2. Præterea, sicut se habet intellectus ad intelligibilia, ita et sensus ad sensibilia, ut dicitur 3. *de Anima* (*text.* 2 et 3 ; c. 4) ; sed quia intellectus est in potentia ad intelligibilia, datur intellectus agens, qui facit intelligibile actu : ergo et dabitur sensus agens, qui facit sensibile actu. — 3. *de Anima* l. 7 ; 1a, q. 79, a. 3, arg. 1.

3. Præterea, Philosophus in 3. *de Anima* (*text.* 18 ; c. 5) assimilat intellectum agentem lumini ; ergo lumen erit sensus agens, vel certe instrumentum sensus agentis. — *Quæst. disp. de Anima* a. 4, arg. 4.

4. Præterea, cuilibet potentiæ passivæ debet respondere potentia activa, alioqui esset superflua ; sed datur sensus qui est potentia passiva : ergo et dabitur sensus qui sit potentia activa. — *Tabula Aurea* voce « potentia » n. 33.

Sed contra est, quod Philosophus 2. *de Anima text.* 51 (c. 5) dicit, quod sensus est tantum potentia passiva, et *text.* 60 (ib.) dicit, quod activum sensationis est objectum extra sensum existens. — 2. *de Anima* l. 10, 11 et 12.

Respondeo dicendum, quod in naturalibus non dicitur virtus activa, quæ habeat aliquem actum, qui est operatio — sic enim omnis potentia animæ est activa, et præsertim cognoscitiva ; sentire enim et intelligere formaliter sunt actiones immanentes in ipsis potentiis cognoscitivis, ut dictum est (supra q. 61, art. unic.) ; — sed dicitur potentia aliqua activa, quæ comparatur ad suum objectum sicut agens

ad patiens. Sensus autem comparatur ad sensibile tantum sicut patiens ad agens, eo quod sensibile transmutat sensum. Visio enim perficitur per hoc quod species visibilis recipitur in visu, quod est quoddam pati. Et ratio hujus est, quia, cum omnis cognitio fiat per hoc quod cognitum est aliquo modo in cognoscente, scilicet secundum similitudinem (nam cognoscens in actu est ipsum cognitum in actu); illud erit activum respectu sensus, quod in illo producit similitudinem rei cognitæ. Hoc autem est objectum ad extra. Sensus enim est singularium, quæ sunt ad extra ; et recipit materialiter et corporaliter speciem ; unde producens illam debet esse in se materiale et corporale, habens nimirum in se principium individuationis, quod est materia prima, determinatis dimensionibus contenta. Unde manifestum est, quod non datur in sensu externo sensus agens et patiens.

Ad primum ergo dicendum, quod propositio Philosophi valet in anima per ordinem ad intelligibilia, ut dictum est (in c. et infra ad 2).

Ad secundum dicendum, quod sensibilia inveniuntur actu extra animam, et ideo non oportet ponere sensum agentem. — 1a, q. 79, a. 3, ad 1. — *Vel dic*, quod sensibile, cum sit quoddam particulare, non imprimit in sensum vel in medium speciem alterius generis, cum species tam in sensu quam in medio sit particularis ; intellectus autem possibilis recipit species universales, alterius scilicet generis, quam sint in imaginatione, in qua sunt tantum particulares, et quam in sensu externo, in quo similiter species receptæ sunt tantum singulares ; et ideo in intelligibilibus indigemus intellectu agente, non autem in sensibilibus indigemus potentia activa, sed omnes potentiæ sensitivæ sunt potentiæ passivæ. — *Quæst. disp. de Anima* a. 4, ad 5.

Ad tertium dicendum, quod similitudo, qua Aristoteles assimilat intellectum agentem lumini, attenditur quantum ad hoc, quod sicut hoc est necessarium ad videndum, ita illud ad intelligendum, se non propter idem : nam lumen non e necessarium ad videndum, ut faciens co lores actu visibiles (nam color est per visibilis), sed ut medium fiat actu luc dum, ut dicit Commentator (in 2. *Anima*) ; intellectus vero agens n cessarius est ad hoc, ut intelligibilia potentia fiant actu intelligibilia per ho quod abstrahit ea a materia ; sic eni sunt intelligibilia actu. — 1a, q. 79, 3, ad 2 ; *Quæst disp. de Anima* a. 4, ad 3. *de Anima* l. 10.

Ad quartum dicendum, quod potenti passivæ sensitivæ respondet potentia a tiva, quæ est in objectis extra animan hæc enim sunt factiva sensationum, dictum est (q. 59, a. 1 ; q. 61, a. u in c.).

ARTICULUS II

UTRUM SINT TANTUM QUINQUE SENSUS EXTERIORES.

Videtur quod sensus sint exterior *plures quam quinque.*

1. Sensus enim est cognoscitivus accide tium ; sunt autem multa genera accide tium : cum ergo potentiæ distinguant per objecta, videtur quod sensus mul plicetur secundum numerum, qui est generibus accidentium. — 1a, q. 78, a. arg. 1.

2. Præterea, magnitudo et figura alia, quæ dicuntur sensibilia commun non sunt sensibilia per accidens, sed co tra ea dividuntur in 2. *de Anima* (*text.* et 64 ; c. 6) ; diversitas autem per se ob ctorum diversificat potentias : cum er plus differant magnitudo et figura a col quam sonus, videtur quod multo ma debeat esse potentia alia sensitiva cogi scitiva magnitudinis aut figuræ qu coloris et soni. — *Ibid.* arg. 2.

3. Præterea, unus sensus est un contrarietatis, sicut visus albi et nig ; sed tactus est cognoscitivus plurium co

tatum, scilicet calidi, frigidi, humidi ci et hujusmodi : ergo sensus non nus, sed plures ; ergo plures sensus quam quinque. — *Ibid.* arg. 3.

Præterea, cum sentire sit pati quod- diversus modus sentiendi erit di- is modus patiendi, qui indicat diver- em potentiæ passivæ, sicut diversus is agendi significat diversitatem vir- activæ ; et per consequens ex parte vorum, quæ alio modo patiuntur, potentiam passivam habere viden- et similiter quæ alio modo sentiunt, tur habere alium sensum. Sed ani- non respirantia, ut formicæ, apes, s et alia hujusmodi, sentiunt odorem : tet manifeste, cum et acutius sen- de longe nutrimentum suum, quando nt a proprio cibo, quam per pro- m visum id possunt percipere ; et sentiunt illum eo modo, quo anima- respirantia, puta respirando : ergo n sentiunt per alium sensum, et sic t plures sensus quam quinque. — *de su et Sensibili* l. 14.

Præterea, potentiæ sensitivæ distin- ntur ex organo; sed visus habet duo ma, puta duos oculos : ergo duo sunt sus visus; unde sequitur idem quod is. — *de Sensu et Sensibili* l. 19.

idetur quod sensus exteriores sint *ciores quam quinque.*

Ita enim se habet sensus ad sensi- , sicut intellectus ad intelligibile, ut t Philosophus (3. *de Anima text.* 2 ; c. 4) ; sed intellectus unus est re- tu omnium intelligibilium : ergo et unus sensus respectu omnium sensi- um. — 3. *de Anima* l. 7.

Præterea, species non dividitur con- genus ; sed gustus est tactus qui- : ergo non debet poni sensus distin- a tactu. — 1a, q. 78, a. 3, arg. 4.

Præterea, potentiæ distinguuntur ex ecto, ut dicit Philosophus (2. *de Ani- text.* 33 ; c. 4) ; sed gustabile, quod objectum gustus, est quoddam tangi- , ut dicitur 2. *de Anima* (*text.* 101 ; 0) : ergo gustus non distinguetur a tactu ; et sic sensus exteriores erunt pau- ciores quam quinque. — 2. *de Anima* l. 6 et 21.

9. Præterea, dicit Philosophus (*de Sensu et Sensibili* c. ult.), quod sicut idem numero corpus est album et dulce, ita est eadem potentia sensitiva albi et dulcis; ergo sensus externi non sunt quinque, sed unus tantum.

10. Præterea, dicit Philosophus (2. *de Anima text.* 101 et 104 ; c. 10), quod potabile est commune gustui et tactui ; sed sensus distinguuntur ex distinctis et diversis sensibilibus : ergo sensus tactus et gustus non sunt distincti sensus. — 2. *de Anima* l. 21.

Sed contra est : 1. quod Philosophus in 2. *de Anima text.* 128 (l. 3, c. 1) dicit, quod non est alius sensus externus præter quinque ; et *text.* 135 (ibid.) probat non dari unum tantum sensum sed plures, quia alioqui laterent nos sensibilia communia, quæ consequuntur ad sensibilia propria. — *de Sensu et Sensibili* l. ult.; 3. *de Anima* l. 1.

2. Præterea, potentia cum dicatur ad objectum, oportet quod secundum differentiam objectorum diversificentur potentiæ sensitivæ ; objectum autem sensibile est, prout est immutativum sensus : ergo secundum diversa genera immutationum sensus a sensibili oportet esse diversos sensus. Immutatur autem sensus a sensibili : *uno modo* per contactum ; — et sic est sensus *tactus*, qui est discretivus eorum, ex quibus constat animal; et sensus *gustus*, qui est perceptivus qualitatum quæ designant convenientiam nutrimenti, quo conservatur corpus animalis. *Alio modo* immutatur sensus per medium ; et hæc quidem immutatio aut est cum alteratione sensibilis ; — et sic *odor* immutat sensum cum aliqua *resolutione odorabilis* ; aut cum aliquo motu locali ; — et sic immutat *sonus ;* aut sine immutatione sensibili, sed per solam immutationem spiritualem medii et organi ; — et sic immutat *color*. Unde sequitur sensus exteriores

esse tantum quinque. — 3. *de Anima* l. 1, in fine.

Respondeo dicendum, quod rationem distinctionis et numeri sensuum exteriorum quidam accipere voluerunt ex parte organorum, in quibus aliquod elementum dominatur, vel aqua vel aer vel aliquid hujusmodi. Quidam autem ex parte medii, quod est conjunctum vel extrinsecum; et hoc vel aer vel aqua vel aliquid hujusmodi. Quidam autem ex diversa natura sensibilium qualitatum, secundum quod est qualitas simplicis corporis vel sequens complexionem. — Sed nihil istorum conveniens est; non enim potentiæ sunt propter organa, sed organa propter potentias. Unde non propter hoc sunt diversæ potentiæ, quia sunt diversa organa; et ideo natura instituit diversitatem in organis, ut congruerent diversitati potentiarum. Et similiter diversa media diversis sensibus attribuit, secundum quod erat conveniens ad actus potentiarum. Naturas autem sensibilium qualitatum cognoscere non est sensus, sed intellectus. Accipienda est ergo ratio numeri et distinctionis exteriorum sensuum secundum illud, quod proprie et per se ad sensum pertinet. — 1a, q. 78, a. 3, c.

Est autem sensus quædam potentia passiva, quæ nata est immutari ab exteriori sensibil Exterius ergo immutativum est, quod perse a sensu percipitur, et secundum ejus diversitatem sensitivæ potentiæ distinguuntur. Est autem duplex *immutatio* : una naturalis et alia spiritualis ; *naturalis* quidem, secundum quod forma immutantis recipitur in immutato secundum esse naturale, sicut calor in calefacto ; *spiritualis* autem, secundum quod forma immutantis recipitur in immutato secundum esse spirituale, ut forma coloris in pupilla, quæ non fit per hoc colorata. Ad operationem autem *sensus* requiritur immutatio *spiritualis*, per quam intentio formæ sensibilis fiat in organo sensus; alioquin si sola immutatio naturalis sufficeret ad sentiendum, omnia corpora naturalia sentirent, dum alterantur. — Sed in quibusdam sensibus invenitur immutatio *spiritualis tantum*, sicut in visu; in quibusdam autem cum immutatione spirituali *etiam naturalis* : vel ex parte objecti tantum vel etiam ex parte organi. — *Ex parte* autem *objecti* invenitur transmutatio naturalis : secundum locum quidem, in sono qui est objectum auditus; nam sonus e percussione causatur et aeris commotione; secundum alterationem vero in odore, qui est objectum olfactus; oportet enim per calidum alterari aliquo modo corpus, ad hoc quod spiret odorem. — *Ex parte* autem *organi* est immutatio naturalis in tactu et gustu : nam et manus tangens calida calefit, et lingua humectatur per humiditatem saporum; organum autem olfactus aut auditus nulla naturali immutatione immutatur in sentiendo, nisi per accidens. Visus autem qui est absque immutatione naturali organi et objecti, est maxime spiritualis et perfectior inter omnes sensus et communior, et post hunc auditus, et deinde olfactus, qui habent immutationem naturalem ex parte objecti. Motus tamen localis est perfectior et naturaliter prior quam motus alterationis, ut probatur in 8. *Phys.* (*text.* 55; c. 7). Tactus autem et gustus sunt maxime naturales, de quorum distinctione post (in solut. arg. 3) dicetur. Et inde est, quod alii tres sensus non fiunt per medium conjunctum, ne aliqua naturalis transmutatio pertingat ad organum, ut accidit in his duobus sensibus. — 1a, q. 78, a. 3, c.

Ad primum ergo dicendum, quod non omnia accidentia habent vim immutativam secundum se, sed solæ qualitates tertiæ speciei, secundum quas contingit alteratio; et ideo solæ hujusmodi qualitates sunt objecta sensuum, quia, ut dicitur 7. *Phys.* (*text.* 11 et 12 ; c. 2), secundum eadem alteratur sensus, secundum quas alterantur corpora inanimata. — 1a, q. 78, a. 3, ad 1.

Ad secundum dicendum, quod magnitudo et figura et hujusmodi, quæ dicuntur communia sensibilia, sunt media in-

sensibilia per accidens, et sensibilia pria, quæ sunt objecta sensuum. Nam sibilia propria primo et per se immu- sensum, cum sint qualitates alteran- ; sensibilia vero communia omnia icuntur ad quantitatem. Et de magni- ne et numero patet, quod sunt species ntitatis. Figura autem est qualitas a quantitatem, cum consistat ratio ræ in terminatione magnitudinis. Mo- autem et quies sentiuntur, secundum l subjectum uno modo vel pluribus lis se habet secundum magnitudinem ecti : *vel* localis distantiæ, quantum notum augmenti et motum localem; etiam secundum sensibiles qualitates, in motu alterationis. Et sic sentire um et quietem est quodam modo sen- unum et multa. Quantitas autem proximum subjectum qualitatis alte- væ, ut superficies coloris. Et ideo sibilia communia non movent sensum no et per se, sed ratione sensibilis qua- is, ut superficies ratione coloris. Nec en sunt sensibilia per accidens, quia usmodi sensibilia diversitatem aliquam unt in immutatione sensus. Alio enim lo immutatur sensus a magna super- et a parva, quia etiam ipsa albedo tur magna vel parva, et ideo dividi- secundum proprium subjectum. — '. ad 2.

d tertium dicendum, quod sicut Phi- phus videtur dicere in 2. *de Anima t.* 106 usque ad 120; c. 11), sensus *ta-* est unus in genere, sed dividitur in tos sensus secundum speciem; et pter hoc est diversarum contrarie- m, qui tamen non separantur ab cem secundum organum, sed per to- corpus se concomitantur, et ideo am distinctio non apparet. *Gustus* au- , qui est perceptivus dulcis et amari, comitatur tactum in lingua, non au- per totum corpus, et ideo de facili a u distinguitur. Posset tamen dici, d omnes illæ contrarietates et singulæ veniunt in uno genere proximo, et es in uno genere communi, quod est objectum tactus secundum rationem communem. Sed illud genus commune est innominatum, sicut etiam genus proximum calidi et frigidi est innominatum. — *Ibid.* ad 3.

Ad quartum dicendum, quod quia ubi est idem sensibile, est idem sensus — potentiæ enim distinguuntur secundum objecta, idem autem est sensibile, quod sentiunt animalia tam respirantia quam non respirantia; — impossibile est quod sit alius sensus utrorumque, ut dicit Philosophus (*de Sensu et Sensibili* c. 5); diverso tamen modo sentiunt, qui modus non diversificat sensus (inquit Philosophus ibidem). Nam dupliciter modus sentiendi potest diversificari : *uno* modo *per se*, quod est secundum diversam habitudinem sensibilis ad sensum ; — et talis diversitas in modo sentiendi diversificat sensum ; puta quod unus sentit sensibile conjunctum, sicut tactus; alius autem sensibile remotum, sicut visus. Est et *alia* diversitas in modo sentiendi *per accidens*, quæ non diversificat sensum, et attenditur secundum remotionem prohibentis ; — et talis diversitas in modo sentiendi est in proposito : quia in animalibus respirantibus per respirationem removetur quoddam, quod per modum cooperculi subjacet organo odoratus ; et ideo quando non respirant, impediuntur ab odorando propter tale cooperculum. Sed animalia non respirantia carent tali cooperculo, et ideo non indigent respiratione ad odorandum : sicut videmus in oculis, quod quædam animalia habent palpebras, quæ si non aperiantur, non possunt hujusmodi animalia videre. Hujusmodi autem palpebras dedit natura animalibus egentibus acutiore visu, propter securitatem oculi, ut oculus conservetur. Unde animalia habentia duros oculos, quasi non indigentia acuto visu, non habent hujusmodi palpebras : et ideo non indigent aliquo motu aperiente palpebras ad videndum, sed statim habent oculos, et ad videndum facultatem nullo remoto. Manifestum etiam est, sensum olfactus esse eundem specie in omnibus anima-

libus, quia ejusdem sensus eadem sunt corruptiva (non enim visus patitur aliquid a sonis, neque auditus a coloribus); sensus autem animalium non respirantium videtur corrumpi a gravibus odoribus et excellentibus, ex quibus sensus hominis corrumpitur, scilicet ab asphalto, quod est quædam convectio ex succis herbarum, et a sulphure et hujusmodi. Ergo illa habent sensum olfactus sicut homo, licet non respirent. — *de Sensu et Sensibili* l. 14; 2. *de Anima* l. 20.

Ad quintum dicendum, quod ex duobus oculis fit aliquid unum, et una est operatio amborum oculorum, quatenus scilicet visio utriusque oculi concurrit per quosdam nervos ad aliquod intrinsecum in suum organum, quod est circa cerebrum. — *de Sensu et Sensibili* l. 19.

Ad sextum dicendum, quod cum potentiæ cognoscitivæ distinguantur ex objectis et varia immutatione illarum, ut dictum est (arg. *Sed contra*, et in c.), necesse est unum esse intellectum et plures sensus; intellectus enim objectum est universale, atque adeo ens ut ens; objectum vero sensus est singulare, quod multiplex est. Præterea, intellectus uno modo tantum immutari potest, puta ab una potentia agente; at sensus externus immutatur variis modis ab objectis sensibilibus, quæ sunt genere proximo saltem multiplicia. — 3. *de Anima* l. 7.

Ad septimum dicendum, quod sensus gustus secundum Philosophum (2. *de Anima text.* 28 et 94; c. 3 et 9) est quædam species tactus, quæ est in lingua tantum. Non autem distinguitur a tactu in genere, sed a tactu quantum ad illas species, quæ per totum corpus diffunduntur. Si vero tactus sit unus tantum sensus propter unam rationem communem objecti, dicendum erit, quod secundum diversam rationem immutationis distinguitur gustus a tactu. Nam tactus immutatur naturali immutatione, et non solum spirituali; quantum ad organum suum secundum qualitatem, quæ ei proprie objicitur. Gustus autem organum non immutatur de necessitate naturali immutatione secundum qualitatem, quæ ei proprie objicitur, ut scilicet lingua fiat dulcis vel amara, sed secundum præambulam qualitatem, in qua fundatur sapor, scilicet secundum humorem, qui est objectum tactus. — 1a, q. 78, a. 3, ad 4.

Vel dic, quod gustus et tactus dupliciter possunt considerari: uno modo quantum ad modum sentiendi; et sic gustus est quidam tactus, nam in tangendo suum objectum percipit; alio modo quantum ad objectum; et ita oportet dicere quod sicut se habet objectum gustus ad objectum tactus, sic se habet sensus gustus ad sensum tactus. Manifestum autem, quod sapor, qui est objectum gustus, non est aliqua qualitas de qualitatibus simplicium corporum, ex quibus animal constituitur, quæ sunt propria objecta sensus tactus; sed causatur ab eis, fundatur in aliquo eorum sicut in materia, scilicet in humido. Unde manifestum est, quod gustus non est idem, quod sensus tactus, sed quodammodo radicatur in eo. Unde et consuevit de gustu distingui quod potest accipi gustus prout est discretivus saporum, et potest accipi ut tactus quidam prout discernit qualitates tangibiles, scilicet alimenti, cuius sensus est tactus, ut dicitur 2. *de Anima* (*text.* 28; c. 3). Unde Philosophus dicit (in 3. *Ethic.* c. 12, al. 15), quod circa delectationes gustus prout accipitur primo modo, non est temperantia, sed solum prout est tactus quidam. — 2. *de Anima* l. 21 et 5. — Et ex his patet *ad octavum*.

Ad nonum dicendum, quod Philosophus loquitur de sensu communi, qui unus numero existens, sola autem ratione differens cognoscit diversa genera sensibilium, quæ tamen referuntur ad ipsum secundum diversas potentias sensuum propriorum. — *de Sensu et Sensibili* l. ult.

Ad decimum dicendum, quod gustus et tactus versantur circa potabile, non tamen eodem modo consideratum; nam tactus versatur circa illud ut est hum-

n, gustus vero ut est humidum sapo-
ile. — 2. *de Anima* l. 21.

ARTICULUS III

UM SENSUS EXTERIORES INDIGEANT MEDIO.

idetur quod sensus exteriores indi-
nt medio.

. Probat enim Philosophus (2. *de Ani-*
text. 128 sqq.; l. 3, c. 1) ex me-
dari quinque sensus externos; unde
n eodem libro agit de mediis et obje-
prædictorum sensuum. — 3. *de Ani-*
l. 1.

Præterea, Philosophus (2. *de Anima*
74; c. 7) probat contra Democritum,
d visibile non videtur, si inter ipsum
isum non intercedit medium, hac ra-
e. Ad videndum aliquid, requiritur
rganum patiatur a visibili; sed non
st pati a visibili immediate, quia visi-
super organum positum non videtur:
oportet quod organum visus patia-
a visibili per aliquod medium; ne-
e ergo est esse aliquod medium in-
visibile et visum. Sed eadem est ratio
um sensuum, ut dicitur 2. *de Ani-*
(*text.* 75; c. 7): ergo in omni sensu
sse est dari medium. — 2. *de Anima*
.

Præterea, si non esset necessarium
ium, sensibile supra sensum positum
et sensationem; sed hoc esse falsum
experientia in omnibus sensibus, ut
Philosophus (2. *de Anima text.* 75;
: ergo sensus exteriores egent medio.
id.

l contra est: 1. quod Philosophus
e Anima text. 112; c. 11) dicit, quod
sentit sine medio qualitates tangibi-
t saporem; sed caro est sensorium
s, ut dicit idem Philosophus (1. *de*
Animal. c. 4; 2. *de Partibus Ani-*
c. 2, 5 et 8): ergo sensus exterio-
on egent medio, saltem gustus et
s. — 2. *de Anima* l. 22.

Præterea, distinguuntur sensus tactus et gustus a reliquis tribus, quod illi duo immutantur a sensibilibus per contactum: *tactus* quidem, quia est discretivus eorum, ex quibus constat animal; *gustus* vero, quia est perceptivus qualitatum, quæ designant convenientiam alimenti, quo conservatur corpus animalis; — reliqui vero tres per medium: *odoratus* quidem simul cum alteratione sensibilis; odor enim immutat sensum cum aliqua resolutione odorabilis; *auditus* vero cum aliquo motu locali; sic enim illum immutat sonus; *visus* vero per solam immutationem spiritualem medii et organi; sic enim visum immutat color. Sed contactus est duorum, inter quæ non est medium, ut patet ex Philosopho: ergo sensus exteriores saltem non omnes egent medio. — 3. *de Anima* l. 1.

Respondeo dicendum, quod omnes sensus ad perfectam sensationem egent aliquo medio, non tamen omnes eodem modo. Ad cujus manifestationem sciendum est, quod visus, auditus et odoratus egent necessario aliquo medio extrinseco: *visus* quidem, quia de ratione coloris, quod est objectum visus, est, quod sit motivus diaphani; at si superponeretur coloratum organo visus, ita ut nullum intercederet medium, non esset ibi diaphanum actu, ut dictum est (q. 62, a. 1); nam obseraretur pupilla. *Auditus* vero, quia ut generetur sonus, oportet fieri percussionem duorum corporum solidorum ad invicem et ad aerem; sed aer, qui est organum auditus, est ommino immobilis (alioqui non possent certo percipi sonorum differentiæ: sicut ob eandem rationem visus, ut possit percipere omnes differentias colorum, debet esse denudatus ab omni colore): ergo necessario debet mediare aer inter organum auditus et sonum ejus objectum. — Hoc tamen *differt visus ab auditu*, quod quia aer, qui est medium, est susceptibilis soni secundum esse reale; non est autem susceptibilis coloris secundum esse reale: ideo potest sonus pervenire usque ad aerem immediatum organo auditus; non sic color. Unde inter obje-

ctum visus et visum necesse est intercedere medium, quod careat colore secundum esse reale; secus vero inter sonum et auditum, sed sufficit quod sonus non realiter attingat aerem illum, qui est organum auditus. *Conveniunt* tamen, quod sicut si poneretur coloratum super visum, non videtur, ita nec corpus sonans; nam hoc est corpus solidum, quod necessario requirit aerem ad hoc ut producatur sonus, et per aerem deferatur ad organum auditus; nam corpus sonans non habet sonum actu, sed in potentia: nam sonus in actu causatur ex motu. — 2. *de Anima* l. 15, 16, 17 et 20; *de Sensu et Sensibili* l. 12, 13.

Odoratus vero requirit etiam medium aerem vel aquam: *tum* quia hæc sunt susceptiva odoris; unde Philosophus (*de Sensu et Sensibili* c. 5) definit odorem in ordine ad illa; *tum* quia homo odorat respirando et attrahendo aerem; unde necesse est quod fumalis evaporatio, quæ resolvitur ab odorabili, immutet aerem vel aquam, et mediante hoc medio affecto tali odore immutatur olfactus, non quidem *realiter* — *tum* quia sic læderet ipsum: nam cum instrumentum sensus debeat esse proportionatum suo sensibili, sicut odor causatur ex calido et sicco, ita ad bonitatem instrumenti odoratus exigitur victoria calidi et sicci. Homo autem habet cerebrum (in cujus vicinio positum est instrumentum olfactus) majus omnibus aliis animalibus, secundum proportionem sui corporis, ut dicit Philosophus in lib. *de Animalibus* (1. *de Hist. Animal.* c. 16). Unde cum cerebrum sit frigidum et humidum, si fumalis evaporatio, mediante qua potest odor pervenire ab odorabili ad organum odoratus, illud contingeret, illud læderet. Unde necesse est quod odor perveniat ad odoratum *spiritualiter;* nam si perveniret etiam realiter, læderetur et corrumperetur, et sic non posset fieri perfecta sensatio; — *tum* quia etiam aliquando medium spiritualiter tantum immutatur, ut quando sentitur odor ultra quam fumalis evaporatio potest pertingere. Et sic etiam in hoc sensu verum est, quod si corpus odoris ponatur super sensorium odoratus, non sentietur odor illius, nam tunc homo non respirans posset sentire odorem, quod est falsum, et contra Philosophum (*de Sensu et Sensibili* c. 5). — 2. *de Anima* l. 19, 20, 21; l. 15; l. 22 et 23; *de Sensu et Sensibili* l. 13 et 14.

In gustu autem etiam requiritur medium, non tamen extrinsecum, sicut requiritur in aliis sensibus; nam, ut ait Philosophus (2. *de Anima text.* 101; c. 10), gustabile est quoddam tangibile; nam sapor, qui est gustabile, radicatur in humido sicut in propria materia; humidum autem est quoddam tangibile; tactus autem non sentit suum objectum per medium extrinsecum, sed per intrinsecum et conjunctum, quod scilicet est pars animæ; nam caro est medium intrinsecum in sensu tactus. In gustu vero similiter ponitur medium; cum enim sapor sentiri non possit sine humiditate (sicut nec color sine lumine) — cujus signum est, quod lingua existens valde sicca vel valde humida non potest sentire —; organum sensus gustus debet non esse humidum actu secundum se ipsum, debet tamen posse humectari. Nam perinde se habet organum visus ad lumen, sicut organum gustus ad humidum; organum autem visus non habet in se lumen in quantum ujusmodi, potest tamen suscipere lumen. — Cum autem sensibile positum super sensorium non faciat sensationem, sed linguam autem sentiamus sapores; lingua seu caro linguæ non erit sensorium gustus, sed *medium* intrinsecum illius, sicut et tactus. Gustus enim, qui est perceptivus dulcis et amari, concomitatur tactum in lingua, non autem per totum corpus; *organum* autem est quid magis intrinsecum circa cor. — Et similiter in *tactu, medium* intrinsecum illius est caro; hæc enim est per totum corpus, et per totum corpus animal sentit; *organum* vero est circa cor: cujus signum est, quod si læsio accidat in locis circa

maxime dolorosa. Propterea vero na gustus et tactus debent esse cir-
or, quia cum sint complexionis terreæ, nt esse in loco calidissimo, atque ubi est vel proportionale cordis (in ntibus sanguine) vel cor, quod est ca-simum inter omnes corporis partes, er caliditatem cordis frigiditas terræ emperiem reducatur. — 1a, q. 78, a. 3, ; *de Sensu et Sensibili* l. 5 ; *de Juvent. enect.* l. 3. — Unde manifestum est, l omnes sensus exteriores egent io aliquo, non tamen omnes eodem o, ut dictum est. — Et ex his patet *bjecta primo loco.*

i primum ergo *secundo loco* dicen-, quod caro est *medium,* non autem *num,* ut dictum est (in c.). Aristote-autem vocat in lib. *de Histor. Ani-* (l. 1, c. 4) carnem sensorium, quia medium intrinsecum et animatum, et i secundum sensorium, ut patet ex osopho 2. *de Part. Animal.* (c. 8).

i secundum dicendum, quod licet atio gustus et tactus fiat per conta-, quia fit per medium intrinsecum, simul immutatur cum sensitivo, ut m est (in c.); organum tamen tan-immutatur intentionaliter a medio, ossit discernere differentias sui ob-ut dictum est (supra q. 62, in c. et et 7).

QUÆSTIO LXV

DE OBJECTO POTENTIÆ VISIVÆ.

le considerandum est de potentiis nsitivis exterioribus in particulari, primum de visu, deinde de auditu, stea de aliis. Circa primum conside-nda sunt quatuor: objectum, sensatio, ganum et potentia ; nam de specie-s sensibilibus sensuum externorum nil superest in particulari conside-ndum præter ea, quæ dicta sunt de eciebus sensibilibus in communi.

CIRCA PRIMUM QUÆRUNTUR QUINQUE :

1. Utrum objectum visus sit color.
2. Utrum color recte definiatur a Philosopho.
3. Utrum lumen sit corpus.
4. Utrum lumen sit qualitas.
5. Utrum lumen sit realiter in medio an vero tantum intentionaliter.

ARTICULUS I

UTRUM OBJECTUM VISUS SIT COLOR.

Videtur quod objectum visus non sit color.

1. Unius enim potentiæ debet esse unum objectum ; sed objectum visus est etiam lumen, ut patet : ergo color non est objectum visus. — 2. *de Anima* l. 14.

2. Præterea, color non habet virtutem movendi diaphanum ad hoc ut videatur nisi per lumen ; cujus signum est, quod ille qui est in obscuro, videt ea quæ sunt in lumine, non e converso ; ergo lumen est visibile ; et consequenter color non est objectum visus. — *Ibid.*

3. Præterea, multa sunt colorata, quæ non videntur ut colorata, sed videntur ut lucida, ut fungus, cornu, piscium capita, oculi et similia, ut dicit Philosophus (2. *de Anima text.* 72 ; c. 7) ; ergo objectum visus non est color. — 2. *de Anima* l. 15 et l. 14.

4. Præterea, eadem est potentia cognoscitiva contrariorum ; sed visus videt lucem, ergo et tenebras debet videre ; sed neutrum est color : ergo color non est objectum visus. — *Ibid.* l. 15.

5. Præterea, dicit Philosophus (2. *de Anima text.* 136 ; l. 3, c. 2), quod visus videt suam visionem ; sed hæc non est color, ut patet : ergo. — 3. *de Anima* l. 2.

Sed contra est, quod Philosophus 2. *de Anima text.* 66 (c. 7) dicit, quod obje-

ctum visus est visibile, et quod visibile est color; et *text.* 137 (l. 3, c. 2), quod nihil videtur nisi color tantum aut habens colorem; et *de Sensu et Sensibili* c. 1 dicit, quod visus plures differentias rerum nobis manifestat quam auditus, quia omnia corpora tam sublunaria quam cœlestia colorem participant; ergo solus color est objectum visus. — 2. *de Anima* l. 14; 3. *de Anima* l. 2; *de Sensu et Sensibili* l. 2.

Respondeo dicendum, quod color per se visibilis quidem est, ut dicit Philosophus (2. *de Anima text.* 66; c. 7), eo quod, ut inquit ille, habet color in se causam visibilitatis, in quantum est motivus diaphani secundum actum; unde habet quod, sit visibilis per se in secundo modo; objectum tamen visus adæquatum est visibile seu lucidum simpliciter. Ad cujus evidentiam sciendum, quod omnis forma in quantum hujusmodi est principium agendi sibi simile; unde cum color sit forma quædam, ex se habet quod causet sui similitudinem in medio. Sed tamen sciendum est, quod differentia est inter virtutem perfectam et imperfectam. Nam forma quæ est perfectæ virtutis in agendo, non solum potest inducere suam similitudinem in suo susceptibili, sed potest etiam disponere patiens, ut sit proprium ejus susceptivum; quod quidem non potest facere, cum fuerit imperfectæ virtutis. Dicendum est igitur, quod virtus coloris in agendo est imperfecta respectu virtutis luminis. Nam color nihil aliud est quam lux quædam quodammodo obscurata ex admixtione corporis opaci. Unde non habet virtutem, ut faciat medium in illa dispositione, qua sit susceptivum coloris, quod tamen potest facere lux pura. Ex quo etiam patet, quod quia lux est quodammodo substantia coloris, nec oportet quod color per lumen extrinsecum fiat visibile; et ad eandem naturam reduci potest omne visibile, puta ad naturam lucidi; ideo merito adæquatum objectum visus asssignatur a Philosopho (2. *de Anima text.* 66; c. 7) visibile, sub quo continentur, ut inquit ille, color, q est lux imperfecta, et quædam lucid quæ de nocte videntur, ut noctilu putredines quercuum et hujusmo quæ lucem magis participant quam lor. — 2. *de Anima* l. 14; *Quodl.* a. 1, c. — Unde patet *ad primum* jectum.

Ad secundum dicendum, quod colo illuminati propterea ab eo qui est in scuro, videntur, quia medium etiam il minatum est, quantum sufficit ad i mutationem ipsius; lumen autem requiritur ad videndum propter colore ut nimirum faciat ipsum esse actu, qu tantum sit in potentia, cum est in te bris; sed propter medium, ut nimir ipsum faciat actu illuminatum, et sic p sit moveri a colore, ut videatur, ut di Philosophus (2. *de Anima text.* 66; c. — 2. *de Anima* l. 14; *Quæst. disp.* Anima a. 4, ad 4.

Ad tertium dicendum, quod ideo qu dam videntur in tenebris ut lucent non ut colorata, in lumine vero viden ut colorata, non ut lucentia, quia pr dicta ex sua compositione habent aliq lucis, in quantum lucidum ignis et d phanum aeris et aquæ non est totali in eis comprehensum per opacum terr sed quia modicum habent de luce, eor lux ad præsentiam majoris luminis cultatur; unde in lumine non viden ut lucentia, sed ut colorata tantum; autem eorum propter sui debilitatem potest diaphanum perfecte reducere actum secundum, quod natum est mov a colore; unde sub eorum luce nec rum color nec aliorum videtur, sed lum lux ipsorum: lux enim cum efficacior ad movendum diaphanum qu color et magis visibilis, cum minori i mutatione videri potest. — 2. *de Ani* l. 15.

Ad quartum et quintum dicendu quod *sentire visu* dupliciter dicitur: modo, secundum quod visu sentimus videre; *alio* modo, cum visu viden colorem. Et quod visu sentire dica

tipliciter, apparet ex hoc quod ali-
ndo dicimur sentire visu, cum visus
sentialiter immutatur a visibili, sci-
t colore; aliquando autem discernimus
et tenebras et lumen, etiam cum non
emus per immutationem, scilicet ab
eriori sensibili. Sed non similiter di-
r utroque modo visu sentire. Redit
tio ad hoc, quod actio visus potest
siderari, *vel* secundum quod consistit
mmutatione organi a sensibili exte-
i; — et sic non sentitur nisi color:
e ista actione visus non videt se
re; — *alia* est actio visus, secundum
m post immutationem organi judicat
ipsa perceptione organi a sensibili,
m abeunte sensibili; — et sic visus non
t solum colorem vel sentit, sed sentit
m visionem coloris. — 3. *de Anima*

d argumentum in oppositum dicendum
nd priorem *text.* 66, 2. *de Anima*,
d Philosophus, ubi dixit, quod obje-
n visus est visibile, et quod visibile est
r, subdit: « et id, quod est innomina-
», commune scilicet his, quæ tantum
octe videntur — quæ sub nomine *lu-*
vel *lucentis* comprehendi possunt, ut
est colligi ex Philosopho eodem *textu*,
. *de Anima text.* 72 (c. 7) — ut signi-
t adæquatum objectum visus compre-
dere in se colorem et lumen. Quod
et manifeste ex tertio textu (*de Sensu*
Sensibili c. 1). Nam cum ibi dicat
ia corpora (tam cœlestia nimirum
n inferiora) convenire in *colore*, et
nifestum sit cœlestia non esse colorata,
iendo proprie nomen coloris, nomine
oris debet intelligere *lucem*, quæ simul
i diaphano est principium coloris, et
quodammodo substantia illius, ut dic-
i est. Unde et a Philosopho 2. *de Ani-*
text. 69 (c. 7) vocatur lumen « quasi
or perspicui ». — Eodemque modo di-
dum ad textum secundo loco citatum
est 2. *de Anima text.* 137; l. 3, c. 2).
2. *de Anima* l. 14 et 15; *de Sensu et*
sibili l. 2.

ARTICULUS II

UTRUM RECTE DEFINIATUR A PHILOSOPHO COLOR.

Videtur quod non recte definiatur a Philosopho color, quod sit *motivus diaphani secundum actum.*

1. Unius enim rei una est definitio, ut dictum est (supra q. 3, a. 14, arg. 1); sed color definitur a Philosopho aliter *de Sensu et Sensibili* (c. 3), nimirum quod sit *perspicui in corpore determinato extremitas:* ergo color male definitur, quod si motivus diaphani secundum actum. — *de Sensu et Sensibili* l. 6.

2. Præterea, definitio convertitur cum definito; sed esse motivum diaphani convenit etiam lumini; lumen enim est actus diaphani et color illius, ut dicit Philosophus (2. *de Anima text.* 69; c. 7): ergo idem quod prius. — 2. *de Anima* l. 14; 3a, q. 60, a. 2, arg. *Sed contra.*

Sed contra est quod Philosophus 2. *de Anima* (*text.* 67; c. 7) definit colorem, quod sit *motivus diaphani secundum actum.* — 2. *de Anima* l. 14.

Respondeo dicendum, quod dupliciter potest considerari *color: uno modo per ordinem ad visum*, seu secundum quod est immutativus visus, unde habet ut per se sit visibilis; — et hoc modo consideratus a Philosopho definitur, quod sit motivus diaphani secundum actum. Hoc enim habet color de sui natura, quod possit movere diaphanum in actu. Cum enim sit objectum visus, ut dictum est, debet ipsum movere. Comparatur enim potentia sensitiva exterior ad suum objectum tamquam patiens ad agens, ut dictum est (q. 64, a. 1). Cum autem non possit movere visum immediate (nam visibile positum supra visum non facit sensationem), et si distet a visu vel intercedat inter utrumque vacuum, non

videbitur, ut etiam dictum est ex Philosopho; necesse est quod moveat visum per aliquod medium. Medium autem potens moveri a colore nullum aliud est quam diaphanum; movet enim quatenus quiddam visibile; est autem visibile, quatenus movet diaphanum secundum actum. Fit autem diaphanum seu transparens, ut aer et aqua, in actu per lumen; comparatur enim lumen ad diaphanum, sicut color ad corpus terminatum, quia utrumque est actus et forma sui susceptivi. Necesse igitur est quod color sit motivus aeris vel aquæ, quatenus sunt illuminata; hoc autem est esse motivum diaphani secundum actum. — 2. *de Anima* l. 14.

Alio modo potest considerari color *absolute secundum* suam *naturam* absque ullo ordine considerato ad visum; et ut sic definitur a Philosopho loco citato (*de Sensu et Sensibili* c. 3), quod sit *extremitas perspicui in corpore terminato*. Extremitas perspicui ponitur loco generis, reliqua verba ponuntur loco differentiæ.

Ad cujus definitionis explicationem considerandum est, quod oportet semper ponere subjectum in definitione accidentis, ut dicitur 7. *Metaphys.* (*text.* 11, 12 et 19; l. 6, c. 4 et 5), differenter tamen; nam si accidens definitur *in abstracto*, subjectum ponitur loco differentiæ; id autem quod pertinet ad genus accidentis, ponitur loco generis (sicut cum dicitur, simitas est curvitas nasi); cum autem accidens definitur *in concreto*, subjectum ponitur loco generis (sicut cum dicitur, simus est nasus curvus). — Cf. 7. *Metaphys.* l. 3 et 4. — Quia ergo colorem volebat definire in abstracto, posuit loco generis id, quod est essentialiter ipse color; hoc autem est *extremitas*, non quidem corporis, quia sic esset superficies vel linea, et sic esset in genere quantitatis; sed *perspicui*, quod nominat corporis qualitatem, sicut calidum et album. Et ideo color non est in genere quantitatis, sicut superficies, quæ est extremum corporis; sed est in genere qualitatis, sicut et perspicuitas, quia e tremum et id cujus est extremum, uni generis sunt.

Est autem color extremitas perspicu quia cum perspicuum non sit natura sep rata, sed in corporibus existens, neces est quod sicut corporum, in quibus ha natura invenitur, est aliquod ultimu si sit finita; ita et ipsius perspicui, qu significat qualitatem talium corporu oportet esse aliquod ultimum; hoc aute ultimum est color, ut manifestum e ex his quæ accidunt. Non enim vide tur corpora colorata nisi secundu suas extremitates; sicut enim corpo intrinsecus quidem habent superficie in potentia, non autem actu, ita etia intrinsecus non colorantur actu, sed potentia, quæ reducitur ad actum fac corporis divisione; illud autem intrins cum non habet virtutem movendi visu quod per se colori convenit. Unde fit, color non sit extremitas corporis ut co pus est, ut Pythagorici posuerunt rationem allatam, sed sit in extremita corporis; sit tamen quædam extremit perspicui: quod ponitur loco differenti quia subjectum coloris est perspicuum hoc enim est susceptivum coloris, tam his quæ colorantur interius per propriu colorem, quam in his quæ colorant exterius, id est non per proprium col rem, sed ex aliquo exteriori, ut sunt a et aqua. Hæc enim omnia sunt pe spicua, nisi quod in his quæ ab ext riori colorantur, quia non habent dete minatum colorem de se, non videt idem color prope et longe: sicut appar in aqua maris, quæ de longe apparet a terius coloris quam prope. Quia eni horum color videtur secundum aliqua reverberationem, necesse est quod secu dum varietatem situs prospicientiu varietur apparitio propter diversam reve berationis figuram; sed in corporibu quæ de se habent determinatum colore est determinata apparitio coloris, et n variatur secundum diversum situm asp cientium, nisi forte per accidens, puta cu

rpus continens facit aliquam transutationem apparitionis, vel quando lor videtur per alium, sicut quæ conentur in vase vitri rubei videntur bea, vel etiam per aliquam reverberanem splendoris, sicut patet in collo lumbæ.

Additur in definitione coloris, quod sit tremitas perspicui *in corpore determinato*, quia sicut corporum quædam terinata dicuntur, quia propriis terminis rminantur, sicut corpora terrestria; ædam interminata, eo quod non terinantur propriis terminis, sed alienis; ita etiam est circa perspicuum: quodm enim est *interminatum* ex se ipso, ia nihil habet in se determinatum, unde sum videatur; quoddam autem est *rminatum*, quia determinate habet aliid in se ipso, unde videatur secundum opriam terminationem. Perspicuum interminatum est susceptivum luminis, jus natura non est ut suscipiatur som in extremo, sed per totum medium; rspicuum vero terminatum est, quod extremo est suceptivum coloris. Et proerea additum est in definitione coloris, od sit extremitas perspicui in corpore terminato. Et sic patet intellectus defiionis coloris. — *de Sensu et Sensibili* 5.

Ad primum ergo dicendum, quod unius est una definitio, si sumatur secunm unum conceptum; secus vero, si riæ rationes in illa considerentur: sicerim de eadem re plures conceptus mari possunt, ita et plures definitios, ut dictum est (supra. q. 3, a. 14, 1).

Ad secundum dicendum, quod lumen quasi color diaphani. Non est autem tivum diaphani sicut color; nam lun vere et realiter est actus perspicui, est in ipso perspicuo subjective; secus o color: non enim aer coloratur, l tantum recipit species coloris. — *de nsu et Sensibili* l. 6; 2. *de Anima* l.

ARTICULUS III

UTRUM LUMEN SIT CORPUS.

Videtur quod lumen sit corpus.

1. Dicit enim Philosophus (5. *Top.* c. 2, al. 5), quod lumen est species ignis; sed ignis est corpus: ergo et lumen; nam quidquid prædicatur de genere, prædicatur etiam de specie. — 1a, q. 67, a. 2, arg. 2; 2. *Sent. dist.* 13, a. 3, arg. 3.

2. Præterea, ferri seu moveri, intersecare, transire per aerem, reverberari et reflecti est proprium corporum; sed prædicta conveniunt lumini; consuevimus enim dicere, quod radius transit per aerem, quod reverberatur, quod radii se intersecant: ergo lumen est corpus. — 1a, q. 67, a. 2, arg. 3; 2. *Sent.* l. c. arg. 2, 4, 5; 2. *de Anima* l. 14.

3. Præterea, corporum est, ut ex eorum confricatione et compressione calor sequatur; sed ex intersecatione radiorum solis et eorum multiplicatione sequitur calor: ergo lumen est corpus. — 2. *Sent.* l. c. arg. 6.

Sed contra est, quod Philosophus (2. *de Anima text.* 69; c. 7) probat lumen neque esse ignem neque corpus neque aliquid defluens a corpore, sed esse accidens. — 2. *de Anima* l. 14.

Respondeo dicendum, quod impossibile est lumen esse corpus. Quod quidem apparet tripliciter: — *primo*, ex parte loci. Nam locus cujuslibet corporis est alius a loco alterius corporis; nec est possibile secundum naturam duo corpora esse simul in eodem loco, qualiacunque corpora sint: quia contiguum requirit distinctionem situs; lumen autem simul est cum aere. — *Secundo*, idem apparet ex ratione motus. Si enim lumen esset corpus, illuminatio esset motus localis corporis; nullus autem motus localis corporis potest esse in instanti, quia om

ne quod movetur localiter, necesse est quod prius perveniat ad medium magnitudinis quam ad extremum, illuminatio autem fit in instanti. Nec potest dicit, quod fiat in tempore imperceptibili (quia in parvo spatio posset tempus latere, in magno autem spatio, puta ab oriente in occidentem tempus latere non posset); statim enim, cum sol est in puncto orientis, illuminatur totum hemisphærium usque ad punctum oppositum. Est etiam aliud considerandum ex parte motus, quia omne corpus habet motum naturalem determinatum; motus autem illuminationis est ad omnem partem, nec magis secundum circulum quam secundum rectitudinem; unde manifestum est, quod illuminatio non est motus localis alicujus corporis. — *Tertio*, apparet idem ex parte generationis et corruptionis. Si enim lumen esset corpus, quando aer obtenebrescit per absentiam luminaris, sequeretur quod corpus luminis corrumperetur, et quod materia ejus acciperet aliam formam; quod non apparet: nisi aliquis dicat etiam tenebras esse corpus. Nec etiam apparet, ex qua materia tantum corpus, quod replet medium hemisphærium, quotidie generetur. Ridiculum etiam est dicere, quod ad solam absentiam luminaris tantum corpus corrumpatur. Si quis etiam dicat, quod non corrumpatur, sed simul cum sole accedit et circumfertur; quid dici poterit de hoc, quod ad interpositionem alicujus corporis circa candelam, tota domus obscuratur? Nec videtur quod lumen congregetur circa candelam, qui non apparet ibi major claritas post quam ante. Quia ergo hæc omnia non solum rationi, sed etiam sensui repugnant, dicendum est, quod impossibile est lumen esse corpus. — 1a, q. 67, a. 2, c.; 2. *Sent.* dist. 13, a. 3, c.; 2. *de Anima* l. 14.

Ad primum ergo dicendum, quod Philosophus lumen nominat ignem in propria materia; sicut ignis in materia aerea dicitur flamma et in materia terræ dicitur carbo. Non tamen curandum est de exemplis, quæ Aristoteles inducit in libris logicalibus, quia inducit ea ut probabilia secundum opinionem aliorum, ut ipse testatur in principio *de Generat.* — 1a, q. 67, a. 2, ad 2; 2. *Sent.* dist. 13, a. 3, ad 3.

Ad secundum dicendum, quod omnia illa attribuuntur lumini metaphorice, sicut etiam possunt attribui calori. Quia enim motus localis est naturaliter primus motuum, ut probatur 8. *Phys.* (*text.* 55, c. 7), utimur nominibus pertinentibus ad motum localem in alteratione et in omnibus motibus: sicut etiam nomen distantiæ derivatum est a loco ad omnia contraria, ut dicitur in 10. *Metaphys.* (*text.* 13; l. 9, c. 4). Cum ergo duo lumina dicuntur conjungi et separari, non intelligitur talis conjunctio et separatio nisi secundum intensionem et remissionem luminis, multiplicatis vel subtractis luminaribus, quorum radii confusi esse dicuntur propter luminarium distinctionem. Cum vero radius dicitur moveri vel descendere, metaphorice dicitur ex eo quod alteratio illuminationis incipit ab eo, quod supra nos est, per quem etiam modum possumus dicere colorem ascendere vel descendere. Radius demum non dicitur reverberari ad corpus solidum sicut repulsus secundum motum localem sicut pila quædam, sed in quantum obsistit sua densitate illuminationi, per quem etiam modum aliæ qualitates reflectuntur. — 1a, l. c. ad 3; 2. *Sent.* l. c. ad 2, 4 et 5; 2. *de Anima* l. 14.

Ad tertium dicendum, quod ex intersecatione radiorum non sequitur calor, sicut ex confricatione corporum; sed quia ex concurrentibus multis radiis ad unum punctum oportet multiplicari lumen, et ex hoc multiplicatur calor, in quantum lumen, ex hoc quod est qualitas primi alterantis, habet quod ad alterationem juvet, et præcipue secundum illam qualitatem quæ est simpliciter et maxime activa, puta calor, ac propterea virtutem primi alterantis maxime conformis. — 2. *Sent.* l. c. ad 6.

ARTICULUS IV

UTRUM LUMEN SIT QUALITAS.

Videtur quod lumen non sit qualitas.

1. Omnis enim qualitas permanet in ubjecto, etiam postquam agens discesserit : sicut calor in aqua remota ab igne ; sed lumen non remanet in aere, recedente luminari : ergo lumen non est qualitas. — 1a, q. 67, a. 3, arg. 1 ; 2. *Sent.* dist. 13, a. 3, arg. 10.

2. Præterea, omnis qualitas sensibilis habet contrarium, sicut calido contrariatur frigidum et albo nigrum ; sed lumini nihil est contrarium : ergo lumen non est qualitas sensibilis. — 2. *Sent.* l. 1, arg. 8 ; 1a, l. c. arg. 2.

3. Præterea, causa est potior effectu ; sed lux cœlestium corporum causat formas substantiales in istis inferioribus ; et etiam esse spirituale coloribus, quia facit eos visibiles actu : ergo lumen non est aliqua qualitas sensibilis, sed magis forma substantialis aut forma spiritualis. — 1a, l. c. arg. 3.

4. Præterea, omnis qualitas passibilis introducitur successive in materiam, quia secundum eam contingit motus alterationis, qui est successivus ; sed illuminatio est subito : ergo lumen non est hujusmodi qualitas. — 2. *Sent.* l. c. arg. 9.

Sed contra est, quod Philosophus (2. *de Anima text.* 69 ; c. 7) dicit, quod lumen est qualitas. — 2. *de Anima* l. 14.

Respondeo dicendum, quod circa naturam luminis diversi diversimode opinati sunt. — *Quidam* enim opinati sunt lumen esse corpus, moti ex quibusdam locutionibus, quibus utimur loquentes de lumine ; quæ opinio stare non potest, ut ostensum est.

Quidam vero alii dixerunt, quod lux est quædam natura spiritualis, argumentum sumentes, quod in rebus intellectualibus nomine luminis utimur ; dicimus enim in substantiis spiritualibus esse quoddam lumen intelligibile. Sed hoc etiam est impossibile. Impossibile enim est quod aliqua natura spiritualis, et intelligibilis cadat in apprehensione sensus, qui cum sit virtus corporea, non potest esse cognoscitivus nisi rerum corporalium. Si quis autem dicat, quod aliud est lumen spirituale ab eo quod sensus percipit, non erit cum eo contendendum, dummodo hic habeat, quod lumen, quod visu percipit, non est natura spiritualis. Nihil enim prohibet unum nomen imponi rebus quantumcunque diversis ; quod autem lumine et his quæ ad visum pertinent utamur in rebus intellectualibus, contingit ex nobilitate sensus visus, qui est spiritualior et subtilior inter omnes sensus, ut ostensum est (v. infra q. 68, a. 1).

Quidam vero dixerunt, quod lumen non est nisi evidentia coloris. Sed hanc positionem Avicenna (*de Anima* part. 3, c. 2 et 3) multipliciter improbat accipiendo omnes modos, quibus intelligi potest ; sensibiliter tamen apparet esse falsam in noctilucis, quorum color in nocte occultatur, quando lux apparet ; et quando color videtur in die, lux non sentitur.

Alii vero dixerunt, quod lux est forma substantialis solis ; et lumen in aere receptum et in quolibet corpore diaphano est accidens, quia post esse completum advenit, et recedit rebus manentibus. Sed hoc etiam stare non potest : — *primo*, quia illuminatio est actio in aliud, quia lucidum illuminat ; unde si lumen in hoc aere est accidens, oportet quod principium illuminationis in corpore lucido sit accidens, sicut etiam Commentator probat, quod calor non est forma substantialis ignis, quia in corporibus calefactis est accidens. *Secundo*, quia nulla forma substantialis est per se sensibilis, quia *quod quid est* est objectum intellectus, ut dicitur in 3. *de Anima* (*text.* 26 ; c. 6) ; lux autem est secundum se visibilis. *Tertio*, quia impossibile est ut id, quod est forma substantialis in uno, sit forma accidenta-

lis in alio : quia formæ substantiali per se convenit constituere in specie, unde semper et in omnibus adest ei ; lux autem non est forma substantialis aeris, alioqui ea recedente corrumperetur ; unde non potest esse forma substantialis solis. — Quod si dicatur, quod illud quod videtur, non est lux, sed splendor vel fulgor quidam ; dicendum, quod illud quod nos appellamus lucem, est illud quod per se videtur ; et si forma substantialis dicatur lux, non erit nisi æquivoce, quia accidens et substantia non univocantur in aliquo ; et sic nihil prohibet etiam lapidem vocari lucem aut tenebras, quia etiam secundum Philosophum in 4. *Metaphys.* (*text.* 11 ; l. 3, c. 4) non est inconveniens, quod eodem nomine apud nos significetur homo, et apud alios non homo.

Alii ergo dicunt, quibus consentiendum est, quod sicut calor est qualitas activa consequens formam substantialem ignis; ita lux est qualitas activa consequens formam substantialem solis vel cujuscunque alterius corporis a se lucentis, si aliquod aliud tale est. Cujus signum est, quod radii diversarum stellarum habent diversos effectus secundum diversas naturas corporum. Et sicut calor est in tertia specie qualitatis, ita et lux; sed in hoc differt a calore, quia lux est qualitas primi corporis alterantis, quod non habet contrarium, unde nec lux contrarium habet ; calori autem est aliquid contrarium. Et quia luci nihil est contrarium, in suo susceptibili non potest habere contrariam dispositionem ; et propter hoc suum passivum, scilicet diaphanum, semper est in ultima dispositione ad formam ; et propter hoc statim illuminatur, non autem calefactibile statim calefit. Sciendum autem, ex hoc differre lumen a radio et splendore, quod ipsa participatio vel effectus lucis in diaphano vocatur *lumen* ; et si fit secundum rectam lineam ad corpus lucidum, vocatur *radius* ; si autem causetur ex reverberatione radii ad corpus lucidum, vocatur *splendor* ; lumen autem commune est ad omnem effectum lucis in diaphano. — 2. *de Anima* l. 14 ; 2. *Sent.* dist. 13, q. 1, a. 3, c. ; 1a, q. 67, a. 3, c.

Ad primum ergo dicendum, quod cum qualitas consequatur formam substantialem, diversimode se habet subjectum ad receptionem qualitatis, sicut se habet ad receptionem formæ. Cum enim materia perfecte recipit formam, firmiter etiam stabilitur qualitas consequens formam, sicut si aqua convertatur in ignem. Cum vero forma substantialis recipitur imperfecte, secundum inchoationem quandam, qualitas consequens manet quidem aliquamdiu, sed non semper ; sicut patet in aqua calefacta, quæ redit ad suam naturam. Sed illuminatio non fit per aliquam transmutationem materiæ ad susceptionem formæ substantialis, ut fiat quasi inchoatio aliqua formæ ; et ideo lumen non remanet nisi ad præsentiam agentis. — *Vel dic*, quod lumen solis recipitur in diversis corporibus diversimode, sicut dicit Dionysius (*de Div. Nom.* c. 4, § 2 ; — Migne PP. Gr. t. 3, col. 693), secundum diversam capacitatem eorum ; et ideo aliqua sunt, quæ illuminantur in superficie tantum, ut corpora opaca, aliqua vero illuminantur etiam in profundo, sicut diaphana, quæ tamen lucem non retinent, quia imperfecte lumen recipiunt ; unde oportet quod lumen in eis cesset absente illuminante. Alia vero sunt, quæ perfectius lumen recipiunt, et lumen tenent, ut carbunculus et hujusmodi. — 1a, l. c. ad 1 ; 2. *Sent.* l. c. ad 10.

Ad secundum dicendum, quod accidit luci, quod non habeat contrarium, in quantum est qualitas naturalis primi corporis alterantis, quod est a contrarietate elongatum, ut dictum est. — *Vel dic*, quod lumen habet contrarium, quatenus participatur in coloribus. — 1a, l. c. ad 2 ; 2. *Sent.* l. c. ad 8 et in c. ; *de Sensu et Sensibili* l. 11.

Ad tertium dicendum, quod sicut calor agit ad formam ignis quasi instrumentaliter in virtute formæ substantialis ; ita lumen agit quasi instrumentaliter in vir-

ute corporum cœlestium ad producendas ormas substantiales, et ad hoc quod fa- iat colores visibiles actu, in quantum est ualitas primi corporis sensibilis. — 1a, . c. ad 3 ; 2. *Sent.* dist. 13, l. c. ad 7.

Ad quartum dicendum, quod successio, uæ est in alteratione aliarum qualita- um, contingit ex hoc quod in patiente est ualitas contraria, quæ resistit actioni lterantis, quam oportet successive expel- i. Sed cum lux non habeat contrarium, icut nec forma substantialis, diapha- um ad præsentiam illuminantis statim umen recipit, sicut materia statim neces- itata per alterationem præcedentem re- ipit formam substantialem. Et ideo sic- t generatio est terminus alterationis, ta illuminatio motus localis, quo illumi- ans fit præsens illuminato, ut dicit Commentator (6. *Phys.*). — 2. *Sent.*, dist. 3, l. c. ad 9.

ARTICULUS V

TRUM LUMEN HABEAT ESSE REALE IN MEDIO, AN VERO ESSE TANTUM INTENTIONALE.

Videtur quod lumen in medio, puta in ere, habeat tantum esse intentionale.

1. Ita enim se habet lumen ad per- picuum, sicut color ad idem, ut patet ex Philosopho (2. *de Anima text.* 69 ; c. 7), ibi lumen vocat colorem perspicui ; sed olor habet in medio esse tantum inten- ionale : ergo et lumen habebit in eodem sse tantum intentionale. — 2. *de Anima* . 14 ; 2. *Sent.* dist. 13, q. 1, a. 3, c.

2. Præterea, lumen dat colori esse spi- ituale ; ergo multo fortius ipsum debet abere esse spirituale, quia nihil dat al- eri quod non habet. — 2. *Sent.* dist. 13, l. 1, a. 3, c.

3. Præterea, nulla qualitas habens esse aturale immediate superposita organo isus potest videri ; sed lumen contingens upillam videtur : ergo lumen habet in nedio esse tantum intentionale. — *Ibid.*

Sed contra est, quod lumen denominat aerem ; fit enim aer luminosus in actu ; color vero non denominat ipsum ; non enim dicitur aer coloratus. — 1a, q. 67, a. 3, c.

Respondeo dicendum, quod lumen est forma accidentalis, habens esse firmum, et ratum in natura ; et quod sicut calor est qualitas activa ignis et habet in ipso et in omnibus calefactis esse reale ac naturale, ita lux est qualitas activa ipsius solis, et in aliis est secundum quod magis cum sole communicant, qui totius luminis est fons, et in medio non habet esse intentionale tantum, sicut nonnulli volunt. Cujus ratio est, quia per illud quod habet esse intentionis tantum, non sequitur transmutatio nisi secundum operationem animæ, ut in videndo et audiendo ; per illuminationem autem videmus sensibiliter naturales transmutationes fieri per caliditatem ex solis radiis consequentem. Ergo fieri non potest quod lumen habeat in medio esse tantum intentionale, non autem reale ac naturale. — 1a, q. 67, a. 3, c. ; 2. *Sent.* dist. 13, q. 1, a. 3, c. ; 2. *de Anima* l. 14.

Ad primum ergo dicendum, quod valde differt color a luce : nam virtus coloris in agendo est imperfecta respectu virtutis luminis ; nam color nihil aliud est, quam lux quædam quodammodo obscurata ex admixtione corporis opaci : unde non habet virtutem ut faciat medium in illa dispositione, qua sit susceptivum coloris, quod tamen potest facere lux pura. — 2. *de Anima* l. 14.

Ad secundum dicendum, quod quia cœlum est primum alterans, inde sequitur quod omnis alteratio quæ est in inferioribus, perficitur per virtutem luminis, sive sit alteratio secundum esse naturale sive secundum sensum ; et ex hoc habet lux, quod omnibus corporibus generationem conferat, et coloribus det esse spirituale, secundum quod recipiuntur in medio et organo ; et ipsum lumen virtutem spiritualem habet, licet secundum esse reale et naturale sit tam in corpore luci-

do quam in medio. — 2. *Sent.* l. c., in c.

Ad tertium dicendum, sicut dictum est (supra q. 59, a. 1, ad 7) de fulgore oculi a vidente percepto.

QUÆSTIO LXVI

DE VISIONE.

Deinde considerandum est de visione.

CIRCA QUAM QUÆRITUR :

Utrum visio fiat per extramissionem radiorum ab oculis, an vero per intus receptionem.

ARTICULUS

UTRUM VISIO FIAT PER EXTRAMISSIONEM RADIORUM AB OCULIS, AN VERO PER INTUS RECEPTIONEM.

Videtur quod visio fiat per extramissionem radiorum ab oculis ad rem visam.

1. Dicit enim Philosophus (2. *de Cœlo et Mundo text.* 48 ; c. 8), quod visus se extendens ad stellas fixas valde distantes tremit ; sed hic tremor denotat multam extramissionem radiorum ab oculis : ergo visio fit per talem extramissionem. — 2. *Cœlo et Mundo* l. 12.

2. Præterea, omnis sensus ad hoc ut sentiat debet contingere sensibile ; sed visus non potest tangere visibile, nisi per radios extramissos ad ipsum : ergo idem quod prius. — 2. *de Anima* l. 20.

3. Præterea, quo res visa est magis distans ab oculo, minus videtur ; sed hujus ratio est, quia quo lineæ visuales magis protenduntur ab oculo ad rem visam, faciunt angulum minorem, ut dicunt perspectivi : ergo signum est, quod visio fiat per extramissionem radiorum visualium ab oculo usque ad rem visam. — 2. *de Anima* l. 15 et 20.

4. Præterea, visio eodem modo fit a quocunque vidente, sicut et sensatio cujuslibet alterius sensus : sed visio corporis glorificati non potest fieri per receptionem speciei sensibilis ab objecto in pupilla : ergo absolute visio non fit per receptionem, sed per extramissionem. — Minor probatur multipliciter : — et *primo*, quia receptio speciei est quædam passio, ut dicit Philosophus (2. *de Anima text.* 51 et 118 ; c. 5 et 11) ; at corpora gloriosa erunt impassibilia. — *Secundo*, quia immutatio naturalis præcedit immutationem animalem, sicut esse naturale præcedit esse intentionale ; sed corpora gloriosa ratione impassibilitatis non immutabuntur immutatione naturali : ergo nec intentionali ab objectis externis. — *Tertio*, quia quando anima est in actu unius potentiæ, remittitur actus alterius potentiæ ; sed anima summe erit intenta ad actum virtutis intellectivæ, quæ Deum contemplabitur : ergo non erit aliquo modo in actu sensitivæ. — *Quarto*, quia id, quod est lucidum actu, non est receptivum speciei visibilis, unde speculum directe positum sub radio solis, non repræsentat speciem corporis oppositi ; sed pupilla hominis glorificati, sicut et totum ejus corpus, erit claritate dotata : ergo non recipietur in ea aliqua species corporis colorati. — 4. *Sent.* dist. 44, q. 2, a. 1, quæstiunc. 3 et 4.

Sed contra est, quod Philosophus (*de Sensu et Sensibili* c. 2 ; *de Memoria et Reminisc.* c. 3, al. 2) negat contra Empedoclem visionem consistere in extramissione radiorum. — *de Sensu et Sensibili* l. 4 ; *de Memoria et Reminisc.* l. 7.

Respondeo dicendum, quod circa modum videndi variæ fuerunt Philosophorum opiniones. *Quidam* enim, ut Democritus et alii posuerunt visionem fieri per defluxum corporum a re visa ad oculum. Quæ positio falsa est : nam *primo* sequeretur, quod per hujusmodi defluxum corpora visa diminuerentur, quousque totaliter consumerentur. Sequeretur etiam, quod oculus ex occursu continuo hujusmodi corporum destrueretur. Neque

am esset possibile ut totum corpus ab
ulo videretur, sed solum secundum tan-
n quantitatem, quantam posset pupil-
capere. Præterea, non possunt hi au-
res ponere, quod hujusmodi corpora
fluentia a corporibus visis ingrediantur
ra oculum, quia sic corrumperetur sub-
ntia ejus. Unde oportet quod ponant
ri visionem per contactum corporum
solutorum ad ipsum oculum ex hujus-
di contactu immutatum ad videndum.
ergo talis immutatio sufficit ad cau-
dam visionem, melius est dicere, quod
io fiat per hoc quod medium statim a
incipio moveatur a sensibili, quam di-
re visionem fieri per contactum et de-
xionem. Natura enim per pauciora se
pedit in quantum potest. Præterea, si
io fieret per contactum, tunc sensus
us non distingueretur a tactu; quod
tet esse falsum: visus enim non est co-
o citivus contrarietatum tactus. Item,
jusmodi corpora defluentia a rebus vi-
, cum sint subtilissima, a ventis pro-
lerentur: unde non fieret recta visio.
mum, visus non indigeret lumine ad
lendum, si visio fieret per contactum
ibilis. — *de Sensu et Sensibili* l. 5 et 8.
Alii ergo dicunt fieri visionem per ex-
missionem radiorum ab oculis, ut Em-
locles et Plato. Differunt tamen hi inter
Nam *Empedocles* vult quod id, quod
editur ab oculo, extendatur usque ad
u visam: unde sequitur quod, cum
eamus etiam astra, id quod egreditur a
u, extendatur usque ad astra. Quod
tinet manifestam impossibilitatem;
n enim egredi non sit nisi corporum,
queretur quod aliquod corpus egrediens
oculo perveniat usque ad astra. Quod
dem apparet falsum multipliciter: —
primo quidem, quia sequeretur plura
pora esse in eodem loco: tum quia
d quod egreditur ab oculo, esset si-
l cum aere; tum quia hujusmodi egre-
ntia ab oculis oporteret multiplicari
eodem medio secundum multitudinem
entium per idem medium. — *Secundo*,
a quælibet emissio corporis in princi-
pio quidem est major, in fine vero atte-
nuatur; propter quod contingit, quod
flamma ex corpore accenso procedens
tendit in summum; hic autem accidit
contrarium: dicunt enim mathematici,
quorum est hæc positio, quod conus cor-
poris egredientis ab oculo est intra ocu-
lum, basis vero illius in re visa. — *Tertio*,
quia non posset quantitas oculi sufficere
ad hoc, quod tantum corpus progrederetur
ab eo, quod attingeret usque ad astra,
quantumcunque subtiliaretur: aliquis
enim est terminus subtilitatis corporum
naturalium; et propterea quanto esset
subtilius, tanto facilius corrumperetur.
Et iterum oporteret quod vel esset aer
vel ignis illud corpus emissum ab oculo;
et aerem quidem emitti ab oculo non est
necessarium, quia abundat exterius; si
vero esset ignis, videremus etiam ignem;
vel non possemus videre mediante aqua;
nec etiam possemus videre nisi sursum,
quo tendit motus ignis. Non autem potest
dici, quod illud corpus, quod egreditur
ab oculo, sit lumen, quia lumen non est
corpus, ut dictum est.

Alia opinio est *Platonis*, qui posuit,
quod lumen egrediens ab oculo non pro-
cedit usque ad rem, sed ad aliquod deter-
minatum spatium, ubi scilicet cohæret lu-
mini exteriori, ratione cujus cohærentiæ
fit visio. Verum et hæc positio non proba-
tur: — *primo* quidem, quia inutiliter et
vane aliquid ponit. Melius enim esset
dicere, quod lumen interius conjungitur
exteriori in ipsa interiore extremitate ocu-
li, quam extra per aliquam distantiam:
et hoc ideo, quia in illo spatio intermedio
si non est lumen exterius, exstinguitur
lumen interius a tenebris secundum ejus
positionem. Si vero attingat lumen usque
ad oculum, melius est quod statim con-
jungatur, quia quod potest fieri sine me-
dio, melius est quam quod fiat per medium,
cum aliquid fieri per pauciora melius sit
quam per plura. — *Deinde*, stultum est po-
nere conjunctionem luminis interioris ad
exterius, etiam si fiat in principio oculi: —
primo quidem, quia conjungi vel sepa-

rari est proprium corporum, quorum utrumque habet per se subsistentiam, non autem qualitatum, quæ non sunt nisi in subjecto. Unde cum lumen non sit corpus, sed accidens quoddam, non est quod lumen adjungatur lumini, nisi forte corpus luminosum adjungatur alii luminoso. Potest autem contingere, quod lumen intendatur in aere per multiplicationem luminarium, sicut et calor intenditur per augmentum calefacientis : quod tamen non est per additionem, ut patet in 4. *Phys.* (*text.* 84 ; c. 9). *Secundo*, quia dato etiam quod utrumque lumen esset corpus, non tamen esset impossibile quod utrumque conjungeretur, cum non sint ejusdem rationis. Non enim quodlibet corpus natum est conjungi cuilibet corpori, sed solum illa, quæ sunt aliqualiter homogenea. *Tertio*, quia cum inter lumen interius et exterius intercedat corpus medium, scilicet meninga, id est tunica oculi, non potest utriusque luminis esse conjunctio.

Unde cum Philosopho dicendum est, visionem consistere in receptione formæ a re visibili oculo impressæ, ut dictum est, non autem in extramissione radiorum ab oculis vel in defluxu corporum a re visa ad oculum. — *de Sensu et Sensibili* l. 3 et 4.

Ad primum ergo dicendum, quod non ideo dicit Philosophus visum tremere, cum longe valde porrectus respicit ad stellas fixas, quia visio fiat extramittendo; nam id improbavit (*de Sensu et Sensibili* c. 2); sed quia in hujusmodi eadem ratio est, sive fiat visio extramittendo sive intus suscipiendo ; conatur enim visus ad videndum rem a remotis, non solum si oporteat eum radium visualem emittere usque ad corpus distans, sed si etiam oporteat eum suscipere speciem a corpore distante provenientem, quia corporis distantis debilior est impressio, et ideo difficilius est eam sentire. Utitur autem modo loquendi, ac si visio fiat extramittendo, quia mathematici ita utuntur in suis demonstrationibus, et plures homines ita loquuntur ; nominibus autem utendum ut plures, sicut ip dicit in 2. *Topic.* (c. 2). — 2. *de Cœlo Mundo* l. 12.

Ad secundum dicendum, quod suffi quod sensus et sensibile simul sint et tangant mediante specie, ut dictum (q. 60, a. 1, c. *Tertio*).

Ad tertium dicendum, quod causa, qu re distantia impediat visum, est, qu omne corpus videtur sub quodam angu cujusdam trianguli vel magis pyramid cujus basis est in re visa, et angulus in oculo videntis. Neque differt quant ad hoc, utrum visus fiat extramittend ita quod lineæ concludentes triangulu vel pyramidem, sint lineæ visuales pr gredientes a visu ad rem visam, vel contra fiat; dummodo visus sit sub pr dicta figura trianguli vel pyramidi Quod ideo necesse est, quia cum res v sa sit major quantitate quam pupill oportet quod proportionaliter diminuen perveniat immutatio visibilis usque visum. Manifestum est autem, quod qua to latera trianguli vel pyramidis su longiora, dummodo est eadem basis, ta to angulus est minor ; et ideo quant remotiori res videtur, tanto minus vid tur, et tanta potest esse distantia, qu omnino non videatur. — 2. *de Anim* l. 15 et 20 ; 4. *Sent.* dist. 44, q. 2, a. sol. 4, ad 6 ; *de Verit.* q. 8, a. 1, ad 1

Ad quartum dicendum, quod de sens tione corporum gloriosorum varii var sentiunt. Omnes enim ponunt in corpo bus beatorum aliquem sensum ; alias vi corporalis sanctorum post resurrectione assimilaretur magis somno quam vigilia quod non competit illi perfectioni, eo qu in somno corpus sensibile non est in ult mo actu vitæ, propter quod somnus dic tur vitæ dimidium (1. *Ethic.* c. 13). — S in modo sentiendi diversi diversa opera tur. *Quidam* enim dicunt, quod quia co pora gloriosa erunt impassibilia, et propt hoc non receptibilia pereginæ impressio nis, et multo minus quam corpora cœl stia ; non erit ibi sensus in actu, per re ceptionem alicujus speciei a sensibilibu

magis extramittendo. Sed hoc non
est esse, quia in resurrectione natura
ciei manebit eadem in homine et in
ibus partibus ejus; hujusmodi autem
natura sensus, ut sit potentia passiva,
n 2. *de Anima* (*text.* 51 et 121; c. 5 et
probat Philosophus. Unde si in resur-
ione Sancti sentirent extramittendo,
on recipiendo; non esset sensus in eis
us passiva, sed activa; et sic non
t ejusdem speciei cum sensu qui nunc
sed esset aliqua alia virtus eis data:
t enim materia nunquam fit forma,
potentia passiva nunquam fit activa.

t ideo dicunt *alii*, quod sensus in actu
per susceptionem, non quidem ab ex-
oribus sensibilibus, sed per effluxum
perioribus viribus: ut sicut nunc su-
ores vires accipiunt ab inferioribus,
unc e converso inferiores accipient
perioribus. Sed ille modus receptio-
non facit vere sentire, quia omnis
ntia passiva secundum suæ speciei
nem determinatur ad aliquod spe-
activum, quia potentia in quantum
smodi habet ordinem ad illud, respe-
cujus dicitur; — unde cum proprium
vum in sensu exteriori sit res exi-
s extra animam, et non intentio ejus
tens in imaginatione vel ratione, si
nnum sentiendi non moveatur a rebus
a, sed ex imaginatione vel aliis supe-
bus viribus, non erit vere sentire.
e non dicimus, quod phrenetici et alii
te capti, in quibus propter victoriam
ginativæ virtutis fit hujusmodi fluxus
ierum ad organa sentiendi, vere sen-
t; sed quod videtur eis quod sen-
t.

t ideo dicendum est cum *aliis*, quod
us corporum gloriosorum erit per
eptionem a rebus quæ sunt extra
nam. Sed sciendum, quod organa sen-
li immutantur a rebus, quæ sunt
a animam, dupliciter: *uno modo* im-
atione naturali, quando scilicet orga-
n disponitur eadem qualitate naturali,
disponitur res extra animam, quæ
in ipsum; sicut cum manus fit cali-
da et adusta ex tactu rei calidæ, vel odo-
rifera ex tactu rei odoriferæ; *alio modo* immutatione spirituali, quando recipitur qualitas sensibilis in instrumento secundum esse spirituale, id est species seu intentio qualitatis, et non ipsa qualitas; sicut pupilla recipit speciem albedinis, et tamen ipsa non efficitur alba. Prima ergo receptio non causat sensum per se loquendo, quia sensus est susceptivus specierum in materia præter materiam, id est præter esse materiale, quod habebant extra animam, ut dicitur 2. *de Anima* (*text.* 121; c. 12); et hæc receptio immutat naturam recipientis, quia recipitur hoc modo qualitas secundum esse suum materiale. Unde ista receptio non erit in corporibus gloriosis, sed secunda, quæ per se facit sensum in actu, et non immutat naturam recipientis. — Et ex his patet *ad objectum*. — 4. *Sent. dist.* 44, q. 2, a. 1, quæstiunc. 3, c.

Ad primam vero *probationem* dicendum, quod per hanc passionem et receptionem speciei non trahitur corpus extra naturalem suam qualitatem, sed spiritualiter perficitur: unde impassibilitas gloriosorum corporum hanc passionem non excludit. — *Ibid.* ad 1.

Ad secundam dicendum, quod omne passivum recipit actionem agentis secundum suum modum. Si ergo aliquid sit, quod natum sit immutari ab activo, naturali et spirituali immutatione, immutatio naturalis præcedit immutationem spiritualem, sicut esse naturale præcedit esse intentionale. Si autem natum sit immutari tantum intentionaliter et spiritualiter, non oportet quod immutetur naturaliter: sicut est de aere, qui non est receptivus coloris secundum esse naturale, sed solum secundum esse spirituale, et ideo hoc tantum modo immutatur; — sicut e converso corpora inanimata immutantur per qualitates sensibiles solum naturaliter, et non spiritualiter. In corporibus autem gloriosis non poterit esse aliqua immutatio naturalis, et ideo ibi erit spiritualis immutatio tantum. — *Ibid.* ad 2.

Ad tertium dicendum, quod quando unum duorum est ratio alterius, occupatio animæ circa unum non impedit nec remittit occupationes ejus circa aliud : sicut medicus dum videt urinam, non minus potest considerare regulas artis de coloribus urinarum, sed magis. Et quia Deus apprehendetur a Sanctis ut ratio omnium quæ ab eis agentur vel cognoscentur ; ideo occupatio eorum circa sensibilia sentienda vel quæcumque alia contemplanda aut agenda, in nullo impediet divinam contemplationem, nec e converso. — *Vel dicendum,* quod ideo una potentia impeditur in suo actu, quando alia vehementer operatur, quia una potentia de se non sufficit ad tam intensam operationem, nisi ei subveniatur per id, quod erat aliis potentiis vel membris influendum a principio vitæ. Et quia in Sanctis erunt omnes potentiæ perfectissimæ, una poterit intense operari, ita quod ex hoc nullum impedimentum præstabitur actioni alterius potentiæ. — 4. *Sent.* dist. 44, q. 2, a. 1, quæstiunc. 3, ad 4.

Ad quartam dicendum, quod intensio luminis non impedit receptionem spiritualem speciei coloris, dummodo maneat in natura diaphani : sicut patet, quod quantumcunque illuminetur aer, potest esse medium in visu, et quanto est magis illuminatus, tanto per ipsum clarius aliquid videtur, nisi sit defectus ex debilitate visus. Quod autem in speculo supposito directe radio solis non appareat species corporis oppositi, non est propter hoc quod impediatur receptio, sed propter hoc quod impeditur reverberatio. Oportet enim ad hoc quod forma appareat in speculo, quod fiat quædam reverberatio ad aliquod corpus obscurum, et ideo plumbum vitro adjungitur in speculo; hanc autem obscuritatem radius solis repellit, unde non potest apparere species aliqua in speculo. Claritas autem corporis gloriosi non auferet diaphaneitatem a pupilla, quia gloria non tollet naturam; unde magnitudo claritatis in pupilla magis faciet ad acumen visus quam ejus defectum. — *Ibid.* quæstiunc. ad 5.

QUÆSTIO LXVII

DE ORGANO VISUS.

Deinde considerandum est de organo visus.

CIRCA QUOD QUÆRITUR :

Utrum visio fiat in humore crystallino aut vero in nervis opticis.

ARTICULUS

UTRUM VISIO FIAT IN HUMORE CRYSTALLINO AN VERO IN NERVIS OPTICIS.

Videtur quod visio fiat in humore crystallino.

1. Dicit enim Philosophus loquens de sensoriis sensuum exteriorum (2. *de Anima text.* 10; c. 1), quod sicut animal est anima et corpus, ita oculus est pupilla et visus ; sed visio fit in proprio organo et propria materia : visus ergo fiet in pupilla, quæ est propria materia potentiæ visivæ. Pupilla autem cum sit complexionis aqueæ, ut dicit Philosophus (*de Sensu et Sensibili* c. 2; 2. *de Anima text.* 130; l. 3, c. 1) maxime consistit in humore crystallino, ut patet ex 2. *de Anima* (*text.* 82, c. 8), ubi comparatur aer, qui est intus aurem, et est instrumentum auditus, cum humido pupillæ : tum quia humor ille crystallinus est perspicuus et crassus, quæ sunt propria aquæ, ut dicit Philosophus (*de Sensu et Sensibili* l. 1). Ergo visio fit in humore crystallino. — 2. *de Anima* l. 2 et 17 ; *de Sensu et Sensibili* l. 4; — 3. *de Anima* l. 1.

2. Præterea, sensorium visus, in quo fit visio, debet esse pars aliqua simplicis, ut dicit Philosophus (2. *de Part.*

nimal. c. 1); unde non potest esse com-
ositum ex humore crystallino et tela ara-
ea illum tegente. Præterea debet esse
umor aliquis, ut docet Philosophus (1.
Hist. Animal c. 9), ubi pupillam, quam
de Anima (*text.* 10; c. 1) vocat mate-
am et sensorium visus, dicit esse hu-
orem oculi, quo videmus; sed humor
ystallinus est humor ad pupillam per-
ens, ut dictum est: ergo visio fit
humore crystallino. — 2. *de Anima*
2.

3. Præterea, destructo oculo ad sensum
paret aqua discurrens, ut dicit Philo-
phus (*de Sensu et Sensibili* c. 2); sed in
potissimum fit visio, quod destructo
ulo continente materiam visus statim
luit: ergo idem quod prius. — *de Sen-
et Sensibili* l. 4.

4. Præterea, materia visus, in qua fit
sio, non debet esse quicunque humor,
l talis qui sit frigidus et clarus, ut
tet experientia in oculis embrionum de
vo formatis, qui quasi adhuc recipien-
magis virtutem sui principii, excedunt
in frigiditate et claritate; sed talis hu-
r est humor pupilla contentus; nam
n sit complexionis aqueæ, ut dictum
, et est clarus et frigidus, quæ duo
it connaturalia aquæ: ergo idem quod
us. — *Ibid.*

5. Præterea, id est sensorium visus, in
fit consequenter visio, quod in ani-
libus carentibus sanguine continetur
a pelle oculi, ut possit tale sensorium
servari, et in habentibus sanguinem
cumdatur albo oculi pingui et crasso
eundem finem, ut sensorium visus,
d debet esse naturæ aqueæ et anima-
, ut docet Philosophus (2. *de Anima*
. 82; c. 8), ex ejus caliditate perma-
t absque congelatione. Sed hoc in
isque animalibus est humor crystalli-
; hic enim est humor animatus in
illa existens et naturæ aqueæ: ergo
hoc fit visio. — *Ibid.*; 2. *de Anima* l.

6. Præterea, nervus non sentit, ut di-
Philosophus (1. *de Anima text.* 79; c.
5), ubi dicit, quod sunt quædam partes animalis, quæ nihil sentire videntur, ut ossa, nervi, pili; sed organum sensus debet sentire; nam actio sensus non est sine organo, cum sit actus ejus: ergo nervus non potest esse sensorium visus. — 1. *de Anima* l. 12.

Sed contra est, quod organum visus est, ubi est organum odoratus, ut inquit Philosophus (*de Sensu et Sensibili* c. 2); sed ex eodem ibidem locus odoratus est circa cerebrum: ergo et ibi erit locus organi visus; sed talis locus est, ubi conjunguntur duo nervi optici ex oculis procedentes: ergo in nervis opticis consistit principium seu sensorium visus, et per consequens in illis fiet visio. — *de Sensu et Sensibili* l. 5.

Respondeo dicendum, quod organum visus, in quo fit visio, debet esse complexionis aqueæ, ut manifestum est *primo* ex tribus signis, ut inquit Philosophus (*de Sensu et Sensibili* c. 2). Quorum primum est, quod si oculi destruantur, ad sensum apparet inde aqua discurrens. Secundum est, quod in oculis embrionum de novo formatis, qui quasi adhuc recipientes magis virtutem sui principii, excedunt et in frigiditate et in claritate, quæ duo sunt connaturalia aquæ. Tertium signum est, quia in animalibus habentibus sanguinem, in quibus potest esse pinguedo quasi ex sanguine generata, circa pupillam ponitur album oculi habens pinguedinem et crassitudinem quandam, ut ex ejus caliditate permaneat aqueum pupillæ humidum absque congelatione, quæ perspicuitatem aquæ diminueret, et sic impediretur visio; et ideo ratione pinguedinis prædictæ oculus, qui pinguescit propter ejus caliditatem, nullus unquam passus est frigus in toto eo quod intra palpebras continetur. In animalibus vero quæ sunt sine sanguine, in quibus non invenitur putredo, natura facit oculos duræ pellis ad protegendum humidum aqueum, quod est intra pupillam. — *de Sensu et Sensibili* l. 4.

Secundo, probatur ratione ab eodem

Philosopho (*de Sensu et Sensibili* c. 2) desumpta ex immutatione medii illuminati a corpore viso causantis visionem; unde rationabiliter colligit, id quod est intra pupillam, quæ est organum visus, esse aqueum. Aqua enim est de numero perspicuorum. Oportet autem quod sicut *exterius* medium est aliquod perspicuum illuminatum, sine quo nihil potest videri : ita etiam *intra* oculum sit aliquod lumen. Et cum non sit visio nisi in perspicuo, necesse est quod etiam intra oculum sit aliquod perspicuum; non autem corpus cœleste, quia non venit in compositionem humani corporis : et ideo necesse est quod sit *aqua*, quæ servabilior est et spissior quam aer. Quoniam vero humor pupilla contentus habet conditiones necessarias ad complexionem organi visus, ut dictum est; ideo in illo *incipit* fieri visio. — *de Sensu et Sensibili* l. 5.

Non tamen in illo *perficitur*, sed in loco circa cerebrum, ubi se conjungunt nervi optici ab oculis procedentes; quod ex multis apparet manifestum: — et *primo* quidem ex signo, quod affert Philosophus (*de Sensu et Sensibili* c. 2) ab his, qui in pugnis circa tempora vulnerantur, desumptum. Scissis enim poris et nervis, qui pupillam continuant visivo principio, ubi nimirum nervi se circa cerebrum conjungunt, subito tenebræ fiunt per visus amissionem, ac si lucerna exstingueretur; pupilla enim est sicut lampas quædam illuminata ab exteriori lumine; et ideo quando præscinduntur pori et nervi continuantes pupillam principio visivo, non potest lumen hujus lampadis usque ad visivum principium pervenire, et ideo visus obscuratur. — *Ibid.*

Secundo, ex *duplici ratione : una* desumpta ex necessitate luminis interius in oculo existentis. Ideo enim ad videndum præter lumen exterius, inquit Philosophus (*de Sensu et Sensibili* l. c.), requiritur etiam lumen interius, quia virtus visiva non est in exteriori superficie oculi (ita ut sufficiat ad videndum solum lumen exterioris perspicui, per quo immutatio coloris perveniat ad exteriorem superficiem pupillæ), sed est interius; unde oportet quod sit in aliqua parte determinata corporis, quæ quia est interior juxta cerebrum sita, ubi conjunguntur duo nervi ex oculis procedentes, idcoportet quod intra oculum sit aliquod perspicuum receptivum luminis, ut uniformis immutatio a re visa usque ad principium visivum. — *Altera* est ex unitate numerica sensationis. Ideo enim est una numero visio, licet sint duo oculi, et per consequens duæ pupillæ, duo humores aquei pupillarum, quia visio utriusque oculi concurrit per quosdam nervos ad aliquod intrinsecum in suo organum, quod est circa cerebrum; per hoc autem, quod uterque visus concurrit ad aliquod unum principium, illi uni attribuitur operatio sentiendi tamquam proprio sensitivo. Unde manifestum est quod visio licet inchoetur in humore pupillæ, perficitur tamen circa cerebrum, ubi conjunguntur nervi optici. Unde sequitur quod quia ex Philosopho (1. *de Partib. Animal.* c. 2) aliud est sensorium seu principium visivum, aliud organum : nam illud constat partibus similaribus, hoc vero dissimilaribus — ; nervi, qui sunt partes similares, sint sensorium visus seu principium visivum, pupilla vero vel oculus continens pupillam, in qua continetur humor aqueus tela quadam contentus, sit organum visus : — quod est dicere, quod organum proximum et extrinsecum sunt oculi, primum vero et intrinsecum sunt nervi visuales. — *De Sensu et Sensibili* 5, 17 et 19; 2. *de Anima* l. 4; 3. *de Anima* l. 3; *Opusc.* 43, c. 3.

Ex his patet *ad objecta*. Nam tantum probant incipere visionem in oculo ratione humoris aquei pupillæ tamquam in organo proximo et extrinseco, quod verum est; sed non perficitur ibi, sed ubi conjunguntur nervi optici, tamquam in proprio sensorio et organo ultimo, ut colligitur ex Philosopho (2. *de Anima text.* 146; 3, c. 2) in simili de organo tactus, ut pa-

t argumentum contrarium. Cum enim ganum visus ad modum organi olfactus, od similiter in eodem loco consistit ca cerebrum, ut docet Philosophus (*de nsu et Sensibili* c. 2), multa in se invol- t — puta pupillam, quæ continet humo- m quendam aqueum et telam quandam ntinentem et tegentem illum humorem, præterea duos nervos opticos proce- ntes ab oculis ad locum circa cere- um, ubi conjunguntur —; non mirum , si visio inchoetur in humore pupillæ, perficiatur in conjunctione nervorum ticorum; sicut et eadem visio potest ıribus modis impediri : puta vel cor- ptione humoris aquei pupillæ, vel scis- ne nervorum continuantium pupillam sivo principio, vel impedita pelle seu ica aranea. Requiruntur enim illa tria cessario ad visum, atque adeo ad visio- m: — et *humor* quidem aqueus pupilla ıtentus, *tum* ad hoc ut possit organum us facile immutari ab objecto sensibili r talem enim humorem, qui solus est imatus, recipit oculus speciem visibilis); n etiam ut mediante hoc humore per- cuo fiat uniformis immutatio a re visa que ad principium visionis circa ce- ırum existens, ut dictum est. *Tela* ro *aranea* requiritur, ut contineat conservet humorem aqueum pupillæ. rvi demum *optici* requiruntur tam- am sensorium visus seu tamquam prin- ium visivum, ut dictum est (in c.). — *de Anima* l. 4, 17; 3. *de Anima* l. 1; usc. 43, c. 3; de *Sensu* et *Sensibili* l. 5. Et ex his patet ad quinque prima objecta. *Ad sextum* dicendum, quod nervus ıtit, ut patet ex illa infirmitate, quæ itur spasmus, quæ contingit propter ıstrictionem vel repletionem nervorum. Unde quod dictum est a Philosopho, tum est per modum exempli, cujus n requiritur veritas, ut ipsemet Philo- phus in libro *Priorum* docet. — *de spirat.* l. 18.

QUÆSTIO LXVIII

DE POTENTIA VISIVA.

Deinde considerandum est de potentia visiva.

CIRCA QUAM QUÆRUNTUR TRIA :

1. Utrum potentia visiva sit perfectior aliis potentiis sensitivis externis.
2. Utrum sit carior aliis.
3. Utrum inter alias potentias sensitivas externas faciat magis scire.

ARTICULUS I

UTRUM POTENTIA VISIVA SIT PERFECTIOR ALIIS POTENTIIS SENSITIVIS EXTERNIS.

Videtur quod potentia visiva non sit perfectior aliis potentiis sensitivis externis.

1. Illa enim potentia sensitiva est perfectior, quæ magis deservit intellectui et prudentiæ; sed hujusmodi non est visus, sed auditus, ut dicit Philosophus (*de Sensu et Sensibili* c. 1), ubi docet, quod inter privatos a nativitate sensu visus et auditus, sapientiores sunt cæci, qui carent visu, quam muti et surdi, qui carent auditu: ergo. — *de Sensu et Sensibili* l. 2.

2. Præterea, cum potentiæ et habitus proportionentur ad invicem, sicut nobilitas habitus desumitur ex illius certitudine, ut docet Philosophus initio libri 1. *de Anima* (*text.* 1; c. 1); ita et nobilitas potentiæ ex majori certitudine desumitur; sed sensus tactus est certissimus omnium sensum, ut dicit idem Philosophus (2. *de Anima text.* 94; c. 9); unde homo, quia habet optimum tactum, est prudentissimum omnium animalium, ut dicitur ibidem; ergo sensus visus non est præstantior et nobilior ceteris sensibus. — 1. *de Anima* l. 1; 2. *de Anima* l. 19.

3. Præterea, potentia generativa est no-

bilior reliquis potentiis animæ vegetativæ, ut dicit Philosophus (2. *de Anima text.* 49; c. 4); hoc autem est, quia est fundamentum ceterarum est universalior reliquis, ut dicit Philosophus (2. *de Anima text.* 34 et 35; c. 4); sed eodem modo tactus et universalissimus et communissimus omnibus viventibus: nam omnia habent tactum, non omnia habent visum, ut patet ex Philosopho 1. *Metaphys.* initio (*text.* 1; c. 1). — 2. *de Anima* l. 7 et 9; 1. *Metaphys.* l. 1.

4. Præterea, in homine ille sensus est perfectior, in quo cetera animantia superat; sed homo non superat in visu, imo nec in auditu nec in adoratu; nam quædam animalia melius vident, audiunt et odorant quam homo, ut dicit Philosophus (2. *de Anima text.* 94; c. 9); superat autem in gustu et tactu: ergo hi sunt perfectiores. — 2. *de Anima* l. 19.

5. Præterea, aptitudo mentis respondet bonitati perfectioris et nobilioris sensus; sed respondet bonitati tactus, non autem bonitati visus; nam ex sensu tactus accipimus, quod aliqui sint ingeniosi vel non ingeniosi, et non secundum aliquem alium sensum. Qui enim habent duram carnem et consequenter habent malum tactum, sunt inepti secundum mentem; qui vero sunt molles carne, et per consequens boni tactus, sunt bene apti mente. Unde etiam alia animalia habent duriores carnes quam homo. Ergo sensus tactus est nobilior visu. — 2. *de Anima* l. 19.

Sed contra est, quod Philosophus (1. *Metaphys. text.* 1; c. 1; *de Sensu et Sensibili* c. 1) anteponit visum nobilitate ceteris sensibus. — 1. *Metaphys.* l. 1; *de Sensu et Sensibili* l. 1 et 2.

Respondeo dicendum, quod simpliciter et per se perfectior et nobilior est sensus visus quam reliqui sensus. Cujus ratio est, quia ille sensus est perfectior et nobilior ceteris, qui et spiritualior est et subtilior. Sed hic est visus; quod patet ex tribus: — *primo* quidem ex suo objecto. Nam aliqua cadunt sub visum secundum proprietates, in quibus communicant inferiora corpora cum cœlestibus. Visibile enim, quod est objectum visus, invenitur in omnibus corporibus. fit enim aliquid visibile per hoc, quod diaphanum illuminatur actu a corpore lucido; utrumque autem reperitur tam in inferioribus corporibus quam in superioribus. Tactus autem est perceptivus proprietatum, quæ sunt propriæ elementis: scilicet calidi et frigidi et similium. Gustus autem et olfactus proprietatum, quæ competunt corporibus mixtis secundum diversam rationem commixtionis calidi et frigidi, humidi et sicci. Sonus autem causatur ex motu locali, qui etiam communis est corporibus cœlestibus et inferioribus, licet species motus quæ causat sonum, non competat corporibus cœlestibus secundum scientiam Aristotelis. Unde ex ipsa natura objecti apparet, quod visus est altior inter omnes sensus, et auditus propinquior ei et alii sensus magis remoti. — 2. *de Anima* l. 14; *de Sensu et Sensibili* l. 2.

Secundo, idem apparet ex modo immutationis. Nam in quolibet alio sensu non est immutatio spiritualis sine naturali. Dico autem immutationem naturalem, prout qualitas recipitur in patiente secundum esse naturæ: sicut cum aliquid infrigidatur vel calefit, aut movetur secundum locum; immutatio vero spiritualis est, secundum quod species recipitur in organo sensus aut in medio, per modum intentionis et non per modum naturalis formæ. Non enim sic recipitur species in sensu secundum illud esse, quod habet in re sensibili. Patet autem, quod in tactu et gustu, qui est tactus quidam, fit alteratio naturalis; calefit enim et frigescit aliquid per contactum calidi et frigidi, et non fit immutatio spiritualis tantum. Similiter autem immutatio odoris fit cum quadam fumali evaporatione; immutatio autem soni cum motu locali. Sed in immutatione visus est sola immutatio spiritualis: unde sequitur, quod visus, quia immaterialius et spiritualius immutatur, certius et perfectius

noscit et judicat de sensibilibus inter s sensus. — 2. *de Anima* l. 14.

ertio, idem patet ex universalitate po- ice. Nam plura per visum manifestan- quam per alios sensus : nam, ut di- n est, reliqui sunt cognoscitivi illorum dentium, in quibus distinguuntur infe- a corpora a superioribus. Visus autem cognoscitivus illorum accidentium, quibus communicant inferiora cum su- ioribus. Præterea, plures rerum diffe- tias visus demonstrat, quia sensibilia pora præcipue per visum et tactum noscere videmur, et adhuc magis per m. Cujus ratio est, quia alii res sensus t cognoscitivi eorum, quæ a corpore sibili quodammodo effluunt et non in consistunt : sicut sonus est a corpore sibili ut ab eo fluens et non in eo ma- s, et similiter fumalis evaporatio, cum et ex qua odor diffunditur. Visus em et tactus percipiunt illa accidentia, rebus ipsis immanent, sicut color et dum et frigidum. Unde judicium tactus isus extenditur ad res ipsas : judicium em odoratus et auditus ad ea, quæ a is ipsis procedunt, non ad res ipsas. nde est, quod figura et magnitudo et usmodi, quibus ipsa res sensibilis dis- itur, magis percipitur visu et tactu m aliis sensibus; et adhuc amplius gis visu quam tactu : *tum* propter hoc d visus, quia spiritualior, habet ma- m efficaciam ad cognoscendum, ut um est ; *tum* propter hoc quod quan- s et ea, quæ ad ipsam sequuntur, quæ entur esse sensibilia communia, pro- ius se habent ad objectum visus quam objectum tactus : quod ex hoc patet, d objectum visus omne corpus habens quam quantitatem aliquo modo conse- tur, non autem objectum tactus. — de manifestum est, quod visus inter nes sensus est spiritualior et conse- nter perfectior et nobilior ceteris, et t visum auditus ; et propter hoc hi duo sus soli sunt disciplinabiles, et his æ ad eos pertinent, utimur in intel- tualibus, et præcipue his quæ perti- nent ad visum. — 2. *de Anima* l. 14 ; 1. *Metaphys.* l. 1.

Ad primum ergo dicendum, quod visus *secundum se* est melior ad finem cogni- tionis quam auditus : quia potentia visiva sua apprehensione annuntiat nobis plures rerum differentias et diversorum mo- dorum — quia nimirum ejus objectum invenitur in omnibus corporibus, et quia per visum magis cognoscuntur communia sensibilia — ; quia quanto potentia habet virtutem cognoscitivam universaliorem et ad plura se extendentem, tanto est efficacior in cognoscendo : quia omnis virtus, quanto est universalior, tanto est potentior. Sed auditus tantum annuntiat nobis differentias sonorum, quæ non in- veniuntur in omnibus corporibus, et dif- ferentias vocis, secundum quod sunt indi- cativæ diversarum passionum. *Per ac- cidens* tamen auditus est melior visu quoad cognitionem, quatenus plura pos- sunt cognosci per doctrinam et disciplin- nam, ad quam ordinatur sermo, qui est audibilis, quam per propriam inventio- nem, ad quam deservit visus. — *de Sensu et Sensibili* l. 2 ; 1. *Metaphys.* l. 1.

Ad secundum dicendum, quod in nobis tactus est certior ratione complexionis et temperaturæ quam in aliis animalibus, licet in aliis sensibus deficiat a quibus- dam animalibus. Habet enim homo op- timum tactum ; unde sequitur quod sit, ut dictum est, omnium animalium prudentis- simum, et ex tactu dignoscatur, an ali- quis sit ingeniosus vel non ingeniosus. Si tamen consideretur visus secundum se, longe certius et perfectius judicat de suo objecto, quia immaterialius et spiritua- lius immutatur quam reliqui sensus, ut dictum est (in c.). — 2. *de Anima* l. 19 ; 1a, q. 91, a. 3, ad 1.

Ad tertium dicendum, quod potentia generativa non ideo perfectior est ceteris potentiis animæ nutritivæ, quia est uni- versalior, sed quia est finis illarum. Unde ab illa tamquam a fine Philosophus ani- mam vegetativam definit (2. *de Anima text.* 49 ; c. 4). At vero tactus non est finis

ceterarum potentiarum, sed fundamentum illarum. Unde sequitur quod visus ratione suæ majoris spiritualitatis et immaterialitatis, ut patet tum ex proprio objecto tum ex modo suæ immutationis, sit perfectior omnibus sensibus, ut dictum est (in c. et ad 1). — 2. *de Anima* l. 9 ; 1a, q. 91, a. 3, ad 1.

Ad quartum dicendum, quod licet in homine visus non sit perfectior visu et reliquis sensibus existentibus in aliis animalibus, ut dicit Philosophus (2. *de Anima text.* 94 ; c. 9), cum multa animalia melius videant, audiant et odorent quam homo ; visus tamen in se perfectior est quam quilibet sensus, ob rationes dictas (in c. et ad argg.). Unde Philosophus (5. *de Generat. Animal.* c. 1) dicit, quod visus dici potest perfectior dupliciter : vel quia percipit objectum magis remotum ; et hoc modo, inquit, non est perfectissimus visus in homine ; vel quia percipit plures differentias rerum ; et hoc modo est perfectissimus visus in homine. — 2. *de Anima* l. 19.

Ad quintum dicendum, quod bonitas mentis non ideo respondet bonitati tactus non autem visus, quia tactus sit perfectior visu, sed ex duplici *causa : — prima* est, quia tactus est fundamentum aliorum sensuum ; manifestum enim est, quod organum tactus diffunditur per totum corpus, et quodlibet instrumentum cujuscunque sensus est etiam instrumentum tactus ; et illud, ex quo aliquid dicitur esse sensitivum, est sensus tactus. Unde ex hoc quod aliquis habet meliorem tactum, sequitur quod simpliciter habeat meliorem sensitivam naturam, et per consequens quod sit melioris intellectus. Nam bonitas sensus est dispositio ad bonitatem intellectus. Ex hoc autem quod aliquis habet meliorem auditum vel meliorem visum, non sequitur quod sit melius sensitivus vel melioris sensitivæ simpliciter, sed solum secundum quid. — *Secunda* causa est, quia bonitas tactus consequitur bonitatem complexionis seu temperaturæ. Cum enim instrumentum tactus non possit esse denudatum a gen tangibilium qualitatum, eo quod est elementis compositum, oportet quod in potentia ad extrema, saltem per quod est medium inter ea. Ad bon autem complexionem corporis sequi nobilitas animæ : quia omnis forma proportionata suæ materiæ. Unde seq tur, quod qui sunt boni tactus, s nobilioris animæ et perspicacioris m tis. — *Ibid.*

ARTICULUS II

UTRUM SENSUS VISUS SIT NOBIS CARIO RELIQUIS SENSIBUS.

Videtur quod sensus visus non sit bis carior reliquis sensibus : —

1. quia ille sensus est nobis carior, est magis necessarius nobis, et quo nus privari vellemus ; sed hujusmodi sensus tactus ; nam sine eo non pot esse vita animalis, ut docet Philosop 1. *Metaphys. text.* 1 ; c. 1 ; et 2. *de An text.* 27 ; c. 3) ; et proinde magis elige mus privari visu quam tactu : ergo vi non est nobis carior aliis sensibus. 1. *Metaphys.* l. 1 ; 2. *de Anima* l. 5.

2. Præterea, dicit Philosophus *Sensu et Sensibili* c. 1), quod auditus sensus disciplinæ. Unde sapientiores s cæci a nativitate quam surdi. Sed ex dem Philosopho (1. *Metaphys. text.* c. 1) maxime diligimus sensus prop cognitionem : ergo idem quod prius. *de Sensu et Sensibili* l. 2 ; 1. *Metaph* l. 1.

Sed contra est, quod Philosophus *Metaphys.* initio (*text.* 1 ; c. 1) dicit, qu visum magis diligimus quam reliq sensus.

Respondeo dicendum, quod simplici et absolute est nobis carior visus reliq sensibus. Et ratio est, quia ille sensus nobis carior magisque diligitur, qui magis cognoscitivus et in se nobilior e hujusmodi autem est visus : hic enim,

tum est, et est immaterialior et spiritua-
r reliquis, unde et magis perfecte facit
s cognoscere et plures rerum differen-
s nobis demonstrat, ut dictum est (art.
eced.) — 1. *Metaphys.* l. 1.

Ad primum ergo dicendum, quod cum
isus nobis ad duo deserviant, nimirum
cognitionem rerum et ad utilitatem
ar; quoad cognitionem nobis carior
visus, ob rationes allatas; quoad
litatem vero nobis carior est tactus,
ia hic est magis necessarius et est
ndamentum aliorum. Unde hic neces-
rio inest omnibus animalibus, non sic
i, ut dicit Philosophus (2. *de Anima*
t. 27; c. 3, et alibi). — *Ibid.*

Ad secundum dicendum, quod visus
r se magis confert ad cognitionem; au-
us vero per accidens, ut dictum est
t. præced. ad 1). — *Ibid.*

ARTICULUS III

RUM VISUS INTER ALIOS SENSUS FACIAT MAGIS SCIRE.

Videtur quod sensus visus inter alios
n faciat magis scire.

1. Cum enim scientia sit certa cognitio
i, ut dictum est (in Logica q. 30, a.
c.), ille sensus facit magis scire, qui
t certior; sed hic est tactus; dicit
im Philosophus (2. *de Anima text.*
; c. 9), quod sensum tactus certiorem
bemus : ergo sensus visus non facit
ıgis scire inter alios. — 2. *de Anima*
19.

2. Præterea, dicit Philosophus (2. *de*
ima text. 94; c. 9), quod habentes bo-
m tactum communiter sunt boni intel-
tus; sed ille sensus magis confert ad
entiam, et proinde magis facit scire, ex
o sequitur bonitas intellectus : ergo
em quod prius. — 2. *de Anima* l. 19.

3. Præterea, Philosophus (*de Sensu*
Sensibili c. 1) dicit, quod cæci nati
ditum habentes sunt magis sapientes,
am surdi nati visum habentes; ergo
auditus facit magis scire quam visus. —
de Sensu et Sensibili l. 2.

4. Præterea, dicit Philosophus (2. *de*
Anima text. 107; c. 11), quod tactus est
duarum contrarietatum, scilicet calidi et
frigidi, humidi et sicci; visus vero est
unius contrarietatis, albi scilicet et nigri;
sed ille sensus magis facit scire, qui plu-
res rerum differentias demonstrat : ergo.
— 2. *de Anima* l. 22 et 19; 1. *Metaphys.*
l. 1.

Sed contra est auctoritas Philosophi in
1. *Metaphys.* (*text.* 1; c. 1).

Respondeo dicendum, quod sensus visus
inter alios sensus magis facit scire. Cujus
ratio duplex est: *una* est, quia quanto ali-
qua vis est spiritualior et immaterialior,
tanto perfectior est in cognoscendo; visus
autem est ceteris sensibus spiritualior,
quia spiritualius et immaterialius immu-
tatur ab objecto quam ceteri sensus :
objectum enim visus non immutat orga-
num nec medium, nisi spirituali immuta-
tione; non enim pupilla nec aer colo-
rantur, sed solum speciem coloris acci-
piunt secundum esse spirituale; objecta
vero aliorum sensuum immutant medium
et organum sensus secundum aliquam
naturalem immutationem, ut patet induc-
tione, ut dictum est (art. 1, in c.).
Altera est, quia plures rerum differentias
præ ceteris nobis ostendit, ut ostensum
est (art. 1, in c.). Unde manifestum est,
quod visus inter alios sensus magis facit
scire. — 1. *Metaphys.* l. 1.

Ad primum ergo dicendum, quod di-
ctum Philosophi verum est, si comparetur
tactus hominis ad tactum aliorum anima-
lium, et non ad alios sensus hominis, ut
dictum est (art. 1, ad 2). — *de Sensu et*
Sensibili l. 2.

Ad secundum dicendum, quod non ideo
ex sensu tactus bonitas ingenii colligitur
eique respondet, non autem ex sensu
visus, quia ille sit hoc perfectior, vel quia
magis faciat scire, sed ob duas rationes
supra (art. 1, ad 5) allatas. — 2. *de Ani-*
ma l. 19 et 23.

Ad tertium dicendum, quod auditus

magis deservit ad prudentiam seu ad rerum cognitionem *per accidens*, non autem *per se* : nam plus homo potest cognoscere addiscendo — ad quod est utilis auditus ; sed hoc est per accidens, quatenus sermo est signum intellectionum animi, et consequenter rerum —, quam de se inveniendo, ad quod est utilis visus.

Ad quartum dicendum, quod licet tactus sit duarum contrarietatum, et visus unius, non tamen hinc sequitur, quod tactus plures rerum differentias demonstret ; quia objectum visus, puta lux et color, in pluribus corporibus reperiuntur quam qualitates tangibiles, ut dictum est (art. 1, in c.).

QUÆSTIO LXIX

DE POTENTIÆ AUDITIVÆ OBJECTO.

Deinde considerandum est de potentia auditiva. Circa quam consideranda sunt tria, objectum, operatio seu auditio, et organum ; nam de speciebus sensibilibus et de potentia nihil superest, præter dicta, dubitandum in particulari.

CIRCA PRIMUM QUÆRUNTUR DUO :

1. Utrum sonus sit qualitas an vero motus.
2. Utrum sonus sit in corpore sonante an vero in medio.

ARTICULUS I

UTRUM SONUS QUALITAS SIT AN VERO MOTUS.

Videtur quod sonus sit motus, non autem qualitas.

1. Philosophus enim (2. *de Anima text.* 85 ; c. 8) dicit, quod sonus est motus ; sic enim illum definit : « sonus est motus ejus quod eo motu moveri potest, quo moventur ea quæ resiliunt a corporibus lenibus, cum quispiam percutit » ; ergo sonus non est qualitas, sed motus. — 2. *de Anima* l. 17.

2. Præterea, si sonus est qualitas, vel est qualitas prima vel secunda ; non prima, quia qualitates primæ sunt tantum quatuor qualitates elementorum, ut dictum est (supra in Secunda Secundæ q. 45, a. 6) : neque secunda, quia hæc consequitur combinationem primarum, et componitur ex illis, ut dicit Philosophus (2. *de Generat. text.* 10 ; c. 2) : ergo sonus non est qualitas. — 2. *de Generat.* l. 2.

3. Præterea, oratio vocalis, quæ est species soni, ponitur a Philosopho (*Prædicam.* c. 7, al. 6) inter species quantitatis ; ergo sonus non est qualitas. — 2. *de Anima* l. 18.

Sed contra est : 1. quod Philosophus (2. *de Anima text.* 78; c. 8; *de Sensu et Sensibili* c. 7, al. 6) docet sonum esse effectum motus ; sed effectus non est idem cum sua causa : ergo sonus non est motus. — *de Anima* l. 16 ; *de Sensu et Sensibili* l. 16.

2. Præterea, dicit Philosophus (2. *de Anima text.* 86 ; c. 8), quod velox non est idem quod acutum, nec grave in soni est idem quod tardum ; ergo nec sonus cujus differentiæ sunt grave et acutum est idem quod motus, cujus differentiæ sunt velox et tardum. — 2. *de Anima* l. 17.

Respondeo dicendum, quod sonus non est motus, sed qualitas. Quod multipliciter apparet : — et *primo,* quia motus est sensibile commune, ut dicitur 2. *de Anima* (*text.* 64 ; c. 6) ; at sonus est sensibile proprium, ut dicitur ibidem (*text.* 63). *Secundo,* quia sonus per se infert passionem sensibus, cum ipsum immutet intentionaliter : cum enim animalia audiant in aqua, ut dicit Philosophus (in *Hist. Animal.*), non possit aqua ingredi interiorem aeren necesse est quod in ipsum imprimat speciem soni, et per consequens quod ipsum moveat intentionaliter ; proprium autem est qualitatum tertiæ speciei afficere sensum, u dictum est (in Logica q. 12, a

.). *Tertio*, quia motus est ens succes-
m, ut dictum est ; sonus autem licet
motum gignatur, per aliquod tempus
n atque adeo et per instans perma-
potest, ut patet ex effectu verborum
amentalium. Cum enim producatur
ltimo instanti prolationis, in eo debet
aliquid, quod illum instrumentaliter
lucat ; hoc autem non est motus pro-
nis verborum, nam motus non est in
nti : ergo erit sonus prolationis mo-
roductus. — 2. *de Anima* l. 13 et
3a, q. 78, a. 4, in c.

l primum ergo dicendum, quod sonus
ur motus causaliter et non formaliter,
causatur a motu, ut dictum est (in
Sed contra) ex Philosopho. — 2. *de*
ma l. 16 et 17.

l secundum dicendum, quod sonus
qualitas alterius rationis a qualitati-
tangibilibus, de quibus tantum loqui-
Philosophus 2. *de Generat.* (*text.* 10 ;
; non enim habet esse diu perma-
fixum et quiescens in subjecto sicut
cum per motum localem successive
retur, et in quadam immutatione
istat. — 2. *de General.* l. 2.

l tertium patet ex dictis in Logica
l. a. 3, quæstiunc. 3).

ARTICULUS II

RUM SONUS SIT IN CORPORE SONANTE AN VERO IN MEDIO.

detur quod sonus sit in corpore so-
e.

Dicit enim Philosophus (2. *de Ani-*
ext. 75 ; c. 7), quod eodem modo non
tur sonus, si corpus sonans ponatur
r sensorium auditus, sicut si ponatur
us odorans super odoratum ; sed cor-
odorans habet in se odorem, et pro-
ea non potest positum super sensorium
ri : ergo similiter corpus sonans ha-
t in se sonum, alioqui non valeret
itudo Philosophi. — 2. *de Anima*
.

2. Præterea, dicit Philosophus (2. *de Anima text.* 77 ; c. 8), quod in corpore sonante sonus est in potentia ; sed idem est subjectum formæ in potentia, et formæ in actu : ergo sonus etiam est in corpore sonante actu. — 2. *de Anima* l. 16.

3. Præterea, si sonus est in medio, non autem in corpore sonante, erit sonus in aqua, nam duo corpora collisa ad aquam faciunt sonum ; sed aqua non est receptiva soni ; dicit enim Philosophus (2. *de Anima text.* 76 ; c. 7), quod medium soni est aer, medium vero odoris est aer et aqua : ergo solus aer est medium receptivum soni, et per consequens in aqua sonus recipietur in corpore sonante. — 2. *de Anima* l. 15.

Sed contra est, quod Philosophus (2. *de Anima text.* 77 ; c. 8) docet, quod sonus actu est ipsius medii et auditus, non autem corporis sonantis. — 2. *de Anima* l. 16.

Respondeo dicendum, quod sonus non est subjective in corpore sonante, sed in medio. Quod multipliciter constare potest : — et *primo* ex differentia sensibilium sensuum externorum inter se. Cum enim omne sensibile dupliciter dicatur esse in actu — *uno* modo, quando actu sentitur, hoc est, dum species ejus est in sensu ; *alio* modo, secundum quod habet propriam speciem, per quam sentiri potest, prout est in suo subjecto — ; priori modo omnia sensibilia conveniunt, quod tunc sunt actu, secundum quod sunt in sensu, ut in proposito sonus est actu, secundum quod est in auditu ; posteriori vero modo distinguuntur : nam alia sensibilia fiunt in actu, prout sunt in corporibus sensibilibus : sicut color, prout est in corpore colorato, et odor et sapor, prout sunt in corpore odorifero et saporoso. Sic autem non est de sono ; nam in corpore sonante non est sonus nisi in potentia ; in medio autem, quod movetur ex percussione corporis sonantis, fit sonus in actu. Et propter hoc dicit Philosophus (2. *de Anima text.* 77 ; c. 8), quod sonus in actu est medii et auditus, non autem subjecti sonabilis. — *Secundo*, ex

requisitis ad generationem soni. Tria enim cum requiruntur ad generationem soni, corpus percutiens, corpus percussum et medium, in eo est sonus tamquam in subjecto, in quo dicitur esse; dicitur autem esse in medio, non autem in corpore percutiente vel percusso, ut patet ex Philosopho 2. *de Anima* (*text.* 78; c. 8), ubi ait sonum esse alicujus ad aliquid, id est percutientis ad percussum, in aliquo, id est in medio : oportet enim quod illud quod facit sonum tangat aliquid, et cum tetigerit suo ictu, generetur sonus. Ictus autem percutientis non fit sine motu locali; motus autem localis non est sine medio : hoc enim est quod percutitur a duobus corporibus solidis se collidentibus ad aerem medium; generatio enim soni in suo subjecto consequitur motum subjecti. Consequitur autem sonus motum medii, puta aeris, ut patet experientia. — *Tertio*, ex ratione medii. Hoc enim in quolibet sensu qualitatibus sensibilibus secundum illum sensum caret, ut possit omnes recipere; manifestum autem est, quod neque aer neque aqua habent proprium sonum, sed necessarium est ad soni generationem in aere vel aqua, quod aliqua corpora firma vel solida et dura percutiant se invicem et aerem medium. Et sic manifestum est quod sonus est in medio, non autem in corpore sonante. — 2. *de Anima* l. 16.

Ad primum ergo dicendum, quod alia est ratio corporis sonantis et corporis odoriferi et sapidi, ut dictum est (in c.). Similitudo autem Philosophi huc tantum tendit, ut probet inter sensum et sensibile, sive habeat in se formaliter qualitatem, quæ est objectum sensus, sive causaliter, ut contingit in sensu auditus, necessario debere dari aliquod medium; quod verum est in omnibus sensibus, ut dictum est (in c.).

Ad secundum dicendum, quod sonus est in potentia in corporibus sonantibus, non quidem receptiva, sed effectiva; efficiunt enim motum, et per consequens sonum in medio, quod alliditur et percutitur ex mutua percussione duorum solidorum, dictum est, causa autem efficiens coincidit cum materia, ut dictum est Physicis (supra q. 63, art. un., in a. *Sed contra* et in c.); alioqui idem p set esse agens et patiens, quod est f sum, cum cujuslibet agentis creati patiens sit relatio realis, et e conve et consequenter inter se distinguan realiter. — 2a 2æ, q. 59, a. 3, c.; *Pot.* q. 7, a. 10, c. et ad 1.

Ad tertium dicendum, quod tam aere quam in aqua audiunt animalia nos, ut dicit Philosophus (2. *de An text.* 83; c. 8; 4. *de Hist. Animal.* c. licet enim aqua non ingrediatur inte rem aerem, tamen potest eum com vere et sic imprimere in ipsum spec soni; dicitur tamen propriissimum dium tam in generatione soni quam auditu aer, quia sonus minus auditu aqua quam in aere, ut dicit Philosop (2. *de Anima text.* 79; c. 8). — 2. *Anima* l. 17 et 16.

QUÆSTIO LXX

DE AUDITIONE.

Deinde considerandum est de auditi

CIRCA QUAM QUÆRITUR :

Utrum ad auditionem requiratur, quod s realiter perveniat ad auditum per mo aeris.

ARTICULUS

UTRUM AD AUDITIONEM REQUIRATUR, Q SONUS REALITER PERVENIAT AD AUDI PER MOTUM AERIS.

Videtur quod sonus realiter perve ad auditum per motum aeris medii.

1. Dicit enim Philosophus (2. *de An*

. 82; c. 8), quod sonativum est moti-
ı unius aeris continuitate usque ad
itum; ergo. — 2. *de Anima* l. 17.

. Præterea, dicit Philosophus (*de Sen-
t Sensibili* c. 7, al. 6), quod ratio,
non simul afficiatur potentia auditiva
medium a sono, sicut simul visibile
it visum et medium, est, quia sonus
um motu, qui successivus est, et fit
mpore. — *de Sensu et Sensibili* l. 16.

Præterea, non potest sonus pervenire
uditum sine medio; sed medium, quod
aer, non est receptivum soni, nec
dem transmissivum ad auditum nisi
sui motionem et percussionem et per
essivam motionem partium aeris, ut
Philosophus (*de Sensu et Sensibili* c.
l. 6; 2. *de Anima text.* 81; c. 8): ergo
essario debet sonus pervenire ad au-
m per realem commotionem aeris.
Ibid.; 2. *de Anima* l. 17.

ed contra est: 1. quod Philosophus dicit
de Anima text. 75; c. 7, et alibi pas-
), quod sensibile positum supra sen-
ium non facit sensationem in auditu
t et in visu; sed si sonus realiter
veniret usque ad auditum, sensibile
itum supra sensorium faceret sensa-
em: ergo sonus non pervenit realiter
ue ad auditum. — 2. *de Anima* l. 15.

. Præterea, dicit Philosophus (2. *de
ma text.* 114; c. 11), quod in hoc dif-
nt gustus et tactus a ceteris sensibus,
d illi sentiunt immediate tangendo, hi
o sentiunt a longe sua sensibilia non
gendo; sed auditus non potest sentire
nge sua sensibilia nisi per speciem
intentionaliter: ergo ad auditionem
requiritur, quod sonus realiter per-
iat ad auditum per aeris commotio-
n. — 2. *de Anima* l. 23.

. Præterea, dicit Philosophus (*de Sen-
et Sensibili* c. 7, al. 6), quod quis
ul audit et audivit, quia in instanti
ficitur tota auditio; ergo sonus non
us pervenit ad medium quam ad audi-
, sed auditus sine successione perci-
sonum; quod non esset, si sonus per-
iret ad auditum per aeris motum, qui
fit successive: ergo. — *de Sensu et Sensibili* l. 16.

4. Præterea, ita sonus est aptus movere medium et sensum sicut lumen, quia utrumque caret contrario et utrumque est sensibile; sed lumen non prius immutat medium quam sensum, sed simul immutat utrumque: ergo et idem præstabit sonus, et sic sequitur idem, quod prius. — *Ibid.*

Respondeo dicendum, quod sonus pervenit ad auditum non solum intentionaliter, sed etiam realiter per multos motus partium aeris medii sibi invicem succedentes. Cujus signum manifestum est transfiguratio litterarum, quando alicujus locutio auditur ex longinquo, ac si sonus vocis litteratæ deferatur per medium successive. Propter hoc enim audientes sonum non videntur auditu discrevisse litteras prolatas, quia aer motus in medio transfiguratur, quasi admittens impressionem primi sonantis. Quod quidem contingit quandoque propter aliquam aliam aeris immutationem, sicut cum multis loquentibus non potest discerni, quid aliquis eorum dicat, propter hoc quod motus invicem se impediunt. Quandoque vero contingit propter distantiam. Sicut enim actio calefacientis in remotioribus debilitatur; ita etiam immutatio aeris, quæ est a primo sonante: ex quo contingit, quod ad illos, qui sunt prope loquentem, perfecte pertingit sonus locutionis cum debita expressione litterarum, ad remotos autem cum quadam confusione.

Ratio autem conclusionis est, quia aer, quod est medium, quo sonus defertur ad auditum, est quidem secundum suam substantiam continuus; possunt tamen in eo fieri motus ab invicem divisi. Quod contingit propter facilem ejus divisionem; sicut patet in motu projectorum, ut Philosophus ostendit in 7. *Phys.* (*text.* 10; c. 2), in quo sunt multi motus et multa moventia et mota. Nam una pars aeris movetur ab alia, et sic sunt diversi motus sibi invicem succedentes, quia pars aeris mota adhuc remanet movens, postquam

cessive moveri; et sic non omnes motus partium aeris sunt simul, sed sibi invicem succedunt, ut ostenditur in 8. *Phys.* (*text.* 82; c. 10). — Et similiter hoc apparet in sono, qui causatur ex aeris percussione; non enim ita ab illa causatur, quod totus aer, qui est medius, uno motu moveatur a percutiente, sed sunt multi motus sibi succedentes ex eo, quod una pars primo mota movet aliam. — Et inde est, quod quodammodo idem est, quod audit primus, qui est propinquus percussioni causanti sonum, et extremus, qui est remotus; quodam autem modo non idem. Si enim accipiatur id, quod proxime movet sensum, impossibile est quod idem sentiant, quia diversorum sensus immutantur immediate a diversis partibus medii sibi propinquis; et ita interrumpitur hoc et distinguitur illud quod unus sentit, ab eo quod sentit alius. Si vero accipiatur id, quod primo movet medium, sic erit unum et idem, quod omnes sentiunt, sicut unius percussionis sonum audiunt omnes sive propinqui sive remoti: — sicut similiter unum corpus odoriferum, puta cothonium vel thus in igne ardens odorant omnes; sed id quod jam prope pervenit ad unumquemque, est alterum numero; sed est idem specie, quia ab eadem forma primi activi omnes hujusmodi immutationes causantur. Unde simul multi vident et odorant et audiunt idem sensibile per diversas immutationes ad eos pervenientes.

Unde patet, quod sonus pervenit ad auditum per multos motus partium medii sibi invicem succedentes; et simile est de odore. — Quod in utroque confirmatur ex eo, quod cessante percussione remanet sonus in aere, et remoto corpore odorifero adhuc sentitur odor in aere, propter hoc quod pars aeris immutata ad sonum vel ad odorem potest aliam similiter immutare, ut sic fiant diversi motus sibi invicem succedentes: nisi quod immutatio odoris fit per alterationem medii, immutatio autem soni fit per motum localem. — *de Sensu et Sensibili* l. 16.

Et ex his patet *ad objecta prioris partis*. Tantum enim probant, cum sonus realiter multiplicetur, et generatio soni in aere consequatur motum aeris, non se esse quod plures partes aeris moveantur successive usque ad auditum; eodemque modo in generatione soni rem immutari, quo immutatur aqua, cum aliquid in illam projicitur. *Sicut* enim hac fiunt quædam girationes in circa aquæ percussæ, quæ quidem circa loc percussionis sunt parvæ, et motus fortis; in remotis autem girationes magnæ et motus debilior; et tand motus totaliter evanescit et giratio cessant (quod si antequam motus ces girationes illæ aliquod obstaculum veniunt, fit motus girationis in cont rium, et tanto vehementius, quanto p pinquius fiunt primæ percussioni); — in percussione corporum sonantium in girum movetur, et sonus undique funditur; et in vicino quidem giratio fiunt minores, sed motus est fort unde sonus fortius percipitur; in rem autem girationes sunt majores, et mo est debilior, et sonus obscurius audit tandem autem deficit totum. Quod si a tequam hujusmodi girationes deficia fiat reverberatio aeris sic moti et son deferentis ad aliquod corpus, giratio revertuntur in contrarium, et sic audi sonus quasi ex adverso, et hæc voca echo. Quod præcipue fit, quando il obstans, ad quod repercutitur aer m tus, est aliquod corpus concavum, qu quoddam vas determinans et conc dens ærem in sua unitate, et ideo p hibens ipsum dividi. Tunc enim ille sic unitus et commotus, quia non pot ulterius motum protendere propter c pus obstans, percutit iterum aerem quo percutiebatur, et fit motus in cont rium, sicut accidit, inquit Philosop (2. *de Anima text.* 80; c. 8), cum aliq projicit pilam seu corpus aliquod spha cum, quod inveniens obstaculum re resilit. — 2. *de Anima* l. 16.

Ad primum ergo *posterioris partis*

dum, quod licet sonus perveniat rea-
r per aeris commotionem usque ad
itum, nunquam tamen ipsum orga-
n naturaliter immutat nisi per acci-
s, sed ad ipsum pervenit intentiona-
r. Solum enim tangibile conjungitur
is realiter ; visibile autem, odorabile
udibile per sui similitudinem tantum.
d maxime verum est in auditu ; nam
internus, qui ad organum ejus perti-
, circumdatur pelle sive meninga, quæ
ibet, ne aer ille localiter moveatur.
1a, q. 78, a. 3, c.; 4. *Sent.* dist. 8,
1, a, 3, sol. 1 et 2 ; dist. 9, q. 1, a.
l. 1 ; dist. 49, q. 3, a. 5, sol. 2 ; 2. *de*
ma l. 17.

d secundum dicendum, quod illa non
vera differentia inter gustum et ta-
m et alios sensus ; unde Philosophus
lem (2. *de Anima text.* 115 ; c. 11)
m improbat, et affert veram differen-
n, quod nimirum visibile et audibile
timus per hoc quod movent medium,
terum medium movet nos ; sed tangi-
a sentimus per medium extraneum,
quasi moti a medio extraneo, sed si-
l cum medio movemur a sensibili. —
de Anima l. 23.

d tertium dicendum, quod etsi quis
ul audit et audivit statim, non tamen
e sequitur, quod sonus statim facto
, qui causat sonum, perveniat ad au-
m, sed longe post : sicut similiter in
s sensibus simul quis sentit et jam
sit ; nec tamen propter hoc oportet
d sensibilia vel motus sensibilium
que successione sensibilium perve-
nt ad sensus. — *de Sensu et Sensibili*
6.

Ad quartum dicendum, quod alia est
io de sono et odore, et de lumine.
m sonus pervenit ad auditum per
ltos motus partium medii sibi invicem
cedentes ; et similiter odor ; lumen
tem non pervenit usque ad visum per
tus sibi succedentes in diversis parti-
s medii, sed per hoc quod totum me-
m, sicut unum mobile, movetur uno
tu a corpore illuminante. Sed non est
ibi motus, qui succedat motui, sicut contingit in odore et sono, ut dictum est (in c.). Et ratio hujus differentiæ est, quia quod recipitur in aliquo sicut proprio subjecto et naturali, potest in eo permanere et esse principium actionis ; quod autem recipitur in aliquo solum sicut adventitia qualitas, non potest permanere nec esse principium actionis. Quia vero formæ substantiales sunt principia qualitatum, et omnium accidentium, illa qualitas recipitur in subjecto aliquo secundum esse proprium et naturale, quæ disponit subjectum ad formam naturalem, cujus est susceptivum : sicut aqua ratione suæ materiæ est susceptiva formæ substantialis ignis, quæ est principium caloris. Et ideo calor recipitur in aqua disponens ipsam ad formam ignis ; et ideo remoto igne adhuc aqua remanet calida calefacere potens. Et similiter odor recipitur in aere et aqua, et sonus in aere secundum suum esse proprium et naturale, et secundum quod aer et aqua immutantur a siccitate, et aer a percussione alicujus corporis. Et inde est, quod cessante percussione remanet sonus in aere, et remoto corpore odorifero adhuc sentitur odor in aere, propter hoc quod pars aeris immutata ad sonum vel ad odorem potest aliam similiter immutare, ut sic fiant diversi motus sibi invicem succedentes. — Sed diaphanum non est susceptivum formæ substantialis corporis illuminantis, puta solis, qui est prima radix luminis ; neque per receptionem luminis disponitur ad aliquam formam substantialem. Unde recipitur lumen in diaphano sicut quædam qualitas adventitia, quæ non remanet absente corpore illuminante, nec potest esse principium actionis in aliud. Unde una pars aeris non illuminatur ab alia ; sed totus aer illuminatur a primo illuminante, quantum potest se extendere virtus illuminantis ; et ideo est unum illuminatum et una illuminatio totius medii. — *Ibid.*

QUÆSTIO LXXI

DE ORGANO AUDITUS.

Deinde considerandum est de organo auditus.

CIRCA QUOD QUÆRITUR :

Utrum organum auditus sit aer internus intra meningam contentus.

ARTICULUS

UTRUM ORGANUM AUDITUS SIT AER INTERNUS INTRA MENINGAM CONTENTUS.

Videtur quod organum auditus sit aer intra meningam contentus.

1. Dicit enim Philosophus (*de Sensu et Sensibili* c. 2; 2. *de Anima text.* 82; c. 8) loquens de complexione organi auditus, quod auditus est connaturalis aeri, et quod hic aer est animatus et movetur a sono; sicut humidum aqueum convenit instrumento visus, et hoc est animatum et existit in parte determinata, puta in pupilla ; ergo sicut tale humidum pertinet ad organum visus, ut dictum est, ita prædictus aer pertinebit ad organum auditus. — 2. *de Anima* l. 17.

2. Præterea, (2. *de Anima text.* 83 ; c. 8) dicit Philosophus, quod aer, qui est instrumentum auditus, est immobilis ad hoc ut animal possit sentire per certitudinem omnes differentias sonorum et motuum, sicut humidum aqueum, quod est in pupilla, caret omni colore, ut possit cognoscere omnes colorum differentias; ergo. — *Ibid.*

3. Præterea, dicit Philosophus (2. *de Anima text.* 83; c. 8), quod sicut visus impeditur ex impedimento organi, puta ex impeditione telæ continentis in pupilla humidum aqueum, et corruptione humidi aquei; ita auditus impeditur vel ex corruptione aeris, vel si infirmetur meninga; ergo organum auditus est aer inclusus in meninga. — *Ibid.*

4. Præterea, in sensibus, qui sentiu per medium extraneum, organa sunt co formia mediis; sed medium, per qu sonus pervenit ad auditum, est aer, dictum est (supra q. 70, a. un.) : er et organum aeris debet esse quid aereum hoc autem est aer inclusus meninga; er hic aer est organum auditus. — 3. *Anima* l. 1.

Sed contra est, quod circa eundem l cum est principium visivum, odorativu et auditivum ; sed principium visivu est circa cerebrum, ut dictum est, et sim liter principium odorativum, ut dicit *de Sensu et Sensibili* (c. 2) : ergo et ib dem erit principium auditivum ; princ pium autem seu sensorium visus e nervus opticus, ut ostensum est (supra 67, a. un.); et similiter sensorium odor tus sunt carunculæ mamillares, quæ ex stunt in anteriori parte cerebri : ergo sensorium auditus erunt nervi auditiv qui a cerebro protenduntur ad aures. *de Sensu et Sensibili* l. 5.

Respondeo dicendum, quod, ut dictu est (supra q. 67, a. un., in c.) ex Phil sopho (2. *de Partibus Animal.* c. 1), ali est organum, aliud sensorium sensus; v ex eodem (2. *de Anima text.* 146; l. c. 2) aliud est organum primum, ali ultimum seu proximum extrinsecum, primum intrinsecum. Si ergo loquam de primo organo auditus seu proxi extrinseco, illud est auris ; et pars pra cipua illius est aer ille interior menin contentus, ut bene probant argumen primæ partis, et paret a simili in orga visus : illud enim est oculus, et pars pra cipua illius est humor ille perspicuus te aranea contentus, ut dictum est (q. 67 Si vero loquamur de principio auditiv seu de sensorio et organo ultimo, vel pr mo intrinseco auditus, illud est nerv auditivus, qui a cerebro protenditur s cundum tres ramos : unum ad linguar duos alios ad aures. Quem nervum Avice na (*quarta Tertii* c. 1 ; v. canon. lib. fen 4, tract. 1) vocat opticum, quia de cendit ab eadem parte, a qua optici ; v

ipse, septem paria nervorum oriri a
ro, et quintum par esse nervorum
tivorum, quia tendunt usque ad au-
suntque sensorium auditus. Quod
docet Hippocrates vel auctor libri
rnibus. — *Opusc.* 43, c. 3.

probatur, *primo*, ex diversitate in-
rgana seu sensoria sensus tactus et
s, et reliquorum trium sensuum, ut
sophus docet (*de Sensu et Sensibili* c.
quod illa sunt circa cor, hæc vero cir-
erebrum, nihil autem potest assignari
ens circa cerebrum, quod ad aures
al præter illum nervum auditivum. —
ensu et Sensibili l. 5.

cundo, ex unitate numerica auditio-
Cum enim, ut docet Philosophus (*de*
su et Sensibili c. 8, al. 7), ex hoc
sus in actu seu operatio sensitiva ha-
unitatem secundum numerum, quia
nius sensibilis numero; ubi est unum
ero objectum, est una numero ope-
circa illud, et una numero potentia,
virtus sensitiva et operatio se invi-
consequuntur: ita quod neque virtus
sine propria et per se operatione, ne-
operatio sine propria virtute. Opera-
utem sensitiva distinguitur secundum
ibilia; et ideo ubi sunt omnino ea-
sensibilia, non sunt diversæ virtu-
causantes diversas operationes; —
sse est quod existente uno numero
bili, puta tali sono, non existat in
ine audiente nisi una numero auditio
na numero potentia auditiva. Una
numero potentia et una numero
atio non possunt esse in pluribus
ectis, quia accidens numeratur ex
ecto, ut dictum est; ergo debent ha-
unum subjectum; et hoc erit senso-
auditus. Et si ponatur pro sensorio
tus aer internus meninga contentus,
luplex est, sicut et duplex meninga et
ex auris; nervus autem auditivus
s est: vel ubi dividitur in duos ad
s aures, vel ubi saltem orginatur cir-
erebrum; ergo ille erit sensorium au-
. non autem prædictus aer — Quod
matur a simili de visu; ideo [illegible] m.

ut dictum est, licet sint duæ pupillæ et duo oculi, est tamen una numero visio, quia, cum uterque oculus concurrat ad aliquod unum principium, illi uni, quod est ubi se conjungunt nervi optici, attribuitur operatio sentiendi: ergo similiter licet sint duæ aures, et duplex aer internus, erit una numero auditio, quia per duos nervos ad aures terminatos tendunt ad unum principium, ubi nimirum illi nervi sunt conjuncti. — *Ibid.* l. 19 et 17.

Tertio probatur ex vera causa, cur surdus a nativitate sit etiam mutus. Non solum enim ea est, quia non audit significationem verborum; nam experientia ita patet, surdum a nativitate esse mutum, ut non solum nesciat loqui significative, sed etiam ut non bene possit effingere voces; alioqui sicut primi inventores invenerunt nomina nec eadem audierant, sic etiam possent surdi; sed vera causa est læsio in principio nervorum, qui tendunt ad linguam et auditum. Quod si non fiat læsio nervorum in conjunctione, poterit esse surdus et non mutus, et e contra. — 2. *de Anima* l. 17 et 18; *de Sensu et Sensibili* l. 5, 17, 19; *Opusc.* 43, c. 3.

Et ex his patet *ad objecta* utriusque partis. Nam argumenta primo loco posita concludunt de organo auditus; argumentum vero in contrarium recte concludit de sensorio visus.

QUÆSTIO LXXII

DE OBJECTO POTENTIÆ ODORATIVÆ.

Deinde considerandum est de potentia odorativa.

Circa quam quatuor consideranda sunt: objectum, actus odorandi, organum odoratus et potentia.

CIRCA PRIMUM QUÆRUNTUR TRIA:

1. Quid sit odor.
2. Utrum odor sit ex prædominio calidi et s[illegible]

ARTICULUS I

QUID SIT ODOR.

Videtur quod odor non convenienter definiatur a Philosopho (*de Sensu et Sensibili* c. 5), quod sit forma ab enchimo sicco impressa humido.

1. Dicit enim Philosophus (ibid.), quod per eadem corrumpuntur odor et sapor, puta per frigus et congelationem; ergo et per eadem generabuntur; sed sapor generatur a sicco terrestri : ergo et ab eodem generabitur odor ; et sic non erit forma impressa ab enchimo sicco, seu ab humido imbibito in sicco. — *de Sensu et Sensibili* l. 12.

2. Præterea, susceptivum odoris, ut dicit Philosophus (*de Sensu et Sensibili* c. 6), est perspicuum ; sed non omne perspicuum est humidum, ut patet in igne : ergo odor non est forma impressa perspicuo. — *Ibid.*

3. Præterea, æs et ferrum sunt odorabilia, ut dicit Philosophus (l. c.), ad differentiam auri, quod inter metalla non odorat ; sed æs et ferrum sunt complexionis terreæ, et per consequens constant sicco terrestri : ergo idem quod prius. — *Ibid.*

4. Præterea, odor nihil aliud est quam evaporatio fumalis vel exhalatio seu quam vapor quidam vel fumus, ut patet ex dictis ; sed prædicta sunt communia aeri et terræ : ergo. — *Ibid.*

5. Præterea, dicit Philosophus (ibid.), quod odor est passio nutrimenti ; ergo debet habere eadem principia, quæ habet sapor, qui etiam est passio nutrimenti ; sed sapor fit a sicco terrestri : ergo et odor, et sic erit male definitus, quod sit forma ab enchimo sicco impressa humido. — *Ibid.*

Sed contra est : 1. auctoritas Philosophi (*de Sensu et Sensibili* c. 5), ubi odorem definit, quod sit forma ab enchimo sicco impressa humido. — *de Sensu et Sensibili* l. 12.

2. Præterea, odor est qualitas secunda causata ex determinata commixtione p marum qualitatum dominante aliqua v aliquibus illarum, ut patet similiter sapore ; sed nulla potest dominari præ siccitatem humiditati aeris conjuncta nam sicut sapor consistit in humido aqu aliqualiter digesto, ita odor consistit sicco aereo aliqualiter contemperato : go odor erit forma ab enchimo sicco h mido impressa. — 2. *de Anima* l. 19.

Respondeo dicendum, quod bene d nitur a Philosopho odor, quod sid *for ab enchimo sicco humido impressa;* n ex hac definitione optime colligitur nat odoris, quæ ex ipsius causis cognoscit *Dicitur* enim *primo* « forma », quia o est forma accidentalis ; est enim q litas secunda orta ex mixtione prin rum qualitatum, ut dictum est in h quæ de elementis. Præterea oritur determinata commixtione illarum, rati cujus quædam species odoris magis c respondet speciebus saporis quam sim cibus qualitatibus tangibilibus. Et hanc primam particulam significatur *nus*, in quo convenit odor cum sapore, similiter est qualitas secunda ex co mixtione tali primarum qualitatum res tans ; nam reliquæ designant differe tiam odoris a sapore et ceteris qualit bus secundis. — *de Sensu et Sensibili* l.

Dicitur ergo *secundo* « ab enchimo s co », id est ab humido imbibito et inc porato alicui sicco. Nam sicut in gene tione saporis humidum aqueum patitu sicco terrestri, et sic reducitur per ac nem caloris ad hoc quod sit saporosu ita in generatione odoris perspicuum humidum, quod est aer vel aqua, pati ab enchimo sicco, et sic reducitur actionem caloris ad hoc quod sit odo sum. Et manifeste patet sola ench odorabilia esse, achima minime : — quia elementa non sunt odorabilia, nisi quia, sive sint humida sive sicca, s sine humore comprehenso a sicco ; quæ sunt humida, habent humidum sicco, et quæ sunt sicca, habent sicc sine humido ; et aqua fit odorabilis, q

illi admiscetur sicum; — *tum* quia, n odor nec sit vapor nec fumus, ut unt veteres Philosophi, quia vapor tinet ad aquam, quæ non est odorabi- sine admixtione sicci; fumus autem est in aqua, in qua tamen est odor, n de animalibus quædam ibi odorent, uitur, quod humidum, quod est in e et aqua, patiatur ab enchima sicci-, et sic fiat odor et sentiatur. — 2. *Anima* l. 19; *de Sensu et Sensibili* 2.

ictur tertio « impressa » perspicuo « humido », quod est aer et aqua, sicut in odore activum est enchimum um, ita passivum est quid commune et aquæ: — quod *vel* dici potest *per- uum*, ut inquit Philosophus (ibid.), lo sumatur tale perspicuum non ut est spicuum (nam ut sic est susceptivum ris, non autem odoris), sed ut est dabile vel lavabile enchimæ siccita- seu quatenus est receptivum enchimæ itatis; nam talis receptio vocatur lava- el mundatio, quia per humidum rece- um natum est aliquid ablui vel munda- —*vel* certe dici potest *humidum*, quod er et aqua: nam cum odor non solum ipiatur in aere, sed etiam in aqua (ut t in piscibus et ostracodermis seu ani- bus duræ testæ viventibus in aqua, videntur odorare ex hoc quod a e odore trahuntur ad alimentum, l videre non possunt), aer autem et sint humida, necesse est quod odor orma ab enchimo sicco impressa in ido, quod est aer et aqua; et illud sit abile, quod est humidum habens na- m sibi impressam ab enchimo sicco. ex his manifestum est recte fuisse a osopho assignatam definitionem odo- et patet *ad secundum* et *quartum ob- m.* — *de Sensu et Sensibili* l. 12.

d primum ergo dicendum, quod ideo frigus et congelationem sapores he- ntur, et odores extenuantur, quia per dicta aufertur calidum, quod generat ovet odores et sapores; non tamen m modo: nam calidum efficit odores conjunctum cum sicco aereo, sapores vero cum sicco terrestri. — *Ibid.*

Ad tertium dicendum, quod æs et ferrum sunt odorabilia, quia humidum in eis digestum est imbibitum a sicco, et non est totaliter ab eo separatum, sicut in auro. Unde est scoriæ eorum propter adustionem humidi sunt minus odorabiles. Argentum vero et stannum sunt magis odorabilia quam aurum, et minus quam æs et ferrum, quia habent humorem magis aquaticum et minus conprehensum a sicco, quam æs et ferrum. Quia tamen humiditas eorum aliqualiter comprehenditur a sicco, non sunt penitus absque odore sicut aurum. — *Ibid.*

Ad quintum dicendum, quod ejusdem rei uno modo consideratæ est una tantum definitio; secus vero, si pluribus modis consideretur. In proposito autem dupliciter potest odor considerari: *uno modo* secundum se et absolute; et sic definitur a Philosopho, quod sit forma impressa ab enchimo sicco, humido, quod est aer et aqua; — *alio modo*, quatenus coordinatur et proportionatur saporibus, et indicat qualitatem nutrimenti, seu quatenus comparatur ad alimentum; et sic definitur a Philosopho, quod sit passio nutrimenti: quamquam quia non omnes species odorum habent hanc coordinationem et proportionem ad sapores, sed tantum quædam species: ideo hæc sola definitur a Philosopho, quod sit passio nutrimenti; hoc enim habet odor, quatenus proportionatur sapori. — *de Sensu et Sensibili* l. 13.

ARTICULUS II

UTRUM ODOR SIT EX PRÆDOMINIO CALIDI ET SICCI.

Videtur quod odor non sit ex prædominio calidi et sicci.

1. Dicit enim Philosophus (2. *de Anima text.* 97; c. 9), quod organum odoratus est aeris vel aquæ; sed neutrum est siccum, ut patet: ergo odor non est ex præ-

dominio sicci; nam sic non posset sentire per organum contrariæ complexionis: instrumentum enim sensus debet esse proportionatum suo sensibili. — 2. *de Anima* l. 20 et 19; *de Sensu et Sensibili* l. 5.

2. Præterea, dicit Philosophus (*de Sensu et Sensibili* c. 4), quod fere eadem est passio odoris et saporis; ergo fere eadem etiam sunt principia, ex quibus causantur; sed sapor causatur ex humido: ergo et ex illo causabitur odor; et sic non erit ex prædominio sicci. — *de Sensu et Sensibili* l. 9.

3. Præterea, in eadem re est odor et sapor; sed in eadem re non possunt esse complexiones contrariæ, puta ex prædominio sicci et ex prædominio humidi: ergo odor non est ex prædominio calidi et sicci. — 2. *de Anima* l. 19.

4. Præterea, aqua est frigida et humida, ut dictum est (supra q. 47, a. 1); sed dantur aliquæ aquæ odoriferæ: ergo odor non est ex prædominio calidi et sicci.

5. Præterea, 2. *de Anima* (*text.* 130; l. 3, c. 1) dicit Philosophus, quod pupilla est aquæ, auditus vero aëris, olfactus autem horum alterius est; ignis autem aut nullius est aut communis omnibus, quatenus nihil sine calore sensitivum est; ergo odor non est ex prædominio sicci. — 3. *de Anima* l. 1.

6. Præterea, organum debet esse conforme medio, ut dictum est (supra q. 71, art. un., arg. 4), et per consequens et sensibile, cui debet et proportionari organum, ut dictum est (in hoc art., arg. 1); sed medium odoratus est aer et aqua, ut dicitur 2. *de Anima* (*text.* 97 et 130; l. 2, c. 9 et l. 3, c. 1), quæ non sunt ex complexione sicca, ut ostensum est in his, quæ de elementis (in Secunda Secundæ q. 45, a. 8, ad arg. in contrarium): ergo odor non est ex prædominio calidi et sicci. — 2. *de Anima* l. 20; 3. *de Anima* l. 1.

Sed contra est: 1. quod Philosophus (2. *de Anima text.* 100; c. 9) dicit, quod odor fundatur in sicco sicut sapor in humido; ergo odor est ex prædominio calidi et sicci. — 2. *de Anima* l. 20.

2. Præterea, dicit Philosophus (*de Sensu et Sensibili* c. 2), quod organum odoratus est ignis; sed organum debet esse proportionatum sensibili: ergo odor debet esse ex prædominio calidi et sicci, quæ est combinatio conveniens igni, ut dictum est (supra q. 47, a. 1). — *de Sensu et Sensibili* l. 5; 2. *de Anima* l. 19.

Respondeo dicendum, quod odor consistit in sicco aereo aliqualiter contemperato, sicut sapor consistit in humido aqueo aliqualiter digesto. Et ratio est, quia odor et sapor sint secundæ qualitates causantur ex varia commixtione primarum qualitatum; commixtio autem harum qualitatum causans odorem est sicco aereum temperatum. Cujus signum a posteriori est, quod, quia instrumentum sensus debet esse proportionatum sensibili, sicut odor causatur ex calido et sicco, ita ad bonitatem instrumenti odoratus exigitur victoria calidi et sicci. Unde quia homo habet organum olfactus circa cerebrum, quod est frigidius et humidius omnibus partibus corporis; et inter omnia animalia habet cerebrum majus secundum quantitatem sui corporis, ut dicitur 2. *de Partibus Animal.* (c. 7): ideo oportet quod deficiat in sensu odoratus et in eo impediatur illius bonitas, et propter hoc prave odoret, et nihil odorabilium percipiat, nisi quod est secundum aliquam excellentiam inducens delectationem et contrarium, quod contingit propter sensum, qui non est perspicax ad certitudinaliter discernendum de suo objecto. Unde et rationabile est, quod hominum genus sic se habeat ad percipiendos odores, sicut se habent animalia habentia duros oculos, ut locustæ et quidam pisces, ad percipiendos colores, quos propter debilitatem visus, ex ineptitudine organi non percipiunt nisi in quadam excellentia, prout ex eis ingeritur illis aliquis terminus vel ejus contrarium. — 2. *de Anima* l. 19; *de Sensu et Sensibili* l. 9.

Ratio autem *a priori* est, quia *sicut* sapor ideo consistit in humido aqueo seu causatur ex eo, quia humidum aqueum, ut di-

ilosophus (*de Sensu et Sensibili* c. 5), titur a sicco terrestri, et sic reducitur r actionem caloris ad hoc, quod sit porosum; — *ita* in generatione odoris *tivum* est humidum comprehensum a co seu incorporatum alicui sicco; et *pas-um* est humidum, quod est aer vel aqua· lor enim nihil aliud est, quam forma enchimo sicco impressa in humido, od est aer et aqua; et per consequens, id est odorabile, quod est tale, id est midum habens naturam sibi impressam enchimo sicco, seu ab humore imbi-o et comprehenso a sicco; [unde se-itur] quod quæ tantum sunt humida l tantum sicca, non habent odorem, ut menta, lapides solidi, et inter metalla rum, quia carent humore comprehenso sicco; secus vero quæ talem humorem bent, ut mare et ligna quædam, quæ opterea sunt odorabilia. Et quia tam sa-r quam odor causantur etiam a calido, o per frigus et congelationem hebe-itur sapores, et odores extenuantur; m per prædicta aufertur calidum, quod nerat et movet odores et sapores. Et manifestum est, quod odor est ex præ-minio calidi et sicci. — *de Sensu et sibili* l. 12.

Ad primum ergo dicendum, quod pro-r improportionem organi odoratus in mine ad proprium sensibile, propterea id non est exactum et perfectum; et o homo habet pejorem odoratum mul-animalibus, ut dicit Philosophus (2. *de ima text.* 92; c. 9). — 2. *de Anima* l.

Ad secundum dicendum, quod Philoso-us nominat odorem et saporem passio-m, quia utrumque est in tertia specie alitatis, quæ est passio vel passibilis alitas. Dicit autem saporem et odorem e esse eandem passionem, quia utrum-e causatur ex permixtione humidi et ci secundum aliqualem terminationem alido; non tamen utrumque eorum est mino in eisdem, quia odor magis sequi-siccum; et ideo principalius est in nali evaporatione, sapor autem magis sequitur humidum. — *de Sensu et Sensibili* l. 9.

Ad tertium dicendum, quod in eadem parte mixti non est inconveniens esse saporem et odorem, imo et suavem saporem et suavem odorem, et aliquando suavem saporem sed non suavem et dulcem odorem, vel e converso; licet consistat in humido aqueo aliqualiter digesto, et odor in sicco aereo aliqualiter contemperato. Et ratio hujus est, quia non est inconveniens utramque substantiam, scilicet subtilem aeream, et aqueam grossiorem, commixtas esse, et aliquando quidem secundum debitam proportionem utriusque: et sic est suavitas saporis et odoris; aliquando vero secundum debitam proportionem in una et non in altera: et tunc erit suavitas in uno et non in alio. — *de Anima* l. 19.

Ad quartum dicendum, quod aquæ odoriferæ habent etiam humidum comprehensum a sicco, ut possint odorem emittere. — *de Sensu et Sensibili* l. 12.

Ad quintum dicendum, quod id, quod est odoratus, dupliciter potest accipi: *uno modo* secundum *potentiam;* et sic organum odoratus est aeris vel aquæ, ut dicitur 2. *de Anima* (*text.* 97; c. 9). Et probatur, quia organum odoratus est in potentia odor in actu, qui est per calorem vel ignem; et ita oportet, quod sit potentia calidum; potentia autem calidum est materia frigidi, quia eadem est materia contrariorum. Nec potest esse in potentia ad unum eorum, nisi secundum quod est actu sub altero, vel perfecte vel imperfecte, sicut quando est sub forma medii. Et ideo oportet quod substantia et essentia organi odoratus sit id, quod est actu frigidum et humidum; quod præcipue est in loco circa cerebrum, unde organum odoratus est circa cerebrum. *Alio modo* accipitur secundum *actum;* et sic est verum quod dicitur a Philosopho (*de Sensu et Sensibili* c. 2), quod est ignis; ubi signanter non dixit odorativum esse ignis, sicut dixerat sensitivum sonorum esse aeris, et visivum oculi esse aquæ;

sed dicit odoratum esse ignis; odorativum enim dicitur secundum potentiam, sed odoratus secundum actum. Quod autem odoratus secundum actum sit ignis, probat Philosophus (*de Sensu et Sensibili* c. 2), quia odorativum seu organum habens virtutem odorandi oportet quod sit hoc in potentia, quod actualis odoratus in actu, ut manifeste constat ex hoc, quod sensibile facit sensum agere seu esse in actu, atque adeo operari; oportet enim quod sensitivum sit in potentia sensibile, alioqui non pateretur ab ipso: unde relinquitur quod sensitivum sit in potentia sensus in actu. Manifestum est autem, quod fumalis evaporatio est causa, cur sentiatur odor; fumalis autem evaporatio est ab igne vel a quocunque calido: ergo odoratus in actu fit per caliditatem, quæ principaliter est in igne; et ideo in temporibus et locis calidis flores sunt majoris odoris. — *de Sensu et Sensibili* l. 5.

Ad sextum patet ex dictis (ad 1 et ad 5).

ARTICULUS III

UTRUM ODOR NUTRIAT.

Videtur quod odor nutriat.

1. Dicit enim Philosophus (*de Sensu et Sensibili* c. 5), quod odor confortat cerebrum; sed hoc facit nutriendo: ergo odor nutrit. — *de Sensu et Sensibili* l. 13 et 14.

2. Præterea, si odor non nutrit, ad nihil est utilis; sed hoc dici non potest: ergo odor nutrit. — *Ibid.*

Sed contra est, quod Philosophus (*de Sensu et Sensibili* c. 5) dicit, quod odor non nutrit. — *Ibid.*

Respondeo dicendum, quod odor non nutrit. Quod potest esse manifestum, *primo,* quia alioqui odoratus esset sensus nutrimenti, quod est falsum, cum sensus nutrimenti sit tantum gustus. — *Secundo,* quia omnis cibus debet esse compositus ex pluribus elementis, ut patet: *tum* quia elementa simplicia non nutriunt, quia animalia, quæ ex his nutriuntur, composita sunt ex quatuor elementis; ex eisdem autem nutritur aliquid, ex quibus est, ut dicitur in *4. de Generat. Anim.* (c. 1); *tum* quia ex cibis generat aliqua superfluitas, vel interius, ut pat in animalibus, intra quorum corpo sunt quædam loca deputata ad co gregationem superfluitatum; vel ext rius, sicut in plantis, quarum sup fluitas statim exterius emittitur, sicut tet de gummis arborum et de aliis huj modi. Si autem aliquod animal vel plan nutriretur simplici elemento, nulla fie superfluitas, cum non sit ibi aliqua d formitas partium. Cum autem null elementum sit aptum nutritioni propt simplicitatem, adhuc amplius aqua hal speciale impedimentum, quare sola n possit nutrire sine admixtione alicuj terrestris, sicut agricultores adhib fimum, ut aqua commixta nutriat plant quia nutrimentum constituit et gene aliquid in substantia nutriti, et ideo op tet quod sit aliquid corporale et solidu quod non competit aquæ. Unde aqua s non potest nutrire, et multo minus ae et ita relinquitur quod odor non pos nutrire. Manifestum enim est, quod od cum sit qualitas, secundum se non pot nutriendo constituere substantiam n ratione susceptivi, quod est aer vel aq Et si odor esset evaporatio vel fuma exhalatio, adhuc ratio remanet, quia utru que pertinet ad naturam aeris. — *Ter* idem probatur, quia in omnibus anim bus est aliquis locus, in quo primo re pitur cibus, scilicet stomachus, unde d rivatur ad singulas partes corporis. Q vero animalia plurima respirando od rant, si consideremus ipsum odorabile, m nifestum est, quod sentitur organo ci cerebrum existente, ut supra dictum es ipse autem aer respiratus, cum quo od attrahitur, vadit ad locum respirativu id est ad pulmonem; manifestum est a tem, quod in animalibus neque cerebr neque pulmo est locus recipiens cibu unde manifestum est, quod odor non n trit. — *de Sensu et Sensibili* l. 14.

Ad primum ergo dicendum, quod od confortat propter immutationem, quæ

alido humido et sicco, et propter dele-
tionem, sicut et malus odor corrum-
. — *Ibid.*

Ad secundum dicendum cum Philosopho
Sensu et Sensibili c. 5), quod licet
ır non nutriat, confert tamen ad sani-
em, sicut manifestum est ad sensum et
ea quæ supra dicta sunt, quia sicut
ıor ordinatur ad nutritionem, ita odor
sanitatem. — *Ibid.*

QUÆSTIO LXXIII

DE ACTU ODORANDI.

Deinde considerandum est de actu odorandi.

CIRCA QUEM QUÆRITUR :

um ad actum odorandi requiratur, ut odor
aliter perveniat ad odoratum.

ARTICULUS

UM AD ACTUM ODORANDI REQUIRATUR,
T ODOR REALITER PERVENIAT AD ODO-
RATUM.

Videtur quod ad actum odorandi requi-
ur, ut odor realiter perveniat ad odo-
um.

1. Dicit enim Philosophus (2. *de Anima*
t. 75 ; c. 7), quod eadem est ratio de
no et odore in modo perveniendi ad
ısum ; sed sonus realiter pervenit us-
e ad auditum per aeris commotionem,
dicit Philosophus (ibid.) : ergo et odor.
2. *de Anima* l. 15.

2. Præterea, odor ab homine non sen-
ır nisi respirando, ut dicit Philosophus
de Anima text. 98 ; c. 9 ; *de Sensu et*
ısibili c. 5) ; sed per respirationem
rahitur aer affectus vapore odorifero :
go odor pervenit ad odoratum realiter.
2. *de Anima* l. 20 ; *de Sensu et Sensi-*
i l. 14.

3. Præterea, dicit Philosophus (*de Sensu et Sensibili* c. 7, al. 6), quod odor pervenit ad olfactum per aerem continuum usque ad illum tamquam per medium, et odorem prius agere in medium et per medium in olfactum ; ergo idem quod prius. — *de Sensu et Sensibili* l. 16.

Sed contra est : 1. quod Philosophus (*de Sensu et Sensibili* c. 5) dicit, quod odor non est fumalis evaporatio, *tum* quia longius diffunditur odor quam fumalis evaporatio ; *tum* quia corpora odorata diminuerentur, et tandem totaliter resolverentur ; at hoc posito, res odorata procul existens sentitur : ergo cum non possit sentiri per fumosam exhalationem, quæ nulla est in medio longe distante, necesse est quod sentiatur per spiritualem medii immutationem. — *de Sensu et Sensibili* l. 5 et 12.

2. Præterea, in aqua sentitur odor, ut dicit Philosophus ibidem (*de Sensu et Sensibili* c. 5) ; sed non potest realiter multiplicari in aqua, vel ratione qualitatis, quia odor non est realiter activus, ut dictum est ; neque mediante evaporatione vel fumosa exhalatione, quia, ut dicit Philosophus ibidem, vapor pertinet ad aquam, quæ non est odorabilis sine admixtione sicci, fumus autem non potest fieri in aqua, in qua tamen fit odor, cum quædam animalia odorent in aqua : ergo debet multiplicari intentionaliter, et sic non perveniet ad odoratum realiter. — *de Sensu et Sensibili* l. 12.

Respondeo dicendum, quod sensus olfactus immutatur per medium, scilicet aerem et aquam. Nos enim per aerem odoramus, et animalia similiter aquatica odorem sentiunt, non solum illa quæ habent sanguinem, sed etiam illa quæ carent sanguine. Quod apparet ex hoc, quod quædam eorum de longinquo veniunt ad alimentum, quod non posset esse, nisi in quantum provocantur ab odore, sicut patet de vulturibus, qui ex multis diebus dicuntur ad cadavera convenire. Quomodo autem odor ad tam remota spatia diffundatur, dubitatio est.

Sciendum itaque est, quos lam posuisse omnes sensus quodam perfici tactu. Dicebant enim oportere quod sensus sensibile contingat ad hoc quod sentiatur. Aliter tamen existimabant hoc accidere in visu, et in aliis sensibus. Dicebant enim, quod ex *visu* egrediebantur lineæ visuales progredientes usque ad rem visam, et ex earum contactu visibile videbatur. In *aliis* autem *sensibus* dicebant, quod e converso sensibile perveniebat ad sensum, et quod in tactu et gustu hoc manifeste videtur accidere; nam tangibile et gustabile quodam contactu sentiuntur. In auditu etiam idem videtur esse; nam aer motus usque ad auditum pertingit. Circa olfactum etiam idem esse dicebant; ponebant enim, quod a corpore odorabili resolvitur quædam fumalis evaporatio, quæ est subjectum odoris, et pervenit usque ad olfactum.

Causa vero hujus diversitatis hæc esse videtur, quia antiqui non ponebant nec percipiebant aliquid de immutatione spirituali medii, sed solum de mutatione naturali. In aliis autem sensibus apparet quædam immutatio naturalis in medio, sed non in visu. Manifestum enim est, quod soni et odores deferuntur per ventos vel impediuntur, colores autem nullo modo. Manifestum etiam est, quod contrariorum colorum species per eandem partem aeris deferuntur ad visum : sicut cum unus videt album, alius nigrum simul existentes in eodem aere, et eodem aere utentes pro medio. Quod quidem in olfactu non accidit; nam contrarii odores etiam in medio se impedire inveniuntur; et ideo non percipientes immutationem, qua medium immutatur a visibili, posuerunt, quod visus defertur usque ad rem visam; sed quia percipiebant immutationem, qua medium immutatur ab aliis sensibus, credebant, quod alia sensibilia deferrentur ad sensum. Sed manifestum est, quod hoc in olfactu non potest accidere. Cum enim odor cadaverum usque ad quinquaginta milliaria vel amplius a vulturibus sentiatur, implicat quod aliqua corporalis evaporatio cadaveris usque ad tantum spatium d fundatur, præcipue cum sensibile imm tat medium undique secundum eamd distantiam, nisi impediatur; non aut sufficeret ad occupandum tantum sp tium, etiam si totum cadaver resolvere in fumosam evaporationem; cum sit c tus terminus rarefactionis, ad quem c pus naturale pervenire potest, qui raritas ignis; et præcipue cum per huj modi odorem cadaver non appareat s sibiliter immutatum.

Et ideo dicendum est, quod ab odo bili resolvi quidem pot st fumalis ev poratio, quæ tamen non pertingit sem usque ad terminum, ubi odor percipit sed immutatur medium spiritualiter, tra quam dicta evaporatio pertingi potest. Quod autem spiritualis immuta sit a visibili magis quam ab aliis sen bilibus, ratio est, quia visibiles qu tates insunt corporibus corruptibili secundum quod communicant cum c poribus incorruptibilibus; unde hab esse formalius et nobilius quam reli sensibilia, quæ sunt propria corpor corruptibilium. — 2. *de Anima* l. 20.

Ad primum ergo dicendum, quod n est eadem omnino ratio soni et odo Cum enim eadem sit generatio soni, immutatio auditus a sono, sicut so generatur per motum localem, ut dict est (supra q. 69, a. 1, et q. 70, art. u ita et immutatio organi auditus a so fit per motum localem. — 2. *de Anima* 16 et 17; *de Sensu et Sensibili* l. 16 med.

Odor autem non generatur per mot localem, sed per commixtionem primar qualitatum, ut dictum est (in c.); et i mutatio organi odoratus ab odore fit alterationem medii, quod aliquando al atur usque ad odoratum, aliquando n et tunc fit immutatio organi ab od intentionaliter, non autem realiter, dictum est. Addo, quod in beatorum c poribus erit in summo, et percipie tantum spiritualiter sine ulla evaporat ne, sicut et sonus percipietur a beatis t

m intentionaliter sine reali commotione ris. — 2. *de Anima* l. 20; *de Sensu et nsibili* l. 16; 4. *Sent.* dist. 44, q. 2, a. quæstiunc. 4, in sol. et ad 3.

Ad secundum dicendum, quod licet pe per respirationem aer respiratus, i vadit ad locum respirativum, id est lmonem, odorem realiter attrahit, non nen semper attrahitur realiter usque ad nsorium odoratus, qui est circa cere-m, sed aliquando attrahitur tantum entionaliter, quando nimirum odora-s rem odoriferam longe distantem. — *Sensu et Sensibili* l. 14.

Ad tertium, quod odor potest pervenire liter usque ad olfactum, quando res rata parum distat ab odorante; secus o, quando multum distat, ut patet mplo vulturum, ut dictum est (in c. et 2). — *de Sensu et Sensibili* l. 14.

QUÆSTIO LXXIV

DE ORGANO ODORATUS.

Deinde considerandum est de organo odoratus.

CIRCA QUOD QUÆRITUR :

um carunculæ mammillares sint organum doratus.

ARTICULUS

TRUM CARUNCULÆ MAMMILLARES SINT ORGANUM ODORATUS.

Videtur quod organum odoratus non carunculæ mammillares.

. Dicit enim Philosophus 2. *de Anima* t. 98; c. 9), quod nasus seu nares sunt trumentum odoratus. Quod idem docet *Partibus Animal.* (l. 1, c. 1; l. 2, c. 10); *Hist. Animal.* (l. 1, c. 15). Ergo carunculæ mammillares non sunt organum odoratus. — 2. *de Anima* l. 20.

2. Præterea, illud est organum sensus olfactus, quo discernuntur odorum differentiæ; sed hoc sunt nares, ut dicitur *de Sensu et Sensibili* (c. 5): ergo nares sunt organum olfactus, non carunculæ mammillares. — *de Sensu et Sensibili* l. 12.

3. Præterea, organum est instrumentum sentiendi, cujusque est peculiare officium et actio, ut dicit Philosophus (*de Partibus Animal.* c. 1); sed instrumentum sentiendi et actio pertinet ad nares, ut dicit Philosophus (2. *de Partibus Animal.* c. 10): ergo idem quod prius.

4. Præterea, carunculæ mammillares sunt de natura cerebri, quod est expers sensus, ut dicit Philosophus (2. *de Partibus* c. 10); sed sensorium sensus debet esse animatum, ut dictum est: ergo.

Sed contra est, quod Philosophus *de Sensu et Sensibili* c. 2 dicit, quod organum olfactus est circa cerebrum, et c. 5 docet odores transire per nares ad cerebrum, ut ibi sentiantur. — *de Sensu et Sensibili* l. 5 et 13.

Respondeo dicendum, quod, ut dictum est (supra q. 71, art. un. c.), aliud est organum odoratus seu organum primum, aliud sensorium; seu aliud est organum primum intrinsecum, aliud proximum extrinsecum; vel secundum Philosophum (2. *de Anima text.* 146; l. 3, c. 2) aliud est organum primum externum, aliud ultimum internum. Si loquamur de organo proximo vel primo extrinseco, illud est nasus seu nares, ut docet Philosophus locis citatis in objectis, et probant prima tria objecta. Si vero loquamur de sensorio seu organo ultimo vel primo intrinseco, illud est circa cerebrum; in anteriori enim ejus parte prope foramina narium, quæ sunt juxta concavitatem oculorum, sunt duæ carunculæ ad modum extremitatis mammillæ, quæ processus mammillares, seu carunculæ mammillares dicuntur, quæ caro spongiosa est, contrahiturque et dilatatur. Et hæc caro est sensorium olfactus. Quod proba-

tur *primo*, quia necesse est *sensorium odoratus esse circa cerebrum*, ut manifeste patet *primum* ex secundario fine respirationis a natura intento. Unus enim et primarius est ad adjutorium thoracis seu pectoris, et ad refrigerandum calorem cordis; secundarius autem est ad percipiendum odorem. Dum enim homo respirat, commovet aerem per nares attrahendo, et sic facit pertransire odores ad cerebrum, ubi est organum olfactus. Propterea vero, in homine præsertim, respiratio habet hunc finem, quia inter cetera animantia habet secundum proportionem suæ magnitudinis majus cerebrum et humidius aliis animalibus; et ideo in homine motus odorum ad cerebrum reducit ad debitam mensuram superexcessum humiditatis et frigiditatis illius. Non moverentur autem nec attraherentur odores ad cerebrum, nisi ibi esset sensorium odoratus, mediante quo cerebrum confortatur. — *Deinde* ex eo quod homo, ut inquit Philosophus (2. *de Anima text.* 92; c. 9), habet pejorem olfactum multis aliis animalibus. Hujus enim ratio est, quia cum instrumentum sensus debeat esse proportionatum suo sensibili, sicut odor causatur ex calido et sicco, ita ad bonitatem instrumenti sensus seu organi exigitur victoria calidi et sicci. Homo autem habet cerebrum, in cujus vicino positum est instrumentum olfactus majus omnibus aliis animalibus, ut dictum est, *tum* ut liberius in eo perficerentur operationes interiores virium sensitivarum, quæ sunt necessariæ ad operationem intellectus; *tum* ut frigiditas cerebri temperaret calorem cordis, quem necesse est abundare in homine ad hoc quod homo sit rectæ staturæ. Et ideo cum cerebrum sit humidum et frigidum in se consideratum, impeditur in homine bonitas olfactus, qui requirit siccitatem; et propter hoc homo prave odorat, et nihil odorabilium odorat, nisi quod est secundum aliquam excellentiam inducens delectationem aut contrarium. — *Item* ex differentia in modo odorandi inter animantia respirantia et non respirantia, quæ ex diversa dispo tione organi, et non ex diversitate sens procedit; ideo enim animalia non resp rantia odorant non respirando, quia ganum odoratus in illis est sine opercul respirantia vero habent operculum, qu oportet aperiri ampliatis poris per res rationem; tale autem operculum non in naso, ut patet, sed versus cerebrum. *Præterea* ex natura organi olfactus; cu enim odor fundetur in sicco, sicut sap in humido, organum seu sensorium del esse potentia ad odorem, et consequent ad siccum; quod autem est potentia lidum et siccum, est frigidum et hum dum: ergo sensorium olfactus debet es frigidum et humidum, et consequen debet esse in loco frigido et humido, qu lis est locus circa cerebrum. — 3. *Anima* l. 3; lib. 2, l. 19, 20; *de Sensu Sensibili* l. 4, 5, 13 et 19; *Opusc.* 43, 3; 1a, q. 91, a. 3, ad 1; *Quæst. disp. Anima* a. 8, c.

Postremo ex differentia inter prim organum seu sensorium tactus et g stus, et primum organum seu sensori visus, auditus et odoratus. Illud enim cor, ut dicit Philosophus (2. *de Anima te* 107; c. 11; et *de Sensu et Sensibili* 2), hoc vero cerebrum. Et ratio utriusq inquit Philosophus ibidem, ex parte factus et visus hæc est, quia cerebru in cujus vicino sunt prima organa se sus visus et olfactus, est inter omn corporis partes humidius et frigidius, ita habet naturam aquæ, quæ est na raliter humida et frigida: et sic congr organo odoratus, quod debet esse calid in potentia, et organo visus, quod de esse aquæ. Ex parte auditus ratio e quia sicut *cor* est principium operat num vitæ — et ideo juxta illud est se sorium gustus et tactus, qui sunt sen maxime necessarii animalibus —; ita *cerebrum* est principium operation animalium; et ideo juxta illud ponun sensoria visus, auditus et odoratus. Li enim sensitivum principium primo in corde, ubi et fons caloris (nihil er

l sensitivum sine calore, ut dicitur *de Anima* (*text.* 130 ; l. 3, c. 1), a corde nen derivatur virtus sensitiva ad cere- um, et exinde procedit ad tria prima rana sensuum visus, auditus et odora- . Ideo vero sensorium gustus et tactus eruntur ad cor per medium conjunctum posita sunt justa illud (inquit Philo- hus ibidem), quia cor est oppositum ebro secundum situm et qualitatem. ut enim cerebrum est frigidissimum nium quæ in corpore sunt, ita cor est idissimum inter omnes corporis par- ; et proinde sibi invicem opponuntur undum situm, ut per frigiditatem cere- temperetur caliditas cordis. Propterea rtuit sensorium et primum organum tus, quod est terreum, esse principa- r in loco calidissimo corporis, atque o juxta cor, ut per illius caliditatem ebri frigiditas ad temperiem reduce- ur. Quin etiam ideo cerebrum fuit in remo corporis collocatum, ne opera- nes animales, quæ ibi perficiuntur per ncipia sensitiva juxta illud existentia, dictum est, per diversas corporis nsmutationes impedirentur (*Quodl.* 4, 3, ad 1). Cor vero positum est in me- , ut ex eo facile per totum corpus ope- ones vitæ, quæ ibi perficiuntur, per soria juxta illud existentia diffunde- tur.

nde manifestum est, quod sensorium ratus est justa cerebrum. Nihil au- assignari potest, quod existat juxta ebrum, quod possit esse aptum sen- ium odoratus, præter dictas carun- s mammillares. Nam cum sint spon- sæ, possunt facile recipere evapora- nes et exhalationes odoriferas, quibus fortatur cerebrum, ejus nimia frigi- s contemperatur, et contra super- m hanc frigiditatem, ex qua sæpe ntur rheumaticæ infirmitates, me- nte perceptione odorum delectabilium attractionem aeris ad locum cerebro ximum delatorum, et propter talem em, ut inquit Philosophus (*de Sensu et sibili* c. 5), a natura institutorum sa- nitas inducitur. Ergo dicendum est et sensorium odoratus esse juxta cerebrum ; nam cum ad ipsum ascendant, ut ex eorum perceptione utiles effectus in illo causentur, necesse est ascendant ad pro- prium sensorium, quod est principium elicitivum odorationis. Præterea dicen- dum est sensorium olfactus juxta cere- brum existens esse prædictas carunculas mammillares : — cum hæ ibi existant, ut asserunt medicorum principes, et ap- tissimæ sint ad recipiendas illas præ- sertim odorum species, quæ propter ce- rebri utilitatem sunt factæ, ut per se manifestum est, et nihil ibi existat, quod sit aptum ad munus sensorii odoratus exsequendum ; dicendum est illas esse tale sensorium. — 2. *de Anima* l. 22 ; 3. *de Anima* l. 1 ; *de Sensu et Sensibili* l. 5, 9 et 13 ; *Quodl.* 4, a. 3. — Et ex his patet *ad primum.*

Ad secundum dicendum, quod per pri- mum organum, quod respectu visus est oculus, respectu auditus aures, respectu odoratus nares, ut dictum est (in c.), sen- sus immediate et primo suscipit species sine materia ; sed elicit et perficit sensa- tionem, et discernit et judicat de odorum differentiis per sensorium odoratus, quod est circa cerebrum, ut dictum est (in c.). — Ad textum vero Philosophi dicendum, quod ibi tantum refert dictum quoddam Heracliti, ut patet ex contextu, qui sic habet : quamobrem dixerat Heraclitus, quod si omnes res fumus fierent, nares de odore dignoscerent. — 2. *de Anima* l. 24, et 3. *de Anima* l. 2 : *de Sensu et Sensibili* l. 12.

Ad tertium dicendum, quod nares at- trahunt aerem odoribus affectum, et pri- mo recipiunt species sine materia, ut di- ctum est (in c. et ad 2), et consequenter sunt primum et immediatum organum per comparationem ad sensibile ; non sunt autem sensorium nec principium elicitivum olfactus.

Ad quartum dicendum, quod quia sen- sorium debet esse animatum, ut dicit Philosophus (2. *de Anima text.* 82 ; c. 8),

cerebrum vero caret sensu, ut dicit Philosophus (2. *de Partibus Animal.* c. 10), carunculæ mammillares, quæ sunt sensorium odoratus, sunt animatæ, ac proinde diversæ naturæ a cerebro. — 2. *de Anima* l. 17.

QUÆSTIO LXXV

DE POTENTIA ODORATIVA.

Deinde considerandum est de potentia odorativa.

CIRCA QUAM QUÆRITUR:

Utrum odoratus hominis sit pejor odoratu aliorum animalium.

ARTICULUS

UTRUM SENSUS ODORATUS HOMINIS SIT PEJOR ODORATU ALIORUM ANIMALIUM.

Videtur quod odoratus hominis sit pejor odoratu aliorum animalium.

1. Dicit enim Philosophus (2. *de Anima text.* 92; c. 9; *de Sensu et Sensibili* c. 4), quod sensum odoratus pejorem habemus, et per ordinem ad cetera animalia, et per comparationem ad ceteros sensus, qui in nobis sunt. — 2. *de Anima* l. 19; *de Sensu et Sensibili* l. 9.

2. Præterea, instrumentum sensus debet esse proportionatum suo sensibili; sed odor causatur ex calido et sicco: ergo ad bonitatem instrumenti odoratus exigitur victoria calidi et sicci; sed sensorium odoratus in homine cum sit proximum cerebro, quod est frigidum et humidum, proxime ad hanc complexionem accedit; unde etiam dictum est, quod est complexionis aqueæ: ergo homo pejus odorat quam videat, et quam cetera animalia odorent, ob sensum minus perspicacem ad discernendum de s[illegible] objecto. — *Ibid.*

3. Præterea, dicit Philosophus (2. *Partibus Animal* c. 7), quod homo int[illegible] omnia animalia habet cerebrum maj[illegible] secundum quantitatem sui corporis; s[illegible] animal habens cerebrum majus secundum quantitatem sui corporis, necessa[illegible] deficit in sensu odoratus: ergo id[illegible] quod prius. — *Ibid.*

Sed contra est, quod Philosophus dic[illegible] quod odorabile delectans vel contr[illegible]stans est proprium hominis, quia sol[illegible] homo hujusmodi odores melius discerni[illegible] sed sensus eo melior est, quo melius di[illegible]cernit suum objectum: ergo odoratus [illegible] homine non est pejor odoratu alioru[illegible] animalium, sed melior. — *de Sensu* [illegible] *Sensibili* l. 13; 2. *de Anima* l. 19.

Respondeo dicendum, quod duplicit[illegible] potest comparari odoratus hominis [illegible] odores: *uno modo* ad odores delectabil[illegible] vel contristabiles *secundum se*, atq[illegible] adeo ad species odorum secundum se sp[illegible]ctatas, et non per comparationem ad a[illegible]mentum, quæ proinde non nisi secundu[illegible] odorabilia distinguuntur; — et hoc m[illegible]do sensus odoratus in homine melior [illegible] quam in aliis animalibus, quia huju[illegible]modi odorabilia sunt propria homini[illegible] nam solus homo illa discernit et in il[illegible] delectatur vel contristatur. *Alio modo* [illegible] odores delectabiles vel contristabiles [illegible] *accidens*, id est per comparationem [illegible] escam et quatenus conjuncti sunt c[illegible] saporibus vel illis coordinantur in alim[illegible]to, seu ad odorum species secundum c[illegible]venientiam ad species saporum, quæ p[illegible]pterea distinguntur secundum spec[illegible] saporum; — et hoc modo homo habet p[illegible]jorem odoratum aliis animalibus, q[illegible] hæc in hujusmodi odoribus discernen[illegible] habent acutiorem sensum quam homin[illegible] — 2. *de Anima* l. 19 et 21; *de Sensu* [illegible] *Sensibili* l. 13. — Et ex his patet *ad o*[illegible]*gumenta* utriusque partis.

QUÆSTIO LXXVI

DE OBJECTO POTENTIÆ GUSTATIVÆ.

nde considerandum est de potentia gustativa. Circa quam quatuor consideanda sunt : objectum, sensatio, organum et potentia.

RCA PRIMUM QUÆRUNTUR TRIA :

trum recte definiatur a Philosopho sapor.
uot sint species saporum.
trum extremi sapores sint dulcis et amaris.

ARTICULUS I

TRUM RECTE DEFINIATUR A PHILOSOPHO SAPOR.

Videtur quod non recte definiatur a ilosopho (*de Sensu et Sensibili* c. 4) *por*, quod sit *passio facta in humido ueo a sicco terrestri gustus alterativa undum potentiam in actum.*

1. Dicit enim Philosophus (ibid.), quod por aut est passio aut privatio ; sed hæc valde differunt, ut patet : ergo male initur sapor absolute et simpliciter, od sit passio. — *de Sensu et Sensibili* 10.

2. Præterea, dicit Philosophus (*de nsu et Sensibili* c. 4), quod sapores quique apparent in fructibus, hi existunt m in terra ; sed terra non est humida l sicca : ergo male definitur sapor, od sit passio facta in humido aqueo. *Ibid.*

3. Præterea, sapor non solum est in abili, quod habet actu humiditatem ream, ut vinum vel aliquod hujusdi, sed etiam in eo, quod sumitur per dum cibi ; sed in hoc non est actu hulitas aquea : ergo sapor non est pasfacta in humido aqueo. — 2. *de Ani*- l. 21.

4. Præterea, dicit Philosophus (2. *de ima text.* 102 ; c. 10), quod gustus non sentit suum objectum per medium extraneum ; sed si sapor est passio facta in humido aqueo, gustus sentiet suum objectum per aquam, quod est medium extraneum : ergo idem quod prius. — *Ibid.*

5. Præterea, quidquid patitur, patitur a suo contrario ; sed humidum est contrarium sicco : ergo cum tam ignis quam terra sint sicca, humidum etiam patietur a sicco igneo, et non tantum a sicco terrestri, et sic male definietur sapor, quod sit passio facta a sicco terrestri. — *de Sensu et Sensibili* l. 10.

Sed contra est auctoritas Philosophi (*de Sensu et Sensibili* c. 4) definientis saporem modo prædicto. — *de Sensu et Sensibili* l. 10 ; 2. *de Anima* l. 21.

Respondeo dicendum, quod recte definitur *sapor*, quod sit *passio facta in humido aqueo a sicco terrestri gustus alterativa secundum potentiam in actum.* Hac enim definitione recte explicatur natura saporis, ut patet discurrenti per singulas ejus partes. *Dicitur* enim *primo* « passio », quia sapor est in tertia specie qualitatis, quæ est passio et passibilis qualitas : de cujus ratione est, ut dicit Philosophus (*de Sensu et Sensibili* c. 6), quod possit movere sensum, sicut de ratione coloris est, quod movere possit visum. Et ideo *de Sensu et Sensibili* (c. 4) dicit Philosophus, quod sapor et odor sunt fere eadem passio, quia ambæ sunt, ut dictum est (supra q. 72, a. 2, ad 2), in tertia specie qualitatis ; et in hoc convenit tamquam in genere sapor cum odore et ceteris qualitatibus secundis. Quamquam et dici potest odor passio, quia sicut in generatione odoris datur aliquid passivum et aliquid activum, ita in generatione saporis datur aliquid passivum et aliquid activum ; et eodem modo per hanc primam particulam designatur genus, in quo convenit odor cum sapore, sicuti per reliquas designatur differentia saporis ab odore et reliquis qualitatibus secundis.

Dicitur ergo *secundo* « facta in humido aqueo », ut designetur proprium susce-

pitivum odoris. Hoc enim est *humidum aqueum*; — *humidum* quidem, quia ubi non est humor, ibi non potest esse sapor. Et ideo terra pura saporem non habet, quia non habet humorem; quæ tamen ad modicam permixtionem humidi cum aliqua alteratione calidi acquirit aliquem saporem. Et ratio est, quia sicut color fit actu visibilis per lumen; ita sapor fit actu gustabilis per humidum. Et propter hoc dicit Philosophus (2. *de Anima text.* 102; c. 10): oportet quod gustabile vel actu habeat humiditatem aqueam, sicut vinum vel quid hujusmodi, aut sit potentia humectabile, sicut quod sumitur per modum cibi; et ideo oportet ut sit saliva in ore, quæ est bene liquida et liquefactiva linguæ, per quam ea quæ sumuntur humectantur, ut eorum sapor percipi possit. — Dicitur humidum *aqueum*, quia sicut odor consistit in sicco aereo aliqualiter contemperato, ita sapor consistit in humido aqueo aliqualiter digesto, ut dictum est (supra q. 72, a. 1, c). — *de Sensu et Sensibili* l. 10, 9, 15, 12 et 21; 2. *de Anima* l. 21.

Dicitur tertio « a sicco », quia nec humidum sine sicco, neque siccum sine humido pertinet ad sapores. Quod probatur, quia sapor est passio nutrimenti; nutrimentum autem non est solum humidum vel solum siccum, sed commixtum ex his; — ex eisdem enim nutrimur, ex quibus sumus. — *Dicitur quarto* « a sicco terrestri », quia licet possit pati humidum a sicco igneo, maxime tamen natum est pati a sicco terrestri, quia siccitas proprie et per se competit terræ quasi propter longissimam distantiam a fonte caloris, non resoluta terra in humiditatem, sed in ultima grossitie permanente. — *Dicitur quinto* « gustus alterativa secundum potentiam in actum », ut distinguatur sapor ab odore et quibusdam aliis passionibus, quæ causantur ab humido et sicco per actionem calidi, quæ tamen non sunt immutativa gustus, sed aliorum sensum. Et per illas particulas « secundum potentiam in actum » ostenditur modus, quo sapor immut gustum, quem Philosophus post tradita saporis definitionem sit explicat: Qu sapor, inquit, sicut et quodlibet sens bile reducit in actum sensitivum, qu prius erat in potentia ad sensibile, qu sentire, quod sequitur actionem sensibil in sensum, non fit secundum addiscer sed secundum speculari, id est, non h bet similitudinem cum eo quod est add scere, quia in eo qui addiscit, generat habitus scientiæ de novo, sed in eo q sentit, sensus fit actu operans, sicut c tingit in eo qui speculatur actu. Ut eni docet Philosophus (*de Sensu et Sensibili* 2) contra Democritum, sicut visio non sola receptio speciei, sed est operatio p tentiæ visivæ existentis in oculo: ita se satio cujuslibet sensus non est recept speciei a sensibili, sed est operatio p tentiæ sensitivæ consequens receptione speciei causatam a sensibili in orga sensus. Unde manifestum est recte fuis a Philosopho traditam saporis definiti nem. — 2. *de Anima* l. 20 et 21; *Sensu et Sensibili* l. 10 et 14.

Ad primum ergo dicendum, quod s por dicitur a Philosopho passio vel p vatio, quia sapor dividitur in dulcem amarum, quorum dulcis quia habet r tionem perfecti saporis, et amarus i perfecti, ille dicitur positiva passio, l vero privatio, comparatus nimirum dulcem, sicut et nigrum ratione imp fectionis suæ comparatum ad album, q est color perfectus, dicitur privatio; se per enim alterum contrariorum est privatio, ut patet 10. *Metaphys.* (*text.* 1 l. 9, c. 4). — *de Sensu et Sensibili* l. 1 2. *de Anima* l. 21.

Ad secundum patet ex dictis (in c.), similiter *ad tertium* et *quintum*.

Ad quartum dicendum, quod licet sap sit passio facta in humido aqueo, non t men inde sequitur, quod gustus senti suum objectum per medium externu licet etiam concedamus, quod si essem in aqua, sentiremus corpus dulce app situm in aqua distans a nobis, et non p

ıam tamquam per medium; nam sen-
mus illud ex eo, quod sapor ille per-
scetur aqueo humido, ut accidit in potu,
a cum permiscetur aquæ, vel vino
l vel aliquid hujusmodi : ipsa enim aqua
mutatur naturali immutatione a corpo-
saporoso. Unde gustus non percipit
orem corporis distantis, ut est talis
poris sapor, nisi secundum quod aqua
immutata a tali corpore. Cujus signum
quod gustus non immutatur ab aqua
intense, sicut natus est immutari a
oro corporis distantis, eo quod sapor
debilitatur per admixtionem aquæ. —
de Anima l. 21.

ARTICULUS II

QUOT SINT SPECIES SAPORUM.

. Videtur quod species saporum sint
em : quia tot sunt species saporum,
t colorum, ut dicit Philosophus (*de*
su et Sensibili c. 4 ; 2. *de Anima text.*
; c. 10) ; sed species colorum sunt
tem : albus (ad quem reducitur color
us) et niger tamquam extremi colo-
, in quorum medio sunt hi quinque colo-
: lividus, puniceus seu rubeus, alurgon
citrinus, viridis et color cœlestis :
o similiter sapores erunt septem :
cis (ad quem reducitur pinguis) et
ırus tamquam extremi, medii vero
t : salsus, ponticus sive mordicativus,
terus seu acetosus, stipticus et acu-
. — *de Sensu et Sensibili* l. 11 ; 2. *de*
ima l. 21.

. Videtur quod sint *octo*. Philosophus
m (2. *de Anima text.* 105 ; c. 10) nu-
rat octo species ; nam salsum distin-
t ab amaro ; ergo. — 2. *de Anima*
1.

. Videtur quod sint *plures* quam octo.
it enim Philosophus (*de Sensu et Sen-*
li c. 4), quod sapores medii sunt plu-
ıi ; ergo.

Sed contra est, quod Philosophus (*de*
ısu et Sensibili c. 4) numerat tantum
tem. — *de Sensu et Sensibili* l. 11.

Respondeo dicendum, quod species sapo-
rum distinguuntur secundum numerum
per similitudinem ad colores. Sicut enim
colores medii generantur ex commixtione
albi et nigri, vel ipsorum secundum se,
vel ex commixtione causarum albi et ni-
gri ; ita medii sapores generantur ex
mixtione dulcis et amari, vel ipsorum
secundum se, vel ex mixtione causarum
dulcis et amari. Et sicut medii colores
diversificantur, quatenus unusquisque
eorum magis vel minus accedit ad albe-
dinem vel nigredinem ; ita medii sapores
diversificantur secundum proportionem,
quatenus scilicet unusquisque eorum ma-
gis vel minus accedit ad dulcedinem
vel amaritudinem. Quod quidem contingit
dupliciter, sicut et in coloribus : *uno*
modo secundum numeralem proportionem
observatam in prædicta commixtione et
transmutatione humidi a calido ; et hi qui
sic commixti sunt, soli delectant gustum ;
alio modo secundum indeterminatam su-
perabundantiam absque proportione natu-
rali. Sicut ergo coloris species sunt se-
ptem : albus (a quo non distinguitur flavus)
et niger tamquam extremi, et nigrum im-
mediate sequitur lividus ; inter hos autem
tres medii colores sunt : puniceus seu ru-
beus, alurgon seu citrinus, viridis et cia-
neus (1) seu color cœlestis — ita tamen,
quod viridis et cianeus magis appropin-
quant ad nigrum, puniceus autem et citri-
nus magis appropinquant ad album — ;
ita septem sunt species saporum : dulcis
(a quo non distinguitur pinguis) et amarus
tamquam extremi, amarum sequitur im-
mediate salsus, inter hos autem tres sunt
quatuor medii : ponticus, austerus, sti-
pticus et acutus. Sunt autem aliæ species
plurimæ colorum et saporum ex commix-
tione prædictarum specierum ad invicem ;
sed prædictæ sunt magis præcipuæ. —
de Sensu et Sensibili l. 11. — Et ex his
patet *ad objecta*.

1. Al. « ciarius ».

ARTICULUS III

UTRUM EXTREMI SAPORES SINT DULCIS ET AMARUS.

Videtur quod extremi sapores non sint dulcis et amarus :

1. quia distinctio saporum sumi debet per ordinem ad calidum digerens humidum, unde oritur sapor ; sed per ordinem ad calidum dulcis est color medius, extremi vero sunt ponticus et acerbus : ergo extremi sapores non sunt dulcis et amarus. — *de Sensu et Sensibili* l. 11 ; 2. *de Anima* l. 21.

2. Præterea, sapor dulcis est delectabilis, sicut amarus non delectabilis; sed extrema sunt molesta : ergo extremi sapores non sunt dulcis et amarus.

Sed contra est, quod Philosophus (2. *de Anima text.* 105 ; c. 10; *de Sensu et Sensibili* c. 4) dicit, quod extremi sapores sunt dulcis et amarus. — *de Sensu et Sensibili* l. 11 ; 2. *de Anima* l. 21.

Respondeo dicendum, quod quia sapor propinquius sequitur humorem quam calorem, non oportet considerare medium et extrema secundum calidum, sed secundum humidum aliqualiter passum a sicco et calido, quia in hoc consistit principaliter natura saporis; alioqui si medium et extrema acciperentur in saporibus secundum calidum, non essent dulce et amarum extrema, sed dulce esset medium; nam calidum intensum et consumens frigidum, aut digerens calidum, aut omnino deficiens in digerendo, propter victoriam frigidi, causat ponticum vel acetosum saporem ; calor autem moderatus sufficiens ad digerendum causat dulcedinem. — *de Sensu et Sensibili* l. 11.

Ad primum ergo dicendum, quod quamvis sapores causentur a calido et frigido, et humido et sicco, et contraria sint, quæ maxime distant; non tamen secundum maximam distantiam calidi et frigidi, et humidi et sicci attenditur contrarietas in speciebus saporum, sed secundum ordinem ad gustum, prout natus est immutari a sapore vel cum horrore vel cum suavitate. Unde non est necessarium quod dulce vel amarum sit maxime v calidum vel frigidum, vel humidum v siccum, sed maxime se habeat in tali di positione, per quam comparatur ad se sum gustus. — 2. *de Anima* l. 21.

Ad secundum dicendum, quod extre sapores fugiendi sunt, si extremitas ill rum sumatur per ordinem ad qualita activas et passivas ; secus vero, si sun tur per ordinem ad gustum, ut dict est (ad 1).

QUÆSTIO LXXVII

DE GUSTATIONE.

Deinde considerandum est de gust tione.

CIRCA QUAM QUÆRITUR:

Utrum ad gustationem requiratur medi extraneum.

ARTICULUS

UTRUM AD GUSTATIONEM REQUIRATUR MEDIUM EXTRANEUM.

Videtur quod ad gustationem requi tur medium extraneum.

1. Dicit enim Philosophus (2. *de Ani text.* 101 ; c. 10), quod si aliquod corp saporosum dissolubile per aquam, in q ponatur, ut mel et aliquid hujusmodi, nos essemus in aqua, quamvis dista tes ab illo corpore saporoso, saporem t men ejus sentiremus in aqua, et sic g stus suscipiet suum objectum per aqua quod est medium extraneum. — 2. *de A ma* l. 21.

2. Præterea, gustus est quidam tactus, dicit Philosophus (2. *de Anima text.* 1; c. 10); sed inter duo, quæ se tan-ıt, semper est medius aer vel aqua, dicit Philosophus (2. *de Anima text.* et 115; c. 11): ergo sensatio gustus per medium externum. — 2. *de Ani-* l. 21 et 23.

3. Præterea, dicit Philosophus (2. *de ima text.* 114; c. 11), quod omnia sen-ilia sentimus per medium extraneum; in gustabilibus et tangibilibus latet: o. — 2. *de Anima* l. 23.

Sed contra est, quod Philosophus (2. *de ima text.* 101; c. 10) dicit, quod gustus sentit suum objectum per medium raneum, quod nimirum non est pars malis, sed per conjunctum. — 2. *de ima* l. 21.

Respondeo dicendum, quod gustus non tit saporem per medium extraneum, per internum, quod est caro linguæ. probatur a Philosopho (2. *de Anima* . 101 et 115; c. 10 et 11) — *primo*, vera differentia, quæ est inter tangi-a atque adeo gustabilia, et visibilia ac ativa, quod hæc sentimus per hoc d movent medium, et iterum medium vet nos; illa vero sentimus per me-m extraneum, non quasi moti a medio raneo, sed simul cum medio movemur ensibili: sicut percussus per clypeum percutitur a clypeo, sed simul utrum-percutitur ab alio. Quod est dicere, d in aliis sensibus immutatio medii causa, quod immutetur sensus, non em in tactu et gustu: nam in aliis sen-is medium est ex necessitate, in tactu em et gustu quasi per accidens, in ntum accidit corpora se tangentia esse ectata. — *Secundo*, quia gustabile est ddam tangibile; sapor enim, qui est tabile, radicatur in humido sicut in pria materia, humidum autem est ddam tangibile, tangibile autem non itur per medium extraneum, sed per lium conjunctum; nam caro est me-n in sensu tactus, et lingua in sensu tus, ut dicit Philosophus (2. *de Anima text.* 116; c. 11); nam hæc ita se habent ad tactum et gustum, sicut aer et aqua se habent ad sensum visus, auditus et olfactus. Unde manifestum est quod sensatio gustus non fit per medium externum, sed per conjunctum. — *de Sensu et Sensibili* l. 5; 2. *de Anima* l. 21, 22, 23.

Ad primum ergo dicendum cum Philosopho (ibidem), quod quia gustabile non percipitur per medium extraneum, sequitur, quod si essemus in aqua, sentiremus utique corpus dulce appositum in aqua, distans a nobis, non tamen esset nobis sensus per medium, sed ex eo quod sapor ille permiscetur aqueo humido, ut accidit in potu, puta cum permiscetur aquæ vel vino mel vel aliquid hujusmodi: ipsa enim aqua immutatur naturali immutatione a corpore saporoso. Unde gustus non percipit saporem corporis distantis, ut est talis corporis sapor, nisi secundum quod aqua est immutata tali corpore; cujus signum est, quod gustus non immutatur ab aqua sic intense, sicut natus est immutari a sapore corporis distantis, eo quod sapor ille debilitatur per admixtionem aquæ. — 2. *de Anima* l. 21.

Ad secundum dicendum, quod in gustu et tactu est medium extraneum quasi per accidens, quatenus accidit corpora se tangentia esse humectata, ut dictum est (in c.).

Ad tertium dicendum cum Philosopho 2. *de Anima* (*text.* 114; c. 11) dictum illud, quod est antiquorum, esse falsum. Unde ibidem (*text.* 115; c. 11) veram differentiam assignat inter sensum tactus et gustus et alios sensus, ut dictum est (in c.). — 2. *de Anima* l. 21 et 23.

THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
ST. MICHAEL'S COLLEGE
LIBRARY

QUÆSTIO LXXVIII

DE ORGANO POTENTIÆ GUSTATIVÆ.

Deinde considerandum est de organo potentiæ gustativæ, circa quod quæritur, quod sit organum illius.

ARTICULUS

QUOD SIT ORGANUM POTENTIÆ GUSTATIVÆ.

Videtur quod organum gustativæ potentiæ sit lingua.

Dicit enim Philosophus (1. *de Hist. Animal.* c. 11 ; 2. *de Partibus Animal.* c. 10 ; 2. *de Anima text.* 104 ; c. 10), quod lingua est instrumentum et organum gustus ; ergo. — 2. *de Anima* l. 21 ; 1. *Metaphys.* l. 1 post princip.

2. Præterea, illud est organum gustus, quod neque est humidum actu, neque saporosum secundum se, est tamen tale, quod jam passum a gustabili est humectatum, quodque sentit saporem, ut dicit Philosophus (2. *de Anima text.* 104 ; c. 10) ; sed hæc conveniunt linguæ, ut dicit Philosophus (ibidem) : ergo lingua est organum gustus. — 2. *de Anima* l. 21.

3. Præterea, organum gustus est, quod immutatur a sapore materiali immutatione mediante saliva ; sed hoc modo immutatur lingua, ut dicit Philosophus (2. *de Anima text.* 102 et 104 ; c. 10) ; cujus signum (inquit Philosophus) est, quod neque existens sicca neque multum humida potest sentire. — *Ibid.*

Sed contra est, quod Philosophus (*de Sensu et Sensibili* c. 2 et *de Juvent. et Senect.* c. 2, al. 3) dicit, quod sensoria gustus et tactus sunt circa cor. — *de Sensu et Sensibili* l. 5 ; *de Juvent. et Senect.* l. 3.

Respondeo dicendum, quod instrumentum et medium gustus atque adeo primum organum est lingua ratione ner diffusi super corpus linguæ, ut probat argumenta primo loco allata ; sens rium autem et organum ultimum non e lingua, ut probat Philosophus (2. *de An ma text.* 116 ; c. 11), quia ita se habet li gua ad sensorium gustus, sicut aer aqua ad organum et sensorium visu auditus et olfactus ; sed in nullo istoru sensuum potest fieri sensatio, si tangat organum et sensorium, ut si quis pon aliquod corpus album in superficie ocu non videtur : unde manifestum est, qu organum sensitivum in sensu gustus intus. Sic enim accidit in hoc sensu, sic in aliis ; non enim sentiunt animalia se sibilia posita super organum sensus ; se tiunt autem sensibilia posita super li guam. Quare manifestum est, quod ling non est sensorium, sed medium gust

Est autem sensorium gustus juxta c Quod probatur, *primo*, quia cor est pri cipium operationum vitæ ; et ideo ju illud debet esse sensorium gustus, qui sensus maxime necessarius animali ; si quia cerebrum est principium operat num animalium, juxta illud ponun sensoria visus, auditus et odoratus. *Secundo*, quia sensus gustus est quid tactus ; tactus autem necessario del tendere ad cor, et habere suum sen rium juxta illud vel in illo : ut manife patet, quia sensus tactus est ma materialis quam aliquis aliorum s suum, et magis materialiter alterat alteratur enim a qualitatibus sensibilib quæ materialiter alterant ; et ideo opo quod sit talis substantiæ vel disposit nis, per quam possit magis sustin talem alterationem ; potest autem, si f rit substantiæ solidæ ; soliditas autem terræ : quare oportet sensum tactus e a terræ dominio ; et ideo oportet ips esse in tali parte, quæ sit magis ter stris. Inter partes autem sensitivas est cor, et ideo sensus tactus tendit ipsum cor ; et quia sénsus tactus indi majori caliditate in actione sua quam quis aliorum, in corde autem est ma

ı caliditas, ideo sensus tactus dicitur ɜe in corde; et consequenter et sensus stus, qui tactus quidam est, debet im-diate in cor tendere. Secus vero alii ısus, qui quia indigent caliditate magis nissa, quia eorum actiones sunt magis portionatæ, immediate tendunt ad ım partem, per quam caliditas refri-ari potest; hoc autem est cerebrum : ideo immediate tendunt illi tres sen-ad cerebrum. — 2. *de Anima* l. 4 et ; *Opusc.* 43, c. 3; *Quodl.* 4, a. 3, ad 1; *Juvent. et Senect.* l. 3; *de Sensu et sibili* l. 5.

Et ex his patet *ad argumenta.*

QUÆSTIO LXXIX

DE POTENTIA GUSTATIVA.

Deinde considerandum est de potentia gustativa.

CIRCA QUAM QUÆRITUR :

Utrum hæc potentia necessario insit omnibus animalibus.

ARTICULUS

UTRUM POTENTIA GUSTATIVA NECESSARIO INSIT OMNIBUS ANIMALIBUS.

Videtur quod potentia gustativa non essario insit omnibus animalibus.

. Dicit enim Philosophus (*de Somno et ilia* c. 2), quod solus tactus inest om-us animantibus, et quod quædam ani-ia imperfecta carent gustu et tactum ım habent. — *de Somno et Vigilia* l. 3.

. Præterea, Philosophus (2. *de Anima* . 17; c. 2) dicit, quod sicut vegetativum est separari a tactu et ab omni sensu, tactus potest separari ab omnibus sibus, ita ut sint animalia quædam solum habent tactum : ergo gustus non necessario inest omnibus animalibus. — 2. *de Anima* l. 3.

3. Præterea, 3. *de Anima (text.* 68; c. 13) dicit Philosophus, quod gustus est sensus non necessarius animalibus : ergo idem quod prius. — 3. *de Anima* l. 18.

Sed contra est, quod Philosophus (3. *de Anima text.* 64; c. 12) dicit, quod gustus est necessarius animali sicut tactus; hic autem est necessarius omnibus animantibus : ergo et gustus. — 3. *de Anima* l. 17.

Respondeo dicendum, quod animalia sunt in duplici differentia. Nam *quædam* sunt valde imperfecta, quæ sunt terræ affixa more plantarum, ut spongia maris et pars decisa animalis anulosi; et hæc habent solum sensum tactus, et consequenter his non est necessarius sensus gustus; et ratio est, quia hæc nutriuntur ad modum plantarum. — *Quædam* vero sunt perfecta, quæ moventur motu progressivo, quæ habent etiam alios sensus, et per consequens et gustum. Verum gustus respectu horum dupliciter potest considerari: — *uno modo*, ut est actus quidam alimenti, quod scilicet discernitur alimentum, utrum sit conveniens vel non; et hoc modo est necessarius animantibus perfectis; — *alio modo*, quatenus est discretivus saporum, qui faciunt alimentum delectabile vel triste, ut facilius accipiatur vel refutetur; et hoc modo gustus non est sensus necessarius. — 2. *de Anima* l. 3; 3. *de Anima* l. 17 et 18; *de Somno et Vigilia* l. 3.

Et ex his patet *ad objecta.*

QUÆSTIO LXXX

DE SENSATIONE TACTUS.

Deinde considerandum est de potentia tactiva. Circa quam consideranda sunt tria : sensatio, organum et potentia; nam objectum patebit ex consideratione trium prædictorum.

CIRCA PRIMUM QUÆRITUR :

Utrum ad sensationem requiratur medium externum.

ARTICULUS

UTRUM AD SENSATIONEM TACTUS REQUIRATUR MEDIUM EXTERNUM.

Videtur quod ad sensationem tactus non requiratur medium externum, puta aer vel aqua.

1. Oportet enim illud, quod est medium in aliquo sensu, esse denudatum a qualitatibus sensibilibus secundum illum sensum : sicut diaphanum, quod est medium respectu visus, nullum habet colorem; manifestum est autem, quod aer et aqua habent tangibiles qualitates : non igitur mediantibus illis potest fieri tactus. — 2. *de Anima* l. 23.

2. Præterea, dicit Philosophus (2. *de Anima text.* 114; c. 11), quod in hoc differunt gustus et tactus a reliquis sensibus, quod illi sentiunt ex eo, quod immediate tangunt, alii autem sensus sentiunt a longe sua sensibilia, non tangendo ipsa; ergo. — *Ibid.*

3. Præterea, si inter tangens et tactum esset aliquod medium, sequeretur quod in tangibilibus esset procedere in infinitum, quia cum illud medium tangeret tactum, inter utrumque necessario requireretur aliud medium; sed natura abhorret infinitum : ergo falsum est, quod ad tactum requiratur medium. — *Ibid.*

Sed contra est, quod Philosophus (2. *de Anima text.* 113, 114 et 115; c. 11) docet, quod inter duo corpora se tangentia semper mediat aer vel aqua. — *Ibid.*

Respondeo dicendum, quod sensus tactus non sentit suum objectum per medium extrinsecum tamquam immutatus ab illo, sed tantum per medium internum. Ad cujus evidentiam sciendum est, quod necesse quidem est inter tangens et tactum esse medium aerem vel aquam, quia ubicunque est medium humidum vel humectatum, oportet esse aliquod corpus — humiditas enim cum sit qualitas quædam non est nisi in subjecto corpore. *Aut* igitur inest alteri corpori secundum se ipsum; et tunc est humidum, sicut aqua — *aut* habet humiditatem secundum aliquod corpus sibi adveniens; et si dicitur humectatum ex hoc, quod habet aquam in superficie tantum vel in superficie et profundo. Manifestum est autem quod corpora quæ se tangunt, vel sunt in aere vel in aqua : necesse ergo est quod habeant aquam vel aerem medium; consequenter impossibile est quod aliquod corpus tangat aliud in aere vel aqua immediate. Unde relinquitur, quod semper quando tangimus aliquid, est medium inter nos et res contactas aer vel aqua.

Verum hoc differunt ceteri sensus, puta visus et auditus et olfactus, a tactu, quia illi moventur a medio, et medium movetur a sensibili; tactus vero simul cum medio a sensibili, non aliter atque percussus per clypeum ab aliquo, non percutitur immediate a clypeo, sed simul cum clypeo a percutiente. Unde in aliis sensibus immutatio medii est causa, quod immutetur sensus, non autem in tactu, et ratio hujus differentiæ est, quia in aliis sensibus medium est ex necessitate, in tactu autem quasi per accidens, in quantum accidit corpora se tangentia esse humectata.

Ceterum licet per se tactus non sentit per medium extrinsecum, sentit tamen per medium intrinsecum et connaturale, quod est caro. Quod patet, quia ita se habet, inquit Philosophus (2. *de Anima text.* 116; c. 11), caro et lingua ad organum sensus tactus, sicut se habent aer et aqua ad organum visus, auditus et olfactus; in nullo enim istorum sensuum potest fieri sensus, si tangatur organum, ut si quis ponat corpus album in superficie oculi, non videtur. Unde manifestum est, quod organum sensitivum in se tactus est intus. Sic enim accidit in hoc sensu, sicut et in aliis : non enim sentit

ıimalia sensibilia posita super organum ensus; sentiunt autem sensibilia posita ıper carnem. Quare manifestum est, ıod caro non est organum, sed medium; per consequens, quod tactus sentit per edium internum, non autem per exterum. — *de Sensu et Sensibili* l. 16; 2. *de ıima* l. 23.

Ad primum ergo dicendum, quod quia r et aqua sunt facile mutabilia ab extrais qualitatibus, et præcipue quando nt modicæ quantitatis, sicut accidit in ua vel aere, quæ sunt inter alia duo rpora se tangentia; propter hoc non ıpeditur sensus tactus, quin per meım aerem et aquam fieri possit; et miıs etiam impedit aer quam aqua, quia r habet qualitates tangibiles parum senıiles. Unde si intendantur qualitates ngibiles aeris vel aquæ, magis impedir tactus, utpote cum aer vel aqua intenm frigiditatem vel caliditatem habuerint. 2. *de Anima* l. 23.

Ad secundum dicendum, quod falsa est a differentia inter sensum tactus et reıuos sensus, sed vera est quæ dicta est ı c.).

Ad tertium dicendum, quod non sequir ullus processus in infinitum, quia aer aqua sunt medium et objectum simul, m simul cum re tacta tangantur, ut ctum est (in c.).

QUÆSTIO LXXXI

DE ORGANO TACTUS.

Deinde considerandum est de organo tactus.

CIRCA QUOD QUÆRITUR:

ıum caro sit organum tactus an aliquid juxta cor.

ARTICULUS

UTRUM CARO SIT ORGANUM TACTUS AN ALIQUID JUXTA COR.

Videtur quod organum tactus sit caro, non autem aliquid juxta cor vel in corde.

1. Dicit enim Philosophus (1. de *Hist. Animal.* c. 4 et 2. *de Partibus Animal.* c. 5 et 8), quod caro est organum tactus, idemque colligitur ex 2. *de Anima* (*text.* 94 et 116; c. 9 et 11). — 2. *de Anima* l. 19 et 23.

2. Præterea, dicit Philosophus (2. *de Anima text.* 118, 119 et 124; c. 11 et 12; 3. *de Anima text.* 68; c. 13), quod sensorium tactus debet esse temperatissimum, ut excessum qualitatum possit percipere; sed hujusmodi est caro, ut colligitur ex Philosopho 2. *de Anima* (*text.* 94; c. 9), ubi dicit ex instrumento tactus colligi, quod aliqui sint ingeniosi, et aliqui non, et ideo quod molles carne sunt ingeniosi, illi vero qui habent duram carnem et consequenter malum tactum, inepti secundum mentem: ergo caro est organum. — 2. *de Anima* l. 23, 24 et 19; *de Sensu et Sensibili* l. 9.

3. Præterea, organum tactus est dispersum per totum corpus; est enim fundamentum omnium sensuum exteriorum; unde quodlibet instrumentum cujuscunque sensus est etiam instrumentum tactus; et illud, ex quo aliquid dicitur esse sensitivum, est sensus tactus; sed cor habet particularem locum in medio animalis, ut patet: ergo sensorium tactus non est circa cor vel in corde. — *de Juvent. et Senect.* l. 3; 2. *de Anima* l. 19; *de Sensu et Sensibili* l. 5.

4. Præterea, dicit Philosophus (2. *de Anima text.* 109; c. 11), quod statim ad tactum carnis sentimus tangibile; sed illud est organum, ad cujus tactum sentimus tangibile: ergo caro est sensorium tactus. — 2. *de Anima* l. 22.

Sed contra est: 1. quod Philosophus (2. *de Anima text.* 116; c. 11; 2. *de Partibus Animal.* c. 10) dicit, quod caro non est organum tactus, sed medium, et quod organum tactus est aliquid intus. — 2. *de Anima* l. 23.

2. Præterea, dicit Philosophus (*de Sensu et Sensibili* c. 2; *de Juvent. et Senect.* c. 2, al. 3; *de Somno et Vigilia* c. 2), quod sensorium tactus est et circa cor. — *de*

Sensu et Sensibili l. 5; *de Juvent. et Senect.* l. 3; *de Somno et Vigilia* l. 3.

Respondeo dicendum, quod sensorium et organum ultimum seu primum intrinsecum tactus non est caro. Quod probatur *primo* a Philosopho (2. *de Anima text.* 116; c. 11), quia nullum sensibile positum supra sensorium facit sensationem; sed sensibile positum supra carnem facit sensationem: ergo caro non est sensorium tactus. *Secundo*, quia ita se habet caro ad organum tactus, inquit idem Philosophus (2. *de Anima text.* cit. et *text.* 110; c. 11), sicut se habent aer et aqua ad organa visus et auditus; sed aer et aqua respectu horum sensuum se habent tantum ut medium, licet extrinsecum: ergo et caro erit medium quamvis intrinsecum. *Tertio*, præter carnem multa etiam sentiunt, ut nervi, qui sunt maxime sensitivi, similiter cartilagines et membranæ; sed hæc non sunt sensorium tactus: ergo neque caro. *Quarto*, ad eundem locum debet tendere sensus tactus, in quo est primum sensitivum et primum principium nutritivum, ut dicit Philosophus (*de Juvent. et Senect.* c. 2, al. 3); sed hæc, ut ibi dicitur, sunt in corde: ergo et in corde debet esse sensorium tactus. — 2. *de Anima* l. 22 et 23; *de Juvent. et Senect.* l. 3.

Non ergo caro est sensorium tactus. Erit autem vel caro cordis, vel aliquid juxta cor vel in corde. Quod (præter dicta) manifestum est, quia, cum sit cor oppositum cerebro secundum situm et qualitatem — nam cerebrum est frigidissimum omnium quæ sunt in corpore, cor autem est calidissimum inter omnes corporis partes; propter quod et invicem opponuntur secundum situm, ut per frigiditatem cerebri temperetur caliditas cordis; unde est, quod illi, qui habent parvum caput secundum proportionem ceterorum membrorum, impetuosi sunt tamquam calore cordis non sufficienter reflexo per cerebrum; et e converso illi, qui excedunt immoderate in magnitudine capitis, sunt nimis humorosi et pingues ratione magnitudinis cerebri calorem cordis impedientis —; propterea oport quod organum tactus, quod terreum est, principaliter in loco calidissimo corpori ut per caliditatem cordis ad temperie terræ frigiditas reducatur. — Quod etia potest manifestari per hoc signum, qu læsio si accidat in locis circa cor, e maxime dolorosa.

Dicendum ergo est, quod sensoriu tactus, seu organum ultimum, vel pr mum intrinsecum est cor; secundum ve intrinsecum est nervus interior et cer brum, quod licet sit de se insensibile, e tamen principium sentiendi ipsi nerv organum vero proximum et primum e trinsecum est caro et quælibet pa secundum æqualitatem mixta. Dicendu ergo est sensorium tactus esse circa co — 2. *de Anima* l. 4, 20, 22 et 23; 1. *Anima* l. 5; *de Sensu et Sensibili* l. *Opusc.* 43, c. 3.

Ad primum ergo dicendum, quod ca dicitur organum tactus non quidem p totum corpus diffusa, sed caro cordis. *Vel dic*, quod est caro organum primu sed non ultimum, ut dicit Philosoph (2. *de Anima text.* 146; l. 3, c. 2). — 3. *Anima* l. 3. — *Vel* dicitur organum, qu est medium internum, atque adeo instr mentum aliquo modo ipsius tactus; n est autem sensorium tactus, ut dictum e

Eodemque modo dicendum *ad secu dum.*

Ad tertium dicendum, quod licet sen tactus animal sentiat per totum corpu hoc tamen non facit, quod caro sit org num ultimum seu sensorium: quia sic alii sensus fiunt per medium extrinsecu ita tactus et gustus per medium intri secum, quod est caro et quæcunque pa sentiens. — *de Sensu et Sensibili* l. 5; *de Anima* l. 4.

Ad quartum dicendum cum Philosop (2. *de Anima text.* 109; c. 11), quod judicandum, quod caro sit organum t ctus, non est sufficiens signum, qu simul cum caro tangitur, fit sensus ta gibilis: quia et nunc si aliquis supra ca nem extenderet aliquam pelliculam a

lam subtilem, statim ad tactum ipsius
iod superextenderetur carni, sentire-
r tangibile, et tamen constat quod sen-
rium sensus tactus non esset in illa
lle superextensa; et iterum manife-
ım est, quod si illa pellis superextensa
ret connaturalis homini, citius per eam
ntiretur. Unde licet ad tactum carnis,
æ est homini connaturalis, statim tan-
ıile sentiatur, non tamen sequitur quod
ro sit sensorium tactus, sed est quod-
m medium connaturale. — 2. *de Ani-*
ı l. 22.

QUÆSTIO LXXXII

DE POTENTIA TACTIVA.

einde considerandum est de potentia tactiva.

CIRCA QUAM QUÆRITUR :

ıtrum tactus sit una potentia specie.

ARTICULUS

UTRUM TACTUS SIT UNA POTENTIA SPECIE.

Videtur quod tactus sit una potentia ecie.

1. Dicit enim Philosophus (2. *de Anima t.* 128 ; l. 3, c. 1), quod dantur quin-e sensus externi ; sed si dantur plures ctus specie, plures essent sensus externi am quinque : ergo tactus est unus ecie. — 3. *de Anima* l. 1.

2. Præterea, si tactus est plures spe-, maxime quia unus sensus est unius ıtrarietatis, tactus autem est plurium ıtrarietatum, calidi et frigidi, humidi sicci ; sed hoc non impedit, quia audi-ı est unus sensus specie, et tamen est ırium contrarietatum, acuti et gravis, ıgni et parvi, asperi et lenis ; et simi-ır visus est una potentia specie, et tamen est plurium contrarietatum, albi et nigri, pulchri et turpis, et similium : — ergo tactus est unus specie. — 2. *de Anima* l. 22.

3. Præterea, in potentiis sensitivis nihil differt specie nisi propter diversa genera sensibilium ; sed tangibilia conveniunt genere : singulæ enim contrarietates tangibilium conveniunt in uno genere proximo, et omnes in uno genere communi, quod est objectum tactus secundum rationem communem : ergo tactus est una potentia specie. — *de Sensu et Sensibili* l. 19 ; 1a, q. 78, a. 3, ad 3.

Sed contra est : 1. quod Philosophus (2. *de Anima text.* 107 ; c. 11) dicit, quod sensus tactus non est unus specie, sed plures. — 2. *de Anima* l. 22.

2. Præterea, unus sensus est tantum unius contrarietatis, sicut visus albi et nigri, auditus gravis et acuti, gustus amari et dulcis ; sed in tangibili, quod est objectum tactus, sunt multæ contrarietates primæ, puta calidi et frigidi, humidi et sicci : ergo tactus non est unus specie, sed plures. — *Ibid.*

Respondeo dicendum, quod licet Philosophus senserit tactum non esse unam potentiam specie, sed plures : quia est plurium contrarietatum per se primo, qui tamen non separantur ab invicem secundum organum, sed per totum corpus se comitantur, et ideo eorum distinctio non apparet; — posset tamen dici, quod omnes illæ contrarietates et singulæ conveniunt in uno genere proximo, et omnes in uno genere communi, quod est objectum tactus secundum rationem communem ; sed illud genus commune est innominatum sicut et genus proximum calidi et frigidi, et genus comprehendens colorem et visibilia per noctem et ipsum lumen; hæc enim duo genera sunt innominata. — 1a, q. 78, a. 3, ad 3.

Et ex his patet *ad objecta*.

QUÆSTIO LXXXIII

DE SENSIBUS INTERNIS.

Deinde considerandum est de sensibus internis. Circa quos duo consideranda sunt : potentiæ ipsæ et earum organa ; nam objectum ex horum patebit consideratione ; de speciebus vero sensibilibus nihil superest dicendum præter dicta de speciebus sensibilibus in communi ; et si quæ supersunt cognoscenda, nota fient ex his, quæ dicentur de potentiis sensitivis internis et earum organis.

CIRCA PRIMUM QUÆRUNTUR QUATUOR :

1. Utrum præter sensus externos detur aliquis sensus internus.
2. Quot sint sensus interni.
3. Utrum omnes sensus interni insint omnibus animantibus.
4. Utrum detur sensus agens.

ARTICULUS I

UTRUM PRÆTER SENSUS EXTERNOS DETUR ALIQUIS SENSUS INTERNUS.

Videtur quod præter sensus externos non detur aliquis sensus internus.

1. Dicit enim Philosophus (2. *de Anima text.* 146 ; l. 3, c. 2), quod discernere inter sensibilia, ut inter album et dulce, pertinet ad tactum, qui est sensus externus ; sed potissimum ponitur sensus internus, ut discernat inter sensibilia externa, ut inter album et dulce et similia : ergo non datur sensus internus. — 3. *de Anima* l. 3.

2. Præterea, ad id, ad quod sufficit sensus proprius et exterior, non oportet ponere aliquam vim apprehensivam interiorem ; sed ad judicandum de sensibilibus sufficiunt sensus proprii et exteriores, nam unusquisque sensus exteri judicat de proprio objecto : ergo ide quod prius. — 1a, q. 78, a. 4, arg.

3. Præterea, sensus externus etia videtur sufficere ad hoc, quod percipi suum actum, quia, cum actio sensus quoddammodo medium inter potentia et objectum, videtur quod multo ma visus possit suam visionem tamquam s propinquiorem percipere quam calore et sic de aliis ; ergo non necessariu fuit ad hoc ponere sensum internum. *Ibid.*

Sed contra est : 1. quod Philosoph (2. *de Anima text.* 136 sqq. ; l. 3, c. *de Sensu et Sensibili* c. ult.) docet, præ quinque sensus externos dari alios sens internos. — 3. *de Anima* l. 2 ; *de Sen et Sensibili* l. 19.

2. Præterea, somnus est passio s sus, ut dicit Philosophus (*de Somno Vigilia* c. 2) ; sed non est passio sens externi, ut ait Philosophus (ibidem) : e est passio sensus interni, et ita præ sensus externos datur alius sensus int nus. — *de Somno et Vigilia* l. 3.

Respondeo dicendum, quod necesse dari præter sensus externos aliquem s sum internum. Et ratio hujus est, q ad perfectam sensus cognitionem solum requiritur, quod sensus recip speciem a sensibilibus, quod pertinet sensum proprium et externum ; sed eti quod de sensibilibus perceptis dijudi et illa ab invicem discernat, et sensatio sensuum externorum eorumque sen bilia in absentia percipiat, quæ ad n lum sensum externum proprium pertin possunt ; quare necesse est quod de sensus internus, ad quem prædicta p tineant. — 3. *de Anima* l. 2 et 3 ; *Qu disp. de Anima* a. 13, c. ; 1a, q. 78, 4 ; *de Somniis* l. 2 ; 1. *Sent.* dist. 27, q a. 1, in c.

Ad primum ergo dicendum, quod c cretio inter sensibilia attribuitur a P losopho tactui, non secundum quod sensus proprius, sed secundum quod fundamentum omnium sensuum, et p

quius se habens ad fontalem radicem nium sensuum, qui est sensus communis. — 3. *de Anima* l. 3.

Ad secundum dicendum, quod sensus prius judicat de sensibili proprio, discernendo ipsum ab aliis, quæ cadunt sub eum sensu, sicut discernendo album a ro vel a viridi ; sed discernere album ulci neque visus neque gustus potest, oportet quod qui inter aliqua discer- utrumque cognoscat. Unde oportet d ad sensum communem pertineat talis retionis judicium, ad quem referuntur t ad communem terminum omnes rehensiones sensuum, a quo etiam cipiuntur sensationes sensuum exterum, sicut cum aliquis videt se videre. enim non potest fieri per sensum prium, qui non cognoscit nisi formam sibilis, a quo immutatur, in qua immune perficitur visio ; et ex hac immune sequitur alia immutatio in sensu muni, qui visionem percipit. — 1a, 8, a. 4, ad 2.

t ex his patet *ad tertium*.

ARTICULUS II

QUOT SINT SENSUS INTERNI.

Videtur quod sint *pauciores* sensus rni quam quatuor, qui a Philosopho untur, puta sensus communis, phana seu imaginatio, memoria, et vis æstiiva in brutis et cogitativa in homine.

. Commune enim non dividitur contra prium ; ergo sensus communis non et numerari inter sensus interiores ; et erunt pauciores quam quatuor. — 1a, a. 4, arg. 1.

. Præterea, unus sensus interior suf- ad cognoscendum differentias omnium sibilium et ad percipiendas sensatio- sensuum externorum, quod est magis icile ; ergo et poterit id, quod est mi- difficile, quodque tribuitur aliis sen- is internis, puta cognoscere rem in esentia vel in absentia, atque adeo teritam ; recipere et retinere species, et cognoscere intentiones non sensatas, illasque componere ; nam et sensus externus videt per breve tempus rem præteritam et absentem, ut dictum est, et conservat species aliquamdiu ; — et sicut idem sensus discernit inter sensationem et sensibile, ita poterit discernere inter intentiones non sensatas et ipsa sensibilia ; — ergo sensus interni sunt pauciores quam quatuor. — *Ibid.* arg. 2.

3. Præterea, dicit Philosophus (*de Memoria et Reminisc.* c. 1), quod phantasticum et memorativum sunt passiones primi sensitivi seu sensus communis ; sed passio non dividitur contra subjectum : ergo memoria et phantasia non sunt potentiæ distinctæ a sensu communi. — 1a, l. c. arg. 3 ; *Quæst. disp. de Anima* a. 13. arg. 8.

4. Præterea, intellectus minus dependet a sensu, quam quæcunque potentia sensitivæ partis ; sed intellectus nihil cognoscit nisi accipiendo a sensu : unde dicitur in 1. *Poster.* (*text.* 33 ; c. 18), quod quibus deest unus sensus, deficit una scientia ; ergo multo minus debet poni una potentia sensitivæ partis ad percipiendum intentiones quas non percipit sensus, quam vocant æstimativam. — 1a, l. c. arg. 4.

5. Præterea, æstimativa non differt ab intellectu ; ut enim docet Philosophus 2. *de Anima* (*text.* 154 ; l. 3, c. 3), differentiæ æstimativæ sunt scientia, opinio et prudentia, quæ ad intellectum pertinent ; et 3. *de Anima* (*text.* 5 ; c. 4) dicit, quod intellectus est ille, quo anima intelligit et existimat ; sed intellectus est distinctus a sensu, ut patet : ergo æstimativa non est virtus sensitiva interior. — 3. *de Anima* l. 4 et 7.

6. Præterea, cogitativa in homine respondens æstimativæ in brutis est ipsemet intellectus. Quod patet *tum* ex Philosopho (2. *de Anima text.* 18 ; c. 2), ubi ait animam definitam esse vegetativo, sensitivo, cogitativo et motu : ubi per cogitativum necessario debet intelligere intellectivum, alioqui disjunctio esset manca, cum peculiare membrum desideretur ; — *tum* quia

officium cogitativæ dicitur esse discurrere de singularibus; sed discursus cum nitatur propositionibus universalibus, quæ ad solum intellectum spectant, pertinet ad intellectum: ergo cogitativa eadem est cum intellectu. — 2. *de Anima* l. 3.

7. Præterea, actus cogitativæ, qui est conferre et componere et dividere, et actus reminiscentiæ, qui est quodam syllogismo uti ad inquirendum, non minus distat ab actu æstimationis et memoriæ, quam actus æstimativæ; debent ergo vel cogitativa et reminiscentia poni aliæ vires præter æstimativam et memorativam, vel æstimativa et memorativa non debent poni aliæ vires præter phantasiam. — 1a, l. c. arg. 5.

8. Præterea, Philosophus *de Sensu et Sensibili* (c. 1) duos tantum ponit sensus internos, dicens maxime communia et propria animalium esse sensum et memoriam. — *de Sensu et Sensibili* l. 1.

9. Præterea, omnia quæ cognoscuntur per sensum, cognoscuntur etiam per intellectum; sed intellectus non est distinctus in plures potentias: ergo nec sensus. — *Quæst. disp. de Anima* a. 13, arg. 19.

II. Videtur quod sensus interni sint *plures* quam quatuor.

10. Avicenna enim in suo libro *de Anima* (part. 4, c. 1) ponit quinque potentias sensitivas interiores, scilicet sensum communem, phantasiam, imaginativam, æstimativam et memoriam. — 1a, l. c. arg. *Sed contra.*

11. Præterea, præter memoriam, quæ est conservativa intentionum non sensatarum, datur in homine reminiscentia, quæ syllogistice inquirit præteritorum memoriam secundum intentiones individuales; ergo sensus interni sunt plures quam quatuor.

Sed contra est: 1. quod Philosophus meminit tantum quatuor sensuum interiorum: *sensus communis*, 2. *de Anima* (a *text.* 146 usque ad 149; l. 3, c. 2) et *de Juvent. ac Senect.* c. 2, al. 3), *phantasiæ* seu *imaginationis*, 2. *de Anima* (a *text.* 153 usque ad finem; l. 3, c. 3), *memoriæ* seu *reminiscentiæ* libro peculiari *de M*[illegible]*oria et Reminisc.*, *æstimativæ*, 1. *Meta*[illegible] — ubi docet (c. 1) quædam animalia [illegible] prudentia quædam non; est autem [illegible]dentia naturalis in brutis vis æstim[illegible] quæ est potentia apprehensiva conve[illegible]tis et nocivi —; *cogitativæ* vero, qu[illegible] spondet æstimativæ in animalibus, [illegible] *Anima* (*text.* 20; c. 5), ubi illam [illegible] intellectum passivum, quem dicit [illegible] corruptibilem, et sine illo intellectum [illegible] intelligere. — 3. *de Anima* l. 3, 5, [illegible] *Juvent. ac Senect.* l. 3; 1. *Metaphys.* [illegible] 3. *de Anima* l. 10; *Tabula Aurea* [illegible] « intellectus » n. 7 et 10.

2. Præterea, ex diversitate organ[illegible] arguitur diversitas potentiarum; [illegible] homine reperiuntur quatuor organa [illegible] ter organa sensuum exteriorum, ut d[illegible] est (cf. quæst. sequent.): ergo sun[illegible] tuor sensus interni. — 1a, q. 78, a. [illegible]

3. Præterea, ad perfectam sens[illegible] gnitionem quinque requiruntur: — *p*[illegible] quod sensus recipiat species a sen[illegible]ibus: et hoc pertinet ad sensus pr[illegible] et externos; — *secundo*, quod de [illegible]sibilibus perceptis dijudicet et discer[illegible] invicem: quod oportet fieri per pote[illegible] ad quam omnia sensibilia perveniu[illegible] dicitur sensus communis; — *tertio*, [illegible] species sensibilium receptæ in eoru[illegible] absentia conserventur: et hoc etia[illegible] necessarium reduci in aliquam pote[illegible]nam etiam in rebus corporalibus [illegible] est principium recipiendi, aliud c[illegible]vandi; cum interdum quæ sunt [illegible] receptibilia sint male conservativ[illegible] hujusmodi autem potentia dicitur im[illegible]atio seu phantasia. — *Quarto* requi[illegible] intentiones aliquæ, quas sensus n[illegible] apprehendit, sicut nocivum et utile [illegible] hujusmodi; et ad hæc cognoscenda [illegible]nit homo inquirendo et conferend[illegible] alia vero animalia quodam naturali ins[illegible]ctu, sicut ovis naturali instinctu fugit [illegible] ut nocivum; unde ad hoc est in ali[illegible]malibus æstimativa naturalis, in h[illegible]mine autem vis cogitativa, quæ est co[illegible] intentionum particularium, unde et [illegible]

ilaris dicitur et intellectus passivus.
nto requiritur, quod ea, quæ prius
t apprehensa per sensum et in-
conservata, iterum ad actualem
rationem revocentur : et hoc per-
l vim memorativam, quæ in aliis
bus est sine inquisitione, in homi-
ero est cum inquisitione et studio;
hominibus non solum est memo-
sed etiam reminiscitiva. Necesse
est hanc potentiam distingui ab
ernis, quia actus aliarum est se-
motum a rebus ad animam, ac-
m hujus est secundum motum ab
d res ; diversi autem motus diver-
cipia motiva requirunt, principia
notiva potentiæ dicuntur. — Et
t esse quatuor sensus internos.
st. disp. de Anima a. 13, c.

NDEO DICENDUM, quod cum natura
ciat in necessariis, oportet esse
nes animæ sensitivæ, quot suffi-
l vitam animalis perfecti; et quæ-
harum actionum non possunt re-
inum principium, requirunt diver-
ntias; cum potentia animæ nihil
it, quam *proximum principium*
nis animæ. Est autem conside-
, quod ad vitam animalis perfecti
ur, quod non solum apprehendat
præsentiam sensibilis, sed etiam
absentiam. Alioqui cum animalis
actio sequantur apprehensionem,
veretur animal ad inquirendum
absens; cujus contrarium apparet
in animalibus perfectis, quæ mo-
notu progressivo : moventur enim
id absens apprehensum. Oportet
od animal per animam sensitivam
am recipiat species sensibilium,
essentialiter immutatur ab eis, sed
is retineat et conservet. Recipere
t retinere reducuntur in corpo-
diversa principia ; nam humida
ipiunt et male retinent, e contra-
m est de siccis. Unde cum poten-
tiva sit actus organi corporalis,
esse aliam potentiam quæ recipit
sensibiles et quæ conservat.

Rursum considerandum est, quod, si animal moveretur solum propter delectabile et contristabile secundum sensum, non esset necessarium ponere in animali nisi apprehensionem formarum, quas percipit sensus, in quibus delectatur aut horret. Sed necessarium est animali ut quærat aliqua vel fugiat, non solum quia sunt convenientia vel non convenientia ad sentiendum, sed etiam propter aliquas alias commoditates sive nocumenta : sicut ovis videns lupum venientem fugit, non propter indecentiam coloris vel figuræ, sed quasi inimicum naturæ ; et similiter avis colligit paleam, non quia delectet sensum, sed quia est utilis ad nidificandum. Necessarium est ergo animali quod percipiat hujusmodi intentiones, quas non percipit sensus exterior. Et hujus perceptionis oportet esse aliquod aliud principium; cum perceptio formarum sensibilium sit ex immutatione sensibili, non autem perceptio intentionum prædictarum.

Sic ergo ad *receptionem* formarum sensibilium ordinatur *sensus proprius* et *communis*, de quorum distinctione dictum est et post etiam dicetur. Ad harum autem formarum *retentionem* aut conservationem ordinatur *phantasia* sive imaginatio, quasi thesaurus quidam formarum per sensum acceptarum, quæ proinde est altior potentia quam sensus exterior, licet in hoc sit maxima certitudo, quia est principium omnis cognitionis humanæ, et semper oportet principia cognitionis esse certiora (3a, q. 30, a. 3, ad 2). — Ad apprehendendum autem intentiones, quæ per sensum non accipiuntur, ordinatur *vis æstimativa*. Ad conservandum autem eas *vis memorativa*, quæ est thesaurus quidam hujusmodi intentionum : cujus signum est, quod principium memorandi fit in animalibus ex aliqua hujusmodi intentione, puta quod est nocivum vel conveniens; et ipsa ratio præteriti, quam attendit memoria, inter hujusmodi intentiones computatur.

Considerandum est autem, quod quantum ad formas sensibiles non est differen-

tia inter hominem et alia animalia ; similiter enim immutantur a sensibilibus exterioribus. Sed quantum ad intentiones prædictas differentia est ; nam alia animalia percipiunt hujusmodi intentiones solum quodam naturali instinctu, homo autem per quandam collationem. Et ideo quæ in aliis animalibus dicitur æstimativa naturalis, in homine dicitur cogitativa, quæ per collationem quandam hujusmodi intentiones adinvenit. Unde etiam dicitur *ratio particularis*, cui medici assignant determinatum organum, scilicet mediam partem capitis ; est enim collativa intentionum iudividualium, sicut ratio intellectiva intentionum universalium. Ex parte autem memorativæ, non solum habet memoriam sicut cetera animalia in subita recordatione præteritorum, sed etiam reminiscentiam, quasi syllogistice inquirendo præteritorum memoriam secundum individuales intentiones.

Avicenna vero ponit quintam potentiam mediam inter æstimativam et imaginativam, quæ componit et dividi formas imaginatas, ut patet, cum ex forma imaginata auri et forma imaginata montis componimus unam formam montis aurei, quem nunquam vidimus. Sed ista operatio non apparet in aliis animalibus ab homine, in quo ad hoc sufficit virtus imaginativa, cui etiam hanc actionem attribuit Averroes in quodam libro, quem fecit de sensu et sensibilibus. Et sic non est necesse ponere nisi quatuor vires sensitivæ partis, scilicet sensum communem, imaginationem, æstimativam et memorativam. — 1a, q. 78, a. 4, c. ; *Quæst. disp. de Anima* a. 13, *de Memoria et Reminisc.* l. 2 : *Opusc.* 43, c. 4.

Ad primum ergo dicendum, quod sensus interior non dicitur communis per prædicationem sicut genus, sed sicut communis radix et principium exteriorum sensuum. — 1a, q. 78, a. 4, ad 1.

Ad secundum dicendum, quod præter sensum communem necesse est dare alios sensus internos, ut patet ex diversis organis et ex diversis actionibus, quæ plura principia distincta requirunt. (V. arg. 2 *Sed contra*, et in c.) Falsum autem est sensum externum percipere rem in absentia et rem præsentem, ut dictum est (q. 59, a. 2).

Ad tertium dicendum, quod sicut una potentia oritur ab anima mediante alia, ut supra dictum est, ita etiam anima subjicitur uni potentiæ mediante alia; et secundum hunc modum phantasticum et memorativum dicuntur passiones primi sensitivi. — *Vel dic*, quod phantasia et memoria dicuntur passiones sensus communis, non quia ab illo non distinguantur, sed quia sensus communis est radix phantasiæ et memoriæ, cum præsupponant actum sensus communis ; sicut nutritiva, licet sit radix augmentativæ et generativæ, quarum utraque utitur alimento, distinguitur tamen ab illis. — 1a, l. c. ad 3 ; *de Memoria et Reminisc.* l. 2.

Ad quartum dicendum, quod licet intellectus operatio oriatur a sensu, tamen in re apprehensa per sensum intellectus multa cognoscit, quæ sensus percipere non potest, et similiter æstimativa, licet inferiori modo. — 1a, l. c. ad 4.

Ad quintum dicendum, quod Philosophus 2. *de Anima text.* 154 (l. 3, c. 3) loquitur de existimatione intellectuali, non autem de sensitiva ; et similiter 3. *de Anima text.* 5 (c. 4) per existimationem intelligit illam, quæ est intellectualis. Unde alia lectio sic habet : « dico autem intellectum, quo anima opinatur et intelligit », opinio autem pertinet ad intellectum, ut dicit Philosophus 2. *de Anima text.* 152 (l. 3, c. 3). Neque hoc mirum est, quia 3. *de Anima text.* 56 (c. 10) Philosophus duplicem facit phantasiam, sensitivam et rationalem seu intellectualem, sequens nominis rationem. Nam phantasia apparitio quædam est ; apparet autem aliquid et secundum sensum et secundum rationem. Phantasia etiam habet suam operationem in absentia sensibilium, ut ratio et intellectus. — 3. *de Anima* l. 4, 7, 16.

Ad sextum dicendum, quod cogitativa distinguitur ab intellectu ; nam hic ra-

iocinatur de universalibus, illa de intenionibus individualibus, unde et intelletus nominatur, quatenus habet absolutum udicium de singularibus, et est in coninio intellectus et supra omnes alias potentias sensitivæ partis, et est tantum in nomine. — Neque hoc mirum est, quod cogitativa in nobis elevetur ad aliquid effiiendum, puta ad discurrendum circa singularia, quod non potest vis æstimativa n brutis. Cum enim secundum regulam Dionysii (*de Div. Nom.* c. 7, § 3; — Migne PP. Gr. t. 3, col. 871) principia secundorum jungantur finibus primorum, cogitativa, quæ est quid altissimum in parte sensitiva, attingens quodammodo ad partem intellectivam, aliquid participabit illius, quod est in parte intellectiva nfimum, scilicet rationis discursum. Præterea, *sicut* sensitivus appetitus in homine, quia in illo habet quandam excellentiam, scilicet quod natus est obedire rationi, potest esse principium actus voluntarii, et consequenter esse subjectum peccati, quod est proprium hominis, qui ex suis actibus laudatur vel vituperatur, cum tamen sensus sit communis nobis et brutis; — *ita* cogitativa ex eo quod in nobis rationi conjungitur, habebit in nobis aliquam excellentiam. — Unde ad textum Philosophi dicendum, quod alii textus ic habent : « anima determinata est vegetativo, sensitivo, intellectivo et motu ». — *Tabula Aurea* voce « cogitativa » ; voce intellectus » n. 7 et 10.

Ad septimum dicendum, quod illam eminentiam habet cogitativa et memorativa in homine non per id, quod est proprium sensitivæ partis, sed per aliquam affinitatem et propinquitatem ad rationem universalem, secundum quandam influentiam ; et ideo non sunt aliæ vires, sed eædem perfectiores, quam sint in aliis animalibus. — 1a, l. c. ad 5.

Ad octavum dicendum, quod Philosophus loco citato *de Sensu et Sensibili* tantum meminit sensus communis et memoriæ, non autem imaginationis et æstimationis, quia hæ non distinguuntur a sensu ex parte rei cognitæ : sunt enim præsentium vel quasi præsentium ; sed memoria distinguitur per hoc quod est præteritorum, in quantum præterita sunt. — *de Sensu et Sensibili* l. 1.

Ad nonum dicendum, quod sensus recipit species sensibilium ex organis corporalibus et est cognoscitivus particularium, intellectus autem recipit species rerum absque organo corporali et est cognoscitivus universalium ; et ideo aliqua diversitas objectorum requirit diversitatem potentiarum in parte sensitiva, quæ non requirit diversitatem potentiaruum in parte intellectiva. Recipere enim et retinere in materialibus non est secundum idem, sed in immaterialibus secundum idem est. Et similiter secundum diversos modos immutationis oportet diversificare sensum, non autem intellectum. — *Quæst. disp. de Anima* a. 13, ad 19.

Ad decimum et *undecimum* dictum est (in c. et ad arg.).

ARTICULUS III

UTRUM OMNES POTENTIÆ SENSITIVÆ INTERNÆ INSINT OMNIBUS ANIMALIBUS.

Videtur quod non omnia animalia habeant omnes sensus internos.

1. Dicit enim Philosophus (*de Sensu et Sensibili* c. 1), quod sensus et memoria inest fere omnibus animalibus ; ergo non omnibus insunt, — *de Sensu et Sensibili* l. 1.

2. Præterea, dicit Philosophus (1. *Metaphys.* c. 1), quod quædam animalia carent memoria, et consequenter et phantasia, quam illa sequitur ; ergo idem quod prius. — 1. *Metaphys.* l. 1.

3. Præterea, 2. *de Anima text.* 156 (l. 3, c. 3) dicitur, quod quibusdam animalibus non inest imaginatio, ut apibus et formicis et vermibus ; et *text.* 157 dicitur, quod imaginatio inest plurimis animalibus ; quare non omnibus. — 3. *de Anima* l. 5.

Sed contra est, quod Philosophus docet

sensum communem esse in omnibus animantibus (*de Sensu et Sensibili* c. 1); similiter et imaginationem (3. *de Anima text.* 56; c. 10); similiter et memoriam, nam hæc phantasiam sequitur; et 2. *de Anima* (*text.* 27 et 28; c. 3) dicit omnibus animantibus inesse appetitum convenientis, et per consequens fugam nocivi; sed talis appetitus sequitur apprehensionem convenientis et nocivi, quæ est propria potentiæ æstimativæ, ut dictum est: ergo omnes sensus interni insunt omnibus animantibus. — *de Sensu et Sensibili* l. 1 et 2; 3. *de Anima* l. 16; 2. *de Anima* l. 5.

Respondeo dicendum, quod omnes sensus interni quodammodo insunt omnibus animantibus, quodammodo non. Ad cujus evidentiam sciendum, quod animantia sunt in duplici differentia: — *quædam* enim sunt *perfecta*, quibus præter tactum insunt alii sensus: quibus nimirum non solum inest sensitivum sine motu progressivo, ut ostrea, sed quæ præter id habent motivum secundum motum progressivum; — *quædam imperfecta*, quibus nimirum inest solum sensus tactus, ut docet Philosophus 3. *de Anima* (*text.* 56; c. 10). — 3. *de Anima* l. 16; *de Sensu et Sensibili* l. 1 et 2.

Si ergo loquamur de *sensu communi*, hic inest omnibus animantibus sive perfectis sive imperfectis: — *primo*, quia ad illum perveniunt immutationes omnium sensuum, sicut ad communem terminum, ut dicit Philosophus (2. *de Anima text.* 149; l. 3, c. 2). *Secundo*, quia si tactui tribuitur a Philosopho (2. *de Anima text.* 146; l. 3, c. 2) discretio sensibilium, puta albi et dulcis, non id tribuitur illi quatenus est sensus proprius, sed quatenus est fundamentum omnium sensuum, et propinquius se habet ad fontalem radicem omnium sensuum, qui est sensus communis. *Tertio*, quia non alia ratione organum tactus est circa cor, quam quia ibi est organum primi sensitivi seu sensus communis, in quem fiunt alterationes omnium sensuum, ut dicit Philosophus *de Juvent. ac Senect.* (c. 2, al. 3). *Quarto*, quia, ut dicit ibidem, in eadem parte est primum sensitivum seu sensus communis et principium nutritivum; hæc enim duo sunt inseparabilia; sed principium nutritivum inest omnibus animalibus: ergo et sensus communis. — 3. *de Anima* l. 3; *de Juvent. ac Senect.* l. 3.

Si vero loquamur de *imaginatione* seu *phantasia*, hæc cum sit motus factus a sensu secundum actum, ut dicit Philosophus (2. *de Anima text.* 161; l. 3, c. 3), requirit aliam potentiam quam sensitivam externam. Cum enim secundum diversitatem actuum distinguantur potentiæ, et diversitas motus requirat diversa mobilia, quia quod movetur non movet seipsum, sed alterum; — necessarium videtur, quod sit alia potentia phantasia seu imaginatio a sensu. (3. *de Anima* l. 6.) — Est autem, ut docet Philosophus (3. *de Anima text.* 56; l. 3, c. 10), *phantasia duplex*: una sensibilis, quæ animalibus convenit; altera deliberativa, quæ tantum est in hominibus, quia considerare, utrum hoc sit agendum aut hoc, quod est deliberare, opus est rationis. Sensibilis autem ita convenit animalibus, ut reperiatur in omnibus etiam imperfectis, quæ decisa vivunt; nam utraque pars animalis insecti retrahit se, si pungitur. — Et etiam habet *motum* secundum locum, ut ad sensum apparet; et per consequens debet habere phantasiam, quia hæc, ut dictum est, nihil aliud est quam motus factus a sensu secundum actum. Et præterea *appetitum*; nam ad sensum de necessitate sequitur lætitia et tristitia, sive delectatio et dolor. Necesse enim est, si sensibile perceptum est conveniens, quod sit dejectabile; si autem est nocivum, quod sit dolorosum. Ubi autem est dolor et delectatio, oportet quod sit desiderium et appetitus; et ita necesse est, si pars decisa sentit, quod etiam habeat appetitum. — 3. *de Anima* l. 16; 2. *de Anima* l. 4 et 6.

Verum quia phantasiæ communiter

ibuitur determinatum organum in corore, ideo sciendum, quod *phantasia nsibilis duplex* est : — *una determinata*, uæ solis animalibus perfectis convenit, uæ nimirum in illis remanet, etiam abentibus sensibilibus, cuique organum eterminatum tribuitur ad majorem perctionem et determinationem sui actus, ne quo phantasiæ actus nullo modo sse posset, sicut actus visus nullo modo otest esse sine oculo. — *Altera* est *indeterinata* et confusa, quæ inest animalibus nperfectis, quia motus phantasiæ non emanet in eis post apprehensionem senis; quod verum est etiam in formicis et pibus, nedum vermibus et aliis anialibus imperfectis. Licet enim in eaum operatione plurimum prudentiæ appareat, ut in illis videatur esse phantasia eterminata, vere tamen non hæc, sed lia indeterminata illis inest ; nam opera la prudentiæ formica et apis operantur aturali inclinatione, non ex hoc, quod abeant phantasiam determinatam et istinctam a sensu. Non enim phantaantur aliquid, nisi dum moventur a ensibili. Quod autem operantur propter nem, quasi providentes in futurum, on contingit ex hoc, quod habeant aliuam imaginationem ipsius futuri, sed naginantur actus præsentes, qui ordiantur ad finem ex naturali inclinatione nagis quam ex apprehensione.

Illa autem animalia ex Philosopho phanasiam habent determinatam et perfectam, uibus aliquid secundum phantasiam apparet, etiam dum non actu sentitur. Proterea vero animalibus imperfectis inest nperfecta et indeterminata phantasia, nimalibus vero perfectis perfecta et deerminata, quia animalibus, sicut moentur, ita illis inest phantasia sicut et oncupiscentia, ut docet Philosophus 3. e *Anima* (*text.* 56; c. 10). Moventur auem animalia imperfecta, ut dicit Philoophus ibidem, non determinate, quasi ntendentes aliquem determinatum locum n suo motu, sicut accidit in animalibus erfectis, quæ moventur motu progressivo, quia imaginantur aliquid distans et illud concupiscunt et ad illud moventur. Nam illa non imaginantur aliquod distans, quia nihil imaginantur nisi ad præsentiam sensibilis ; sed cum læduntur, imaginantur illud ut nocivum et retrahunt se, et cum delectantur, extendunt se super illud et applicant se illi. Et sic in eis est phantasia et concupiscentia indeterminata, in quantum imaginantur et concupiscunt aliquid ut conveniens, non autem ut hoc aut illud, aut hic aut ibi, sed habent confusam imaginationem et concupiscentiam. — 2. *de Anima* l. 6 ; 3. *de Anima* l. 5 et 16.

Et ex his sequitur, quod etiam omnibus animalibus, sive perfectis sive imperfectis, convenit *vis æstimativa*. Cum enim hæc apprehendat rationem convenientis et nocivi, quam sensus exterior non apprehendit; et detur animalibus, ut per eam ordinentur in actiones proprias vel passiones prosequendas vel fugiendas : — *sicut* omnibus animalibus convenit apprehendere conveniens et nocivum, et illud appetere vel fugere, ut dictum est; *ita* omnibus convenit æstimativa naturalis, quæ propterea necessario debet esse potentia distincta a sensibus externis et ab aliis internis, quia habet actum et motum diversum ab actibus et motibus aliorum sensuum. Et consequenter debet habere proprium organum, quia pars sensitiva non habet aliquam operationem sine organo, ut dicit Philosophus (3. *de Anima text.* 7; c. 4), — ad differentiam intellectus, qui est separatus ab organo.

Et hæc potentia ceteris potentiis sensitivis nobilior est, et est suprema partis sensitivæ, quia participat aliquid rationis, et ideo continuat animalia cum hominibus. — Sciendum enim est, quod quia, ut dicit Dionysius (*de Div. Nom.* c. 7, § 3; — Migne PP. Gr. t. 3, col. 871), divina sapientia conjungit fines primorum principiis secundorum — quia omnis natura inferior in sui supremo attingit ad infimum naturæ superioris, secundum quod participat

aliquid de natura superioris, quamvis deficienter — ; ideo tam ex parte apprehensivarum virium quam ex parte appetitivarum sensitivæ partis aliquid est, quod competit sensibili animæ secundum propriam naturam ; aliquid vero, secundum quod habet aliquam participationem modicam rationis, attingens ad ultimum ejus in sui supremo. Quod enim animal imaginetur et conservet formas acceptas per sensum, hoc est de natura sensitivæ apprehensionis secundum se, et competit imaginationi, quæ proinde convenit animæ sensibili secundum propriam rationem ; sed quod apprehendat illas intentiones, quæ non cadunt sub sensum, sicut amicitiam vel inimicitiam et hujusmodi, hoc est sensitivæ partis secundum quod attingit rationem. Unde pars illa in *hominibus*, in quibus est perfectior (propter conjunctionem ad animam rationalem), dicitur *ratio particularis*, quia confert de intentionibus particularibus ; in *aliis* autem *animalibus*, quia non confert, sed ex instinctu naturali habet hujusmodi intentiones apprehendere, non dicitur ratio, sed *æstimatio*. — *Tabula Aurea* voce « æstimativa » n. 1 et 4 ; 2. *de Anima* l. 13 ; 3. *de Anima* l. 3, 6, 7 ; 3. *Sent.* dist. 35, q. 1, a. 2, quæstiunc. 2, ad 1 ; dist. 26, q. 1, a. 2, c. ; *de Verit.* q. 25, a. 2, in c.

Quamquam et alia ratione differunt inter se cogitativa hominis et vis æstimativa bruti : quod licet utraque apprehendat tantum singulare et individuum, *cogitativa* tamen apprehendit individuum ut existens sub natura communi — quod contingit ei, in quantum unitur intellectivæ in eodem subjecto : unde cognoscit hunc hominem prout est hic homo, et hoc lignum prout est hoc lignum — ; *æstimativa* autem non apprehendit aliquod individuum, secundum quod est terminus aut principium alicujus actionis vel passionis (sicut ovis cognoscit hunc agnum, non in quantum est hic agnus, sed in quantum est ab ea lactabilis ; et hanc herbam, in quantum est ejus cibus) ; unde alia individua, ad quæ non se extendit ejus actio vel passio, nullo modo apprehendit sua æstimativa naturali. — 2. *de Anima* l. 13.

Similiter etiam ex parte *appetitus*, quod animal appetat ea, quæ sunt convenienti sensui delectationem facientia, — secundum naturam sensitivam est et pertinet ad vim *concupiscibilem ;* sed quod tendat in aliquod bonum, quod non facit delectationem in sensu, sed magis natum est facere tristitiam ratione suæ difficultatis (sicut quod animal appetit pugnam vel victoriam cum alio animali, quam consequitur cum dolore, vel quod appetit aggredi aliam quamcunque difficultatem) — hoc est in appetitu sensitivo secundum quod natura sensitiva attingit intellectivam, et hoc pertinet ad irascibilem.

Quod demum attinet ad *memoriam*, hæc solis animantibus perfectis inest non imperfectis. Cujus *ratio* duplex afferri potest : — *una* est, quia cum animalibus cognitio sensitiva sit provisiva ad vitæ necessitatem et propriam operationem illa animalia debent habere memoriam quæ moventur ad distans motu progressivo. Nisi enim apud ea remaneret per memoriam intentio præconcepta, ex qua ad motum inducuntur, motum continuare non possent, quousque finem intentum consequerentur. Hoc autem competit solis animalibus perfectis ; nam imperfectis qualia sunt immobilia secundum locum ut conchiliæ, quia ad distans non moventur et sola imaginatione confusa habent aliquem motum indeterminatum, ut dictum est, sufficit ad proprias operationes præsentis sensibilis acceptio.

Altera est, quia non omnia quæ sunt inferioris generis, sed solum suprema et perfectiora pertingunt ad aliquam participationem similitudinis ejus, quod est proprium superiori generi. Differt autem sensus ab intellectu et ratione, quia intellectus vel ratio est universalium, quæ sunt ubique et semper ; sensus autem est singularium, quæ sunt hic et nunc. Et idcirco sensus secundum suam propriam ratio

nem non est cognoscitivus nisi præsen-
ium. Quod autem sit aliqua virtus sen-
sitivæ partis se extendens ad alia, quæ
non sunt præsentia, hoc est secundum
similitudinariam participationem rationis
el intellectus. Et ideo memoria, quæ est
ognoscitiva præteritorum, convenit so-
um animalibus perfectis, utpote supre-
mum quoddam in cognitione sensitiva.—
e Sensu et Sensibili l. 1.

Ceterum quod est in brutis animalibus
memoria, hoc est in homine *reminiscentia*.
Nam ex parte memorativæ non solum
abet homo memoriam, sicut cetera ani-
malia, in subita recordatione præterito-
um, sed etiam habet reminiscentiam se-
undum individuales intentiones. Et hanc
minentiam habet cogitativa et memoria
homine non per id, quod est proprium
ensitivæ partis, sed per aliquam affini-
tem et propinquitatem ad rationem
niversalem, secundum quandam refluen-
am. Et ideo non sunt aliæ vires, sed
edem perfectiores quam sint in aliis
nimalibus. — 1a, q. 78, a. 4, in c. et
l 5.

Et ex his patet *ad primum et secundum*.
Ad tertium dicendum, quod apis et
ormica habent imaginationem indeter-
minatam et confusam, ut dictum est (in
). — *Vel dic* (quidquid sit de apibus
t formicis, cum exemplorum non inten-
atur veritas, sed modus), quod nobis
ufficit, quod aliqua animalia, puta per-
ecta, habent omnes sensus internos ;
liqua vero, ut imperfecta et in particu-
ri immobilia secundum locum, carent
emoria. Et ratio hujus præter dicta est,
uia illa sola animalia habent memoriam,
uæ sentiunt tempus, ut dicit Philoso-
hus (*de Memoria et Reminisc.* c. 1). Sem-
er enim cum anima agit per memoriam,
imul sentit, quod hoc prius vidit aut
udivit aut didicit; prius autem et po-
erius pertinent ad tempus. Sentiunt
tem illa tempus, quæ percipere pos-
unt rem absentem et præteritam ; quod
onvenit solis animalibus perfectis, non
mperfectis et immobilibus: hæc enim
quia nihil percipiunt nisi ad præsentiam
sensibilium, et ideo habent indeterminatam
phantasiam, non possunt cognoscere
prius et posterius, et per consequens non
habent memoriam. — *de Memoria et Reminisc.* l. 2.

ARTICULUS IV

UTRUM IN POTENTIIS SENSITIVIS INTERNIS DETUR DUPLEX SENSUS, AGENS ET PATIENS.

Videtur quod in potentiis sensitivis internis detur sensus agens et sensus patiens.

1. Dicit enim Philosophus (3. *de Anima text.* 17 ; c. 5), quod in omni natura, quæ est quandoque in potentia, quandoque in actu, oportet ponere aliquid, quod est sicut materia in unoquoque genere, quod scilicet est in potentia ad omnia quæ sunt illius generis ; et aliud, quod est sicut causa agens et factivum, quod ita se habet in faciendo omnia sicut ars ad materiam. Sed anima secundum partem sensitivam internam quandoque est in potentia, quandoque in actu. Necesse est igitur in anima sensitiva esse has differentias, ut scilicet sit unus sensus agens, qui possit omnia sensibilia in actu facere. — 3. *de Anima* l. 10.

2. Præterea, dicit Philosophus (3. *de Anima text.* 3 ; c. 4), quod ita se habet sensus ad sensibilia, sicut intellectus ad intelligibilia; utrumque enim est in potentia ad suum objectum et susceptivum ejus ; sed intellectus est duplex, agens et possibilis : ergo et sensus erit duplex, agens et patiens. — 3. *de Anima* l. 7.

3. Præterea, inter potentiam et actum debet esse proportio ; sed species producta ab objecto externo non est proportionata sensui interno : nam hic est nobilior sensu externo, cui illa proportionatur : ergo species recepta in sensu interno debet esse producta ab aliquo sensu agente ; — sicut et ob eandem proportionem species intelligibilis recepta in intellectu possibili non

potest produci ab objecto, sed producitur ab intellectu agente. — 3. *de Anima* l. 3.

4. Præterea, sensus communis est nobilior sensu externo, quia in illo consideratur virtus sensitiva ut in radice et minus divisa. Sed non potest esse nobilior ratione receptionis speciei, eo quod illam recipiat a sensu externo, sicut externus illam recipit ab objecto externo : quia cum movens sit nobilius moto et agens patiente, sic esset sensus internus ignobilior externo. Ergo erit nobilior ratione productionis, quia speciem producit in sensu patiente, sicut objectum externum producit speciem in sensu externo. — 3. *de Anima* l. 3.

5. Præterea, dicit Augustinus (12. *super Genes. ad Litt.* c. 16, et 10. *de Trin.* c. 5; — Migne PP. Lat. t. 34, col. 467 ; t. 42, col. 977), quod anima imagines corporum facit in seipsa et de seipsa; sed anima operatur per potentias : ergo datur potentia sensitiva agens, per quam anima facit imagines corporeas in se. — *de Malo* q. 16, a. 12, arg. 2.

Sed contra est : 1. quod Philosophus 2. *de Anima* (*text.* 161 ; l. 3, c. 3) dicit, quod phantasia est motus factus a sensu in actu ; et *de Memoria et Reminisc.* (c. 2, al. 1) dicit, quod motus, qui fit a sensibili in sensum externum, imprimit in phantasiam similem figuram ac speciem ; at hoc est speciem receptam in imaginativa esse factam a specie producta in sensu externo ab objecto, quæ se multiplicat in sensu interno : ergo non datur sensus agens. — 3. *de Anima* l. 6 ; *de Memoria et Reminisc.* l. 3.

2. Præterea, 3. *de Anima* (*text.* 31 ; c. 7) dicitur, quod aer immutatus a colore immutat pupillam imprimendo in illa speciem coloris ; et rursum ipsa pupilla immutata immutat sensum communem producendo in ipso speciem ejusdem coloris ; et similiter auditus immutatus ab aere immutat sensum communem ; ergo non datur sensus internus agens respectu speciei intentionalis seu respectu phantasmatis. — 3. *de Anima* l. 12.

3. Præterea, 2. *de Anima* (*text.* 51 c. 5) dicitur, quod sentire nihil aliud est quam moveri et pati, et quod sensus est tantum potentia passiva ; sed sensus dicitur potentia passiva respectu speciei quam in se recipit : ergo non potest esse respectu ejusdem potentia activa et productiva. — 2. *de Anima* l. 10, 11, 12.

Respondeo dicendum, quod non datur in parte sensitiva interna sensus agens respectu speciei, sed hæc in sensu interno producitur et imprimitur ab objecto, mediante specie impressa sensui externo quæ se multiplicat, similem producens in sensu interno. Potest autem hoc multipliciter probari : — et *primo* quidem, quia omnes potentiæ sensitivæ sunt passivæ ut dictum est ex Philosopho ; non est autem possibile, quod una potentia sit activa et passiva respectu ejusdem, ut dicitur 9. *Metaphys.* (*text.* 2 ; l. 8, c. 1) : es enim passiva quatenus est in potentia, ut dicitur 2. *de Anima* (*text.* 51 ; c. 5), es autem activa quatenus est actu ; impossibile autem est quod eadem potentia sit potentia et actu respectu ejusdem. (9. *Metaphys.* l. 1 ; 2. *de Anima* l. 11.) — *Secundo*, quia si daretur sensus agens producens speciem in sensu passivo interno, possemus cæcus a nativitate imaginari colores. — *Tertio*, quia phantasia est motus factus a sensu secundum actum, ut dictum est ex Philosopho ; sensus autem fit in actu per actionem sensibilis in organum sensus. Unde et Augustinus (in 11. *de Trin.* c. 3 — Migne t. 42, col. 988) dicit, quod sensus accipit speciem ab eo corpore, quod sentimus, et a sensu memoria, et a memoria acies cogitantis. — *Quarto*, quia cum species producta in sensu externo ab objecto sit multiplicativa sui, ut manifestum est (prius enim objectum agit in medium tum per medium in sensum, ut dicit Philosophus *de Sensu et Sensibili* c. 7, al. 6) ; et species multiplicata in sensu interno sit ejusdem rationis cum specie se multiplicante, quæ est in sensu externo (qua utraque est individualis et materialis) ; non erit necessarius ullus sensu

gens, qui producat in sensu communi el in aliis sensibus internis apprehensivis peciem ullam. — *de Sensu et Sensibili* l. 6; *de Spirit. Creat.* a. 9, in c.; a. 10, ad 7; *Quæst. disp. de Anima* a. 4, ad 1 et . — 3. *de Anima* l. 3; *Tabula Aurea* vo- e « agens » n. 108; *de Malo* q. 16, a. 12, d 2; cf. infra in Metaphysica q. 28, 3.

Ad primum ergo dicendum, quod illa ropositio valet in anima intellectiva, non item in sensitiva. Et ratio disparitatis t, quia sensibile, cum sit quoddam par- culare, tam in sensum quam in medium n imprimit speciem alterius generis, m species in utroque sit particularis materialis; intellectus autem possibilis cipit speciem alterius generis, quam in sensibus internis : nam recipit spe- s universales et immateriales. Et ideo intelligibilibus indigemus intellectu ente, non autem in sensibilibus po- tia agente vel activa, sed omnes po- tiæ sensitivæ sunt passivæ.

Et sic patet *ad secundum.*

Ad tertium dicendum, quod species quæ in sensu externo ab objecto producta, species recepta in sensu interno, sunt isdem generis, licet hæc sit nobilior, ote recepta in nobiliori sensu, et con- quenter spiritualior existens; et ideo a potest aliam producere; — sicut iliter sensibile ignobilius existens po- t producere sui similitudinem in sensu prio et externo, qui simpliciter est no- ior propter virtutem sensitivam ipso sibili. — 3. *de Anima* l. 3; de *Spirit. at.* a. 10, ad 17.

Et ex his patet *ad quartum.*

Ad quintum dicendum, quod dictum gustini sic intelligendum est : quod tus corporea exterioris sensibilis non sufficiens ad hoc, quod faciat spe- n sensibilem, in quantum sentitur, speciem imaginariam, in quantum est ginata; sed hoc est ex unitate animæ; et tamen corpus exterius virtutem nutandi corporea organa, quam im- tationem sequitur perceptio sensus per virtutem animæ. — Unde non possumus, inquit Augustinus (in 11. *de Trin.* c. 2; — Migne t. 42, col. 986), dicere, quod sensum gignat res visibilis, gignit tamen formam velut similitudinem suam : quæ fit in sensu, cum aliquid videndo sentimus. — Et sic etiam intelligenda sunt omnia alia verba Augustini his similia; quamvis etiam secundum alium modum possit intelligi, quod spiritus faciat formas imaginarias in seipso, in quantum scilicet diversimode componendo, novas formas imaginarias gignit, sicut phantasma aurei montis. — *de Malo* q. 16, a. 12, ad 2.

QUÆSTIO LXXXIV

DE ORGANIS SENSUUM INTERNORUM.

Deinde considerandum est de organo sensuum internorum.

CIRCA QUOD QUÆRITUR:

Utrum cerebrum sit organum sensuum internorum.

ARTICULUS

UTRUM CEREBRUM SIT ORGANUM SENSUUM INTERNORUM.

Videtur quod cerebrum non sit organum omnium sensuum internorum.

1. Dicit enim Philosophus (in 13. *de Animalibus*, id est 3. *de Partibus Animal.* c. 4), quod cor est principium sensuum et motus animalis; sed ibi est organum sensuum internorum, ubi est principium illorum: ergo organum sensuum internorum non est cerebrum, sed cor. — *de Verit.* q. 29, a. 4, arg. 7.

2. Præterea, cor influit sensum et motum omnibus membris; unde est primum, quod generatur in animali, ut dicit Philosophus (*de Generat. Animal.* l. 2, c. 4 (6);

de Partibus Animal. l. 3, c. 4); sed ibi est organum sensuum, unde fit influxus illorum in alias partes: ergo idem quod prius. — 3. *Sent.* dist. 13, q. 2, a. 1, arg. 5.

3. Præterea, organum sensus communis non multum loco distat a loco organi tactus; nam propter propinquitatem hujus ad illum Philosophus 2. *de Anima* (*text.* 146; l. 3, c. 2) attribuit tactui discretionem sensibilium, cum tamen soli sensui communi conveniat, ut dictum est (supra q. 83, a. 1), et docet Philosophus *de Somno et Vigilia* (c. 2) et alibi; sed organum tactus saltem ultimum est juxta cor vel in corde, ut dictum est (supra q. 80, ex Philosopho: ergo organum sensuum internorum non est cerebrum. — *de Somno et Vigilia* l. 3.

4. Præterea, cerebrum est expers sensus, ut dictum est ex Philosopho (2. *de Partibus Animal.* c. 10); sed organum sensus debet esse animatum et sensitivum; potentia enim sensitiva se habet respectu organi tamquam forma respectu materiæ, ut dicit Philosophus (2. *de Anima text.* 9; c. 1) de potentia visiva respectu oculi: ergo cerebrum non est organum sensuum internorum. — 2. *de Anima* l. 2.

5. Præterea, in eodem loco est primum sensitivum, puta sensus communis, et primum principium nutritivum, ut dicit Philosophus *de Juvent. et Senect.* (c. 2, al. 3); sed ex eodem ibidem primum principium nutritivum est in corde: ergo et primum sensitivum seu sensus communis. — *de Juvent. et Senect.* l. 3. (1)

Sed contra est: 1. quod medici ponunt caput principium sensuum et motus; est autem caput principium præcipuum ratione cerebri. — 5. *Metaphys.* l. 1; 8. *Metaphys.* l. 4; *de Verit.* q. 29, a. 4, c.

(1) Commentationes librorum *de Juventute et Senectute, de Vita et Morte, de Respiratione, de Longitudine et Brevitate Vitæ, de Motu Animalium, de Communi Intellectu Mulierum* non sunt S. Thomæ. Habentur ea Petro de Alvernia attributa et cum quibusdam S. Thomæ vulgatis Venetiis 1554, 12, quæ distinguunt tom. 1, pag. IX.

2. Præterea, cerebrum est positum a natura in supremo, ne operationes animales quæ ibi perficiuntur, impediantur per diversas corporis transmutationes: sicut cor est in medio, ut conservetur et vitam influat in omnes partes; sed ibi est organum sensuum, ubi perficiuntur illorum operationes: ergo in cerebro sunt organa sensuum internorum. — *Quodl.* 4, a. 3 ad 1; 2. *Sent.* dist. 14, q. 1, a. 1, ad 2.

Respondeo dicendum, quod cum sensus interni plures sint, ut dictum est, et operatio sensus non sit sine organo, ut etiam dictum est, necesse est unumquemque sensum internum habere proprium organum. — Si ergo loquamur de sensibus internis in *universali*, omnes radicantur in *corde*. Nihil enim est sensitivum sine calore, ut dicitur 2. *de Anima* (*text.* 130; l. 3, c. 1); fons autem caloris est in corde et ideo in corde primo est sensitivum principium, et a corde derivatur virtus sensitiva ad cerebrum, et exinde procedit ad organa trium sensuum, visus, auditus et odoratus; tactus autem et gustus referuntur ad ipsum cor per medium conjunctum. — *Tabula Aurea* voce « sensus » a n. 24 usque ad 32.

Si vero loquamur de sensibus internis in *particulari*, et primo de *sensu communi* qui est radix omnium sensuum exterior, respiciens objectum sub universali ratione, puta sub ratione sensibili ad quam nullus sensuum propriorum pertingere potest; quique proinde cognoscit differentias sensibilium diversorum generum, et sensationes sensuum exteriorum quæ a sensibus externis cognosci non possunt; et qui perficit judicium illorum: nam licet sensus proprii formati habeant propriam operationem, scilicet judicium de propriis objectis, et discernant inter contraria sensibilia; hanc tamen discretionem habent in quantum participant aliquid de virtute sensus communis; nam ultimum judicium et ultima discretio pertinet ad sensum communem, qui judicium aliorum perficit — *principale et ultimum organum seu sensorium sensus communis est cor*

Quod multipliciter potest esse manifestum : — et *primo*, quia, ut dicit Philosophus (*de Somno et Vigilia* c. 2), sensus communis maxime sequitur ad tactum et simul est cum illo ; principium autem activum est intrinsecus circa cor, ut dictum est ex Philosopho (*de Sensu et Sensibili* c. 2). Cujus signum est, quod læsio, si accidat in locis circa cor, est maxime dolorosa. (*de Sensu et Sensibili* l. 5 ; *de Somno et Vigilia* l. 3.) — *Secundo*, quia, ut argumentatur idem Philosophus (*de Juvent. et Senect.* c. 2, al. 3), videmus, quod duo sensus immediate tendunt ad cor, scilicet tactus et gustus ; unde et alii sensus, qui fundantur in tactu, mediate ad illud idem tendunt ; eo autem tendunt, quia ibi est primum principium sensitivum seu sensus communis, in quem propterea contingit fieri alterationes omnium sensuum. (*de Juvent. et Senect.* l. 3 ; *de Sensu et Sensibili* l. 5.) — *Tertio*, videmus (inquit Philosophus ibidem), quod natura ex omnibus possibilibus facit optimum ; et ratio hujus est, quia omne agens intendit bonum ; natura autem agens est : quare bonum intendit ; agit autem ex materia sibi subjecta : quare secundum diversitatem materiæ diversificatur ejus actio ; intendit igitur natura facere optimum, possibile tamen ; — principio autem sensitivo existente in corde, melius fiunt alterationes ab illo ad sensus particulares et melius derivatur virtus ab eodem in illos : ergo dicendum est, quod sensus communis est in corde. (*de Juvent. et Senect.* l. 3.) — *Quarto*, principalis virtutis debet esse regio principalis et locus. Et ratio hujus est, quia locus sequitur naturam locati ; et ideo principali virtuti debetur locus magis principalis. Inter omnes autem virtutes sensitivas principalis virtus est sensus communis ; locus autem principalis est medius, ubi est cor : quare sensus communis, qui est primum principium sensitivum, debet esse in corde tamquam in proprio sensorio. (*Ibid.*) — *Quinto*, illud quo utitur, et quod utitur, differunt sicut fistulæ, et manus quæ movent fistulas. Illud enim quod utitur est principale, quo autem utitur est instrumentum. Sensitivum autem commune utitur sensibus particularibus sicut organis et instrumentis ; ergo sensitivum commune est principale magis ; sed principalis debet esse locus principalis ; talis autem est locus medius, qui est locus cordis. (*Ibid.*) — *Sexto*, vita est primo in corde, quia cor primo movetur ; ergo primum principium sensitivum est in corde ; — per eandem enim particulam, secundum quam animal primo est animal, primo vivit ; animal autem determinatur per habere animam sensitivam, et per consequens per primum principium sensitivum, quod necessario et immediate ad animam sensitivam consequitur. (*de Somno et Vigilia* l. 4.) — *Septimo*, eadem pars corporis est primum subjectum et principium sensus communis, quæ est materia somni et vigiliæ, inquit Philosophus (*de Somno et Vigilia* c. 3, al. 2) ; hæc autem ex eodem ibidem sunt circa cor. (*de Somno et Vigilia* l. 4.) — *Octavo*, eadem pars animalis est principium sensus et motus, sicut determinatur in lib. *de Animalibus ;* sed cor est principium motus : est enim principium spiritus, cujus vigore et perseverantia fit motus respirationis animali necessarius ad vitam. — Dicendum ergo est, quod *ultimum organum* et sensorium sensus communis est cor.

Quod si loquamur de *organo primo*, cum sensus communis sit diffusus per totum corpus, sicut et tactus, cum simul sit cum illo, ut dictum est (supra in c.), sicut organum primum tactus est quælibet pars corporis sensitiva, ita et organum primum sensus communis erit quælibet pars apta sentire. — Quod manifestum est quia, ut argumentatur Philosophus (*de Somno et Vigilia* c. 2), omnis passio inhærens pluribus sensibus inhæret per naturam sui subjecti primi, quod reperitur in omnibus, ut dicitur in lib. *Posteriorum ;* sed somnus et vigilia sunt passiones sensus, et insunt omnibus partibus

animalis : ergo insunt per naturam sensus communis diffusi per omnes partes. (*de Somno et Vigilia* l. 3.) — Verum est tamen, quod inter partes, in quibus principaliter est sensus communis, est prima concavitas cerebri, a quo nervi sensuum particularium oriuntur. Quod patet *primum*, quia hinc est quod quantum ad distinctionem spiritus animalis sensus proprii derivantur a communi ; quantum vero ad apprehensionem sensus communis fit in actu per proprios, quia nihil apprehenderet, nisi per hoc quod sensus proprii redeunt ad ipsum cum suis lucris, ut dicit Avicenna ; — *deinde*, quia propter maximam abundantiam humiditatis existentis in cerebro magis impediuntur in pueris actus omnium sensuum internorum quam externorum ; — *præterea*, quia ratione caloris, cujus fons est cor, et sine quo non est sensitivum, ut dictum est (supra in c. initio), a corde derivatur virtus sensitiva ad cerebrum, et exinde ad tres sensus externos. — *Opusc.* 43, c. 4 ; *de Verit.* q. 18, a. 8, in c. et ad 5.

Quod vero attinet ad *phantasiam* seu *vim imaginativam*, quæ est thesaurus formarum per sensum acceptarum, componens et dividens eas, cum duplex sit : *una* imperfecta, indeterminata et confusa, conveniens omnibus animalibus imperfectis ; *altera* perfecta et determinata : — *illa* habet organum indeterminatum, sicut ipsa est indeterminata (unde sicut animalia imperfecta decisa et divisa in multas partes vivunt, itaet in iisdem partibus decisis et divisis est organum phantasiæ indeterminatæ et confusæ, ut docet Philosophus 2. *de Anima* (*text.* 20 et 32 ; c. 2 et 3) ; — *hæc* vero habet organum determinatum in determinata parte, puta post organum sensus communis in parte cerebri, quæ non sic abundat humidosicut prima pars cerebri, in qua est situm organum sensus communis, et ideo potest melius retinere formas sensibiles re absente. Est autem hæc pars cerebri posterior pars primæ cellulæ, puta in anteriore parte cerebri prope vultum : ut patet ex hoc, quod quia vultus est prope locum imaginativæ, ideo in eo apparent indicia affectuum et præsertim affectus hilaritatis quæ est species intensi gaudii, quæ dicitur exultatio. — Dividitur enim *cerebrum* in *tres cellulas*, quarum in priori parte *primæ* est organum sensus communis ; in posteriore est organum phantasiæ, quo læsa læditur phantasia et consequenter intellectus in sua operatione. Indiget enim intellectus, tam in acquirendo scientiam quam in utendo illa, operatione phantasiæ, ut docet Philosophus (3. *de Anima text.* 39 ; c. 8) : oportet enim, cum aliquis speculatur in actu, quod simul formet sibi aliquod phantasma. — 2. *de Anima* l. 4 et 6 ; *Opusc.* 43, c. 3 ; *de Verit.* q. 2[illegible] a. 4, ad 5 ; *Tabula Aurea* voce « cerebrum » n. 3 ; voce « imaginativa » n. 4 ; 3. *de Anima* l. 7 et 13.

Æstimativa vero — quæ est apprehensiva convenientis et nocivi, et ideo comparatur ad appetitum sensitivum sicut intellectus practicus ad voluntatem ; quæque quia participat aliquid rationis, est suprema potentia partis sensitivæ — habet tam in animalibus brutis, in quibus retinet nomen *æstimativæ*, quam in hominibus, in quibus loco æstimativæ est *cogitativa* illum munus exercens quod illa, et perfectiori modo, ut dictum est supra q. 78, a. 4 et 2 (unde et *vis particularis* appellatur, per quam apprehenditur singulare ; et universalis sententia quam mens habet de operabilibus, applicatur ad particularem actum : ut sic fiat quidam syllogismus, cujus major sit universalis, quæ est sententia mentis, minor autem singularis, quæ est applicatio particularis rationis, conclusio vero est electio singularis operis, ut patet per ea, quæ docet Philosophus 3. *de Anima text.* [illegible] et 57 ; c. 10 et 11) ; — habet, inquam suum organum in homine *medium cellulam* capitis seu *cerebri*, ut dicit Commentator (3. *de Anima text.* 20) ; in bruto vero posteriorem partem *media* partis cerebri ; hac parte vel cellula læsa, læditur et impeditur operatio illius, et pe-

nsequens operatio intellectus : sine illa im anima modo nihil intelligit, intelli- t autem in futuro, quando a phantas- atibus abstrahere non indigebit. — *bula Aurea* voce « æstimativa » n. 1, 4 ; *de Verit.* q. 10, a. 5, c.; q. 15, a. 1, ; 3. *de Anima* l. 16 ; 1a, q. 78, a. 4, c. ; *Sent.* dist. 50, q. 1, a. 1, ad 3 ; *Opusc.* , c. 4.

Demum *memoria* in animalibus perfe- is — quæ est thesaurus specierum inten- onalium seu specierum sensibilium a nsu acceptarum, et quæ est cognosci- va præteriti ut præteritum est; cui re- ondet *reminiscentia* in homine, per quam on solum subito recordatur præteritorum, cuti recordantur bruta perfecta per me- oriam, sed etiam syllogistice inquirit æteritorum memoriam secundum indi- duales intentiones — habet determina- m organum in extrema parte capitis, que adeo in *postrema cerebri cellula*, ua similiter læsa læditur et operatio emoriæ. — *Tabula Aurea* voce « memo- ia » n. 1, 5, 10.

Et ex his patet, quodnam sit organum mnium sensuum internorum ; et simili- r patet *ad objecta* utriusque partis.

QUÆSTIO LXXXV

DE APPETITU SENSITIVO.

Deinde considerandum est de appetitu ensitivo; et primum agemus de ipso ap- etitu, deinde de illius organo.

IRCA PRIMUM QUÆRUNTUR QUINQUE :

1. Utrum appetitus sit aliqua specialis poten- ia animæ.
2. Utrum appetitus dividatur in sensitivum t intellectivum tamquam in diversas poten- ias.
3. Utrum appetitus sensitivus distinguatur n irascibilem et concupiscibilem tamquam n diversas potentias.
4. Utrum etiam appetitus intellectivus divi- atur in irascibilem et concupiscibilem tam- quam in diversas potentias.
5. Utrum appetitus concupiscibilis et ira- cibilis obediant rationi.

ARTICULUS I

UTRUM APPETITUS SIT ALIQUA SPECIALIS ANIMÆ POTENTIA.

Videtur quod *appetitus* non sit aliqua specialis animæ potentia.

1. Ad ea enim, quæ sunt communia animatis et inanimatis, non est aliqua potentia animæ assignanda ; sed appetere commune est animatis et inanimatis, quia « bonum est quod omnia appetunt », ut dicitur 1. *Eth.* (c. 1) : ergo non est specialis animæ potentia. — 1a, q. 80, a. 1, arg. 1 ; *de Verit.* q. 22, a. 3, arg. 1.

2. Præterea, potentiæ distinguntur secundum objecta ; sed idem est, quod cognoscimus et appetimus : ergo vim appetitivam non oportet esse aliam præter vim apprehensivam. — 1a, l. c. arg. 2 ; *de Verit.* l. c. arg. 3.

3. Præterea, commune non distinguitur contra proprium ; sed quælibet animæ potentia appetit quoddam particulare bonum et appetibile, scilicet objectum sibi conveniens : ergo respectu hujus objecti, quod est appetibile in communi, non oportet accipi aliquam potentiam ab aliis distinctam. — 1a, l. c. arg. 3 ; *de Verit.* l. c. arg. 5.

4. Præterea, appetitus est rei non habitæ ; sed in animalibus jam per cognitionem habetur bonum : ergo cognitionem boni non sequitur in animalibus aliquis appetitus, qui specialem requirat potentiam. — *de Verit.* l. c. arg. 4.

5. Præterea, appetitus nihil aliud esse videtur quam quædam directio in finem; sed appetitus naturalis sufficit ad hoc, quod aliquid per ipsum dirigatur in finem : ergo non oportet superaddi appetitum animalem, qui sit specialis animæ potentia. — *de Verit.* l. c. arg. 2.

Sed contra est, quod Philosophus (2. *de Anima text.* 27 ; c. 3) distinguit appetitivum ab aliis potentiis. Damascenus etiam (2. *de Fide Orthod.* c. 22 ; — Migne PP. Gr. t. 95, col. 942) distinguit vires appetitivas a cognoscitivis. — 1a, q. 80, a. 1, arg. *Sed contra.*

Respondeo dicendum, quod necesse est ponere quandam potentiam animæ appetitivam. Ad cujus evidentiam considerandum est, quod quamlibet formam sequitur aliqua inclinatio: sicut ignis ex sua forma inclinatur in superiorem locum, et ad hoc quod generet sibi simile. Forma autem in his, quæ cognitionem participant, altiori modo invenitur quam in his, quæ cognitione carent. In his enim, quæ cognitione carent, invenitur tantummodo forma ad unum esse proprium determinans unumquodque, quod etiam naturale uniuscujusque est. Hanc igitur formam naturalem sequitur naturalis inclinatio, quæ *appetitus naturalis* vocatur. — In habentibus autem cognitionem sic determinatur unumquodque ad proprium esse naturale per formam naturalem, quod tamen est receptivum specierum aliarum rerum, sicut sensus recipit species omnium sensibilium, et intellectus omnium intelligibilium. Et sic anima hominis fit omnia quodammodo secundum sensum et intellectum, in quo quodammodo cognitionem habentia ad Dei similitudinem appropinquant, in quo omnia pro-existunt, sicut Dionysius dicit (*de Div. Nom.* c. 5; — Migne t. 3, col. 818 et deinceps passim). Sicut igitur formæ altiori modo existunt in habentibus cognitionem supra modum formarum naturalium, ita oportet quod in eis sit inclinatio supra modum inclinationis naturalis; quæ dicitur *appetitus animalis*. Et hæc superior inclinatio pertinet ad vim animæ appetitivam, per quam animal appetere potest ea, quæ apprehendit, et non solum ea, ad quæ inclinatur ex forma naturali. Sic igitur necesse est ponere aliquam potentiam animæ appetitivam. — 1a, q. 80, a. 1, c.

Ad primum ergo dicendum, quod appetere invenitur in habentibus cognitionem supra modum communem, quo invenitur in omnibus, ut dictum est; et ideo oportet ad hoc determinari aliquam potentiam animæ. — 1a, l. c. ad 1.

Ad secundum dicendum, quod id, quod apprehenditur et appetitur, est idem subjecto, sed differt ratione. Apprehenditur enim ut est ens sensibile vel intelligibile; appetitur vero ut est conveniens aut bonum. Diversitas autem rationum in objectis requiritur ad diversitatem potentiarum, non autem materialis diversitas. — 1a, l. c. ad 2.

Ad tertium dicendum, quod unaquæque potentia animæ est quædam forma seu natura, et habet naturalem inclinationem in aliquid. Unde unaquæque appetit objectum sibi conveniens naturali appetitu, supra quem est appetitus animalis consequens apprehensionem, quo appetitur aliquid non ea ratione, qua est conveniens ad actum hujus vel illius potentiæ, utpote visio ad videndum et auditio ad audiendum, sed quia est conveniens simpliciter animali. — 1a, l. c. ad 3.

Ad quartum dicendum, quod appetens bonum non quærit habere bonum secundum esse intentionale, qualiter a cognoscente habetur, sed secundum esse essentiale. Et ideo per hoc, quod animal habet bonum ut cognoscens ipsum, non excluditur quin possit ipsum appetere. — *de Verit.* q. 22, a. 3, ad 4.

Ad quintum dicendum, quod quia animalia nata sunt participare divinam bonitatem eminentius ceteris inferioribus rebus, inde est quod indigent multis operationibus et auxiliis ad suam perfectionem; sicut qui potest consequi perfectam sanitatem multis exercitiis est propinquior sanitati quam ille, qui non potest consequi nisi modicam sanitatem, et ob hoc non indiget nisi modico exercitio, secundum exemplum Philosophi in 2. *de Cœlo* (lect. 62; c. 12). Et ideo, cum appetitus naturalis sit determinatus ad unum, non potest esse multiformis, ut in tot diversa se extendat, quot animalia indigent; necessarium fuit, ut animalibus superadderetur appetitus animalis consequens apprehensionem, ut ex multitudine apprehensorum animal in diversa feratur. — *de Verit.* l. c. ad 2.

ARTICULUS II

ITRUM APPETITUS SENSITIVUS ET INTELLECTIVUS SINT DIVERSÆ POTENTIÆ.

Videtur quod appetitus sensitivus et ntellectivus non sint diversæ potentiæ.

1. Philosophus enim in 2. *de Anima* (*text.* 7; c. 3) distinguit quinque genera potentiarum animæ et operationum : quorum *unum* includit generationem, nutrionem et augmentum, *secundum* includit ensum, *tertium* appetitum, *quartum* motum secundum locum, *quintum* intellectum — ubi intellectus a sensu distinguitur, non autem appetitus intellectivus a sensitivo — : ergo videtur quod non distinguatur potentia appetitiva superior ab inferiori, sicut distinguitur potentia apprehensiva superior a potentia apprehensiva inferiori. — *de Verit.* q. 22, a. , arg. 4.

2. Præterea, potentiæ non diversificantur per accidentales differentias ; sed accidit appetibili, quod sit apprehensum per ensum vel per intellectum : ergo appetitus sensitivus et intellectivus non sunt diversæ potentiæ. — *de Verit.* l. c. arg. ; 1a, q. 80, a. 2, arg. 1.

3. Præterea, cognitio intellectiva est universalium ; et secundum hoc distinguitur ab intellectiva, quæ est singularium ; ed illa distinctio non habet locum ex parte appetitivæ : cum enim appetitus sit motus ab anima ad res, quæ sunt singulares, omnes appetitus videntur esse rei singularis. Non ergo appetitus intellectivus debet distingui a sensitivo. — 1a, l. . arg. 2 ; *de Verit.* l. c. arg. 2.

4. Præterea, sicut sub apprehensivo ordinatur appetitivum ut inferior potentia, ita et motivum ; sed non est aliud motivum in homine consequens intellectum, quam in aliis animalibus consequens ensum : ergo pari ratione neque est aliud ppetitivum. — 1a, l. c. arg. 3 ; *de Verit.* c. arg. 3.

Sed contra est : 1. quod Philosophus (3. *e Anima text.* 57 et 58 ; c. 11) distinguit uplicem appetitum, et dicit, quod appetitus superior movet inferiorum ut sphæra sphæram ; ergo. — *de Verit.* l. c. arg. *Sed contra* ; 1a, l. c. arg. *Sed contra.*

2. Præterea, potentia appetitiva est potentia passiva, quæ nata est moveri ab apprehenso. Unde appetibile apprehensum est movens non motum ; appetitus autem movens motum, ut dicitur in 3. *de Anima* (*text.* 54 ; c. 10) et 12. *Metaphys.* (*text.* 36; l. 11, c. 7). Passiva autem et mobilia distinguntur secundum distinctionem activorum et motivorum, quia oportet motivum esse proportionatum mobili et activum passivo ; et ipsa potentia passiva propriam rationem habet ex ordine ad suum activum. Quia ergo est alterius generis apprehensum per intellectum et apprehensum per sensum, consequens est, quod appetitus intellectivus sit alia potentia a sensitivo. — 1a, l. c., in c.

Respondeo dicendum, quod voluntas est alia potentia ab appetitu sensitivo. Ad cujus evidentiam sciendum est, quod, sicut appetitus sensitivus distinguitur ab appetitu naturali propter perfectiorem modum appetendi : ita appetitus rationalis ab appetitu sensitivo. Quanto enim aliqua natura est Deo propinquior, tanto expressior in ea divinæ dignitatis similitudo invenitur. Hoc autem ad divinam dignitatem pertinet, ut omnia moveat et inclinet et dirigat, ipse nullo alio motus vel inclinatus vel directus. Unde quanto aliqua natura est Deo vicinior, tanto minus ab eo inclinatur, et magis nata est se ipsam inclinare. Natura igitur *insensibilis*, quæ ratione suæ materialitatis est maxime a Deo remota, inclinatur quidem in aliquem finem, non tamen est in ea aliquid inclinans, sed solummodo inclinationis principium, ut ex prædictis (*de Verit.* q. 22, a. 1) patet. Natura autem *sensitiva*, ut Deo propinquior, in se ipsa habet aliquid inclinans, scilicet appetibile apprehensum ; sed tamen inclinatio ipsa non est in potestate ipsius animalis, quod inclinatur, sed est ei aliunde determinata. Animal enim ad aspectum delectabilis non potest non concupiscere illud,

quia talia animalia non habent dominium suæ inclinationis : unde non agunt, sed magis aguntur, secundum Damascenum (*de Fide Orthod.* l. 2, c. 27; — Migne PP. Gr. t. 94, col. 962) ; et hoc ideo, quia vis appetitiva sensibilis habet organum corporale, et ideo appropinquat dispositionibus materiæ et rerum corporalium, ut moveatur magis quam moveat. Sed natura *rationalis*, quæ est Deo maxime propinqua, non solum habet inclinationem in aliquid, sicut habent inanimata : nec solum movens hanc inclinationem quasi aliunde eis determinatam, sicut natura sensibilis ; sed ultra hoc habet in potestate ipsam inclinationem, ut non sit ei necessarium inclinari ad appetibile apprehensum, sed possit inclinari vel non inclinari ; et sic ipsa inclinatio non determinatur ei ab alio, sed a se ipsa. Et hoc quidem competit ei, in quantum non utitur organo corporali ; et sic recedens a natura mobilis accedit ad naturam moventis et agentis. Quod autem aliquid determinet sibi inclinationem in finem, non potest contingere, nisi cognoscat finem et habitudinem finis in ea quæ sunt ad finem : quod est tantum rationis. Et ideo talis appetitus non determinatus ex aliquo alio de necessitate, sequitur apprehensionem rationis. — Unde appetitus rationalis, qui voluntas dicitur, est alia potentia ab appetitu sensibili. — *de Verit.* q. 22, a. 4, c.

Ad primum ergo dicendum, quod sensus et intellectus differunt per rationes apprehensibilis in quantum est apprehensibile, propter hoc quod ad diversa genera pertinet potentiarum. Sensus enim tenet apprehendendo particulare, intellectus autem apprehendendo universale. Appetitus vero superior et inferior non differunt per differentiam appetibilis in quantum est appetibile, cum in idem bonum quandoque tendat uterque appetitus ; sed differunt penes diversum modum appetendi, ut ex dictis (*de Verit.* q. 22, a. 1, 2, 3) patet. Et ideo sunt quidem diversæ potentiæ, sed non diversa potentiarum genera. — *de Verit.* q. 22, a. 4, ad 4.

Ad secundum dicendum, quod appetibili non *accidit* esse apprehensum per sensum vel intellectum, sed *per se* ei convenit. Nam appetibile non movet appetitum, nisi in quantum est apprehensum. Unde differentiæ apprehensi sunt per se differentiæ appetibilis. Unde potentiæ appetitivæ distinguuntur secundum differentiam apprehensorum sicut secundum propria objecta. — 1a, q. 80, a. 2, ad 1. — *Vel dic*, quod voluntas ab appetitu sensibili non distinguitur directe per hoc quod est sequi apprehensionem hanc vel illam ; sed ex hoc, quod est determinare sibi inclinationem, vel habere inclinationem determinatam ab alio ; quæ duo exigunt potentiam non unius modi ; sed talis diversitas requirit diversitatem apprehensionum, ut ex prædictis (*de Verit.* q. 22, a. 3) patet. Unde quasi ex consequenti accipitur distinctio appetitivarum virium penes distinctionem apprehensivarum, et non principaliter. — *de Verit.* q. 22, a. 4, ad 1.

Ad tertium dicendum, quod appetitus intellectivus, etsi feratur in res quæ sunt extra animam singulares, fertur tamen in eas secundum aliquam rationem universalem : sicut cum appetit aliquid, quia est bonum. Unde Philosophus dicit in sua *Rhetorica* (l. 2, c. 4), quod odium potest esse de aliquo universali, puta cum odio habemus omne latronum genus. Similiter etiam per appetitum intellectivum appetere possumus immaterialia bona quæ sensus non apprehendit, sicut scientiam, virtutes et alia hujusmodi. — 1a, q. ad 2. — *Vel dic*, quod quamvis appetitus semper intendat ad aliquid in rerum natura existens, quod est per modum particularis et non universalis ; tamen ad appetendum quandoque movetur per apprehensionem alicujus universalis conditionis : sicut appetimus hoc bonum in hac consideratione, qua consideramus simpliciter bonum esse appetendum ; quandoque vero per apprehensionem particularis secundum suam particularitatem

Et ideo sicut appetitus ex consequenti istinguitur per differentiam apprehenionis, quam sequitur; ita ex consequenti istinguitur per universale et particulare. — *de Verit.* l. c. ad 2.

Ad quartum dicendum, quod, sicut dicit hilosophus (3. *de Anima text.* 57 et 58; . 11), opinio universalis non movet nisi ediante particulari; et similiter appetis superior movet mediante inferiore; t ideo non est alia vis motiva consequens ntellectum et sensum. — 1a, l. c. ad 3; *e Verit.* l. c. ad 3.

ARTICULUS III

TRUM APPETITUS SENSITIVUS DISTINGUATUR IN CONCUPISCIBILEM ET IRASCIBILEM TAMQUAM IN DIVERSAS POTENTIAS.

Videtur quod appetitus sensitivus non istinguatur in irascibilem et concupiscilem sicut in potentias diversas.

1. Eadem enim potentia animæ est unius ontrarietatis, ut visus albi et nigri, ut icitur in 2. *de Anima* (*text.* 107; c. 11); ed conveniens et nocivum sunt contraia: cum ergo concupiscibilis respiciat onveniens, irascibilis vero nocivum, videur quod eadem potentia sit concupiscibis et irascibilis. — 1a, q. 81, a. 2, arg. ; *de Verit.* q. 25, a. 2, arg. 2.

2. Præterea, per eandem virtutem aliuis recedit ab uno extremo et accedit ad lterum, sicut ratione gravitatis lapis ecedit a loco supremo et accedit ad ocum infimum; sed per vim irascibilem nima recedit a nocivo fugiendo ipsum, er vim autem concupiscibilem acceit ad conveniens concupiscendo ipsum: rgo eadem vis animæ est concupiscibis et irascibilis; et sic idem quod prius. - *de Verit.* l. c. arg. 3.

3. Præterea, appetitus sensitivus non st nisi convenientium secundum senim; sed conveniens secundum sensum st objectum concupiscibilis; proprium nim objectum gaudii est conveniens; audium autem non est nisi in concupicibili: ergo nullus appetitus sensitivus est a concupiscibili distinctus. — 1a, l. c. arg. 2; *de Verit.* l. c. arg. 4.

4. Sed dices, quod objectum appetitus est etiam nocivum sive disconveniens, ad quod irascibilis se extendit. — Sed contra, sicut conveniens est objectum gaudii, ita nocivum vel disconveniens est objectum tristitiæ; sed tam gaudium quam tristitia sunt in concupiscibili: et ita idem quod prius. — *de Verit.* l. c. arg. 5.

5. Præterea, appetitus sensibilis præsupponit apprehensionem; sed eadem vi apprehensiva apprehenditur conveniens et nocivum: ergo et eadem vis appetitiva se habet ad utrumque; et sic idem quod prius. — *Ibid.* arg. 6.

6. Præterea, odium est in concupiscibili, ut probatur in 2. *Topic.* (c. 3, al. 7), eo quod amor est in eadem; sed adest etiam in irascibili; dicit enim Hieronymus super illud Matthæi 13, 33: *Simile est regnum cœlorum fermento*: « Possideamus... in irascibili (1) odium vitiorum » (Migne PP. Lat. t. 26, col. 91). Et probatur, quia odium est ira inveterata, ut dicit Augustinus; ira autem est in irascibili: ergo eadem vis est irascibilis et concupiscibilis. — *Ibid.* arg. 7; 1a, l. c. arg. 3.

7. Præterea, potentiæ secundum actus distinguuntur; sed in quolibet actu irascibilis includitur actus concupiscibilis; nam ira habet concupiscentiam vindictæ, et sic de aliis: ergo concupiscibilis non est alia potentia ab irascibili. — *de Verit.* l. c. arg. 9.

Sed contra est, quod Philosophus distinguit appetitum sensitivum in concupiscibilem et irascibilem; nam 3. *de Anima* (*text.* 42: c. 8) ponit in anima triplicem appetitum, rationalem, et sensitivum concupiscibilem, et irascibilem.

Respondeo dicendum, quod appetitus sensitivus est una vis in genere, quæ sensualitas dicitur; sed dividitur in duas potentias, quæ sunt species appetitus sensitivi, scilicet in irascibilem et concupiscibilem. — Ad cujus evidentiam considerandum, quod in *rebus naturalibus*

(1) Al. « in ira odium contra vitia ».

corruptibilibus est *duplex inclinatio*, secundum duplicem *operationem* illarum : *una* est ad consequendum convenientia et refugiendum nociva, ac proinde per quam res naturalis nititur acquirere id, quod est conservativum suæ naturæ ; *altera* est ad resistendum corrumpentibus et contrariis, quæ convenientibus impedimentum præbent et ingerunt nocumenta : — sicut ignis habet naturalem inclinationem, non solum ut recedat ab inferiori loco, qui sibi non convenit, et tendat ad locum superiorem sibi convenientem, ut ibi conservetur ; sed etiam ut resistat corrumpentibus et impedientibus : unde per qualitatem motivam movetur sursum, et per qualitatem activam sua contraria destruit, ne corrumpatur. — Quia igitur *appetitus sensitivus* est inclinatio consequens apprehensionem sensitivam, sicut appetitus naturalis est inclinatio consequens formam naturalem, necesse est quod etiam in parte sensitiva sint *duæ potentiæ appetitivæ* : *una*, per quam anima simpliciter inclinatur ad prosequendum ea, quæ sunt convenientia secundum sensum, et ad refugiendum nociva ; et hæc dicitur *concupiscibilis* ; *alia* vero, per quam animal resistit iis, quæ convenientia impugnant et nocumenta inferunt ; et hæc vis dicitur *irascibilis* ; unde dicitur, quod ejus objectum est *arduum*, quia scilicet tendit ad hoc quod habeat dominium et victoriam super contraria et supereminet eis ; sicut objectum concupiscibilis dicitur esse *convenienS* secundum sensum.

Hæ autem duæ inclinationes quod *non* reducantur in *idem principium*, patet : — *primo*, quia aliam rationem appetibilitatis habet aliquid ex hoc quod est arduum, cum quandoque illud, quod est arduum, a delectatione separet, et rebus circumstantibus se immisceat : sicut cum animal relicta voluptate, cui vacabat, aggreditur pugnam nec retrahitur propter dolores, quos sustinet. — *Secundo*, quia *una* earum, scilicet concupiscibilis, videtur ordinata ad recipiendum : hoc enim appetit, ut ei suum delectabile conjungatur ; *altera* vero, scilicet irascibilis, est ordinata ad agendum, quia per actionem aliquam superat id, quod est contrarium vel nocivum, ponens se in quadam altitudine victoriæ super ipsum. Hoc autem communiter in potentiis animæ invenitur, quod recipere et agere ad diversas potentias pertinent, sicut patet de intellectu agente et possibili. Et inde est quod secundum Avicennam ad irascibilem pertinet fortitudo et debilitas cordis, quasi ad virtutem ordinatam ad agendum ; ad concupiscibilem autem dilatatio et constrictio ipsius, quasi ad virtutem ordinatam ad recipiendum. — *Tertio*, quia interdum anima tristibus se ingerit contra inclinationem concupiscibilis ut secundum inclinationem irascibilis impugnet contraria. Unde etiam passiones irascibilis repugnare videntur passionibus concupiscibilis. Nam concupiscentia accensa minuit iram, et ira accensa minuit concupiscentiam, ut in pluribus. Patet etiam ex hoc, quod irascibilis est quasi propugnatrix et defensatrix concupiscibilis, dum insurgit contra ea, quæ impediunt convenientia, quæ concupiscibilis appetit, et ingerunt nociva, quæ concupiscibilis refugit. Et propter hoc omnes passiones irascibilis incipiunt a passionibus concupiscibilis, et in eas terminantur : sicut ira nascitur ex illata tristitia, et vindictam inferens in lætitiam terminatur. Propter hoc etiam pugnæ animalibus sunt de concupiscibilibus, scilicet de cibis et venereis, ut dicitur in 8. *de Animalib.* (6. *Hist. Animal.* c. 18). — 1a, q. 81, a. 2, c. ; *de Verit.* q. 25, a. 2, c.

Ad primum ergo dicendum, quod vis concupiscibilis est convenientis et inconvenientis, sed irascibilis est ad resistendum inconvenienti, quod impugnat : quæ est dicere, tum conveniens delectabile quam nocivum tristabile ad concupiscibilem pertinere, secundum quod unum est fugiendum et alterum consequendum, sed habere quandam altitudinem super utrumque, ut scilicet nocivum possit superari, et delectabile cum securitate quæ

ım possideri, ad irascibilem pertinere. - 1a, l. c. ad 1; *de Verit.* l. c. ad 2.

Ad secundum dicendum, quod recedere nocivo et accedere ad delectabile, rumque concupiscibili competit; sed ıpugnare et superare id, quod potest se nocivum, hoc pertinet ad irascibi- m. — *de Verit.* l. c. ad 3.

Ad tertium dicendum, quod sicut in ap- ehensivis virtutibus in parte sensitiva t aliqua vis æstimativa, scilicet quæ est rceptiva eorum, quæ sensum non immu- nt, ut supra dictum est; ita etiam in petitu sensitivo est aliqua vis appetens iquid, quod non est conveniens secun- m delectationem sensus, sed secundum od est utile animali ad suam defensio- em; et hæc est vis irascibilis. — *Vel c*, quod conveniens est objectum con- piscibilis, secundum quod est delectabi-, sed totius sensualitatis seu appetitus nsitivi, secundum quod est quomodo- ınque expediens animali vel per viam dui vel per viam delectabilis. — 1a, l. ad 2; *de Verit.* l. c. ad 4 et 5.

Et sic *ad quartum.*

Ad quintum dicendum, quod eadem ap- etitiva concupiscibilis est convenientis osecutiva et inconvenientis fugitiva; un- irascibilis et concupiscibilis non distin- ıuntur per conveniens et nocivum, ut dictis patet. — *de Verit.* l. c. ad 6.

Ad sextum dicendum, quod odium sim- iciter pertinet ad concupiscibilem, sed ıtione impugnationis, quæ ex odio cau- ıtur, potest ad irascibilem pertinere; ıando vero dicitur, quod odium est ira, t prædicatio per causam et non per ssentiam; nam passiones irascibilis ter- inantur ad passiones concupiscibilis, ut ictum est. — *Ibid.* ad 7.

Ad septimum dicendum, quod in defini- one passionum irascibilis ponitur actus ppetitivæ communis, ut appetere; non utem aliquid ad concupiscibilem perti- ens, nisi sit principium vel terminus: t si dicatur, quod ira est appetitus vin- ictæ propter præcedentem contristatio- em. — *Ibid.* ad 9; 1a, l. c. ad 3.

ARTICULUS IV

UTRUM APPETITUS INTELLECTIVUS ETIAM DISTINGUATUR IN IRASCIBILEM ET CONCUPISCIBILEM TAMQUAM IN DIVERSAS POTENTIAS.

Videtur quod etiam appetitus intellectivus distinguatur in irascibilem et concupiscibilem tamquam in diversas potentias.

1. Nam appetitus intellectivus ad plura se extendit quam sensitivus, cum sit et corporalium et spiritualium; si ergo appetitus sensitivus dividitur in duas vires, scilicet irascibilem et concupiscibilem, multo fortius et intellectivus, qui est appetitus superior, dividi debet. — *de Verit.* q. 25, a. 3, arg. 1.

2. Præterea, secundum Philosophum in 2. *de Anima* (*text.* 21; c. 2) et 12. *Metaphys. text.* 17; l. 11, c. 3) sola pars animæ rationalis est a corpore separabilis; sed irascibilis et concupiscibilis remanent in anima a corpore separata, ut dicitur in lib. *de Spiritu et Anima* (c. 15; — Migne PP. Lat. t. 40, col. 791): ergo irascibilis et concupiscibilis ad partem rationalem pertinent. — *Ibid.* arg. 3.

3. Præterea, caritas dicitur esse in concupiscibili, spes autem in irascibili; sed caritas et spes non sunt in appetitu sensitivo, qui non potest extendi ad immaterialia: ergo irascibilis et concupiscibilis non sunt tantum in appetitu sensitivo, sed etiam in intellectivo. — *Ibid.* arg. 5.

4. Præterea, vires humanæ dicuntur illæ, quas homo supra cetera animalia habet, quæ pertinent ad superiorem animæ partem; sed distinguitur a magistris duplex irascibilis, humana et non humana; et similiter concupiscibilis: ergo prædictæ vires sunt etiam in appetitu intellectivo. — *Ibid.* arg. 6.

5. Præterea, operationes virium sensitivarum tam apprehensivarum quam appetitivarum non manent in anima se-

parata, quia per corporis organa exercentur; alias anima sensibilis in brutis esset incorruptibilis, utpote potens suam operationem habere per se ipsam; sed in anima separata remanent gaudium et tristitia, amor et timor et alia hujusmodi, quæ attribuuntur irascibili et concupiscibili : ergo irascibilis et concupiscibilis non sunt tantum in sensitiva parte, sed etiam in intellectiva. — *Ibid*, arg. 7.

Sed contra est, quod Damascenus (2. *de Fide Orthod.* c. 12; — Migne t. 94, col. 927) et Gregorius Nyssenus et Philosophus ponunt, eas esse in sensibili appetitu tantum. — *de Verit.* q. 25, a. 3, arg. *Sed contra.*

Respondeo dicendum, quod cum actus appetitivarum partium præsupponat actum apprehensivarum, et distinctio appetitivarum ad invicem aliqualiter similis est distinctioni apprehensivarum. Invenimus autem hoc in apprehensivis potentiis, quod respectu illarum apprehensiva superior manet una et indivisa, respectu quarum apprehensivæ inferiores distinguuntur. Una enim intellectiva potentia cognoscimus omnia sensibilia quantum ad earum naturas, respectu quarum vires sensitivæ distinguuntur. Unde secundum Augustinum (potius alium scriptorem, in lib. *de Spiritu et Anima* c. 12 sq.; — Migne t. 40, col. 787 sqq.) exterius aliud est, quod videt et quod audit, sed interius in intellectu est idem. Et similiter est de appetitivis : quod appetitiva superior est una respectu omnium appetibilium, quamvis appetitivæ inferiores respectu diversorum appetibilium distinguantur.

Cujus ratio ex utraque parte est, quod vis superior habet objectum universale, sed inferiores vires habent objecta particularia. Multa autem per se conveniunt particularibus, quæ per accidens se habent ad universale; et ideo cum accidentalis differentia non diversificet speciem, sed solum illa, quæ est per se, potentiæ inferiores inveniuntur secundum speciem distinctæ, sed superior potentia remanet indivisa; sicut patet, quod objectum intellectus est *quod quid est* : unde est eadem potentia intellectus ad omnia, quæ habent quidditatem, nec diversificatur per aliquas differentias, quæ rationem quidditatis non diversificant. Sed cum objectum sensus sit corpus, quod est natum movere organum, secundum diversam rationem movendi oportet potentias diversificari. Unde alia potentia est visus, alia auditus, quia alia ratione movet sensum color et sonus. Et similiter ex parte appetitivarum; nam objectum appetitus superioris, ut supra (*de Verit.* q. 25, a. 1) dictum est, est bonum absolute; sed objectum appetitus inferioris est res aliquo modo proficua animali. Arduum autem et delectabile non secundum eandem rationem sunt convenientia animali, ut ex prædictis patet. Et ideo per hoc essentialiter diversificatur objectum appetitus sensitivi, non autem objectum appetitus intellectivi, qui tendit in bonum absolute quocunque modo.

Sciendum tamen est, quod sicut intellectus habet aliquam operationem circa eadem, circa quæ sensus operantur, sed altiori modo, cum cognoscat universaliter et immaterialiter, quod sensus materialiter et particulariter cognoscit; ita appetitus superior circa eadem habet operationem cum appetitibus inferioribus, quamvis altiori modo. Nam inferiores appetitus tendunt in sua objecta materialiter, et cum aliqua passione corporali, a quibus passionibus nomen irascibilis et concupiscibilis imponitur; appetitus vero superior habet aliquos actus similes inferiori appetitui, sed absque omni passione. Et sic operationes superioris appetitus sortiuntur interdum nomina passionum, sicut voluntas vindictæ dicitur ira, et quietatio voluntatis super aliquo diligibili dicitur amor; et eadem ratione ipsa voluntas, quæ hos actus producit, dicitur interdum concupiscibilis et irascibilis, non tamen proprie, sed per quandam similitudinem; nec tamen ita, quod in volun-

te sint aliquæ vires diversæ similes ascibili et concupiscibili. — *de Verit.* 25, a. 3, c.

Ad primum ergo dicendum, quod quamis appetitus intellectivus in plura se tendat quam sensitivus, tamen quia habet universale bonum pro objecto proprio, non dividitur in plures potentias.— *Verit.* l. c. ad 1.

Ad secundum dicendum, quod liber ille on est Augustini, nec oportet eum in ctoritate recipere. Tamen potest dici, iod intelligit de irascibili et concupiscili similitudinarie dictis ; — vel loquitur iantum ad originem potentiarum ; nam nnes potentiæ sensitivæ ex essentia aniæ fluunt, unde dicuntur in anima separata remanere vel secundum essentiam el sicul in radice. — *Ibid.* ad 2 et 3.

Ad tertium dicendum, quod caritas et pes non sunt in irascibili et concupiscili, proprie loquendo, cum dilectio catatis et exspectatio spei sint sine passioe ; sed dicitur caritas esse in concupiscili, in quantum est in voluntate, prout abet actus similes concupiscibili ; et siili ratione dicitur esse spes in irascibili. - *Ibid.* ad 5.

Ad quartum dicendum, quod irascibilis concupiscibilis dicuntur esse humanæ ve rationalis, non per essentiam, quasi l partem superiorem pertineant, sed per irticipationem, in quantum obediunt itioni et participant regimen ejus, ut cit Damascenus (2. *de Fide Orthod.* c. 12 ; - Migne t. 94, col. 927). — *Ibid.* ad 6.

Ad quintum dicendum, quod gaudium timor, quæ sunt passiones, non remaent in anima separata, cum corporali imutatione peragantur ; sed remanent tus voluntatis similes illis passionibus. - *Ibid.* ad 7.

ARTICULUS V

UTRUM APPETITUS SENSITIVUS OBEDIAT RATIONI.

Videtur quod appetitus sensitivus non ediat rationi.

1. Quod enim obedit alicui, non repugnat ei ; sed irascibilis et concupiscibilis repugnat rationi, secundum illud Apostoli (*Rom.* 7, 15) : « Non enim quod volo bonum, hoc ago ; sed quod odi malum, hoc facio » ; — hoc enim dicitur, ut quædam glossa exponit, propter motus sensualitatis seu appetitus sensitivi ; — et ibidem dicitur : « Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ ». Hæc autem lex est concupiscentia ; ergo repugnat legi mentis, id est rationi ; et ita non obedit. — 1a, q. 81, a. 3, arg. 2 ; *de Verit.* q. 25, a. 4, arg. 1 et 2.

2. Præterea, sicut rationali parte inferior est vis appetitiva, ita etiam et vis sensitiva ; ita enim ordinantur ad invicem apprehensivæ sicut appetitivæ ; sed pars sensitiva non obedit intellectui atque adeo rationi ; non enim audimus nec videmus quando volumus ; nec videmus aut audimus quidquid intellectus decernit : ergo nec vires sensitivi appetitus, scilicet irascibilis et concupiscibilis, sunt in potestate rationalis appetitus, et consequenter non obediunt rationi. —1a, l. c. arg. 3 ; *de Verit.* l. c. arg. 3 ; 1a 2æ, q. 17, a. 7, arg. 3.

3. Præterea, naturalia in nobis non subduntur rationi ; sed sensualitas naturali impetu tendit in suum objectum et appetibile : ergo motus sensualitatis non subditur rationi. — *de Verit.* l. c. arg. 4.

4. Præterea, materia corporalis soli Deo obedit quantum ad transmutationem formalem : sed actus appetitus sensitivi habet quandam formalem transmutationem corporis, scilicet calorem et frigus. Docet enim Avicenna, quod ad passiones animæ, quæ sunt actus appetitus sensitivi, requiruntur dispositiones corporum, sicut ad iram sanguis calidus et subtilis, ad gaudium temperatus sanguis. Dispositio autem corporalis non subditur rationi ; ergo nec rationi subditur actus appetitus sensitivi. — 1a 2æ, l. c. arg. 2 ; *de Verit.* l. c. arg. 5.

Sed contra est, quod Philosophus in 1. *Eth.* (c. ult.) docet, quod irascibilis et et concupiscibilis participant aliqualiter

rationem; et in 1. *Polit.* in medio (c. 3, al. 5) dicit, quod ratio præest irascibili et concupiscibili non principatu despotico, qui est domini ad servum, sed principatu politico et regali, qui est ad liberos, qui non totaliter subduntur imperio. — *de Verit.* q. 25, a. 4, arg. *Sed contra*; 1a 2æ, q. 17, a. 7, c.

Respondeo dicendum, quod in ordine mobilium et motorum est devenire ad aliquod primum quod est movens se, a quo movetur illud, quod non est ex se motum, quia omne, quod est per aliud, reducitur ad per se, ut habetur ex 8. *Phys.* Unde cum *voluntas* se ipsam moveat ex hoc, quod est domina sui actus, oportet quod *vires aliæ*, quæ se ipsas non movent, ab aliquo moveantur. Tanto autem unaquæque aliarum virium plus de motu ejus participat, quanto fit ei propinquior. — Unde ipsæ *appetitivæ inferiores* voluntati obediunt quantum ad suos principales actus, utpote ei propinquissimæ. — Aliæ vero magis remotæ, ut *nutritiva* et *generativa*, moventur a voluntate quantum ad aliquos earum exteriores actus. — *de Verit.* q. 25, a. 4, c.

Subduntur autem appetitivæ inferiores, scilicet *irascibilis* et *concupiscibilis*, rationi dupliciter: — *primo* quidem *ex parte* ipsius *rationis*, et sic duobus modis, secundum quod appetitus sensitivus natus est moveri immediate vel ab æstimativa vel ab imaginativa sicut et a sensu. — *Uno modo* mediante *imaginativa*: cum enim eadem res sub diversis conditionibus considerata possit et delectabilis et tristabilis reddi, ratio opponit sensualitati mediante imaginatione rem aliquam sub ratione delectabilis vel tristabilis, secundum quod ei videtur, et sic sensualitas movetur ad gaudium vel tristitiam. — *Alio modo* mediante *cogitativa*: cum enim appetitus sensitivus in aliis animalibus natus sit moveri ab æstimativa virtute, sicut ovis æstimans lupum inimicum timet, loco autem æstimativæ virtutis sit in homine, ut supra (q. 84, a. un., in c.) dictum est, vis cogitativa, quæ alio nomine a quibusdam dicitur ratio particularis, eo quod est collativa intentionum individualium, ab illa etiam natus est in homine moveri appetitus sensitivus. Ipsa autem ratio particularis nata est moveri et dirigi in homine secundum rationem universalem. Unde in syllogisticis ex universalibus propositionibus concluduntur conclusiones singulares. Et ideo oportet quod ratio universalis imperet appetitui sensitivo, et hic illi obediat. Quod quilibet in se ipso experiri potest: applicando enim aliquis universales considerationes mitigatur ira aut timor vel aliquid hujusmodi vel etiam instigatur. — Ceterum quia deducere universalia principia in conclusiones singulares, non est opus simplicis intellectus, sed *rationis;* ideo irascibilis et concupiscibilis, quando moventur immediate a cogitativa, magis dicuntur obedire rationi quam intellectui.

Secundo, ex parte voluntatis: voluntati enim subjacet appetitus sensitivus quantum ad executionem, quæ fit per vim motivam. In aliis enim animalibus statim ad appetitum concupiscibilis et irascibilis sequitur motus, sicut ovis timens lupum statim fugit, quia non est in ei superior appetitus, qui repugnet. Sed homo non statim movetur secundum appetitum irascibilem et concupiscibilem, sed expectatur imperium voluntatis, quæ est appetitus superior. In omnibus enim potentiis motivi ordinis (1) secundum movens non movet nisi virtute primi moventis. Unde appetitus inferior non sufficit movere, nisi appetitus superior consentiat. Et hoc est, quod Philosophus dicit in 3 *de Anima* (*text.* 57; c. 11), quod appetitus superior movet inferiorem sicut sphæra superior inferiorem. Hoc ergo modo irascibilis et concupiscibilis rationi subduntur. — 1a, q. 81, a. 3, c.; *de Verit.* q. 25, a. 4, c.

Verum quia non totaliter appetitus sensitivus rationi obedit; ideo sciendum quod secundum hoc aliquis actus imperi-

(1) Al.: motivis ordinatis.

rationis subjacet eique obedit, *prout est in potestate nostra;* et ideo ad intelligendum, qualiter actus appetitus sensitivi subdatur imperio rationis eique obediat, oportet considerare, *qualiter sit in potestate nostra.* Est autem sciendum, quod appetitus sensitivus in hoc differt ab appetitu intellectivo, qui dicitur voluntas, quod appetitus sensitivus est virtus organi corporalis, non autem voluntas. Omnis autem actus virtutis utentis organo corporali dependet non solum ex potentia *animæ*, sed etiam ex *corporalis organi* dispositione : sicut visio ex potentia visiva et qualitate oculi, per quam juvatur vel impeditur. Unde et actus appetitus sensitivi non solum dependet ex vi appetitiva, sed etiam ex dispositione *corporis.* Illud autem, quod est ex parte potentiæ *animæ*, sequitur apprehensionem. Apprehensio autem *imaginationis*, cum sit particularis, regulatur ab apprehensione *rationis*, quæ est universalis, sicut virtus activa particularis a virtute activa universali ; et ideo ex ista parte actus appetitus sensitivi subjacet imperio rationis. Qualitas autem et dispositio *corporis* non subjacet imperio rationis ; et ideo ex hac parte impeditur, quin motus sensitivi appetitus totaliter subdatur imperio rationis eique obediat. — Contingit autem etiam quandoque, quod motus appetitus sensitivus subito comitatur (1) ad apprehensionem imaginationis vel sensus; et tunc ille motus est præter imperium rationis, quamvis potuisset impediri a ratione, si prævidisset. Unde Philosophus dicit 1. *Polit.* (c. 3, al. 5), quod *ratio præ irascibili et concupiscibili non principatu despotico, sed politico aut regali*, secundum quem qui reguntur, non totaliter subduntur imperio, ut dictum est. — 1a, q. 17, a. 7, c. ; 2. *Sent.* dist. 21, q. a. 2, ad 5.

Ad primum ergo dicendum, quod primum Apostoli dictum intelligitur quantum ad hoc, quod non est in potestate nostra universaliter omnes inordinatos motus sensualitatis impedire, quamvis possimus impedire singulos. — *de Verit.* q. 25, a. 4, ad 1.

Vel dic, quod hoc, quod homo vult non concupiscere, et tamen concupiscit, contingit ex dispositione corporis, per quam impeditur appetitus sensitivus, ne totaliter sequatur imperium rationis. Unde et Apostolus subdit secundum dictum, nimirum : *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ.* Hoc etiam contingit propter subitum motum concupiscentiæ, ut dictum est. — 1a 2æ, l. c. ad 1.

Ad secundum dicendum, quod ideo sensus exteriores non obediunt rationi, quia indigent ad sentiendum sensibilium rerum præsentia, quæ non est semper in potestate rationis. Tunc enim homo potest uti sensu, cum voluerit, nisi sit impedimentum ex parte organi ; sed vires inferiores tam apprehensivæ quam appetitivæ non indigent exterioribus sensibilibus, et ideo subduntur imperio rationis, quæ potest non solum instigare vel mitigare effectus appetitivæ virtutis, sed etiam formare imaginativæ virtutis phantasma. — 1a, l. c. ad 3; *de Verit.* l. c. ad 3 ; 1a 2æ, l. c. ad 3.

Ad tertium dicendum, quod appetitiva inferior non naturaliter tendit in rem aliam, nisi postquam proponitur sibi sub ratione proprii objecti, ut ex dictis (*de Verit.* q. 25, a. 1) patet. Unde cum in potestate rationis sit, sub diversis rationibus unam et eandem rem proponere, utpote cibum aliquem ut delectabilem et ut mortiferum, potest in diversa ratio sensualitatem movere. — *de Verit.* q. 25, a. 4, ad 4.

Ad quartum dicendum, quod qualitas corporalis dupliciter se habet ad actum appetitus sensitivi : uno modo ut *præcedens* , prout aliquis est aliqualiter dispositus secundum corpus ad hanc vel illam passionem ; alio modo ut *consequens*, sicut cum ex ira aliquis incalescit. Qualitas igitur præcedens non subjacet imperio

(1) Al. « concitatur ».

rationis, quia vel est ex natura vel ex aliqua præcedenti motione, quæ non statim quiescere potest; sed qualitas consequens sequitur imperium rationis, quia sequitur motum localem cordis, quod diversimode movetur secundum diversos actus appetitus sensitivi. — 1a 2æ, l. c. ad 2.

QUÆSTIO LXXXVI

DE ORGANO APPETITUS SENSITIVI.

Deinde considerandum est de organo appetitus sensitivi.

CIRCA QUOD QUÆRITUR :

Utrum organum appetitus sensitivi sit cor.

ARTICULUS

UTRUM ORGANUM APPETITUS SENSITIVI SIT COR.

Videtur quod organum appetitus sensitivi non sit cor.

1. Potentiæ enim distinguuntur ex organis, ut dictum est (supra q. 64, a. 2, arg. 5, et q. 83, a. 2, arg. 2 *Sed contra*); sed cor est organum sensus communis, ut dictum est (supra q. 84, a. un.) : ergo cor non est organum appetitus sensitivi.

2. Præterea, appetitus sensitivus comitatur tactum, sicut et imaginationem et sensum communem, a quibus movetur, ut dictum est (supra q. 85, a. 1, in c.); sed in animalibus tam perfectis quam imperfectis tactus diffunditur per omnes partes corporis, ut dictum est (q. 81, a. un.) : ergo et appetitus sensitivus, et per consequens et organum debet esse diffusum per omnes partes.

Sed contra est, quod cum anima moveat corpus per cognitionem et appetitum, in ea parte debet esse organum appetitus, ubi incipit motus; sed a corde incipit motus animalis, ut dicit Philosophus *de Motu Animalium* (c. 6, al. 10) et *de Incessu Animalium* : ergo cor es organum primum intrinsecum appetitus — *de Spirit. Creat.* a. 3, ad 4; *de Mot Animal.* l. 8.

Respondeo dicendum, quod *duplex* es *organum appetitus* : — unum intrinsecun et *primum*, et hoc est cor, ut docet Philosophus locis citatis. Quod potest ess manifestum ex his. Nam *primo*, cum ap petitus moveatur a sensu, ut dictum est ibi debet esse organum appetitus, ubi es organum primi sensitivi; sed primur sensitivum est in corde tamquam in orga no proprio, ut dictum est (supra q. 84, a un.): ergo et in eodem erit appetitus tam quam in organo proprio. (*de Motu Ani mal.* l. 7 et 8.) — *Secundo*, primo moven et primo motum debent esse simul; se primo movens est appetitus, primo motu est spiritus existens in corde, ut dic Philosophus (*de Motu Animal.* c. 6, al. 10) ergo et ibidem erit appetitus sensitivu tamquam in organo proprio. (*de Mot Animal.* l. 8.) — *Tertio*, tactus et appetitu simul esse deb nt; nam ad tactum sequ tur delectatio vel tristitia, qui sunt actu appetitus sensitivi, ut dictum est (q. 8 et 84); sed organum sive sensorium t ctus est circa cor vel in corde, ut dictu est (q. 81, a. un.) : ergo et ibi erit appe titus. (2. *de Anima* l. 4; 3. *de Anima* l. 16 — *Quarto*, illud est organum appetitu sensitivi, circa quod primo contingu passiones animalis, quarum subjectu est appetitus sensitivus; sed prædict passiones contingunt circa cor; hoc em in ira fervet, in timore quodammodo fr gescit et constringitur : ergo cor erit o ganum primum appetitus sensitivi. (*Ib* et *de Verit.* q. 26, a. 3, c. et ad 11.)

Secundum vero *organum appetitus se sitivi* est quacumque pars sensitiva, c nimirum inest tactus et imaginatio si perfecta sive imperfecta. Quod manifes patet. Nam, ut docet Philosophus *de A ma* lib. 2 (*text.* 20; c. 2) et 3 (*text.* 56; 10), pars quacumque animalis imperfec que dicitur vivit, habet sensum et motu (nam si pungitur, se retrahit). Sed u

est sensus, necesse est quod etiam sit phantasia; nam hæc nihil aliud est quam motus factus a sensu in actu. At ubi est phantasia, est etiam appetitus; ad sensum enim de necessitate sequitur lætitia et tristitia, sive delectatio et dolor (necesse enim est, si sensibile perceptum est conveniens, quod sit delectabile; si autem est nocivum, quod sit dolorosum). Ubi autem est dolor et delectatio, oportet quod sit desiderium et appetitus. Unde necesse est quod quæcunque pars animalis perfecti vel imperfecti etiam decisa vivit et sentit, etiam habeat appetitum, et sic appetitus sensitivus habet organum diffusum per totum corpus, sicut et sensus tactus. — 2. *de Anima* l. 4; 3. *de Anima* c. 16.

Et ex his patet *ad secundum argumentum.*

Ad primum ergo dicendum, quod vegetativum, sensitivum, appetitivum et movens, cum inveniantur in una et eadem parte decisa animalis imperfecti, multo magis in quacunque parte continente animalis perfecti, non distinguuntur loco secundum organa in corpore animalis, ad differentiam quarundam potentiarum particularium, puta visus, auditus aliorumque, quæ habent organa loco separata. Cujus ratio est, quia sensus tactus et sensus communis et appetitus sensitivus sunt sensus maxime necessarii ad constitutionem animalis; unde debent esse secundum organa per totum corpus animalis diffusi. — 2. *de Anima* c. 4.

QUÆSTIO LXXXVII

DE VIRTUTE MOTIVA NATURALI.

Deinde considerandum est de virtute motiva sensitiva, quæ quia duplex est, naturalis et animalis, primum agemus de naturali, tum de animali.

CIRCA PRIMUM QUÆRUNTUR TRIA:

1. Utrum motus cordis et arteriarum sit ab anima.
2. Utrum motus respirationis sit ab anima.
3. Quod sit organum virtutis pulsativæ et respirativæ.

ARTICULUS I

UTRUM MOTUS CORDIS ET ARTERIARUM SIT AB ANIMA.

Videtur quod motus cordis et arteriarum non sit ab anima.

1. Neque enim est ab anima vegetativa, tum quia hujus opera sunt tantum generare, alimento uti, augere et minuere; tum quia hæc etiam plantis inest; motus autem cordis animalium proprius est. Neque etiam est ab anima sensitiva vel intellectiva, quia intellectus et sensus non movent nisi mediante appetitu et apprehensione. Motus autem cordis involuntarius est. — *Opusc.* 35.

2. Sed dices, quod est ab anima ut est natura. — Contra, motus cordis est in contrarias partes, componitur enim ex pulsu et tractu; motus autem, ab anima ut natura, seu motus naturalis, est ad unam partem, ut ignis movetur tantum sursum et terra deorsum: ergo motus cordis non est ab anima. — *Ibid.*

3. Præterea, motus tractus et pulsus est violentus gravi; sed cor est grave: ergo motus illius est violentus; et per consequens non est ab anima sensitiva, nam sic esset naturalis. — *Ibid.*

4. Præterea, motus cordis fit a calido; calidum enim naturale agit continue in alimentum rarefaciendo; rarefactio autem est causa motus, et ideo continue per totam vitam animalis fit iste motus: ergo non fit ab anima. — *de Vita et Morte* l. 2 (al. *de Respir.* l. 18).

Sed contra: 1. Motus cordis in animali vel est voluntarius vel violentus vel naturalis. Sed non est voluntarius, ut dictum est; neque violentus, quia hoc subtracto

moreretur animal, nullum autem violentum conservat animal. Ergo est motus naturalis; ergo est a natura, sed non a forma inanimata; ergo erit ab anima ut est natura.

2. Præterea, hic motus et vita animalis inseparabiliter se consequuntur; ergo hic motus est maxime naturalis, et consequenter est ab anima ut a natura.

Respondeo dicendum, quod circa hanc difficultatem multiplex fuit philosophorum opinio. Nam *quidam* dicunt, hunc motum naturalem esse non ab aliqua particulari natura animali intrinseca, sed ab aliqua natura universali, vel (etiam) intelligentia. Sed hoc ridiculum est. In omnibus enim rebus naturalibus propriæ passiones alicujus generis vel speciei aliquod principium intrinsecum consequuntur. Naturalia enim sunt, quorum principium motus in ipsis est. Nihil autem proprium magis est animalibus quam motus cordis, quo cessante perit eorum vita; sequitur igitur inesse ipsis animalibus aliquod principium talis motus. Adhuc, si aliqui motus in corporibus inferioribus ex natura universali causantur, non semper eis adsunt, sicut in fluxu et refluxu maris patet, qui sequuntur motum lunæ, et secundum ipsum variantur; motus autem cordis semper inest animali: non est ergo a causa separata tantum, sed ab aliquo intrinseco principio.

Dicunt autem *alii* causam principalem motus cordis esse calidum alterans alimentum in corde: calor enim, inquiunt, per spiritum genitus movet cor. Sed hoc irrationabile est, *primo*, quia motus cordis est *per se* animalis causa, quia motus cordis non est per accidens, sed per se; sed calidum non potest esse causa per se; calidi enim est alterare, subtiliare, resolvere, ad quæ sequitur motus: quare calidum non potest esse causa principalis motus. *Secundo*, quod fit a motu cordis, non potest esse causa motus cordis, quia idem esset causa sui ipsius, quod est impossibile, quia motus cordis est causa caliditatis, augmentatur enim calidum propter motum cordis. *Item*, motus primus in animali est motus cordis; hoc ergo oportet esse a causa prima et per se; hoc non est calidum nec ejus actio, ejus enim actio est alteratio, quæ præsupponit alium motum.

Et ideo dicendum est, quod motus cordis per se fit a forma animalis habentis cor. Et ratio hujus est, quia principalis operatio animalis debet attribui principali agenti; sed principalis operatio in animali est motus cordis: quare debet esse a causa principali in animali, hoc est ab anima. Anima igitur est causa principalis motus cordis. Unde sicut mixtis inanimatis debetur aliquis motus, et etiam simplicibus elementis; et ferro debetur motus, quo movetur ad magnetem: ita animali. Unde animali habent perfectum cor debetur aliquis motus; hic autem est motus cordis. Et quamvis anima sit causa principalis istius motus, tamen anima agit istum motum mediante calido; sicut enim ignis calefacit forma sua, tamen mediante caliditate, ita anima movet cor, tamen mediante calido. Anima igitur sensitiva causa est istius motus, et causa principalis. Et consequenter est etiam causa principalis motus arteriarum nam motus cordis per venas arteriales manifestatur; et calidum est secundaria et sicut instrumentum.

Verum *quomodo* anima sensitiva si causa principalis motus cordis, investigandum est. Sciendum igitur est, quod in animali duplex est motus: (unus) qui fi per apprehensionem et appetitum, ut mo tus localis progressivus; alter est, qui non est per apprehensionem et appetitum, u motus cordis, et etiam motus augment et decrementi, et motus alimenti diffus per totum corpus, quod etiam est commune plantis. Quantum ad motus huju secundi generis dicendum est, quod cum anima animalis non solum det id, quo est proprium sibi, seu quod convenit animæ sensitivæ, ut sensitiva est, sed etiam id, quod est inferiorum formarum: sicu formæ inferiores sunt principia naturali

otus in corporibus naturalibus, ita etiam ıima in corpore animalis. Unde Philo- phus dicit in 2. *de Anima* (*text.* 26; c. , quod anima est natura talis corporis. t propter hoc operationes animæ distin- ıuntur in animales et naturales: ut illæ cantur animales, quæ sunt ab anima cundum id, quod est sibi proprium, na- rales autem, quæ sunt ab anima secun- ım quod facit effectum inferiorum for- arum naturalium. Secundum hoc ergo cendum, quod sicut ignis per formam ıam naturalem habet naturalem motum, ıo tendit sursum; ita aliqua pars ani- alis, in qua primo invenitur motus, qui ın est per apprehensionem, habet hunc otum naturaliter ab anima. Sicut enim nis naturaliter movetur sursum, et san- ıis naturaliter movetur ad loca propria determinata: ita cor naturaliter move- ır motu sibi proprio, licet ad hoc etiam ıoperetur resolutio spirituum facta ex ınguine, quibus cor dilatatur et con- ringitur, ut dicit Aristoteles, ubi agit respiratione. Et est causa illius anima ensitiva, non quatenus agit per ap- ehensionem et appetitum, sed quate- ıs est forma et natura talis corporis, et ıatenus facit effectus inferiorum forma- ım naturalium. — *Opusc.* 35; *Quæst. sp. de Anima* a. 9, ad 6; *de Vita et Morte* l. *de Respir.* l. 18).

Ad primum ergo dicendum, quod motus ordis, et consequenter arteriarum est ab ıima sensitiva. Non tamen causatur ab la per apprehensionem et appetitum, ıomodo causatur motus progressivus, d causatur ab illa quatenus est forma natura talis corporis. Propter hoc enim edici distinguunt operationes vitales ab ıimalibus, et dicunt, quod cessantibus ıerationibus animalibus remanent vita- s, — *vitales* appellantes, quæ motum ordis comitantur, quibus cessantibus ces- ıt vita. Et quamvis motus cordis varie- ır secundum diversas apprehensiones affectiones animæ, non tamen hæ cau- ıntur ab alterationibus cordis, sed po- us causant eas. Unde in passionibus animæ, puta in ira, formale est, quod est ex parte affectionis, scilicet quod sit appetitus vindictæ; materiale vero, quod pertinet ad motum cordis, puta quod sit accensio sanguinis circa cor. In rebus autem naturalibus forma non est propter materiam, sed contra, ut dicitur 2. *Phys.* (*text.* 23; c. 2); sed in materia est dispositio ad formam. Non enim propter hoc aliquis vindictam appetit, quia sanguis circa cor accenditur; sed ex hoc est aliquis ad vindictam dispositus, irascitur autem ex appetitu vindictæ. Licet igitur aliqua variatio accidat in motu cordis ex apprehensione diversa et ex diversa affectione, non tamen illa variatio motus est voluntaria, sed involuntaria, quia non fit per imperium voluntatis. Dicit Philosophus *de Motu Animalium* (c. 8, al. 11), quod multoties apparente aliquo, sed non jubente intellectu, movetur cor. — *Opusc.* 35; *de Vita et Morte* l. 2 (al. *de Respir.* l. 18); *Quæst disp. de Anima* a. 9, ad. 3.

Ad secundum dicendum, quod duo motus cordis, pulsus nimirum et tractus, qui videntur contrarii, sunt quasi partes unius motus compositi ex utroque, in quantum deficit a simplicitate motus cœli, quem imitatur in quantum est ab eodem in idem. Et sic non est inconveniens, si quodammodo sit ad contrarias partes, quia et motus circularis cœli, qui est naturalis, ut dictum est in quæstionibus *de Cœlo* (supra in Secunda Secundæ hujus operis), cuique Philosophus in 3. *de Anima* assimilat motum cordis, aliqualiter sic est. — *Opusc.* 35.

Ad tertium dicendum, quod motus cordis est naturalis, non tamen quatenus cor est grave vel leve, sed quatenus est animatum tali anima. — *Ibid.*

Ad quartum dicendum, quod calidum est causa instrumentalis, non autem principalis motus cordis, et consequenter motus arteriarum. Calidum enim cordis agens in alimentum continue adveniens rarificat ipsum et etiam resolvit; alimentum autem rarefactum et purificatum tumefactionem inducit; per hunc autem mo-

tum fit pulsus in corde. Humidum enim tumefactum elevatur usque ad ultimam tunicam cordis, et facit motum dilatationis; non potens autem ulterius progredi redit ad interius, sed facta aliqua resolutione fit motus constrictionis. Et hoc fit per totam vitam animalis, quia alimentum continue advenit, ex quo fit sanguinis natura in ipso corde principaliter, ut manifeste patet consideranti generationem, quæ fit a principio. Cum enim non sunt venæ distinctæ, nec membra formata, apparet sanguis in eo, et calidum naturale agit in ipsum rarefaciendo; rarefactio autem est causa motus pulsus; et ideo continue fit per totam vitam animalis talis motus. — Est etiam anima consequenter causa principalis, et calidum instrumentalis motus arteriarum. Ex eo enim quod motus cordis sit in eo, propter resolutionem spiritus ex alimento moto usque ad tunicam exteriorem, accidit omnes venas moveri, quia omnes venæ ortum habent ex corde; movetur autem pars superior cordis, ex qua venæ ortum habent: quare venæ moventur simul, quando illa pars movetur. — *de Vita et Morte* l. 1 et 2, al. *de Respir.* l. 17 et 18.

ARTICULUS II

UTRUM MOTUS RESPIRATIONIS SIT AB ANIMA.

Videtur quod motus respirationis non sit ab anima.

1. Dicit enim Philosophus libro *de Respir.* (c. 4, al. c. 1), quod multa animalia non respirant; sed si talis motus esset ab anima sensitiva, omnia animalia respirarent: ergo talis motus non est ab anima sensitiva. — *de Respir.* l. 1, al. 6.

2. Præterea, exspiratio et inspiratio causantur ex calido augmentato, ut dicit Philosophus *de Respir.* (c. ult.): non ergo ab anima sensitiva. — *de Respir.* l. ult.

Sed contra est, quod motus respirationis est motus naturalis et vitalis; sed talis motus est in animali ab anima: ergo.

RESPONDEO DICENDUM, quod respiratio fit ab anima sensitiva, cum sola animal inspirent et exspirent, ut dicit Philosoph 1. *Poster.* (*text.* 30; c. 13), ut dictum e (supra in Logica q. 23, a. 2), et talis m tus sit naturalis et vitalis. Est enim n cessarius animali, quia sine illo vive non potest; nam licet non sit causa vit est tamen concausa, in quantum coop ratur ad temperamentum caloris natur lis, sine quo non est vita. (5. *Metaph* l. 6, al. 5.) Est autem anima principiu talis motus originaliter mediante vi vit existente in corde, ut dicit Philosoph (*de Somno et Vigilia* c. 3, al. 2). Cor eni est principium refrigerationis, quæ fit p attractionem; pulmo tamen est proximu instrumentum respirationis. Cum eni motus respirationis fiat propter augme tationem calidi ex humido in illa part in qua est primum principium nutriti partis animæ, puta in corde — sicut eni aliæ partes indigent nutrimento, similit et cor, et plus, quia cor est causa alime aliis; ex corde enim mittitur sanguis cetera membra, ex quo nutriuntur, qua et ipsum nutritur, et magis; — cali augmentato in corde primo movetur e per dilatationem; deinde pulmo, qui e ligationem habet ad cor; pulmone aute elevato et dilatato, necesse est moveri pectus (cum enim pulmo movetur, conti git partes propinquas moveri, et proin pectus); et consequenter necesse est i trare aerem frigidum, qui sua frigidit mitigat excessum caliditatis. Et sic pat a quo causetur motus respirationis, quomodo in animalibus pulmonem habe tibus fiat. — *Opusc.* 43, c. 5; *de Som et Vigilia* l. 4; *de Juvent. et Senect.* l. (al. *de Respir.* l. 3); *de Vita et Morte* l. (al. *de Respir.* l. 18).

Ad primum ergo dicendum, quod in mediata causa respirationis, ut dictum e (in c., et in Logica q. 23, a. 2), non e animalitas, sed habere pulmonem.

Ad secundum dicendum, quod calor n turalis est instrumentum respiration vis autem vitalis est proximum prin pium; anima vero est principium prim

ıale. — *Opusc.* 43, c. 5; *de Vita et Morte* . 2 (al. *de Respir.* l. ult.)

ARTICULUS III

TRUM ORGANUM VIRTUTIS PULSATIVÆ ET RESPIRATIVÆ SIT COR.

Videtur quod organum virtutis pulsaivæ et respirativæ non sit cor.

1. Motus enim pulsus etiam apparet in rteriis; sed organum motus est ejus subectum : ergo organum virtutis pulsatiæ non est cor. — *Opusc.* 35; et 43, c. 5.

2. Præterea, si cor esset organum virtus respirativæ, omnia animalia cor haentia respirarent; sed hoc est falsum ; am quæ habent cor et carent pulmone, on respirant, ut dictum est (art. præced.) x Philosopho : ergo cor non est organum irtutis respirativæ.

Sed contra est, quod virtus pulsativa t respirativa est vitalis; ergo debet esse ı illa parte, quæ primo vivit, et quæ est ausa vitæ omnibus animalibus; hæc auem est cor : ergo cor est organum virtus pulsativæ et respirativæ. — *Opusc.* 5; et 43, c. 5 ; *de Vita et Morte* l. 2 (al. e *Respir.* l. 18).

Respondeo dicendum, quod virtutis pulıtivæ immediatum et principale orgaum est cor; nam primo apparet in ipso ılis motus. Secundarium vero sunt venæ ılsatiles. Calidum enim cordis subtilians limentum est instrumentalis causa mos cordis, ut dictum est; ex motu autem ordis, a quo venæ pulsatiles oriuntur, rocedit illarum motus, ut etiam dictum st. Et sic pulsus primo manifestatur in orde; deinde in arteriis seu venis pulatilibus, quæ ex corde ducunt originem; nde et subjectum motus pulsus, sed seundarium sunt prædictæ venæ. Quoniam ero ex eodem calido augmentato ex huido in corde, in quo est primum prinpium nutritivæ partis, secundario moetur et elevatur pulmo, et per conseuens pectus, in cujus elevatione et deressione consistit formaliter motus inspirationis et exspirationis, ut dictum est — nam sic intrat aer frigidus calorem cordis temperans, vel exit calefactus a calore cordis ; — ideo organum respirationis principale est pulmo, ut dictum est, sicuti cor est organum primum et principale pulsus. — *de Juvent. et Senect.* l. 3 (al. *de Respir.* l. 3); *de Vita et Morte* l. 2 (al. *de Respir.* l. 18); 1a 2æ, q. 17, a. 9, ad 2.

Ad primum ergo dicendum, quod motus pulsus primario est in corde, secundario vero manifestatur in arteriis seu venis pulsatilibus, ut dictum est (in c. et art. præced.).

Ad secundum dicendum, quod cor est origo motus respirationis; sed instrumentum proprium talis motus est pulmo, ut dictum est (in c.).

QUÆSTIO LXXXVIII

DE VIRTUTE MOTIVA ANIMALIS.

Deinde considerandum est de virtute motiva animalis.

CIRCA QUAM QUÆRUNTUR DUO :

1. Utrum virtus motiva animalis sit potentia distincta ab aliis potentis sensitivis.
2. Utrum organum potentiæ motivæ sint nervi et musculi.

ARTICULUS I

UTRUM VIRTUS MOTIVA ANIMALIS SIT POTENTIA DISTINCTA AB ALIIS POTENTIIS SENSITIVIS.

Videtur quod virtus motiva animalis non sit potentia distincta ab aliis potentiis sensitivis.

1. Philosophus enim libro *de Motu Animal.* et 3. *de Anima* (*text.* 54 ; c. 10) inter moventia tantum ponit objectum et appetitum; ergo potentia motiva non distinguitur ab appetitu. — *de Motu Animal.* per totum librum; 3. *de Anima* l. 15.

2. Præterea, Philosophus 3. *de Anima text.* 48 (c. 10) docet principia motus localis esse phantasiam seu sensum, intellectum, et appetitum; et *text.* 52 inter quinque potentias animæ non numerat potentiam motivam, ergo quia vis motiva non est distincta potentia ab aliis; nam principium motus localis nihil aliud est quam potentia motiva. — 3. *de Anima* l. 15; *Quæst. disp. de Anima* a. 13, arg. 13.

3. Præterea, in angelis potentia motiva non distinguitur ab intellectu et voluntate; ergo nec in homine saltem distinguetur potentia motiva ab aliis potentiis sensitivis. — *Quodl.* 6, a. 2, in c.

Sed contra est, quod Philosophus (2. *de Anima text.* 27; c. 3) numerat potentiam motivam tamquam distinctam ab aliis, cum ait esse quinque genera potentiarum, vegetativum, sensitivum, motivum secundum locum, appetitivum, intellectivum. — 2. *de Anima* l. 5.

Respondeo dicendum, quod potentia motiva animalis est distincta ab omnibus aliis potentiis, ut manifeste patet discurrendo per singulas. Non enim est potentia *vegetativa*, quia hæc inest plantis, quibus non inest motus localis progressivus. Præterea, hic est propter aliquid imaginatum et desideratum; phantasia autem et appetitus non competunt parti vegetativæ. — Neque est potentia *sensitiva*, quia hæc inest omnibus animalibus perfectis, quæ scilicet possunt sibi simile generare; at multa animalia hujusmodi, qualia sunt immobilia, quæ quia sunt perfecta in sua specie, possunt sibi simile generare, et habent debitum augmentum et decrementum, quod non inest animalibus orbatis et monstruosis, carent potentia motiva. Unde necesse est quod hæc sit distincta a sensu.

Verum quia potentia motiva in animalibus perfectis, quæ moventur motu progressivo, movet per apprehensionem — est enim talis motus, ut dictum est, propter imaginatum et desideratum; — ideo triplex est potentia motiva animalis; nam quædam movet per modum dirigentis, quædam vero per modum imperantis, quædam per modum exsequentis. Motivæ per modum dirigentis sunt phantasia et æstimativa, in quantum appetitui ostendunt formam vel intentionem convenientem vel disconvenientem: phantasia, ostendendo formas sensibiles; æstimativa, ostendendo intentiones. Motivæ autem imperantes motum sunt appetitus concupiscibilis et irascibilis, quæ sunt partes appetitus sensitivi: concupiscibilis enim est vis imperans motum, ut appropinquetur ad ea, quæ putantur necessaria vel utilia, et hoc appetitu delectandi; irascibilis autem est vis imperans motum ad repellendum id, quod putatur nocivum vel corrumpens, et hoc appetitu vindicandi vel vincendi. Vis autem exsequens motum localem progressivum est vis exterior diffusa in musculis et nervis. — Et hæc est distincta potentia a ceteris potentiis, ut patet tum ex diversis organis, ex quibus etiam distinguuntur potentiæ, ut dictum est; tum ex diversitate actus et objecti, ex quibus distinguuntur potentiæ inter se, ut dicitur 2. *de Anima* (*text.* 33; c. 4). Cum enim potentia secundum id quod est ordinetur ad actum, oportet rationem potentiæ accipere ex actu, ad quem ordinatur; unde ubi diversificatur ratio actus, oportet quod diversificetur ratio potentiæ. Ratio autem actus diversificatur secundum diversam rationem objecti, ut dicitur in eodem. Actus enim potentiæ *activæ* comparatur ad objectum ut ad terminum et finem ejus, ut actionis augmentativæ finis et terminus est ipsum quantum; actus autem potentiæ *passivæ* comparatur ad objectum ut ad principium activum, ut visus ad colorem; ex principio autem et fine omnis actus recipit speciem. — Unde patet, quod potentiæ distinguuntur per actus et objecta.

Quod ergo potentia *motiva* utroque modo distinguatur ab aliis potentiis et e contra, manifestum est, quia vegetare, sentire, intelligere, appetere, movere sunt diversi actus respectu diversorum objectorum: — quia *vegetare* est *quanti* et cor-

oris uniti, ut objecti; vegetativum enim non nutrit nisi corpus sibi unitum; — *sentire* autem est *qualis* seu corporis sensibilis sive uniti sive non, ut objecti; sensitivum enim respicit corpus sensibile, sive sit unitum sive non; — *intelligere* est *quidditatis rei*, ut objecti; intellectivum enim respicit generaliter omne ens, quia omne ens est intelligibile. Et sic habentur res animæ potentiæ acceptæ secundum quod res conjungitur ipsi animæ. — Secundum quod vero e contrario anima conjungitur ipsis rebus, ex diversitate actuum et objectorum habentur duæ aliæ potentiæ, puta motiva et appetitiva : quia secundum quod anima inclinatur ad rem extrinsecam ut ad finem, qui est principium in intentione, accipitur *appetitivum*. Secundum quod vero inclinatur ad rem extra ut in terminum sive operationis sive motus, accipitur *motivum* secundum locum.— 3. *de Anima* l. 14; *Opusc.* 43, c. 5 et 1; *Quodl.* 9, a. 11; 1a, q. 75, a. 3, ad 3.

Ad primum ergo dicendum, quod virtus motiva exsequens motum proprie est potius dispositio mobilis, qua natum est moveri ab appetibili, quam sit per se movens. — *Vel dic*, quod objectum est movens non motum, appetitus autem est movens motum; movet autem imperando, sed non exsequendo motum localem, sicut facit vis motiva. — *de Pot.* q. 3, a. 11, ad 20; 3. *de Anima* l. 15.

Ad secundum dicendum et *text.* 48, 3. *de Anima*, quod intellectus et appetitus movent sicut imperantes motum; sed oportet esse potentiam motivam, quæ motum exsequatur, secundum quam membra sequantur imperium appetitus et intellectus vel sensus. Ad *text.* 52 dicendum, quod alibi Philosophus enumerat inter potentias animæ vim motivam, ut dictum est; textu autem citato non erat institutum Philosopho enumerare exacte omnes potentias, sed tantum ostendere plures esse potentias, quam quæ ponebantur ab antiquis. — *Quæst. disp. de Anima* a. 13; 3. *de Anima* l. 15.

Ad tertium dicendum, quod alia est ratio angeli, alia animæ vel rationalis corpori conjunctæ vel sensitivæ, ut dictum est (supra q. 31, a. 4, ad 3).

ARTICULUS II

UTRUM ORGANUM POTENTIÆ MOTIVÆ SINT MUSCULI ET NERVI.

Videtur quod organum potentiæ motivæ animalis non sint musculi et nervi.

1. Dicit enim Philosophus (3. *de Anima text.* 55; c. 10), quod cor est organum motus localis; ergo non sunt nervi et musculi. — 3. *de Anima* l. 15.

2. Præterea, illud est primum principium movens organice animal, quod est immobile, et quod est principium et finis, ut dicit Philosophus (3. *de Anima text.* 55; c. 10); sed hæ conditiones conveniunt cordi, ut dicit Philosophus (ibidem): ergo. — *Ibid.*

Sed contra est, quod organum motus localis est id, per quod exercetur motus, ut dictum est (supra q. 74, a. 1) ex Philosopho; sed exercetur motus localis per operationem musculorum et nervorum, ut patet : ergo organum motus localis sunt musculi et nervi. — *Quodl.* 9, a. 11; *Opusc.* 43, c. 5.

Respondeo dicendum, quod sicut dictum est, virtus motiva sensitiva duplex est: una naturalis, altera animalis. *Naturalis est*, quæ non movet per apprehensionem nec est subjecta imperio rationis, et talis est virtus vitalis et pulsativa, quæ movet arterias seu venas pulsatiles et cor secundum dilatationem et constrictionem. Et hujusmodi est in corde sicut in proprio organo. Unde solum habet esse in animalibus perfectis pulmonem et cor habentibus. Et hæc vis per inspirationem et exspirationem est principium contemperandi calorem cordis et corporis. — Motiva vero *animalis*, quæ motum exercet præsupposita apprehensione, est in musculis et lacertis et nervis tamquam in proprio organo. Ut enim dictum est (q. 74, a. 1) ex Philosopho (2. *de Partibus*

Animal. c. 1), organum proprie est instrumentum, per quod exercetur actio; motus autem localis progressivus exercetur per prædictas partes. Quia tamen motus localis animalis habet pro suo primo principio cor — quia *sicut* in his, quæ ad intellectum et voluntatem pertinent, primum invenitur id, quod est secundum naturam, ex quo alia derivantur : ut a cognitione principiorum naturaliter notorum cognitio conclusionum; et a voluntate finis naturaliter desiderati derivatur electio eorum, quæ sunt ad finem; *ita* in corporalibus motibus principium motus localis est a motu cordis, qui est secundum naturam et non secundum voluntatem; — propterea cor erit primum principium omnis motus localis animalis. *Opusc.* 43, c. 5; 1a 2æ, q. 17, a, 9, ad 2.

Ad primum ergo dicendum, quod cor est organum primi motus localis, a quo tamquam primo principio derivatur motus localis totius animalis, ut dictum est (in c.).

Ad secundum dicendum, quod illæ proprietates sunt principii et organi primi motus localis, qui est motus cordis, unde derivatur omnis motus localis animalis, ut dictum est (in c.). — 1a 2æ, q. 17, a. 9, ad 2; 3. *de Anima* l. 15; *de Motu Animal.* l. 7, 8, 9.

QUÆSTIO LXXXIX

DE ANIMÆ RATIONALIS PRODUCTIONE.

Deinde considerandum est de anima rationali. Erit autem hæc consideratio in quinque partes distributa : nam primum agemus de animæ rationalis productione, deinde de illius substantia, tum de unione ad corpus, postea de proprietatibus, postremo de potentiis.

CIRCA PRIMUM QUÆRUNTUR QUINQUE:

1. Utrum anima rationalis sit de substantiæ Dei vel aliquid factum.
2. Utrum traducatur ex parentibus seu causetur ex semine.
3. Utrum producatur a Deo per creationem.
4. Utrum producatur a Deo mediantibus angelis.
5. Utrum sit producta ante corpus.

ARTICULUS I

UTRUM ANIMA RATIONALIS SIT DE SUBSTANTIA DEI VEL ALIQUID FACTUM.

Videtur quod anima rationalis non sit facta, sed sit ex substantia Dei.

1. Dicit enim Philosophus 10. *Eth.* (c. 8, al. 9), quod anima rationalis convenit in operatione intellectus cum Deo; cum autem naturalis operatio consequatur naturam, oportet ea, quæ in operatione conveniunt, in natura vel essentia convenire : ergo anima rationalis communicat cum Deo in essentia. — 2. *Sent.* dist. 17, q. 1, a. 1, arg. 3.

2. Præterea, omne quod intelligitur intelligitur per similitudinem vel identitatem; oportet enim quod intellectum in actu sit intellectum in actu — quod non contingit, nisi vel quia sunt idem per essentiam, sicut Deus seipsum intelligit; vel quia similitudo intellecti recipitur in intelligente ut perfectio ejus — sed intellectus noster intelligit Deum hoc autem esse non potest per similitudinem abstractam ab illo, quia a simplicissimo nihil potest abstrahi : ergo oportet quod intelligat ipsum per identitatem et sic erit idem per essentiam Deus et anima rationalis. — *Ibid.* arg. 4.

3. Præterea, anima est forma simplex ut supra habitum est; sed forma est actus : ergo anima est actus purus, quod est solius Dei; ergo anima rationalis est de substantia Dei. — 1a, q. 90, a. 1, arg. 2.

4. Præterea, quæcumque sunt, et nu

modo differunt, sunt idem; sed Deus t anima rationalis sunt, et nullo modo ifferunt : quia oporteret quod aliquibus ifferentiis differrent, et sic essent comosita : ergo Deus et anima rationalis lem sunt. — 1a, l. c. arg. 3.

Sed contra est, quod omne illud, ex uo fit aliquid, aliquo modo mutatur et st in potentia ad id, quod fit ex eo; sed ıbstantia Dei est omnino immutabilis, t non est in potentia ad aliquid, cum t actus purus : ergo impossibile est uod ex substantia Dei fiat anima ratioalis. — 2. *c. Gent.* c. 85, arg. 2 et 3.

Respondeo dicendum, quod dicere aniam rationalem esse de substantia Dei anifestam impossibilitatem continet. nima enim humana est quandoque inelligens in potentia, et scientiam quoammodo a rebus acquirit, et habet diersas potentias, ut dictum est : quæ nnino aliena sunt a Dei natura, qui est ctus purus, et nihil ab alio accipiens, et ullam in se diversitatem habens. — Sed ic error principium habuisse videtur ex uabus positionibus antiquorum. *Primo* nim ii, qui naturas rerum considerare eperunt, imaginationem transcendere on valentes, nihil præter corpora esse osuerunt; et ideo dicebant Deum esse uoddam corpus, quod aliorum corporum ıdicabant esse principium. Et quia aniam ponebant esse de natura illius cororis, quod dicebant esse principium, ut citur in 1. *de Anima* (*text.* 20; c. 2); per onsequens sequebatur, quod anima esset substantia Dei. Juxta quam positioem etiam Manichæi Deum esse quanam lucem corpoream existimantes, uandam partem illius lucis animam sse posuerunt corpori alligatam. — *Seundo* vero processum fuit ad hoc, uod aliqui aliquid incorporeum esse aprehenderunt non sicut a corpore sepaıtum, sed corporis formam. Unde et arro dixit, quod Deus est anima munum intuitu vel motu et ratione guberans, ut Augustinus narrat in 4. *de Ci-t. Dei* (c. 31, n. 2; — Migne PP. Lat. t. 41, col. 138). Sic igitur illius totalis animæ partem aliqui posuerunt animam hominis, sicut homo est pars totius mundi; non valentes intellectu pertingere ad distinguendos spiritualium substantiarum gradus, nisi secundum distinctiones corporum. — Hæc autem omnia impossibilia sunt, ut per se patet. Unde manifeste falsum est, animam esse de substantia Dei. — 1a, q. 90, a. 1, c.; 2. *c. Gent.* c. 85; 2. *Sent.* dist. 17, q. 1, a. 1, c.

Ad primum ergo dicendum, quod cum anima non habeat eandem operationem numero, quam Deus habet, sed similem, non sequitur, quod habeat eandem naturam, sed similem; nec ex tali similitudine unitas essentiæ concludi potest. — 2. *Sent.* l. c. ad 3.

Ad secundum dicendum, quod intellectus creatus intelligit Deum non per identitatem naturæ, sed per unionem ad ipsum; quæ est *vel* per aliquam similitudinem non quidem abstractam, sed effluxam a Deo in intellectum — et hunc modum intelligendi vocat Avicenna (*de Intelligentiis* c. 4) per impressionem, dicens intelligentias esse in nobis ex hoc, quod impressiones earum in nobis sunt; — *vel* per unionem ad ipsam essentiam lucis increatæ, sicut erit in patria. — *Ibid.* ad 4.

Ad tertium dicendum, quod anima rationalis, etsi sit forma simplex secundum suam essentiam, non tamen est secundum suum esse, sed est ens per participationem, ut dictum est; et ideo non est actus purus sicut Deus. — 1a, q. 90, a. 1, ad 2.

Ad quartum dicendum, quod differens proprie acceptum aliquo differt. Unde ibi quæritur differentia, ubi est convenientia : et propter hoc oportet differentia esse composita quodammodo, cum in aliquo differant et in aliquo conveniant; sed secundum hoc, licet omne differens sit diversum, non tamen omne diversum est differens, ut dicitur 10. *Metaphys.* (*text.* 25 et 26; l. 9, c. 10); nam simplicia diversa sunt se ipsis, non autem differunt aliquibus differentiis, ex quibus

componantur : sicut homo et equus differunt rationali et irrationali differentia, de quibus non est dicere, quod ulterius aliis differentiis differant. — 1a, l. c. ad 3.

ARTICULUS II

UTRUM ANIMA RATIONALIS TRADUCATUR EX PARENTIBUS SEU CAUSETUR EX SEMINE.

Videtur quod anima rationalis traducatur ex parentibus, et consequenter causetur ex semine.

1. In omni enim generatione univoca generans dat speciem suam generato, quia agens et finis generationis coincidunt in idem specie, ut in 2. *Phys.* (*text.* 70; c. 7) dicitur; sed cum homo ex homine procedit, est generatio univoca : ergo cum homo speciem habeat ex anima rationali, videtur quod animam rationalem ex parentibus recipiat. — 2. *Sent.* dist. 18, q. 2, a. 1, arg. 4; 1a, q. 118, a. 2, arg. 4; 2. *c. Gent.* c. 88, n. 4.

2. Præterea, unum et idem agens est, cujus actio terminatur ad formam et ad materiam; alioqui ex materia et forma non fieret unum simpliciter; sed anima intellectiva est forma corporis humani, quod formatur per virtutem seminis : ergo et anima intellectiva per virtutem seminis causabitur. — 1a, l. c. arg. 3; 2. *Sent.* l. c. arg. 5; 2. *c. Gent.* c. 88, n. 3.

3. Præterea, in homine est una et eadem anima secundum substantiam intellectiva, sensitiva et nutritiva; sed anima sensitiva in homine generatur ex semine sicut in aliis animalibus — unde et Philosophus dicit in libris *de Generat. Animal.* (l. 2, c. 3), quod non simul fit animal et homo, sed prius fit animal habens animam sensitivam — : ergo et anima intellectiva causabitur ex semine. — 1a, l. c. arg. 2; 2. *c. Gent.* c. 88, n. 8.

4. Præterea, imperfecta videtur esse operatio agentis, qui non totam rem in esse producit, sed solum ejus alteram partem; si igitur Deus animam in esse produceret, corpus vero virtute seminis formaretur, quæ duæ sunt partes unius, scilicet hominis, utriusque operatio, scilicet Dei et seminativæ virtutis, imperfecta videretur : ab una igitur et eadem causa producitur anima et corpus hominis; sed constat virtute seminis produci corpus : ergo et producetur anima. — 2. *c. Gent.* c. 88, n. 7.

5. Præterea, perfectum unumquodque est, ut dicitur 4. *Meteorol.* (c. 4), quando sibi simile potest producere; cum ergo anima rationalis sit perfectior omnibus formis naturalibus, videtur quod, cum virtute aliarum formarum ex semine educantur in actum similes formæ, multo fortius anima rationalis hoc possit facere. — 2. *Sent.* l. c. arg. 6.

Sed contra est : 1. quod Philosophus 2. *de Generat. Animal.* (c. 3) dicit, quod intellectus ab extrinseco est, et in lib. *de Proprietatibus Elementorum* dicit, quod innato (1) fit spiritus vitæ jussu Dei; et ita videtur quod non traducatur a patre. — 2. *Sent.* dist. 18, q. 2, a. 1, arg. 1 *Sed contra.*

2. Præterea, omnis forma, quæ exit in esse per virtutem seminis ex generante educitur de potentia materiæ, ut dicitur 7. *Metaphys.* (*text.* 22; l. 6, c. 7); sed anima rationalis non potest educi de potentia materiæ; nam formæ, quarum operationes non sunt cum corpore, non possunt de materia corporali educi; ejusmodi autem est anima rationalis : ergo anima rationalis non potest causari ex semine nec traduci ex parentibus. — *Pot.* q. 3, a. 9, c.

3. Præterea, si generatio alicujus est causa, quod aliquid sit, corruptio ejus est causa, quod illud esse desinat; sed corruptio corporis non est causa, quod anima rationalis esse desinat, cum sit immortalis, ut dicit Philosophus 12. *Meta*

(1) Al. « innatus ».

phys. (*text.* 17; l. 11, c. 4). Neque igitur generatio corporis est causa, quod anima incipiat esse, sed traductio seminis est causa propria generationis corporis; non est igitur traductio seminis causa generationis animæ in esse. — 2. *c. Gent.* c. 88; c. 79.

Respondeo dicendum, quod impossibile est virtutem activam, quæ est in materia, extendere suam actionem ad producendum immaterialem effectum. Manifestum est autem, quod principium intellectivum in homine est principium transcendens materiam; habet enim operationem, in qua non communicat corpus: et ideo impossibile est, quod virtus, quæ est in semine, sit productiva intellectivi principii. Similiter etiam, quia virtus, quæ est in semine, agit in virtute animæ generantis, secundum quod anima generantis est actus corporis utentis ipso corpore in sua operatione; in operatione autem intellectus non communicat corpus: ideo virtus intellectivi principii, prout intellectivum est, non potest ad semen pervenire. Et ideo Philosophus in libris *de Generat. Animal.* (l. 2, c. 3) dicit: « relinquitur intellectum solum deforis advenire ». Similiter etiam anima intellectiva, cum habeat operationem vitæ sine corpore, est subsistens, et ita sibi debetur esse et fieri; et cum sit immaterialis substantia, non potest causari per generationem. Quare ponere animam rationalem a generante causari, nihil est aliud quam ponere eam non subsistentem, et corruptibilem; quæ fidei nostræ derogant, et ideo hæreticum est dicere, quod anima intellectiva traducatur cum semine. — 1a, q. 118, a. 2, c.; 2. *c. Gent.* c. 88, 89; 2. *Sent.* dist. 18, q. 2, a. 1, c.; *de Pot.* q. 3, a. 9.

Ad primum ergo dicendum, quod hoc, quod agens agat sibi simile, contingit duliciter: *aut* quia forma, secundum quam similitudo attenditur, per actionem de potentia in actum educitur; *aut* quia per actionem disponitur materia, ut sit necessitas ad receptionem formæ. — Et primus modus est quoad omnes in formis accidentalibus; secundus autem est etiam in formis substantialibus secundum Avicennam (*Metaphys.* tract. 9, c. 4), quia ipse vult omnes formas substantiales esse a principio separato; sed secundum Aristotelem et Commentatorem formæ substantiales materiales pertinent ad primum modum, et anima rationalis ad secundum. Et hic modus sufficit ad hoc, quod agens agat sibi simile, quia non proprie forma generat, sed compositum. Unde sufficienter homo dicitur generare sibi simile, si per virtutem seminis ejus disponatur materia ad susceptionem talis formæ. — 1a, l. c. ad 4; 2. *Sent.* l. c. ad 4.

Ad secundum dicendum, quod ratio illa procedit de diversis agentibus non ordinatis, scilicet quorum unum non operatur in altero; sed in ipsa operatione naturæ operatur Deus: unde non est inconveniens, quod actio ejus pertingat ad aliquem terminum, in quem non se extendit actio formativæ virtutis; sic enim ipse Deus in natura operans etiam organizationem corporis facit: unde est quasi actio continua reducta in unum agens, et quæ terminatur ad ultimam dispositionem subjecti, et quæ terminatur ad formam; quamvis quantum ad primum cooperetur sibi natura, et non quantum ad secundum. — 1a, l. c. ad 3; 2. *Sent.* l. c. ad 5.

Ad tertium dicendum, quod aliqui dixerunt, quod operationes vitæ, quæ apparent in embrione, non sunt ab anima ejus, sed ab anima matris, vel a virtute formativa quæ est in semine; quorum utrumque est faslum: opera enim vitæ non possunt esse a principio extrinseco, sicut sentire, nutriri et augeri. Et ideo dicendum est, quod anima præexistit in embrione, a principio quidem nutritiva, postea vero sensitiva, et tandem intellectiva.

Dicunt ergo *quidam*, quod supra animam vegetabilem, quæ primo inerat, supervenit alia anima, quæ est sensitiva; super illam iterum alia, quæ est intellectiva: et sic sunt in homine tres animæ,

quarum una est in potentia ad aliam. — Sed hoc dici non potest, cum in eodem composito non possit esse nisi una forma substantialis, ut supra probatum est.

Et ideo *alii* dicunt, quod illa eadem anima, quæ primo fuit vegetativa tantum; postea per actionem virtutis, quæ est in semine, perducitur ad hoc, ut ipsa eadem fiat sensitiva; et tandem ipsa eadem perducitur ad hoc, ut fiat intellectiva, non quidem per virtutem activam seminis, sed per virtutem superioris agentis, scilicet Dei deforis illustrantis: et propter hoc dicit Philosophus (2. de *Generat.* c. 3), quod intellectus venit ab extrinseco. — Sed hoc stare non potest: *primo*, quia nulla forma substantialis recipit magis et minus, sed superadditio majoris perfectionis facit aliam speciem, sicut additio unitatis facit aliam speciem in numeris; non est autem possibile, quod una et eadem forma numero sit diversarum specierum. *Secundo*, quia sequeretur, quod generatio animalis esset motus continuus paulatim procedens de imperfecto ad perfectum, sicut accidit in alteratione. *Tertio*, quia sequeretur, quod generatio hominis aut animalis non sit generatio simpliciter, quia subjectum ejus esset ens actu: si enim a principio in materia prolis est anima vegetabilis, et postea usque ad perfectum paulatim perducitur, erit semper additio perfectionis sequentis sine corruptione perfectionis præcedentis, quod est contra rationem generationis simpliciter. *Quarto*, quia — *aut* id, quod causatur ex actione Dei, est aliquid subsistens; et ita oportet quod sit aliud per essentiam a forma præexistente, quæ non erat subsistens; et sic redibit opinio ponentium plures animas in corpore; — *aut* non est aliquid subsistens, sed quædam perfectio animæ præexistentis; et sic ex necessitate sequitur, quod anima intellectiva corrumpatur corrupto corpore; quod est impossibile.

Et ideo dicendum est, quod, cum generatio unius semper sit corruptio alterius, necesse est dicere, quod tam in homine quam in aliis animalibus quando perfectior forma advenit, fit corruptio prioris; ita tamen, quod sequens forma habet quidquid habet prima, et adhuc amplius. Et sic per multas generationes et corruptiones pervenitur ad ultimam formam substantialem, tam in homine quam in aliis animalibus. Et hoc ad sensum apparet in animalibus ex putrefactione genitis. Sic igitur dicendum est, quod anima rationalis producitur a Deo in fine generationis humanæ, quæ simul est sensitiva et nutritiva, corruptis formis præexistentibus. — 1a, l. c. ad 2; 2. *c. Gent.* c. 88 et 89.

Ad quartum dicendum, quod virtute Dei producitur et anima et corpus, licet formatio corporis sit ab eo mediante virtute seminis naturalis, animam autem immediate producat. Neque sequitur, quod actio virtutis seminis sit imperfecta, cum perficiat hoc, ad quod est. — 2. *c. Gent.* c. 89, ad 7.

Ad quintum dicendum, quod anima rationalis nec ex materia composita est, nec est forma materialis, quasi in materia impressa; et ideo non potest produci ab aliquo agente, quod accidentalem causalitatem habeat ad ipsam ex parte materiæ, quæ inducitur ad formam, sicut est in aliis formis materialibus; sed oportet quod producatur a principio, quod causalitatem essentialem habet respectu essentiæ ejus; et hoc non potest esse unius speciei. — 2. *Sent.* l. c. ad 6.

ARTICULUS III

UTRUM ANIMA RATIONALIS PRODUCATUR A DEO PER CREATIONEM.

Videtur quod anima rationalis non producatur a Deo per creationem.

1. Omnis enim actus materiæ alicujus videtur educi de potentia materiæ; cum enim materia sit in potentia ad actum, actus quilibet præexistit in materia in potentia; sed anima est actus materiæ corporalis, ut ex ejus definitione apparet: ergo anima educitur de potentia materiæ,

; sic non creatur. — 1a, q. 90, a. 2, arg.

2. Præterea, anima est forma quædam; igitur anima fit per creationem, pari ıtione omnes aliæ formæ; et sic nulla ›rma exibit in esse per generationem; uod est inconveniens. — *Ibid.* arg. 3.

3. Præterea, quod in se habet aliquid ıateriale, fit ex materia; sed anima habet ı se aliquid materiale, cum non sit actus urus: ergo anima rationalis est facta ex ıateria, et sic non est creata, nec per 'eationem producitur. — *Ibid.* arg. 1.

4. Præterea, inconveniens est dice-, quod Deus cooperetur peccantibus; d si animæ rationales a Deo crearentur, eus interdum cooperaretur peccantibus, ıta adulteris, de quorum illicito coitu rolcs interdum generatur: non ergo ıimæ rationales a Deo producuntur per 'eationem. — 1a, q. 118, a. 2, arg. 5.

Sed contra est: 1. quod quidquid pro-ıcitur in esse, vel generatur per se, vel ɜr accidens, vel creatur; sed anima ıtionalis *neque* generatur *per se:* quia on est composita ex materia et forma, ım sit forma simplex, sicut et quælibet nima, ut probatum est; *neque per acci-ens,* quia cum sit forma corporis, genera-ɜtur per corporis generationem, quæ est x virtute activa seminis, quod improba-ım est. Cum ergo anima de novo incipiat sse, cum non sit æterna nec præexistat ›rpori, relinquitur quod exeat in esse ɜr creationem; solus autem Deus potest 'eare: ergo anima rationalis a Deo pro-ıcitur per creationem. — 2. *c. Gent.* c. 7.

2. Præterea, eorum, quæ sunt unius eneris, idem est modus prodeundi in sse; sed anima est de genere substantia-ım intellectualium, quæ non possunt iter intelligi produci in esse nisi per iam creationis: ergo anima rationalis xit in esse per creationem. — *Ibid.*

Respondeo dicendum, quod anima ratio-alis non potest fieri nisi per creationem, ıod non est verum de aliis formis. ujus ratio est, quia cum *fieri* sit via ad *esse,* hoc modo alicui competit fieri, sicut competit ei esse. Illud autem proprie dicitur esse, quod ipsum habet esse, quasi in suo esse subsistens. Unde solæ substantiæ proprie et vere dicuntur entia; accidens vero non habet esse, sed eo aliquid est, et hac ratione ens dicitur: sicut albedo dicitur ens, quia ea aliquid est album. — Et propter hoc dicitur in 7. *Metaphys.* (*text.* 2 et 3; l. 6, c. 1), quod accidens dicitur magis entis quam ens. Et eadem ratio est de omnibus aliis formis non subsistentibus. Et ideo nulli formæ non subsistenti proprie convenit fieri, sed dicuntur fieri per hoc, quod composita subsistentia fiunt. Anima autem rationalis est forma subsistens, cum corrupto corpore remaneat; unde illi proprie convenit esse et fieri. Et quia non potest fieri ex materia præjacente neque corporea (quia sic esset naturæ corporeæ) neque spirituali (quia sic substantiæ spirituales invicem transmutarentur); necesse est dicere, quod non fiat nisi per creationem. — 1a, q. 90, a. 2, c.; *de Pot.* q. 3, a. 8, ad 7.

Ad primum ergo dicendum, quod actum extrahi de potentia materiæ nihil aliud est quam aliquid fieri actu, quod prius erat in potentia. Sed quia anima rationalis non habet suum esse dependens a materia corporali, sed habet esse subsistens, et excedit capacitatem materiæ corporalis; propterea non educitur de potentia materiæ. — 1a, l. c. ad 2.

Ad secundum dicendum, quod non est simile de anima rationali et de aliis formis, ut dictum est. — *Ibid.* ad 3.

Ad tertium dicendum, quod in anima est sicut materiale ipsa simplex essentia, formale autem in ipsa est esse participatum, quod quidem ex necessitate simul est cum essentia animæ, quia esse per se consequitur ad formam. Et eadem ratio esset, si poneretur composita ex quadam materia spirituali, ut quidam dicunt: quia illa materia non est in potentia ad aliam formam, sicut nec materia cœlestis corporis; alioqui anima rationalis esset cor-

ruptibilis. Unde nullo modo anima potest fieri ex materia præjacente. — *Ibid.* ad 1.

Ad quartum dicendum, quod operatio adulteri dupliciter potest considerari: *aut* secundum esse morale, et sic prout est deformis, non cooperatur ad illam Deus, sed illam prohibet; — *aut* secundum quod est in specie naturali, et sic est bonum quoddam : unde non est inconveniens, quod tali operationi in quantum bona est, Deus, qui in omnibus operatur, complementum apponat. — 2. *Sent.* dist. 18, q. 2, a. 1, ad 2 ; 1a, q. 118, a. 2, ad 5.

ARTICULUS IV

UTRUM ANIMA RATIONALIS PRODUCATUR A DEO PER CREATIONEM IMMEDIATE VEL MEDIANTIBUS ANGELIS.

Videtur quod anima rationalis non creatur a Deo immediate, sed mediantibus angelis.

1. Dicitur enim in libro *de Causis* (prop. 5), quod intelligentiæ primæ influunt formas fixas stantes, sicut est anima; sed intelligentias angelos dicimus : ergo videtur quod anima rationalis a Deo mediantibus angelis producatur. — 2. *Sent.* dist. 18, q. 2, a. 2, arg. 1.

2. Præterea, a causa infinita non potest immediate procedere effectus finitus — ut probari potest per demonstrationes Philosophi 1. *de Coelo* (*text.* 68; c. 7), ubi probat, quod corpus infinitum non potest agere; — sed Deus est causa infinitæ virtutis : ergo cum anima sit quid finitum, non potest a Deo immediate produci. — *Ibid.* arg. 2.

3. Præterea, major est ordo in spiritualibus quam in corporalibus; sed videmus in corporalibus superiora inferiorum causas esse : ergo multo fortius hic in substantiis spiritualibus esse debet; ergo cum angeli sint altioris naturæ quam anima rationalis, videtur quod ab angelis animæ producantur. — *Ibid.* arg. 3; 1a, q. 90, a. 3, arg. 1.

4. Præterea, finis rerum respond principio; Deus enim est principium finis rerum; ergo et exitus rerum a pri cipio respondet reductioni rerum in finem sed anima rationalis reducitur in Deu per angelos, ut dicit Dionysius (*de Eccle Hierarchia* c. 5, § 4; — Migne PP. G t. 3, col. 503) : ergo videtur quod etia mediantibus angelis procedat. — 2. *Se* dist. 18, q. 2, a. 2, arg. 4; 1a, l. c. ar 2.

5. Præterea, cum omnis operatio sequ tur naturam rei, ab illo res habet ess cujus virtute propriam operationem pa ticipat. Sed propria operatio animæ rati nalis est operatio intellectualis. Cum er hæc operatio conveniat illi ex virtu intelligentiæ, ut in libro *de Causis* (pro 3) dicitur, videtur quod ipsa secundu suum esse mediantibus angelis produc tur. — 2. *Sent.* l. c. arg. 5.

Sed contra est: 1. quod ultima perfecti ad quam res potest pervenire, est hæ ut conjungatur suo principio; unde ph losophi ponunt ultimam felicitatem hom nis esse in continuatione intellectus po sibilis ad intellectum agentem, sive tal continuatio sit in vita, secundum quo dam, sive post hanc vitam, secundu alios. Sed ultima perfectio hominis est fruitione Dei : ergo a solo Deo anim rationalis procedit, et non mediantib angelis; nam alioqui beatitudo homin consisteret in fruitione angeli, non aute Dei.

2. Præterea, *Genes.* 2, 7 dicitur : *I spiravit Deus in faciem ejus spiraculu vitæ;* hoc autem est anima rationali qua homo vivit: ergo anima rationalis Deo immediate producitur. — 1a, q. 9 a. 3, arg. *Sed contra.*

Respondeo dicendum, quod quida posuerunt, quod angeli, secundum qu operantur in virtute Dei, causant anim rationales. Sed hoc est omnio impos bile et a fide alienum. Ostensum en est, quod anima rationalis non pote

›roduci nisi per creationem; solus autem)eus potest creare, quia solius primi gentis est agere nullo præsupposito, cum emper agens secundum præsupponat aliuid a primo agente; quod autem agit aliuid ex aliquo præsupposito, agit transıutando; et ideo nullum aliud agens git nisi transmutando, sed solus Deus git creando; et quia anima rationalis on producitur per transmutationem aliıjus materiæ, ideo non potest produci isi a Deo immediate. — 1a, q. 90, a. , c.

Ad primum ergo dicendum, quod in ıc materia auctoritates libri *de Causis* ›cipiendæ non sunt, quia ille, qui librum lum composuit, hujus erroris auctor iisse invenitur; nisi quis velit exponere, ıod est præter nostrum propositum. — . *Sent.* l. c. ad 1.

Ad secundum dicendum, quod illa ratio, vim habet, concludit, quod nihil a Deo ımediate causatur, quia omne quod est ræter ipsum, finitum est; nisi forte seındum aliquem modum substantias seıratas infinitas esse ponamus, non simiiciter, sed secundum quid, scilicet verıs inferius, ut in libro *de Causis* dicitur, ›c est, secundum quod ejus virtus non nitatur ad determinatos effectus in his, ıæ suæ operationi subduntur. Quo etiam ›do infinitatem habet anima rationalis, m ex parte intellectus agentis, quo est ınia facere, quam ex parte intelleıs possibilis, quo est omnia fieri, et jus est formam universalem recipere, qua sunt potentia infinita singularia. ıod est etiam evidens argumentum materialitatis ipsius animæ, et quod traduce non sit, quia omnis forma ıterialis finita est, ut in 8. *Phys.* protur. — Et ideo ad rationem illam diıdum est, quod etiam si Deus sit infius simpliciter, effectus tamen ejus duciter limitatur : *primo* et principaliter ordine sapientiæ ejus, quæ cuilibet rei tos terminos præfigit; *secundo*, ex parte ipientis, quia influentiam agentis recipit iens per modum virtutis suæ, et non per modum virtutis ipsius agentis. — *Ibid.* ad 2.

Ad tertium dicendum, quod etiam in corporalibus non ponimus superius esse causam inferioris nisi per modum moventis et generantis; et hæc in substantiis spiritualibus non ponimus, quia per generationem et motum in esse non producuntur; sed tamen sicut superiora corpora movent inferiora ad agendum, ita superiores substantiæ spirituales movent inferiores ad propriam operationem, secundum quod dicit Dionysius (*de Cœlesti Hierarchia* c. 13, § 3; — Migne PP. Gr. t. 3, col. 302) inferiores angelos a superioribus illuminari, et homines ab angelis. — *Ibid.* ad 3.

Ad quartum dicendum, quod quælibet res tendit in finem ultimum per propriam operationem; et ideo secundum quod per illuminationem superiorum inferiores illuminantur ad proprias operationes, dicendum per eos reduci in Deum. Non enim est inconveniens, ut una creatura ponatur causa motus vel operationis alterius. Sed non est similis ratio de exitu rerum a primo principio : quia res non exit a suo principio per hoc, quod aliquid a principio recipiat. — *Ibid.* ad 4.

Ad quintum dicendum, quod si intelligatur anima participare operationem intellectualem ab intelligentia hoc modo, quod potentia intelligendi insit animæ per virtutem intelligentiæ : hæreticum est, quia potentia intelligendi sequitur naturam animæ. Si autem intelligatur hoc modo, quod anima adjuvetur in sui operatione per illuminationem angelorum, ex hoc non potest concludi, quod anima secundum suam naturam ab angelis creata sit. Non enim a quocunque juvatur res vel movetur ad opus, ab eo habet esse. — *Ibid.* ad 5.

ARTICULUS V

UTRUM ANIMA RATIONALIS A DEO PRODUCATUR ANTE CORPUS.

Videtur quod anima rationalis producatur a Deo ante corpus.

1. Dicit enim Philosophus 2. *de Anima* (*text.* 36; c. 4), quod anima est causa corporis in genere causæ efficientis; sed causa efficiens præcedit tempore effectum: ergo anima rationalis existit ante corpus, et per consequens a Deo ante corpus producitur. — *de Pot.* q. 3, a. 10, arg. 6.

2. Præterea, quod est æternum, præcedit id quod fit in tempore; sed corpus in tempore generatur, ut patet; anima vero rationalis est æterna, quod patet, — *primo*, quia id, quod nunquam esse desinet, habet virtutem ut semper sit; quod autem habet talem virtutem, nunquam verum est de eo dicere non esse: quia quantum se extendit virtus essendi, tantum res durat in esse; omne autem quod incepit esse, est aliquando verum dicere non esse; quod igitur nunquam desinet esse, nec esse aliquando incipiet; — *secundo*, quia veritas intelligibilis, sicut est incorruptibilis, ita, quantum est de se, est etiam æterna (est enim necessaria; omne autem necessarium est æternum, quia quod necesse est esse, impossibile est non esse); ex incorruptibilitate autem *veritatis intelligibilis* ostenditur anima secundum *esse* incorruptibilis: ergo pari ratione ex ejus æternitate potest probari animæ æternitas; ergo anima producta est ante corpus. — 2. *c. Gent.* c. 83, arg. 1 et 2.

3. Præterea, omne illud, quod non dependet ab altero secundum suum esse, potest incipere non incipiente illo; sed anima rationalis non dependet in esse a corpore, cum destructo corpore maneat: ergo non videtur inconveniens, quod producta sit vel producatur ante corpus. — 2. *Sent.* dist. 17, q. 2, a. 2, arg. 4; *de Pot.* l. c. arg. 16.

4. Præterea, anima et angelus conveniunt in natura intellectuali. Cum ergo naturæ intellectualis conditio sit immaterialitas, videtur quod, sicut angeli ex sua creatione habent quod non uniantur corpori, similiter animæ rationales in sua creatione non uniantur corpori; et ita producentur ante corpus. — 2. *Sent.* l. c. arg. 5; 1a, q. 90, a. 4, arg. 1.

5. Præterea, ad perfectionem universi maxime pertinent substantiæ spirituales; si igitur animæ simul creantur cum corporibus, quotidie innumerabiles substantiæ spirituales perfectioni universi adderentur, et sic universum a principio fuisset imperfectum: quod est contra illud *Genesis* (2, 1), Deum omne opus complevisse. — 2. *Sent.* l. c. arg. 6; 1a, q. 1[illegible], a. 3, arg. 2; *de Pot.* q. 3, a. 10, arg. [illegible].

6. Præterea, finis rei respondet eis principio; sed anima rationalis remanet destructo corpore: ergo etiam incipit esse ante corpus. — 1a, q. 90, a. 4, arg. [illegible]; q. 118, a. 3, arg. 3.

Sed contra est: 1. quod Philosophus (12. *Metaphys. text.* 16; l. 11, c. 3) dicit, quod forma est simul cum suo effectu, atque adeo cum corpore, cujus est forma, licet aliqua forma, puta intellectiva, maneat post corpus. — 12. *Metaphys.* [illegible] 3 (2).

2. Præterea, actus proprius fit in propria potentia; cum ergo anima sit actus proprius corporis, anima producetur a corpore. — 1a, q. 90, a. 4, arg. [illegible] *contra*.

3. Præterea, omnis pars a suo toto separata est imperfecta; sed anima cum sit forma, ut probatum est, est pars speciei humanæ: ergo existens per se absque corpore est imperfecta; perfectum autem est prius imperfecto in rebus naturalium ordine: non ergo competit naturæ ordini, quod anima creetur ante corpus. — 2. *c. Gent.* c. 94.

Respondeo dicendum, quod necesse est dicere, quod animæ rationales non possunt produci ante corpora a Deo, sed creari in ipsis corporibus secundum naturæ suæ convenientiam, absque præjudicio tamen divinæ potestatis. Quod patet ad præsens multipliciter rationibus ostendi: — et *primo* quidem, quia unicuique formæ naturali est propria materia uniri — aliquid constitutum ex forma et materia esset aliquid præter naturam; prius autem attribuitur unicuique, quod

nvenit ei secundum naturam quam od præter naturam (quod enim conve- t alicui præter natura, inest ei per ac- lens; quod autem per accidens est, sem- r posterius est eo quod est per se) : imæ igitur rationali prius convenit esse itam corpori quam esse a corpore se- ratam. — 2. *c. Gent.* c. 83, rat. 2.

Secundo, si anima creatur ante corpus que adeo absque corpore, *aut* violenter, t naturaliter, *aut* per propriam volun- em, *aut* demum ex ordinatione Dei uni- corpori. — *Primum* dici non potest : n quia cum omne violentum sit contra turam, homo, qui ex utroque compo- ur, esset quid innaturale, quod patet e falsum; *tum* quia substantiæ in- lectuales alterioris ordinis sunt quam rpora cœlestia ; in corporibus autem lestibus nihil invenitur violentum ne- e contra naturam : multo igitur minus substantiis intellectualibus. — Si au- n *secundum* dicatur, ergo naturaliter ma in sui creatione appetit corpori iri; appetitus autem naturalis statim odit in actum, nisi sit aliquid impe- ns — sicut patet in motu gravium et ium; natura enim semper uno modo eratur — : statim ergo a principio suæ ationis fuisset corpori unita, *nisi* esset quod impediens ; sed omne impediens secutionem naturalis appetitus est vio- tiam inferens : per violentiam igitur , quod anima sit aliquo tempore a cor- e separata. Quod est inconveniens : n quia illis substantiis nihil potest esse lentum; *tum* quia violentum et quod contra naturam, cum sit per accidens, n potest esse prius eo quod est secun- m naturam, neque totam speciem con- quens. — Neque potest dici *tertium* : n quia deserere corpus non subjacet mæ voluntati, quod tamen esset, si ex untate sua se uniret corpori ; *tum* quia llus vult in statum pejorem venire nisi ceptus; sed anima separata est altioris tus quam corpori unita ; *tum* quia om- effectus procedens ex concursu dua- n voluntatum ad invicem non ordina- tarum est effectus casualis (sicut patet, cum aliquis intendens emere, obviat in foro creditori illuc non ex condicto venienti) ; voluntas autem patris generantis, ex qua dependet generatio corporis, non habet ordinem cum voluntate animæ separatæ uniri volentis. Cum igitur absque utraque voluntate unio corporis et animæ fieri non possit, sequitur quod sit casualis, et ita generatio hominis non erit a natura, sed a casu ; quod patet esse falsum, cum sit ut in pluribus. — Neque demum potest dici *quartum*, quia Deus unumquidque instituit secundum convenientem modum suæ naturæ ; si ergo animas creat ante corpora, et a corporibus separatas, oportet dicere, quod hic modus sit convenientior eorum naturæ; non est autem ad voluntatem et ordinationem divinæ bonitatis pertinens res ad inferiorem statum reducere, sed magis ad meliorem promovere : non ergo ex divina ordinatione fit, quod anima uniatur corpori. *Præterea*, non pertinet ad ordinationem divinæ sapientiæ, cum superiorum detrimento ea, quæ sunt infima, nobilitare. Infima autem in ordine rerum sunt corpora generabilia et corruptibilia. Non ergo conveniens est ordini divinæ sapientiæ, ad nobilitandum humana corpora animas præexistentes eis unire, cum hoc sine detrimento earum esse non possit, ut ex dictis patet. — 2. *c. Gent.* c. 83, 84; *de Pot.* q. 3, a. 10, c.

Tertio, anima rationalis non differt secundum substantiam a sensibili et vegetabili, ut sæpius dictum est ; sed vegetabilis et sensibilis animæ origo non potest esse nisi in corpore, cum sint actus quarundam partium corporis : ergo nec anima rationalis potest nisi in corpore creari secundum naturæ suæ convenientiam, tamen absque præjudicio divinæ potestatis. — *de Pot.* q. 3, a. 10, c.

Ad primum ergo dicendum, quod Philosophus in 2. *de Anima* non dicit animam esse efficientem causam corporis, sed causam unde est principium motus, in quantum est principium motus localis

in corpore, et augmenti et aliorum hujusmodi, ut ipsemet exponit ibidem. — *de Pot.* l. c. ad 6.

Ad secundum dicendum, quod animæ de novo creantur in ultimo instanti generationis corporis, quæ fit in tempore. Unde *ad primam probationem* dicendum, quod ex eo, quod anima rationalis habet virtutem ut sit semper, non potest concludi, quod semper *fuerit*, sed quod semper *erit*. Quod patet, — *tum* quia virtus et potentia rei non se extendit ad id quod fuit, sed ad id quod est vel erit; unde et in præteritis possibilitas locum non habet; — *tum* quia ex virtute non sequitur id, ad quod est virtus, nisi præsupposita virtute. Quamvis igitur anima virtutem habeat ut sit semper, non tamen potest concludi, quod anima sit semper, nisi postquam hanc virtutem accepit. Si autem sumatur, quod hanc virtutem ab æterno habuerit, erit petitum id, quod oportebit probari, scilicet quod fuerit ab æterno. — *Ad secundum* vero *probationem* ex æternitate veritatis quam anima intelligit sumptam dicendum, quod intellectæ veritatis æternitas dupliciter potest considerari et intelligi : uno modo, quantum ad id quod intelligitur, alio modo, quantum ad id quo intelligitur. Et si quidem veritas intellecta sit æterna quantum ad id *quod* intelligitur, sequitur æternitas rei quæ intelligitur, non autem intelligentis. Si autem veritas intellecta sit æterna quantum ad id *quo* intelligitur, sequitur intelligentem animam esse æternam. Sic autem veritas intellecta non est æterna, sed primo modo; species enim intelligibiles, quibus anima nostra intelligit veritatem, de novo nobis advenunt ex phantasmatibus per intellectum agentem; unde non potest concludi, quod anima sit æterna, sed quod veritates intellectæ fundentur in aliquo æterno. Fundantur autem in ipsa prima veritate sicut in causa universali contentiva omnis veritatis. Ad hoc autem æternum non comparatur anima sicut subjectum ad formam, sed sicut res ad proprium finem : nam verum est bonum intellectus, et finis ipsius; ex fine autem argumentum accipere possumus de rei duratione; sicut de initio rei argumentari possumus ex causam agentem (quod enim est ordinatum ad finem sempiternum, oportet esse capax perpetuæ durationis). Unde potest probari ex æternitate veritatis intelligibilis *immortalitas* animæ, non autem ejus *æternitas*. — 2. *c. Gent.* c. 84, ad 1 et 2.

Ad tertium dicendum, quod licet anima dependeat a corpore quantum ad sui principium, ut in perfectione suæ naturæ incipiat (cum enim quidquid in esse naturæ producitur, producatur secundum hoc quod individuatur; anima vero esse indeterminatum non possit habere, nisi secundum quod conjungitur corpori ut forma ejus : oportet quod non incipiat esse nisi in corpore); — non tamen dependet a corpore vel quantum ad suum esse vel quantum ad suum finem, quia acquirit ipsi esse in corpore ut rei subsistenti, puta esse absolutum, non depressum et obligatum ad corpus : unde destructo corpore nihilominus manet in suo esse individuatum et distinctum ab alia anima, licet non in completione suæ naturæ, quam habet ex unione ad corpus. — *de Pot.* l. c. ad 16; 2. *Sent.* l. c. ad 4.

Ad quartum dicendum, quod anima et angelus in hoc conveniunt, quod utrique est substantia subsistens, esse absolutum habens, et quod materiam partem sui non habent; ex quibus consequitur intellectualitas in utroque. In hoc tamen differunt, quod cum natura angelica sit sublimior et Deo propinquior, acquirit illi esse altius, in cujus participatione nullo modo corpus adduci potest. Ad hoc nec angelus potest forma corporis esse. Sed animæ acquiritur esse inferius et minus nobile, in quo corpus illi ponitur, ut unum sit animæ esse et corporis, quod est esse conjuncti. Et ideo est forma corporis; et ejus individuatio ex unione illius ad corpus. Et quatenus est forma corporis, pertinet ad genus animalium sicut formale principium; et

qui si completam speciem haberet et gram sicut angelus, et secundum se retur et cum angelis magis conveni- — 2. *Sent.* l. c. ad 5; 1a, l. c. ad 2. *d quintum* dicendum, quod essentia- perfectio universi consistit in specie- ; accidentalis vero in individuis. Cum multiplicatio animarum non sit se- lum diversam speciem, sed secun- numerum tantum, relinquitur quod hoc, quod multæ animæ quotidie ntur, nihil ad essentialem universi ectionem adjungitur, sed ad acciden- n tantum; et hoc non est inconve- s. — 2. *Sent.* l. c. ad 6; 1a, q. 118, , ad 2; *de Pot.* q. 3, a. 10, ad 2. *d sextum* dicendum, quod hoc, quod na remanet post corpus sine corpore, ingit per corporis corruptionem et ctum, qui est mors, quæ consecuta ex peccato. Unde non fuit conveniens l ab hoc defectu inciperent Dei opera, , sicut scriptum est (*Sap.* 1, 13 et 16): *s mortem non fecit....* sed *impii ma- s et verbis accersierunt eam.* — 1a, 0, a. 4, ad 3; q. 118, a. 3, ad 3.

QUÆSTIO XC

DE ESSENTIA ANIMÆ RATIONALIS.

einde considerandum est de essentia æ rationalis.

CA QUAM QUÆRUNTUR QUATUOR :

trum anima rationalis sit aliquid sub- tens.
trum anima rationalis sit composita ex teria et forma.
trum anima rationalis sit ejusdem spe- i cum angelo.
trum anima rationales sint æquales in rfectione et nobilitate.

ARTICULUS I

JM ANIMA RATIONALIS SIT ALIQUID SUBSISTENS.

idetur quod anima rationalis non sit uid subsistens.

1. Quod enim est subsistens dicitur *hoc aliquid;* sed anima rationalis non est hoc aliquid, sed compositum ex anima et corpore. Dicit enim Philosophus 2. *de Anima* (*text.* 2; c. 1), quod substantia dividitur in materiam, formam et hoc aliquid; anima autem est forma, ex eodem ibidem : ergo anima non est aliquid subsistens. — 1a, q. 75, a. 2, arg. 1; *Quæst. disp. de Anima* a. 1, arg. 8.

2. Præterea, omne quod est subsistens, potest dici operari; sed anima non dicitur operari, quia, ut dicitur 1. *de Anima* (*text.* 64; c. 4), dicere animam sentire aut intelligere, simile est ac si quis dicat eam texere vel ædificare : ergo anima non est aliquid subsistens. — 1a, l. c. arg. 2.

3. Præterea, si anima esset aliquid subsistens, esset aliqua ejus operatio sine corpore; sed nulla est ejus operatio sine corpore, nec etiam intelligere, quia non contingit intelligere sine phantasmate; phantasma autem non est sine corpore : ergo anima rationalis non est subsistens. — *Ibid.* arg. 3.

4. Præterea, formæ proprium est, quod sit in alio; sed esse in alio, et esse per se subsistens, sunt opposita : ergo cum anima sit forma, ut dictum est, non potest esse subsistens. — *Quæst. disp. de Anima* a. 1, arg. 9.

5. Præterea, cum Deus res propter sui bonitatem fecerit, quæ in diversis rerum gradibus manifestatur, tot gradus entium instituit, quot potuit natura pati. Si igitur anima potest per se subsistere, sequitur quod anima per se existens sit unus gradus entium; formæ autem non sunt unus gradus entium seorsum sine materiis : igitur anima, si est aliquid subsistens, non erit forma alicujus materiæ, quod est contra Philosophum, ut dictum est (supra q. 48, a. 7). — *Ibid.* arg. 4.

Sed contra est : 1. quod 3. *de Anima* (*text.* 4 et sqq.; c. 4) Philosophus dicit, quod intelligere animæ non est per organum corporeum; et per consequens, quod

per se operatur; sed quod per se operatur, est per se subsistens: ergo anima rationalis est aliquid subsistens. — *Quæst. disp. de Anima* a. 1, arg. 1 *Sed contra.*

2. Præterea, anima rationalis remanet corrupto corpore, et per solam creationem potest produci; sed quod est hujusmodi, est per se subsistens : ergo anima rationalis est quid subsistens. — *de Pot.* q. 3, a. 8, ad 7; a. 9 per totum.

Respondeo dicendum, quod necesse est dicere, id quod est principium intellectualis operationis, quod dicimus animam hominis, esse quoddam principium incorporeum et subsistens. Manifestum enim est, quod homo per intellectum cognoscere potest naturas omnium corporum. Quod autem potest cognoscere aliqua, oportet ut nihil eorum habeat in sua natura, quia illud, quod inest ei naturaliter, impediret cognitionem aliorum : sicut videmus, quod lingua infirmi, quæ infecta est cholerico et amaro humore, non potest percipere aliquid dulce, sed omnia videntur ei amara. Si igitur principium intellectuale haberet in se naturam alicujus corporis, non posset omnia corpora cognoscere. Omne autem corpus habet aliquam naturam determinatam. Impossibile est igitur, quod principium intellectuale sit *corpus*. Et similiter impossibile est, quod intelligat *per organum corporeum*, quia si esset natura determinata illius organi corporei, prohiberet cognitionem omnium corporum : sicut si aliquis determinatus color sit non solum in pupilla, sed etiam in vase vitreo, liquor infusus ejusdem coloris videbitur. Ipsum igitur intellectuale principium, quod dicitur mens vel intellectus, habet *operationem per se*, cui non communicat corpus. Nihil autem potest per se operari, nisi quod *per se subsistit*; non enim est operari nisi entis in actu. Unde eo modo aliquid operatur, quo est; propter quod non dicimus, quod calor calefaciat, sed calidum. Relinquitur igitur animam humanam esse aliquid incorporeum et subsistens. — 1a, q. 75, a. 2, c.

Ad primum ergo dicendum, quod *ho aliquid* potest accipi dupliciter : uno mo do pro quocunque subsistente, alio mod pro subsistente completo in natura al cujus speciei. Primo modo excludit in hærentiam accidentis et formæ materia lis; secundo modo excludit imperfecti nem partis : unde manus posset dici h aliquid primo modo, sed non secun modo. Sic igitur, cum anima rational sit pars speciei humanæ, potest dici h aliquid primo modo, quasi subsisten sed non secundo modo : sic enim comp situm ex anima et corpore dicitur h aliquid. — 1a, l. c. ad 1.

Ad secundum dicendum, quod Arist teles non dicit illa verba secundum p priam sententiam, sed secundum opini nem illorum, qui dicebant, quod intel gere est moveri, ut patet ex his, quæ i præmittit. — *Ad tertium*, quod *per agere* convenit per se existenti; sed *se existens* quamlibet potest dici aliqu si non sit inhærens ut accidens vel forma materiæ, etiamsi sit pars. S proprie et per se subsistens dicitur qu neque primo modo est inhærens, neq est pars; secundum quem modum ocul aut manus non posset dici per se sub stens, et per consequens nec per se o rans. Unde et operationes partium att buuntur toti per partes. Dicimus en quod homo videt per oculum et pal per manum, alter quam calidum cale cit per calorem, quia calor nullo mo calefacit proprie loquendo. Potest igit dici, quod anima intelligit, sicut ocul videt; sed magis proprie dicitur, qu homo intelligit per animam. — *Ibid.* ad

Ad tertium dicendum, quod corpus quiritur ad actionem intellectus non si organum, quo talis actio exercetur, rationem objecti; phantasma enim comp ratur ad intellectum sicut color ad sum. Sic autem indigere corpore removet intellectum esse subsistente alioqui animal non esset aliquid sub stens, cum indigeat exterioribus sensi libus ad sentiendum. — *Ibid.* ad 3.

Ad quartum dicendum, quod in alio e sicut accidens in subjecto, tollit ra- nem ejus, quod est hoc aliquid; esse em in alio sicut partem, quomodo ma est in homine, non omnino exclu- quin id, quod est in alio, possit hoc quid dici. — *Quæst. disp. de Anima* a. ad 9.

Ad quintum dicendum, quod licet ani- rationalis per se possit subsistere, tamen per se habet speciem comple- . Unde non potest esse, quod animæ aratæ constituant unum gradum en- n. — *Ibid.* ad 4.

ARTICULUS II

UM ANIMA RATIONALIS SIT COMPOSITA EX MATERIA ET FORMA.

Videtur quod anima rationalis sit com- sita ex materia et forma.

1. Dicit enim Philosophus (8. *Meta- ys. text.* 16; l. 7, c. 6), quod illa, quæ habent materiam, non habent cau- n sui esse; sed anima rationalis habet sam sui esse, quia, ut dictum est, atur a Deo: ergo anima habet mate- n. — 1a, q. 75, a. 5, arg. 3.

2. Prætera, quod non habet materiam, est forma tantum, est actus purus et nitus; sed hoc est solius Dei : ergo ma habet materiam. — *Ibid.* arg. 4.

3. Præterea, in quocunque inveniun- proprietates materiæ, ibi invenitur teria; sed in anima inveniuntur pro- etates materiæ, quæ sunt subjici et smutari — subjicitur enim scientiæ virtuti; et mutatur de ignorantia ad ntiam et de vitio ad virtutem — : er- in anima est materia. — *Ibid.* arg. 2.

4. Præterea, omne quod est, vel est s purus, vel pura potentia, vel com- itum ex actu et potentia; sed anima est actus purus, quia hoc solius Dei ; nec est pura potentia, quia sic non erret a materia prima: ergo est com- ita ex potentia et actu ; ergo non est forma tantum, cum forma sit actus. — *Quæst. disp. de Anima* a. 6, arg. 12.

5. Præterea, illud, quod est forma tantum, est ens et unum; et non indiget aliquo, quod faciat ipsum ens et unum, ut dicit Philosophus in 8. *Metaphys.* (*text.* 16 ; l. 7, c. 6); sed anima indiget aliquo, quod faciat ipsam entem et unam, scilicet Deo creante : ergo anima rationalis non est forma tantum. — *Ibid.* arg. 9.

Sed contra est : 1. quod Philosophus dicit (3. *de Anima text.* 38; c. 8), quod lapis non est in anima, sed species lapidis; sed hoc est propter simplicitatem animæ, quia scilicet in ea non possunt esse materialia : ergo anima non potest esse composita ex materia et forma. — *de Spirit. Creat.* a. 1, arg. 6 *Sed contra.*

2. Præterea, omne compositum ex materia et forma habet formam ; si igitur anima est composita ex materia et forma, anima habet formam; sed anima est forma : ergo forma habet formam; quod videtur impossibile, quia sic esset ire in infinitum. — *Quæst. disp. de Anima* a. 6, arg. *Sed contra.*

Respondeo dicendum, quod anima non habet materiam. Et hoc potest dupliciter probari : — *primo* quidem ex ratione animæ in *communi*. Est enim de ratione animæ, quod sit forma alicujus corporis; aut igitur est forma secundum se totam, aut secundum aliquam partem sui. Si secundum se *totam*, impossibile est, quod pars ejus sit materia, si dicatur materia aliquod ens in potentia tantum : quia forma in quantum forma est actus; id autem, quod est in potentia tantum, non potest esse pars actus; cum potentia repugnet actui, utpote contra actum divisa. Si autem sit forma secundum aliquam *partem* sui, illam partem dicemus esse animam; et illam materiam, cujus primo est actus, dicemus esse primum animatum. — *Secundo, specialiter* ex ratione animæ humanæ, in quantum est intellectiva. Manifestum enim est, quod omne quod recipitur in aliquo, recipitur in eo

per modum recipientis; sic autem cognoscitur unumquodque, sicut forma ejus est in cognoscente. Anima autem intellectiva cognoscit rem aliquam in sua natura absolute, puta lapidem, in quantum est lapis absolute; est igitur forma lapidis absolute secundum propriam rationem formalem in anima intellectiva. Anima igitur intellectiva est forma absoluta, non autem aliquid compositum ex materia et forma. Si enim anima intellectiva esset composita ex materia et forma, formæ rerum reciperentur in ea ut individuales; et sic non cognosceret nisi singulare, sicut accidit potentiis sensitivis, quæ recipiunt formas rerum in organo corporali; materia enim est principium individuationis formarum. Relinquitur ergo, quod anima intellectiva et omnis intellectualis substantia cognoscens formas absolute, caret compositione materiæ et formæ. — 1a, q. 75, a. 5, c.; 2. *Sent.* dist. 17, q. 1, a. 2; *Quæst. disp. de Anima* a. 6, c.

Ad primum ergo dicendum, quod forma est causa essendi materiæ et agens; unde agens, in quantum reducit materiam in actum formæ transmutando, est ei causa essendi. Si quid autem est forma subsistens, non habet esse per aliquod formale principium, nec habet causam transmutantem de potentia in actum. Unde post verba præmissa Philosophus concludit, quod in his, quæ sunt composita ex materia et forma, nulla est alia causa nisi movens ex potestate ad actum. Quæcumque vero non habent materiam, omnia simpliciter sunt quasi vere entia. — 1a, l. c. ad 3.

Ad secundum dicendum, quod omne participatum comparatur ad participans ut actus ejus. Quæcumque autem forma creata per se subsistens ponitur, oportet quod participet esse: quia etiam ipsa vita, vel quidquid sic diceretur, participat ipsum esse, ut Dionysius (*de Div. Nom.* c. 5, § 5; — Migne t. 3, col. 819) dicit. Esse autem participatum finitur ad capacitatem participantis. Unde solus Deus, qui est ipsum suum esse, est actus purus et infinitus. In substantiis vero intellectualibus est compositio ex actu et potentia, non quidem ex materia et forma, sed ex forma et esse participato. Unde a quibusdam dicuntur componi ex quo est et quod est, ipsum enim esse est quo aliquid sunt (1). — *Ibid.* ad 4.

Ad tertium dicendum, quod subjici et transmutari conveniunt materiæ, secundum quod est in potentia. Sicut ergo est alia potentia intellectus, et alia potentia materiæ primæ: ita est alia ratio subjiciendi et transmutandi. Secundum hoc enim intellectus subjicitur scientiæ et de ignorantia transit ad scientiam, secundum quod est in potentia ad species intelligibiles. — *Ibid.* ad 2.

Ad quartum dicendum, quod licet anima non sit actus purus nec potentia pura; non tamen sequitur, quod sit composita ex materia et forma, ut ex dictis patet. — *Quæst. disp. de Anima* a. 6, ad 12.

Ad quintum dicendum, quod ea, quæ sunt formæ subsistentes, ad hoc quod sint unum et ens, non requirunt causam formalem, quia ipsæ sunt formæ; habent tamen causam exteriorem agentem, quæ dat eis esse. — *Ibid.* ad 9.

ARTICULUS III

UTRUM ANIMA RATIONALIS SIT EJUSDEM SPECIEI CUM ANGELO.

Videtur quod anima rationalis sit ejusdem speciei cum angelo.

1. Unumquodque enim ordinatur ad proprium finem per naturam suæ speciei, per quam habet inclinationem ad finem; sed idem est finis animæ et angeli, scilicet beatitudo æterna: ergo sunt unius speciei. — 1a, q. 75, a. 7, arg. 1.

2. Præterea, ultima differentia specifica est nobilissima, quia complet rationem speciei, sed nihil est nobilius in angelo et anima quam intellectuale esse: erg

(1) Al. est e.

ɔnveniunt angelus et anima in ultima difrentia specifica : ergo sunt unius speei. — *Ibid.* arg. 2; *Quæst. disp. de Anima* a. 7, arg. 14.

3. Præterea, anima ab angelo differre ɔn videtur nisi per hoc, quod est corpori ıita; sed corpus, cum sit extra essenam animæ (nam comparatur ad animam mquam materia, quæ non dat speciem rmæ), non videtur ad ejus essentiam ɜrtinere : ergo anima et angelus sunt usdem speciei. — 1a, l. c. arg. 3.

4. Præterea, quorum est eadem operaɔ propria et naturalis, illa sunt eadem cundum speciem ; sed animæ et angeli ɜt eadem operatio naturalis, puta intelgere : ergo anima et angelus sunt ejusem speciei. — *Quæst. disp. de Anima* a. arg. 1.

5. Sed dices, quod intelligere animæ ɜt cum discursu, angeli vero sine discurı, et ideo differunt. — Sed contra, diɜrsarum operationum secundum speciem on est eadem potentia ; sed nos per eanem potentiam, scilicet intellectum possilem, intelligimus quædam per discurım, quædam sine discursu : ergo intelgere cum discursu et sine discursu non versificat speciem. — *Ibid.* arg. 2.

6. Præterea, anima rationalis dicitur telligere discurrendo, per hoc quod inlligit causam per effectum et e contra ; d hoc etiam contingit angelis : dicitur ıim in libro *de Causis* (prop. 8), quod telligentia intelligit quod est supra se. ıia est causatum ab ea, et intelligit quod ɜt sub se, quia est causa ejus : ergo non iffert angelus ab anima per hoc quod ɜt intelligere cum discursu vel sine disırsu. — *Ibid.* arg. 8.

Sed contra est : 1. quod unaquæque res abet proprium esse secundum rationem ıæ speciei; quorum enim est diversa raɔ essendi, horum est diversa species ; ɜse autem animæ humanæ et substantiæ ɜparatæ non est unius rationis; nam in ɜse substantiæ separatæ non potest comunicare corpus, sicut potest communiıre in esse animæ humanæ, quæ secundum esse unitur corpori ut forma materiæ : ergo anima rationalis specie differt ab angelo. — 2. *c. Gent.* c. 94, n. 2.

2. Præterea, quod habet secundum se ipsum speciem, non potest esse ejusdem speciei cum eo, quod non habet secundum se speciem, sed est pars speciei ; sed substantia separata habet per se ipsam speciem, anima autem non, sed est pars speciei humanæ : impossibile igitur est, quod sit ejusdem speciei cum illa.— *Ibid.* n. 3.

3. Præterea, ex propria operatione rei percipitur species ejus; operatio enim demonstrat virtutem, quæ indicat essentiam. Sed propria operatio animæ rationalis et substantiæ separatæ est intelligere; est autem omnino alius modus intelligendi substantiæ separatæ et animæ — nam anima intelligit a phantasmatibus accipiendo; non autem substantia separata, cum non habeat organum corporeum, in quo oportet esse phantasmata — : non sunt igitur anima rationalis et substantia separata ejusdem speciei. — *Ibid.* n. 4.

Respondeo dicendum, quod Origenes (1. *Periarchon* c. 8 ; — Migne PP. Gr. t. 11, col. 180) posuit, omnes animas humanas et angelos esse unius speciei ; et hoc ideo, quia posuit diversitatem gradus in hujusmodi substantiis inventam accidentalem, utpote ex libero arbitrio provenientem. Quod non potest esse, quia in substantiis incorporeis non potest esse diversitas secundum numerum absque diversitate secundum speciem et absque naturali inæqualitate : quia cum non sint compositæ ex materia et forma, sed sint formæ subsistentes, manifestum est, quod necesse erit in eis esse diversitatem in specie. Non enim potest intelligi, quod aliqua forma separata sit nisi una unius speciei : sicut si esset albedo separata, non posset esse nisi una tantum; hæc enim albedo non differt ab illa nisi pro hoc, quod est hujus vel illius. Diversitas autem secundum speciem semper habet diversitatem naturalem concomitantem : sicut in speciebus colorum unus est perfectior al-

tero, et similiter in aliis. Et hoc ideo, quia differentiæ dividentes genus sunt contrariæ. Contraria autem se habent secundum perfectum et imperfectum, quia principium contrarietatis est privatio et habitus, ut dicitur 10. *Metaphys.* (*text.* 15 et sq. ; l. 9, c. 4).— Idem etiam sequeretur, si hujusmodi substantiæ essent compositæ ex materia et forma. Si enim materia hujus distinguitur a materia illius, necesse est quod *vel* forma sit principium distinctionis materiæ, ut scilicet materiæ sint diversæ propter habitudinem ad diversas formas — et tunc sequitur adhuc diversitas secundum speciem et inæqualitas naturalis —; *vel* materia erit principium distinctionis formarum. Nec potest dici materia hæc alia ab illa nisi secundum distinctionem quantitativam, quæ non habet locum in substantiis incorporeis, cujusmodi sunt angelus et anima. Unde non potest esse, quod angelus et anima sint unius speciei. Quomodo autem sint plures animæ unius speciei, infra (quæst. seq., art. 2) ostendetur. — 1a, q. 75, a. 7, c. ; *Quæst. disp. de Anima* a. 7, c. ; 2. *c. Gent.* c. 94.

Ad primum ergo dicendum, quod ratio illa procedit de fine proximo et naturali ; beatitudo autem æterna est finis ultimus et supernaturalis. — 1a, l. c. ad 1.

Ad secundum dicendum, quod differentia specifica ultima est nobilissima, in quantum est maxime determinata per modum, quo actus est nobilior potentia ; sic autem intellectuale non est nobilissimum, quia est indeterminatum, et commune ad multos intellectualitatis gradus, sicut sensibile ad multos gradus in esse sensibili. Unde sicut non omnia sensibilia sunt unius speciei, ita nec omnia intellectualia. — *Ibid.* ad 2.

Ad tertium dicendum, quod corpus non est de essentia animæ, sed anima ex natura suæ essentiæ habet, quod sit corpori unibilis ; unde nec proprie anima est in specie, sed compositum. Et hoc ipsum, quod anima quodlam eget corporeo ad suam operationem, ostendit, quod anima tenet inferiorem gradum intellectualitatis quam angelus, qui corpori non unitur. — *Ibid.* ad 3.

Ad quartum dicendum, quod intelligere angeli et animæ non est ejusdem speciei. Manifestum est enim quod si formæ, quæ sunt principia operationum, differunt specie, necesse est et operationes ipsas differre specie, sicut calefacere et infrigidare differunt secundum differentiam caloris et frigoris ; species autem intelligibiles, quibus animæ intelligunt, sunt a phantasmatibus abstractæ : et ita non sunt ejusdem rationis cum speciebus intelligibilibus, quibus angeli intelligunt, quæ sunt eis innatæ, secundum quod dicitur in libro *de Causis* (prop. 10), quod omnis intelligentia est plena formis. Unde et intelligere hominis et angeli non est ejusdem speciei. Ex hac differentia provenit, quod angeli intelligunt sine discursu, animæ autem cum discursu; quæ necesse habent ex sensibilibus effectibus in virtutes causarum pervenire, et ab accidentibus sensibilibus in essentias rerum, quæ non subjacent sensui. — *Quæst. disp. de Anima* a. 7, ad 1.

Ad quintum dicendum, quod anima intellectualis principia et conclusiones intelligit per species a phantasmatibus abstractas ; et ideo non est diversum intelligere secundum speciem. — *Ibid.* ad 2.

Ad sextum dicendum, quod cognoscere aliquid per alterum contingit dupliciter : *uno modo*, sicut cognoscitur unum cognitum per aliud cognitum, ita quod sit distincta cognitio utriusque, sicut homo per principia cognoscit conclusiones, seorsum considerando utrumque ; *alio modo*, sicut cognoscitur aliquid cognitum per speciem qua cognoscitur, ut videmus lapidem per speciem lapidis, quæ est in oculo. Primo igitur modo cognoscere unum per alterum facit discursum, non autem secundo modo ; sed hoc modo cognoscunt angeli causam per effectum, et effectum per causam, in quantum ipsa essentia angeli est similitudo quodlam suæ causæ, et assimilat sibi suum effectum. — *Ibid.* ad 8.

ARTICULUS IV

TRUM ANIMÆ RATIONALES SINT ÆQUALES IN PERFECTIONE ET NOBILITATE.

Videtur quod animæ rationales sint quales in perfectione et nobilitate.

1. Dicit enim Philosophus in *Prædi-ım.* c. 6 (5) *de substantia*, quod substan-a non suscipit magis et minus; sed si ıa anima esset substantialiter perfectior ia, substantia susciperet magis et minus: ·go animæ rationales sunt æquales in erfectione. — V. supra in Logica q. 10, 3, quæstiunc. 5.

2. Præterea, intellectus unius hominis on potest melius intelligere quam intel-ctus alterius: *tum* quia, cum res sit uno ıodo, ab omnibus intelligitur; *tum* quia ıtellectus est id, quod est formalissimum ı homine, differentia autem formæ cau-ıt differentiam speciei; sed operatio na-ıram indicat: ergo si æqualiter omnes ıimæ intelligunt, omnes erunt æquales ı perfectione et nobilitate. — 1a, q. 85, .7, arg. 2 et 3; *de Verit.* q. 2, a. 2, arg. 1; 2. *Sent.* dist. 32, q. 2, a. 3, arg. 1.

3. Præterea, idem semper est natum ıcere idem, ut dicitur 2. *de Generat. ext.* 56; c. 10); unde oportet quod ab gente uniformi fiat effectus uniformis; ed anima immediate creatur a Deo: cum rgo in Deo nulla sit diversitas, videtur uod animæ inæquales ex creatione non int.— 2. *Sent.* dist. 32, q. 2, a. 3, arg. 3.

4. Sed dices, quod quamvis non habeant iversitatem ab agente, habent tamen ex ıateria. — Contra, formæ, quæ secundum iversitatem materiæ diversificantur, de ıotentia materiæ educuntur, ut patet in ormis corporalibus; sed anima rationa-is non educitur de potentia materiæ, uia, ut dicitur lib. 16. *de Animal.* (i. e. . *de Generat. Animal.* c. 3), intellectus st ab extrinseco: ergo nec etiam ex di-ersitate materiæ inæqualitas in animabus sse potest. — *Ibid.* arg. 4.

5. Præterea, dicit Philosophus 3. *Ietaphys.* (*text.* 11; l. 2, c. 3), quod in individuis unius speciei non est prædicatio secundum prius et posterius. Sed in diversis speciebus contingit esse hujusmodi prædicationem, ut scilicet genus de eis prædicetur secundum prius et posterius. Tunc autem præcipue videtur quod species per prius generis prædicationem recipiat, quando nobilior forma vel differentia naturam generis participat. Ergo in individuis hoc non contingit, ut unus homo nobiliorem formam quam alius possideat; ergo videtur quod unus homo non habeat ex creatione nobiliorem animam quam alius. — *Ibid.* arg. 5.

6. Præterea, forma individua supra formam non addit ullam rationem formæ; nam sic diversitas individualis esset specifica: nam diversitas competens formæ per se secundum id, quod ad rationem formæ pertinet, est specifica, et per consequens non addit aliquid substantiale: ergo animæ rationales in individuo non sunt inæquales in perfectione substantiali. — *Ibid.* arg. 1.

7. Præterea, intellectus animæ rationalis est omnino independens a corpore, quantum ad suam operationem; ergo si unus est perfectior alio, debet talis diversitas intellectui humano competere independenter a corpore, sed tantum ratione formæ; sed diversitas competens ratione formæ est specifica: ergo cum intellectus animarum rationalium non possint differre specie, non habent ullam inæqualitatem in intelligendo; et consequenter nec erit ulla inæqualitas in perfectione substantiali in ipsis animabus. — Cf. *ibid.* ad 7.

8. Præterea, *vel* diversitas animarum in perfectione oritur ex ratione ipsius formæ, *vel* ex diversitate materiæ. Sed *primum* dici non potest, quia sequeretur, ut dictum est, animas differre specie, quod est falsum. Si vero dicatur *secundum*, idem sequitur, quia diversitas materialis oritur ex diversitate formali; diversitas enim partium integrantium, quæ est materialis, causatur ex parte formæ, quia ex hoc quod ·orma est talis, oportet quod corpus sit illi

sic dispositum. Ergo dicendum est, quod animæ rationales sunt omnes in perfectione et nobilitate æquales. — Cf. *ibid.* ad 6.

Sed contra est : 1. quod ubi est perfectior operatio, ibi est virtus operandi perfectior ; et per consequens, ubi virtus est perfectior, ibi natura, cui competit talis virtus, est perfectior ; sed unus homo, ut patet experientia, melius et profundius intelligit quam alius — sicut profundius intelligit qui conclusionem aliquam potest reducere in prima principia et causas primas, quam qui potest solum reducere in causas proximas propriias — : ergo unus homo habet intellectum perfectiorem alio, et consequenter perfectiorem et nobiliorem animam. — 1a, q. 85, a. 7, arg. *Sed contra.*

2. Præterea, videmus ad sensum quosdam homines esse melioris intellectus quam alios ; sed bonitas intellectus non potest causari ex corpore, quia intellectus a corpore absolutus est, ut dicitur in 3. *de Anima (text.* 19 et 20 ; c. 5) : ergo oportet quod hoc contingat ex diversitate, quam animæ a sua creatione habent.— 2. *Sent.* dist. 32, q. 2, a. 3, arg. 2 *Sed contra.*

Respondeo dicendum, quod de anima duplex est opinio. Quidam enim dicunt, quod est composita ejus substantia ex aliquo materiali et aliquo formali. Et secundum hoc potest dici, quod absque diversitate speciei potest in animabus inæqualitas inveniri secundum se ipsas, per diversitatem ejus, quod est in anima materiale. Sed quia supra dictum est, quod anima est natura et forma quædam simplex ; non oportet in ipsis ponere differentiam et inæqualitatem consequentem rationem formæ, quia cum hujusmodi differentia et inæqualitas sit specifica, animæ rationales *specie* differrent, quod est falsum. Cum ergo *numero* tantum differant, debet talis differentia ex materia causari, quia ex materia tantum causatur omnis differentia numerica ; ac proinde distinctio animarum orietur ex diversitate corporum. Quoniam vero omnis actus et forma recipitur in materia secundum materiæ capacitatem, ejusque dispositioni proportionatur, necesse est ut quæ unitur corpori melius disposito et organizato, sit majoris virtutis in intelligendo, et consequenter ipsa sit perfectior ac nobilior quam alia, quæ minus bene disposito unitur. Quod duplici signo potest etiam esse manifestum : — et *primo* quidem ex his, quæ diversi generis sunt : quia unumquodque invenitur tanto nobilius genus animæ participare, quanto corpus ejus ad nobilius genus complexionis pertingit, ut in hominibus, brutis et plantis ; — *secundo*, etiam in his, quæ sunt unius generis : ex hoc enim contingit diversitas animarum, quod est in corporibus diversitas ; et hoc etiam patet ex signo boni intellectus, quod Philosophus in 2. *de Anima* (*text.* 94 ; c. 9) dat intelligere, dicens eos, qui sunt boni tactus et molles carne, aptos mente esse ; bonitas autem tactus ex æqualitate complexionis contingit : quia oportet ut instrumentum tactus inter contraria tangibilia sit medium ; et quanto magis pervenit ad medium, tanto melior erit tactus. Unde patet, quod ex diversitate corporis animarum diversitas resultat. — 2. *Sent.* dist. 32, q. 2, a. 3, c. ; cf. Hannibaldus in 2. *Sent.* dist. 32, q. un., a. 4 ; 1a, q. 85, a. 7, c. ; 2. *de Anima* l. 19.

Ad primum dicendum, quod tripliciter potest considerari anima : — *primo*, quantum ad rationem speciei ; et hoc modo omnes animæ sunt æquales, nec una est magis substantia quam alia ; nec eadem in homine recipit magis et minus ; — *secundo*, in quantum redundat perfectio naturæ in perfectionem individui, per modum, quo ex principiis speciei sequuntur operationes individuorum ; et secundum hoc unus homo est potentior alio in explendis operationibus speciem concernentibus ; unus enim alio promptior est ad intelligendum vel ad ratiocinandum, et sic de aliis ; — *tertio* potest considerari per ordinem ad corpus diversimode com-

plexionatum, in quo recipitur; et hoc modo, cum quidquid recipitur per modum recipientis recipiatur, et actus sint proportionati suis potentis, ex diversitate complexionis per accidens resultat et causatur diversitas in animalibus, ita ut una individualiter sit perfectior alia, digniusque ab una materia melius disposita participetur quam ab alia. — 2. *Sent.* dist. 32, q. 1, a. 3, c.; q. 2, a. 3, ad 1 et 6; cf. in Logica q. 10, a. 3, quæstiunc. 5.

Ad secundum dicendum, quod dupliciter potest intelligi, quod una et eadem res melius et magis ab uno quam ab alio intelligatur : — *uno modo* sic, quod li *magis* determinat actum intelligendi ex parte *rei intellectæ;* et sic non potest unus eandem rem magis et melius intelligere quam alius, quia si intelligeret eam aliter quam sit, vel melius vel pejus, falleretur et non intelligeret ; — *alio modo,* ut determinet actum intelligendi ex parte *intelligentis;* et sic unus potest eandem rem melius alio intelligere quia est melioris virtutis in intelligendo : sicut melius videt visione corporali rem aliquam qui est perfectioris virtutis, et in quo virtus visiva est perfectior.

Hoc autem circa intellectum contingit dupliciter : — *uno* quidem *modo* ex parte intellectus, qui est perfectior. Manifestum enim est, ut dictum est, quod quanto corpus est melius dispositum, tanto meliorem sortitur animam; quod manifeste apparet in his, quæ sunt secundum speciem diversa. Cujus ratio patet ex dictis, quia actus et forma recipitur in materia secundum materiæ capacitatem. Unde etiam cum in hominibus quidam habeant corpus melius dispositum, sortiuntur animam majoris virtutis in intelligendo. Unde videmus, inquit Philosophus, quod molles carne bene sunt apti mente. *Alio modo* contingit hoc ex parte virium inferiorum, quibus intellectus indiget ad sui operationem ; illi enim, in quibus virtus imaginativa et cogitativa et memorativa sunt melius dispositæ, sunt melius dispositi ad intelligendum. — Ad *priorem* autem probationem in contrarium dicendum, quod uno modo rem eandem omnes intelligunt, quantum est ex parte rei cognitæ ; secus vero quantum est ex modo cognoscentis. Ad *posteriorem* vero dicendum, quod differentia formæ, quæ non provenit nisi ex diversa dispositione materiæ, non facit diversitatem secundum speciem, sed tantum secundum numerum ; sunt enim diversorum individuorum diversæ formæ secundum materiam diversificatæ. — 1a, q. 85, a. 7, c. et ad 2 et 3 ; *de Verit.* q. 2, a. 2, ad 11 ; vide etiam *de Pot.* q. 2, a. 2, in c., unde proveniat quod quis clarius alio intelligat.

Ad tertium dicendum, quod licet Deus sit unum agens in quo nulla est diversitas ; tamen quia per voluntatem agit, potest multiformes effectus producere pro libito suæ voluntatis. Sed hoc esse non potest, quod aliqua in specie convenientia in forma habeant diversitatem : quia hoc implicat contradictionem ; et ideo oportet quod diversitas, quæ est in animalibus ejusdem speciei, in diversitatem materiæ reducatur. — 2. *Sent.* dist. 32, q. 2, a. 3, ad 3.

Ad quartum dicendum, quod quamvis anima rationalis non educatur de potentia materiæ, tamen creatur in materia ut actus ipsius ; et ideo oportet quod in ea per modum materiæ recipiatur. — *Ibid.* ad 4.

Ad quintum dicendum, quod in individuis est diversitas formalis, non quæ est formæ per se secundum id, quod ad rationem formæ pertinet — nam talis diversitas formæ diversitatem speciei inducit, et prioritatem ac posterioritatem in prædicatione generis talium specierum diversarum — ; sed quæ non per se, sed per accidens ex diversitate materiæ resultat, secundum quod in materia melius disposita dignius forma participatur ; hæc enim diversitas non diversificat speciem ; et hæc est diversitas animarum. — *Ibid.* ad 5 et ad 1. — Et sic patet *ad sextum.*

Ad septimum dicendum, quod quamvis intellectus sit absolutus a corpore quan-

tum ad propriam operationem, quæ organo corporali non expletur ; tamen conjunctionem habet ad corpus dupliciter : scilicet ex parte essentiæ animæ, quæ forma corporis est, et ex parte inferiorum potentiarum, ex quibus intellectus recipit ; et per istum modum diversitas corporis in diversitatem intellectus redundat. — *Ibid.* ad 7 ; 1a, q. 85, a. 7, in c.

Ad octavum dicendum, quod diversitas materiæ potest accipi dupliciter : vel diversitas partium speciei, id est partium specie differentium sive *formaliter*, ut manus, pes et hujusmodi; et talis diversitas causatur ex parte formæ, quia ex hoc, quod forma est talis, oportet quod corpus sit sibi sic dispositum. Est autem quædam diversitas *materialis* tantum, quæ ad speciem non pertinet, sed ad individuum tantum ; et ista redundat ex materia in formam, et non e converso. — *Ibid.* ad 6.

QUÆSTIO XCI

DE UNIONE ANIMÆ RATIONALIS AD CORPUS.

Deinde considerandum est de unione animæ rationalis ad corpus.

CIRCA QUAM QUÆRUNTUR NOVEM :

1. Utrum anima rationalis uniatur corpori ut forma.
2. Utrum anima rationalis numero multiplicetur ad multiplicationem corporum, vel sit una in omnibus hominibus.
3. Utrum in corpore, cujus est forma anima rationalis, sit aliqua alia anima.
4. Utrum sit in eo aliqua alia forma substantialis.
5. Utrum anima rationalis tali corpori debeat uniri, quale est corpus humanum.
6. Utrum anima rationalis uniatur corpori mediantibus dispositionibus accidentalibus.
7. Utrum anima rationalis uniatur corpori mediante aliquo corpore.
8. Utrum anima rationalis sit tota in qualibet parte animalis.
9. Utrum anima rationalis, quæ unitur uni corpori, posset uniri alii.

ARTICULUS I

UTRUM ANIMA RATIONALIS UNIATUR CORPORI UT FORMA.

Videtur quod anima rationalis non uniatur corpori ut forma.

1. Dicit enim Philosophus 3 *de Anima* (*text.* 6 et 7 ; c. 4), quod intellectus non est mixtus cum corpore sicut sensitivum sed est separatus et nullius corporis actus non ergo unitur corpori ut forma. — 1a, q. 76, a. 1, arg. 1 ; *Quæst. disp. de Anima* a. 2, arg. 1.

2. Præterea, omnis forma determinatur secundum naturam materiæ, cujus est forma ; alioqui non requireretur proportio inter materiam et formam ; si ergo intellectus uniretur corpori ut forma, cum omne corpus habeat determinatam naturam, sequeretur quod intellectus habere determinatam naturam : et sic non esset omnium cognoscitivus ; quod est contra rationem intellectus. Non ergo unitur intellectus corpori ut forma. — 1a, l. c. arg. 2 ; *Quæst. disp. de Anima* a. 2, arg. 18.

3. Præterea, quæcunque potentia receptiva est actus alicujus corporis, recipit formam materialiter et individualiter quia receptum est in recipiente per modum recipientis. Sed forma rei intellectæ non recipitur in intellectu materialiter et individualiter, sed magis immaterialiter et universaliter; alioqui intellectus non esset cognoscitivus immaterialium et universalium, sed singularium tantum sicut et sensus. Ergo intellectus non unitur corpori ut forma. — 1a, l. c. arg. 3.

4. Præterea, ejusdem est potentia et actio, ut dicit Philosophus (*de Somno et Vigilia* c. 1, ante med.) ; idem enim est quod potest agere et quod agit ; sed actus intellectualis, puta intelligere, non est alicujus corporis vel organi corporei, ut dicitur 3. *de Anima* (*text.* 6 et sqq. ; c. 4) ergo nec potentia intellectiva est alicujus corporis potentia ; sed virtus sive poten

ia non potest esse abstractior vel simplicior quam essentia, a qua virtus vel potentia derivatur : ergo nec substantia intellectus est corporis forma. — 1a, l. c. arg. 4; *de Spirit. Creat.* a. 2, arg. 2.

5. Præterea, id quod per se habet esse, non unitur corpori ut forma, quia forma est *quo aliquid est;* et sic ipsum esse formæ non est ipsius formæ secundum se; sed intellectivum principium habet secundum se esse et est subsistens, ut dictum est : non ergo unitur corpori ut forma. — 1a, l. c. arg. 5.

6. Præterea, id quod inest alicui rei secundum se, semper inest ei. Sed formæ secundum se inest uniri materiæ; non enim per accidens, sed per essentiam suam est actus materiæ; alioquin ex materia et forma non fieret unum substantialiter, sed accidentaliter. Forma ergo non potest esse sine propria materia. Sed intellectivum principium, cum sit incorruptibile, ut supra ostensum est, remanet corpori non unitum, corpore corrupto. Ergo intellectivum principium non unitur corpori ut forma. — *Ibid.* arg. 6.

7. Præterea, forma non est propter materiam, sed materia propter formam. Unde anima non unitur corpori, ut perficiatur corpus, sed magis corpus unitur animæ, ut ipsa perficiatur. Sed anima rationalis non eget corpore ad sui perfectionem, cum sine corpore possit esse et intelligere ; ergo anima non unitur corpori ut forma. — *de Spirit. Creat.* a. 2, arg. 5.

8. Præterea, forma dans esse corpori physico est natura (2. *Phys. text.* 4 et 12; c. 1), et non est separabilis nisi secundum rationem, ut dicitur 2. *Phys.* (*text.* 12; c. 1) et 4. *Phys.* (*text.* 17; c. 2), et est considerationis physicæ, ut dicitur 2. *Phys.* (*text.* 21, 22, 23; c. 2). Sed anima rationalis non est natura (1. *de Partibus Animal.* c. 1, post med.) *, et est separabilis secundum rem, ut dicitur *de Anima* l. 2 (*text.* 1; c. 1) et 3 (*text.* 7; c. 4), et non est considerationis physicæ (hæc enim est de corruptibilibus formis, ut dicitur 1. *Phys. text.* 83 ; c. 9; anima autem est incorruptibilis, cum remaneat in esse, corrupto corpore, ut dictum est). Ergo. — 2. *Phys.* l. 1 et 2; 4. *Phys.* l. 3 ; — 2. *Phys.* l. 4; — 2. *de Anima* l. 2; 3. *de Anima* l. 7; — 1. *Phys.* l. ult.

9. Præterea, dicit Philosophus (1. *de Anima text.* 49; c. 4), quod melius est intellectui non esse cum corpore; sed formæ non est melius esse sine propria materia : ergo anima intellectiva non est corporis forma. — 1. *de Anima* l. 8.

Sed contra est : 1. quod secundum Philosophum (8. *Metaphys. text.* 6 ; l. 7, c. 2) differentia sumitur a forma rei; sed differentia constitutiva hominis est rationale, quod dicitur de homine ratione principii intellectivi : ergo intellectivum principium seu anima rationalis est forma hominis. — 1a, q. 76, a. 1, arg. *Sed contra; Quæst. disp. de Anima* a. 1, arg. *Sed contra.*

2. Præterea, dicit Philosophus 12. *Metaphys. text.* 17 (l. 11, c. 3) formam aliquam posse manere post corpus, non omnem, sed intellectum; et 3. *de Anima text.* 5 (c. 4) dicit naturam intellectus esse, quod sit possibilis, nihilque actu esse eorum, quæ intelligit; et *text.* 14 (c. 4) dicit esse sicut tabulam rasam, in qua nihil scriptum est ; — at si non esset forma, non acciperet intellectus cognitionem a sensibilibus, sed eodem modo se haberet ut substantiæ separatæ : ergo. — 12. *Metaphys.* l. 3 (2); 3. *de Anima* l. 7 et 9.

3. Præterea, felicitas humana ex Philosopho (1. *Eth.* c. 2 et 9, al. 1 et 10) consistit in operatione, secundum quam homo quatenus homo distinguitur ab aliis animalibus; et hæc operatio est speculativa, et operatio virtutum, ut demonstrat Philosophus (10. *Ethic.* c. 7 et 8). At si intellectus non est forma hominis, sed est substantia separata, non poterit operatio, quæ est contemplativa, esse felicitas ho-

* Aristoteles, edit. Bekker, p. 641 b, lin. 7 sqq. ; v. Mauri Paraphrasin in 1. *de Partibus Animal.* c. 1, art. 5, n. 28.

minis, sed erit felicitas intellectus, qui est substantia separata. Impossibile enim est, si aliqua substantia operatur aliquam operationem, quod illa operatio sit alterius substantiæ ab ea divisæ. Unde et Philosophus (1. *Eth.* c. 6, al. 4) dicit, quod sicut visus est in oculo, ita et mens in anima; est autem visus forma oculi, ut dicit Philosophus (2. *de Anima text.* 10; c. 1) : ergo et anima rationalis est forma corporis. — 1. *Eth.* l. 2 et 14; 10. *Eth.* l. 10, 11, 12; — *Quæst. disp. de Anima* a. 2, c.; — 1. *Eth.* l. 7; 2. *de Anima* l. 2.

Respondeo dicendum, quod necesse est dicere, quod intellectus, qui est intellectualis operationis principium, sit humani corporis forma. Illud enim, quo primo aliquid operatur, est forma ejus, cui operatio tribuitur : sicut quo primo sanatur corpus, est sanitas, et quo primo scit anima, est scientia; unde sanitas est forma corporis, et scientia animæ. Et hujus ratio est, quia nihil agit, nisi secundum quod est actu; unde quo aliquid est actu, eo agit. Manifestum est autem, quod primum, quo corpus vivit, est anima. Et cum vita manifestetur secundum diversas operationes in diversis gradibus viventium, id, quo primo operatur unumquodque horum operum vitæ, est anima. Anima enim est primum, quo nutrimur, sentimus et intelligimus et movemur secundum locum; et similiter quo primo intelligimus, sive dicatur intellectus sive anima intellectiva, est forma corporis. Et hæc est demonstratio Philosophi (2. *de Anima text.* 24; c. 2). Si quis autem velit dicere animam intellectivam non esse corporis formam, oportet quod inveniat modum, quo ista actio, quæ est intelligere, sit hujus hominis actio. Experitur enim uniquisque se ipsum esse, qui intelligit.

Attribuitur autem aliqua *actio* alicui *tripliciter*, ut patet per Philosophum (3. *Phys. text.* 1; c. 1). Dicitur enim movere aliquid aut agere vel *secundum se totum*, sicut medicus sanat; aut *secundum partem*, sicut homo videt per oculum; aut *per accidens*, sicut dicitur, quod album ædificat, quia accidit ædificato esse album. — Cum igitur dicimus Socratem aut Platonem intelligere, manifestum est, quod non attribuitur ei per accidens : attribuitur enim ei in quantum est homo, quod essentialiter prædicatur de ipso. *Aut* ergo oportet dicere quod Socrates intelligit secundum se *totum*, sicut Plato posuit dicens hominem esse animam intellectivam; *aut* oportet dicere, quod intellectus sit aliqua *pars* Socratis. — Et *primum* quidem stare non potest, propter hoc quod ipse idem homo est, ut dictum est, qui percipit se intelligere et sentire; sentire autem non est sine corpore : unde oportet corpus esse aliquam hominis partem.

Relinquitur ergo, quod intellectus quo Socrates intelligit, est aliqua *pars* Socratis, ita quod intellectus aliquo modo corpori Socratis uniatur. Hanc autem unionem Commentator (in 3. *de Anima text.* 36) dicit esse per speciem intelligibilem; quæ quidem habet duplex subjectum, unum, scilicet intellectum possibilem, et aliud, phantasmata, quæ sunt in organis corporeis, et sic per speciem intelligibilem continuatur intellectus possibilis corpori hujus vel illius hominis. Sed ista continuatio vel unio non sufficit ad hoc, quod actio intellectus sit actio Socratis. Et hoc patet per similitudinem sensu, ex quo Aristoteles procedit ad considerandum ea, quæ sunt intellectus. Sicut enim se habent phantasmata ad intellectum (ut dicitur 3. *de Anima text.* 18 et 30; 5 et 7) sicut colores ad visum. Sicut enim species colorum sunt in visu, ita species phantasmatum sunt in intellectu possibili. Patet autem, quod ex hoc, quod colores sunt in pariete, quorum similitudines sunt in visu, actio visus non attribuitur parieti; non enim dicimus, quod paries videat, sed magis quod videatur. Ex hoc ergo, quod species phantasmatum sunt in intellectu possibili, non sequitur quod Socrates, in quo sunt phantasmata

ntelligat, sed quod ipse vel ejus phantasnata intelligantur. — 1a, q, 76, a. 1, c.

Quidam autem dicere voluerunt, quod ntellectus unitur corpori ut *motor* : et ic ex corpore et intellectu fit unum, ut ctio intellectus toti attribui possit. Sed oc est multipliciter falsum. *Primo* quidem, quia intellectus non movet corpus isi per appetitum, cujus motus præsupponit operationem intellectus. Non ergo uia movetur Sortes ab intellectu, ideo inelligit; sed e contra, quia intelligit, ideo b intellectu movetur. *Secundo*, quia cum ortes sit quoddam individuum in natura, ujus essentia est una, composita ex maeria et forma, si intellectus non est forna ejus, sequitur quod sit præter essenam ejus : et sic intellectus comparabiir ad totum Sortem sicut motor ad moum. Intelligere autem est actio quiecens in intellectu agente, non autem ransiens in alterum, sicut calefactio. on ergo intelligere potest attribui Sorti ropter hoc, quod est motus ab intelletu. *Tertio*, quia actio motoris nunquam ttribuitur moto nisi sicut instrumento, icut actio carpentarii serræ. Si igitur inelligere attribuitur Sorti, quia est actio otoris ejus, sequitur quod attribuatur i sicut instrumento; quod est contra hilosophum (*de Anima text.* 12 ; c. 1), ui vult, quod intelligere non sit per inrumentum corporeum. *Quarto*, quia licet ctio partis attribuatur toti, ut actio ocu homini, nunquam tamen attribuitur ii parti, nisi forte per accidens. Non im dicimus, quod manus videat proter hoc, quod oculus videt. Si ergo ex tellectu et Sorte fit unum, actio intelctus non potest attribui Sorti ; si vero ortes est totum, quod componitur ex ione ad reliqua, quæ sunt Sortis, et men intellectus non unitur aliis, quæ nt Sortis, nisi sit motor, sequitur, od Sortes non sit unum simpliciter, et r consequens nec ens simpliciter. Sic im aliquid est ens, quomodo et unum. Relinquitur ergo solus modus, quem istoteles 2. *de Anima* (*text.* 25 et 26 ; c. 2) ponit, quod hic homo intelligit, quia principium intellectivum est forma ipsius. Sic ergo ex ipsa operatione apparet, quod intellectivum principium unitur corpori ut forma. — *Ibid.*

Potest etiam idem manifestari ex ratione speciei humanæ. Natura enim uniuscujusque rei ex ejus operatione ostenditur. Propria autem operatio hominis, in quantum est homo, est intelligere ; per hanc enim omnia alia transcendit — unde et Aristoteles (in 10. *Eth.* c. 7) in hac operatione, sicut in propria hominis, ultimam felicitatem constituit. Oportet ergo quod homo secundum illud speciem sortiatur, quod est hujus operationis principium. Sortitur autem unumquodque speciem per propriam formam. Relinquitur ergo quod intellectivum principium sit propria hominis forma. — *Ibid.*

Sed considerandum est, quod quanto forma est nobilior, tanto magis dominatur materiæ corporali, et minus ei immergitur, et magis sua operatione et virtute excedit eam. Unde videmus, quod forma mixti corporis habet aliam (1) operationem, quæ non causatur ex qualitatibus elementaribus. Et quanto magis proceditur in nobilitate formarum, tanto magis invenitur virtus formæ materiam elementarem excedere : sicut anima vegetabilis plus quam forma metalli; et anima sensibilis plus quam anima vegetabilis. Anima autem humana est ultima in nobilitate formarum. Unde in tantum sua virtute excedit materiam corporalem, quod habet aliquam operationem et virtutem, in qua nullo modo communicat materia corporalis; et hæc virtus dicitur intellectus. — *Ibid.*

Est autem attendendum, quod si quis poneret animam componi ex materia et forma, nullo modo posset dicere animam esse formam corporis. Cum enim forma sit actus, materia vero ens in potentia tantum; nullo modo id quod est ex mate-

(1) Al. « aliquam ».

ria et forma compositum, potest esse alterius forma secundum se totum. Si autem secundum aliquid sui sit forma, id quod est forma, dicimus animam ; et id cujus est forma, dicimus primum animatum, ut supra dictum est. — 1a, q. 76, a. 1, c.

Ad primum dicendum, quod sicut Philosophus dicit in 2. *Phys.* (*text.* 26 ; c. 2), ultima formarum naturalium, ad quam terminatur consideratio philosophi naturalis, scilicet anima humana, est quidem separata, sed tamen in materia. Quod ex hoc probat, quia « homo ex materia generat hominem et sol ». *Separata* quidem (est) secundum virtutem intellectualem : quia virtus intellectiva non est virtus alicujus organi corporalis, sicut virtus visiva est virtus oculi ; intelligere enim est actus, qui non potest exerceri per organum corporale, sicut exercetur visio ; — sed *in materia* est, in quantum ipsa anima, cujus est hæc virtus, est corporis forma. Sic ergo Philosophus dicit in 3. *de Anima* (*text.* 6 et 7 ; c. 4), quod intellectus est separatus, quia non est virtus alicujus organi, sicut est sensus. — *Vel dic*, quod intellectus dicitur separatus, non sensus, quia intellectus remanet corpore corrupto in anima separata, non autem potentia sensitiva. — Melior tamen est prior solutio. — 1a, l. c. ad 1 ; *Quæst. disp. de Anima* a. 2, ad 2.

Ad secundum dicendum, quod si intellectus possibilis haberet aliquod organum corporale, oporteret quod illud organum corporale esset principium simul cum intellectu possibili quo intelligimus, sicut pupilla cum potentia visiva est principium quo videmus. — *Quæst. disp. de Anima* a. 2, ad 18.

Ad tertium dicendum, quod sufficit ad hoc quod homo possit intelligere omnia per intellectum, et ad hoc quod intellectus intelligat omnia immaterialia et universalia, quod virtus intellectiva non est corporis actus. — 1a, l. c. ad 3.

Ad quartum dicendum, quod anima rationalis non est forma in materia corporali immersa, vel ab ea totaliter compre hensa, propter suam perfectionem ; e ideo nihil prohibet aliquam ejus virtute non esse corporis actum, quamvis anim secundum suam essentiam sit corpor forma. — *Ibid.* ad 4 ; *de Spirit. Creat.* a 2, ad 2.

Ad quintum dicendum, quod anim communicat illud esse, in quo subsisti materiæ corporali, ex qua et anima inte lectiva fit unum : ita quod illud esse e totius compositi, et est ipsius animæ quod non accidit in aliis formis, qu non sunt subsistentes : et propter h anima humana remanet in suo esse, de structo corpore, non autem aliæ forma — 1a, l. c. ad 5.

Ad sextum dicendum, quod secundu se convenit animæ unitæ corpori unir sicut secundum se convenit corpori le esse sursum. Et sicut corpus leve man quidem leve, cum a loco proprio fuerit se paratum, cum aptitudine tamen et incl natione ad proprium locum : ita anim humana manet in suo esse, cum fuerit corpore separata, habens aptitudinem inclinationem naturalem ad corporis uni nem. — *Ibid.* ad 6.

Ad septimum dicendum, quod null pars habet perfectionem naturæ separat a toto. Unde anima cum sit pars natur humanæ, non habet perfectionem su naturæ nisi in unione ad corpus. Qu patet ex hoc, quod in virtute ipsius an mæ est, quod fluant ab ea quædam p tentiæ, quæ non sunt actus corporeoru organorum, secundum quod excedit co poris proportionem ; et iterum, qu fluant ab ea potentiæ, quæ sunt act organorum, in quantum potest conti gi a materia corporali. Non est aute aliquid perfectum in natura sua, ni actu explicari possit, quod in eo virtu continetur. Unde anima licet possit es et intelligere a corpore separata, non t men habet perfectionem suæ nature cum est separata a corpore, ut di Augustinus (12. *super Genes. ad Li* c. 35 ; — Migne PP. Lat. t. 34, col. 48

sq.). — *de Spirit. Creat.* a. 2, ad

d octavum dicendum, quod anima onalis est *natura* ex ea parte, qua tur corpori secundum modum corpo- ; secus vero ex ea parte, qua excedit oris capacitatem et proportionem ; uatenus naturam intellectualem habet munem cum angelis, ratione cujus æ in ea receptæ sunt intelligibiles mmateriales, et quatenus habet ope- onem in qua non communicat corpus. Est præterea *separabilis* secundum onem, quia, quatenus est forma cor- s, habet inclinationem ad illud, et est perfecta secundum suam natu- nisi in corpore, ut dictum est ; se- vero quatenus est virtus operativa, intellectus caret organo corporali. — demum anima rationalis partim con- rationis physicæ partim metaphysi- Est considerationis *physicæ*, qua- s est separata secundum esse, ha- s tamen esse in materia : quatenus lem est *separata* secundum esse, in ntum virtus intellectiva, non est actus ijus organi corporalis, sicut virtus va est actus oculi ; quatenus vero *in materia*, id est quatenus dat esse rale tale corpori, quia ad Philoso- m naturalem spectat considerare for- n, non ut forma est, sed quatenus in eria est. — Est autem consideratio- *metaphysicæ*, quatenus est forma sim- ter, et secundum quod est separa- et sine corpore potens existere, et enus excedit capacitatem corporis et enit cum angelis. — *Quæst. disp. de na* a. 2, ad 12; *de Verit.* q. 26, a. l 7; 2. *Phys.* l. 4.

l nonum dicendum, quod illud di- affertur a Philosopho non tamquam ropria sententia, sed ex sententia nis et aliorum, ut patet ex verbis, subdit : « quemadmodum consue- est dici, et multis videtur » ; nam ui certum est, animæ rationali, cum ars, magis naturale esse et perfe- esse unitam corpori quam esse separatam. — *Tabula Aurea* voce « anima » n. 115; *Opusc.* 2, c. 148, 149.

ARTICULUS II

UTRUM ANIMA RATIONALIS NUMERO MULTIPLICETUR SECUNDUM MULTIPLICATIONEM CORPORUM.

Videtur quod anima rationalis non multiplicitur numero secundum multiplicationem corporum, sed sit una in omnibus hominibus.

1. Dicit enim Philosophus 1. *de Cœlo*, quod si essent plures mundi, essent plures cœli primi, et per consequens essent plures primi motores; et sic primi motores essent materiales : — pari ergo ratione si essent plures animæ rationales in pluribus hominibus, anima rationalis esset materialis, quod est impossibile. — *Quæst. disp. de Anima* a. 3, arg. 14.

2. Præterea, nulla forma multiplicatur secundum esse ad divisionem materiæ nisi forma materialis; sed anima rationalis est forma immaterialis ; non enim est composita ex materia et forma, ut supra ostendum est : ergo animæ rationales non sunt multæ in una specie, sed una est in omnibus hominibus. — 1a, q. 76, a. 2, arg. 1.

3. Præterea, remota causa removetur effectus; si ergo secundum multiplicationem corporum multiplicarentur animæ humanæ, consequens videtur quod remotis corporibus multitudo animarum non remaneat, sed ex omnibus animabus remaneat aliquod unum solum : quod est hæreticum; periret enim differentia præmiorum et pœnarum. — *Ibid.* arg. 2.

4. Præterea, omne quod recipitur in aliquo, recipitur in eo per modum recipientis, et non per modum sui, ut habetur in libro *de Causis* (prop. 24); si ergo anima rationalis vel intellectus individuatur ad divisionem corporis, ut sit alia et alia vel alius et alius, oportet quod

formæ intellectuales in anima rationali vel intellectu receptæ sint individuatæ. Ex quo videntur sequi tria inconvenientia : — *primum* est, quod intellectus possibilis non erit cognoscitivus universalium, sed tantum singularium; — *secundum* est, cum nullum singulare sit intellectum in actu, sed in potentia, quod hujusmodi species non erunt intelligibiles actu, sed indigebunt intelligi per alias species, et sic in infinitum procedetur ; — *tertium* est, quod erit idem modus recipiendi formas in materia prima et in intellectu possibili, quia utrobique recipiuntur, ut sunt istæ, et non ut sunt formæ simpliciter : et ita, sicut materia prima non est cognoscibilis per formas, quas recipit, ita nec intellectus possibilis. — *Ibid.* arg. 3 ; 2. *Sent.* dist. 17, q. 2, a. 1, arg. 3.

5. Prætera, intellectum est in intelligente. Si ergo intellectus meus est alius ab intellectu tuo, et consequenter anima mea ab anima tua, oportet quod aliud sit intellectum a me, et aliud sit intellectum a te; et ita erit individualiter numeratum et intellectum in potentia tantum, et oportebit abstrahere intentionem communem ab utroque, quia a quibuslibet diversis contingit abstrahere aliquod commune intelligibile; quod est contra rationem intellectus, quia sic non videtur distingui intellectus a virtute imaginativa. Videtur ergo relinqui, quod sit unus intellectus omnium hominum. — 1a, l. c. arg. 4.

Sed contra est : 1. quod Philosophus (2. *Phys. text.* 38 ; c. 3) dicit quod sicut se habent causæ universales ad universalia, ita se habent causæ particulares ad particularia. Sed impossibile est, quod una anima secundum speciem sit diversorum animalium secundum speciem; ergo impossibile est, quod anima intellectiva una numero sit diversorum secundum numerum. — 1a, q. 76, a. 2, arg. 1 *Sed contra.*

2. Præterea, unicuique motori debentur propria instrumenta — alia enim sunt instrumenta tibicinis, alia architectoris —; anima autem comparatur ad corpus ut motor ipsius, ut dicitur 3. *de Anima* (*text.* 48; c. 10) : sicut igitur impossibile est, quod architectus utatur instrumentis tibicinis, ita impossibile est, quod intellectus unius hominis sit intellectus alterius. — 2. *c. Gent.* c. 73, n. 2.

3. Præterea, Aristoteles (in 1. *de Anima text.* 8 ; c. 1) reprehendit antiquos de hoc, quod disserentes de anima nihil de proprio susceptibili dicebant, quasi esset contingens secundum Pythagoricas fabulas, quamlibet animam quodlibet corpus induere. Non est ergo possibile, quod anima canis ingrediatur corpus lupi, et anima hominis aliud corpus quam hominis. — Sed quæ proportio est animæ hominis ad corpus hominis, eadem est proportio animæ hujus hominis ad corpus hujus hominis. Non est igitur possibile animam hujus hominis ingredi aliud corpus quam istius hominis. Sed anima hujus hominis est, per quam hic homo intelligit ; homo enim per animam intelligit, secundum sententiam Aristotelis (*de Anima text.* 64 ; c. 4). Non ergo est una anima et unus intellectus hujus et illius hominis. — *Ibid.* n. 3.

Respondeo dicendum, quod animam rationalem, vel ejus intellectum, esse unam omnium hominum, omnino est impossibile. Et hoc quidem patet, si secundum Platonis sententiam homo sit ipsa anima. Sequitur enim, si Sortis et Platonis est una anima tantum, quod Sortes et Plato sint unus homo, et quod non distinguantur ab invicem nisi per hoc, quod est extra essentiam utriusque; et erit tunc distinctio Sortis et Platonis non alia quam hominis tunicati et cappati; quod est omnino absurdum. — Similiter etiam patet hoc esse impossibile, si secundum sententiam Aristotelis (3. *de Anima text.* 32 ; c. 10) intellectus possibilis pars seu potentia animæ, quæ est hominis forma. Impossibile enim est plurium numero diversorum esse unam formam, sicut impossibile est quod eorum

unum esse; nam forma est essendi prin-
ium. — Similiter etiam patet hoc esse
ossibile, quocunque modo quis ponat
onem intellectus ad hunc vel illum
ninem. Manifestum est enim, quod si
unum principale agens et duo instru-
nta, dici poterit unum agens simplici-
, sed plures actiones. Sic si unus homo
gat diversa duabus manibus, erit unus
gens, sed duo tactus. Si vero e con-
so instrumentum sit unum et princi-
es agentes diversi, dicentur quidem
res agentes, sed una actio : sicut si
lti uno fune trahunt navem, erunt
lti trahentes et unus tractus. Si vero
ns principale sit unum et instrumen-
n unum, dicetur unum agens et una
io : sicut cum faber uno martello per-
it, est unus percutiens et una percus-
. Manifestum est autem, quod qualiter-
que intellectus uniatur vel copuletur
c vel illi homini ; intellectus inter
era, quæ ad hominem pertinent, prin-
alitatem habet : obediunt enim vires
sitivæ intellectui et ei deserviunt. Si
o poneretur, quod essent plures intel-
tus et sensus unus duorum hominum,
a si duo homines haberent unum ocu-
n, essent quidem plures videntes, sed
a visio. Si vero intellectus est unus,
antumcunque diversificentur alia, qui-
s omnibus intellectus utitur quasi in-
umentis, nullo modo Sortes et Plato
erunt dici nisi unus intelligens. Et si
lamus, quod ipsum intelligere, quod est
io intellectus, non fit per aliquod aliud
ganum nisi per ipsum intellectum, se-
etur ulterius, quod sit et agens unum
actio una, id est, quod omnes homines
t unus intelligens et unum intelligere,
o autem respectu ejusdem intelligibi-
.

Posset autem diversificari actio intel-
tualis mea et tua per diversitatem
antasmatum, quia scilicet aliud est
antasma lapidis in me et aliud in te,
ipsum phantasma, secundum quod
, aliud in me et aliud in te, esset
ma intellectus possibilis; quia idem
agens secundum diversas formas pro-
ducit diversas actiones, sicut secundum
diversas formas rerum respectu ejusdem
oculi sunt diversæ visiones. Sed ipsum
phantasma non est forma intellectus pos-
sibilis, sed species intelligibilis, quæ a
phantasmatibus abstrahitur. In uno au-
tem intellectu a phantasmatibus diversis
ejusdem speciei, non abstrahitur nisi
una species intelligibilis : sicut in uno
homine apparet, in quo possunt esse
diversa phantasmata lapidis, et tamen ab
omnibus illis abstrahitur una species in-
telligibilis lapidis, per quam intellectus
unius hominis operatione una intelligit
naturam lapidis, non obstante diversitate
phantasmatum. Si ergo unus intellectus
esset omnium hominum, diversitates
phantasmatum, quæ sunt in hoc et in
illo, non possent causare diversitatem
intellectualis operationis hujus et illius
hominis, ut Commentator fingit in 3. *de
Anima* (*text.* 6 et 36). Relinquitur ergo,
quod omnino impossibile et inconveniens
est ponere unum intellectum omnium
hominum. — 1a, q. 76, a. 2, c.

Ad primum ergo dicendum, quod pri-
mus motor cœli est omnino separatus a
materia, etiam secundum esse ; unde
nullo modo potest numero multiplicari.
Non est autem simile de anima rationali.
— *Quæst. disp. de Anima* a. 3, ad 14.

Ad secundum dicendum, quod licet
anima intellectiva non habeat materiam
ex qua sit, sicut nec angelus ; tamen est
forma materiæ alicujus, quod angelo non
convenit; et ideo secundum divisionem
materiæ sunt multæ animæ unius spe-
ciei ; multi autem angeli unius speciei
omnino esse non possunt. — 1a, l. c.
ad 1.

Ad tertium dicendum, quod unumquod-
que hoc modo habet unitatem quo habet
esse ; et per consequens idem est judi-
cium de multiplicatione rei, et de esse ip-
sius. Manifestum est autem, quod anima
intellectualis secundum suum esse uni-
tur corpori ut forma ; et tamen destructo
corpore remanet anima intellectualis in

suo esse; — et eadem ratione multitudo animarum est secundum multitudinem corporum; et tamen destructis corporibus remanent animæ in suo esse multiplicatæ. — *Ibid.* ad 2.

Ad quartum dicendum, quod individuatio intelligentis, aut speciei per quam intelligit, non excludit intelligentiam universalium; alioqui, cum intellectus separati sint quædam substantiæ subsistentes, et per consequens particulares, non possent universalia intelligere. Sed materialitas cognoscentis, et speciei per quam cognoscitur, universalis cognitionem impedit. Sicut enim omnis actio est secundum modum formæ qua agens agit, ut calefactio secundum modum caloris; ita cognitio est secundum modum speciei, qua cognoscens cognoscit. Manifestum est autem, quod natura communis distinguitur et multiplicatur secundum principia individuantia, quæ sunt ex parte materiæ. Si ergo forma, per quam fit cognitio, sit materialis, non abstracta a conditionibus materiæ, erit similitudo naturæ speciei aut generis, secundum quod est distincta et multiplicata per principia individuantia; et ita non poterit cognosci natura rei in sui communitate. Si vero species sit abstracta a conditionibus materiæ individualis, erit similitudo naturæ absque iis, quæ ipsam distinguunt et multiplicant, et ita cognoscetur universale. Nec refert quantum ad hoc, utrum sit unus intellectus vel plures, quia si etiam esset unus tantum, oporteret ipsum esse aliquem quendam, et speciem per quam intelligit, esse aliquam quandam. — *Ibid.* ad 3.

Ad quintum dicendum, quod sive intellectus sit unus sive plures, id quod intelligitur est unum. Id enim quod intelligitur non est in intellectu secundum se, sed secundum suam similitudinem. Lapis enim non est in anima, sed species lapidis, ut dicitur in 3. *de Anima* (*text.* 38; c. 8), et tamen lapis est id quod intelligitur, non autem species lapidis (nisi per reflexionem intellectus supra seipsum); alioquin scientiæ non essent de rebus, sed de speciebus intelligibilibus. Contingit enim eidem rei diversa secundum diversas formas assimilari. Et quia cognitio fit secundum assimilationem cognoscentis ad rem cognitam, sequitur quod idem a diversis cognoscentibus cognosci contingit, ut patet in sensu: nam plures vident eundem colorem secundum diversas similitudines; et similiter plures intellectus intelligunt unam rem intellectam. Sed hoc tantum interest inter sensum et intellectum, secundum sententiam *Aristotelis*, quod res *sentitur* secundum illam dispositionem, quam extra animam habet in sua particularitate; natura autem rei quæ *intelligitur* et quidem extra animam, sed non habet illum modum essendi extra animam, secundum quem intelligitur. Intelligitur enim natura communis, seclusis principiis individuantibus; non autem hunc modum essendi habet extra animam. — Sed secundum sententiam *Platonis* res intellecta eo modo est extra animam, quo intelligitur; posuit enim naturas rerum a materia separatas. — *Ibid.* ad 4.

ARTICULUS III

UTRUM PRÆTER ANIMAM INTELLECTIVAM SINT IN HOMINE ALIÆ ANIMÆ PER ESSENTIAM DIFFERENTES.

Videtur quod præter animam intellectivam sint in homine aliæ animæ per essentiam differentes, scilicet sensitiva et nutritiva.

1. Corruptibile enim et incorruptibile non sunt unius substantiæ; sed anima intellectiva est incorruptibilis, aliæ vero animæ, scilicet sensitiva et nutritiva, sunt corruptibiles: ergo in homine non potest esse una essentia animæ intellectivæ et sensitivæ et nutritivæ. — 1a, q. 76, a. 3, arg. 1.

2. Si dicatur, quod anima sensitiva in homine est incorruptibilis: contra, ea

uptibile et incorruptibile differunt secundum genus, ut dicitur 10. *Metaphys. text.* 26; l. 9, c. 10); sed anima sensitiva in equo et leone et aliis brutis animalibus est corruptibilis : si igitur in homine sit incorruptibilis, non erit ejusdem generis anima sensitiva in homine et in bruto. Animal autem dicitur ex eo, quod habet animam sensitivam. Neque ergo animal erit unum genus commune hominis et aliorum animalium ; quod est inconveniens. — *Ibid.* arg. 2.

3. Præterea, dicit Philosophus in libro 2. *de Generat. Animal.* (c. 3), quod embrio prius est animal quam homo. Sed hoc esse non posset, si esset eadem essentia animæ sensitivæ et intellectivæ; est enim animal per animam sensitivam, homo vero per animam intellectivam. Non ergo in homine est una essentia animæ sensitivæ et intellectivæ. — *Ibid.* arg. 3.

4. Præterea, dicit Philosophus (8. *Metaphys. text.* 6; l. 7, c. 2), quod genus sumitur a materia et differentia a forma. Sed rationale, quod est differentia constitutiva hominis, sumitur ab anima intellectiva ; animal vero dicitur ex hoc, quod habet corpus animatum anima sensitiva. Anima ergo intellectiva comparatur ad corpus animatum anima sensitiva sicut forma ad materiam. Non ergo anima intellectiva est eadem per essentiam cum anima sensitiva in homine, sed præsupponit eam sicut materiale suppositum. — *Ibid.* arg. 4.

5. Præterea, si anima rationalis, sensibilis et vegetabilis sunt idem secundum substantiam in homine, oportet quod in quacunque parte est una, sit etiam et alia; hoc autem est falsum : nam in ossibus est anima vegetabilis, quia nutriuntur et augentur; non autem est anima sensibilis, quia sine sensu sunt ; ergo non sunt idem secundum substantiam; et sic erunt plures animæ. — *Quæst. disp. de Anima* a. 11, arg. 20.

Sed contra est : 1. quod Philosophus (1. *de Anima text.* 91; c. 5) contra asserentes vegetativum, sensitivum et intellectivum esse plures animas in eodem animali, probat id esse impossibile, quia diversa non possunt uni convenire, nisi ab aliquo uniantur; nihil autem est, quod illas uniat et contineat. Non enim corpus, quia anima potius continet corpus quam e contra, cum egrediente anima a corpore corpus deficiat et marcescat. Neque erit alia anima, quia, cum animæ sit continere, tunc oportebit quærere, utrum hæc sit una vel plures; si enim secundum, rursum quærendum erit, quid illas uniat, et sic in infinitum; si primum, a principio dicendum erat, quod una tantum est anima et non multiplex. — 1. *de Anima* l. 14.

2. Præterea, dicit Philosophus (*de Juvent. ac Senect.* c. 1), quod necesse est unam et eandem esse particulam, secundum quam animal vivit, et secundum quam appellatur anima; eo quod animal, secundum quod animal, impossibile est non vivere; ergo eadem substantia est animæ nutritivæ et sensitivæ. — *de Juvent. ac Senect.* l. 1.

Respondeo dicendum, quod Plato posuit diversas animas esse in uno corpore, etiam secundum organa distinctas ; quibus diversa opera vitæ attribuebat, dicens vim nutritivam esse in hepate, concupiscibilem in corde, cognoscitivam in cerebro. Quam quidem opinionem Aristoteles reprobat in libris *de Anima* quantum ad illas animæ partes, quæ corporeis organis in suis operibus utuntur, ex hoc, quod in animalibus quæ decisa vivunt in qualibet parte inveniuntur diversæ operationes animæ, sicut *sensus* et *appetitus;* hoc autem non esset, si diversa principia operationum animæ tamquam per essentiam diversæ diversis partibus corporis distributa essent. — Sed de *intellectiva* sub dubio videtur relinquere, utrum sit separata ab aliis partibus animæ solum ratione an etiam loco.

Opinio autem Platonis sustineri utique posset, si poneretur quod anima unitur corpori non ut forma, sed ut *motor*, ut

posuit Plato. Nihil enim inconveniens sequitur, si idem mobile a diversis motoribus moveatur, præcipue secundum diversas partes.

Sed si ponamus animam corpori uniri sicut *formam*, omnino impossibile videtur plures animas per essentiam differentes in uno corpore esse. Quod quidem triplici ratione manifestari potest : — *primo* quidem, quia animal non esset simpliciter unum, cujus essent animæ plures; nihil enim est simpliciter unum, nisi per formam unam, per quam habet res quod sit ens et quod sit una ; et ideo ea, quæ denominantur a diversis formis, non sunt unum simpliciter, sicut homo albus. Si igitur homo ab alia forma haberet quod sit vivus, scilicet ab anima vegetabili, et ab alia forma quod animal, scilicet ab anima sensibili, et ab alia quod sit homo, scilicet ab anima rationali : sequeretur quod homo non esset unum simpliciter; sicut et Aristoteles argumentatur contra Platonem in 3. *Metaphys.* (*text.* 20; l. 2, c. 6) : quod si alia esset idea animalis et alia bipedis, non esset unum simpliciter animal bipes. Et propter hoc in 1. *de Anima* (*text.* 90; c. 5) contra ponentes diversas animas in corpore inquirit, quid contineat illas, id est, quid faciat ex illis unum.

Et non potest dici, quod uniantur per corporis unitatem, quia magis anima continet corpus et facit ipsum esse unum, quam e converso. — 1a, q. 76, a. 3, c.

Secundo hoc apparet impossibile ex modo prædicationis. Quæ enim sumuntur a diversis formis, prædicantur ad invicem *vel per accidens*, si formæ non sint ad invicem ordinatæ, puta cum dicimus, quod album est dulce ; *vel*, si formæ sint ordinatæ ad invicem, erit prædicatio *per se*, in secundo modo dicendi per se, quia subjectum ponitur in definitione prædicati, sicut superficies præambula est ad colorem. Si ergo dicamus, quod corpus superficiatum est coloratum, erit secundus modus prædicationis *per se*. Si ergo alia forma sit, a qua aliquid dicitur animal, et a qua aliquid dicitur homo ; sequeretur quod vel unum horum non possit prædicari de altero nisi per accidens, si istæ duæ formæ ad invicem ordinem non habent ; vel quod sit ibi prædicatio in secundo modo dicendi per se, si una animarum sit ad aliam præambula. Utrumque autem horum est manifeste falsum : quia animal per se de homine prædicatur, non per accidens ; homo autem non ponitur in definitione animalis, sed e converso. Ergo oportet eandem formam esse, per quam aliquid est animal, et per quam aliquid est homo ; alioqui homo non vere esset id, quod est animal, nec sic animal per se de homine prædicetur. — *Ibid.*

Tertio apparet hoc esse impossibile per hoc, quod una operatio animæ cum fuerit intensa impedit aliam ; quod nullo modo contingeret, nisi principium actionum esset per essentiam unum.

Sic ergo dicendum, quod eadem numero est anima in homine sensitiva et intellectiva et nutritiva. Quomodo autem hoc contingat, de facili considerari potest, si quis differentias specierum et formarum attendat. Inveniuntur enim rerum species et formæ differre ab invicem secundum perfectius et minus perfectum : sicut in rerum ordine animata perfectiora sunt inanimatis et animalia plantis et homines animalibus brutis, et in singulis horum generum sunt gradus diversi. Et ideo Aristoteles in 8 *Metaphys.* (*text.* 10 ; l. 7, c. 3) assimilat species rerum numeris, qui differunt specie secundum additionem vel subtractionem unitatis ; et in 2. *de Anima* (*text.* 30 et 31 ; c. 3) comparat diversas animas speciebus figurarum, quarum una continet aliam : sicut pentagonum continet tetragonum et excedit. Sic igitur anima intellectiva continet in sua virtute quidquid habet anima sensitiva brutorum, et nutritiva plantarum. Sicut enim superficies quæ habet figuram pentagonam, non per aliam figuram est tetragona et per aliam pentagona (quia si

rflueret figura tetragona, ex quo in ntagona continetur) ; ita nec per aliam imam Sortes est homo, per aliam ani-al, sed per unam et eandem. — 1a, q. , a. 3, c.

Ad primum ergo dicendum, quod ani-a sensitiva non habet incorruptibilita-m ex hoc, quod est sensitiva ; sed ex c, quod est intellectiva, ei incorru-ibilitas debetur. Quando ergo anima t sensitiva tantum, corruptibilis est; ando vero cum sensitivo intellecti-m habet, est incorruptibilis ; licet im sensitivum incorruptionem non det, men incorruptionem intellectivo auferre n potest. — *Ibid.* ad 1.

Ad secundum dicendum, quod formæ n collocantur in genere vel in specie, d composita. Homo autem corruptibi-s est sicut et alia animalia. Unde dif-rentia secundum corruptibile et incor-ptibile, quæ est ex parte formarum, n facit hominem secundum genus ab iis animalibus differre. — *Ibid.* ad 2.

Ad tertium dicendum, quod prius em-rio habet animam, quæ est sensitiva ntum, qua ablata advenit perfectior ima, quæ est simul sensitiva et intel-ctiva. — *Ibid.* ad 3.

Ad quartum dicendum, quod non ortet secundum diversas rationes vel tentiones logicas, quæ consequuntur odum intelligendi, diversitatem in re-us naturalibus accipere ; quia ratio num et idem secundum diversos modos prehendere potest. Quia igitur, ut di-um est (in c.), anima intellectiva virtute ntinet id, quod sensitiva habet, et dhuc amplius ; potest seorsum ratio nsiderare quod pertinet ad virtutem ensitivæ, quasi quoddam imperfectum t materiale. Et quia hoc invenitur com-une homini et aliis animalibus, ex hoc ationem generis format. Id vero, in quo nima intellectiva sensitivam excedit, cipit quasi formale et completivum, et x eo format differentiam hominis. — *id.* ad 4.

Ad quintum dicendum, quod licet una sit anima sensibilis et vegetabilis, non tamen oportet quod in quocunque apparet operatio unius, appareat operatio alterius, propter diversam partium dispositionem ; ex quo etiam contingit, quod nec omnes operationes animæ sensibilis exercentur per unam partem, sed visus per oculum, auditus per aures, et sic de aliis. — *Quæst. de Anima* a. 11, ad 20.

ARTICULUS IV

UTRUM IN HOMINE SIT ALIA FORMA PRÆTER ANIMAM INTELLECTIVAM.

Videtur quod in homine sit alia forma præter animam intellectivam.

1. Dicit enim Philosophus (2. *de Anima text.* 4 et 5 ; c. 1), quod anima est actus corporis physici potentia vitam habentis : comparatur igitur anima ad corpus sicut forma ad materiam ; sed corpus habet aliquam formam substantialem, per quam est corpus : ergo ante animam præcedit in corpore aliqua forma substantialis. — 1a, q. 76, a. 4, arg. 1.

2. Præterea, homo et quodlibet animal est movens seipsum ; omne autem movens seipsum dividitur in duas partes, quarum una est movens, et alia est mota, ut probatur in 8. *Phys.* (*text.* 30 ; c. 4) ; pars autem movens est anima : ergo oportet quod alia pars sit talis, quæ possit esse mota. Sed materia prima non potest moveri, ut dicitur in 5. *Phys.* (*text.* 8 ; c. 1), cum sit ens solum in potentia ; quinimo omne quod movetur est corpus ; ergo oportet quod in homine et in quolibet animali sit alia forma substantialis, per quam constituatur corpus. — *Ibid.* arg. 2.

3. Præterea, ordo in formis attenditur secundum habitudinem ad materiam primam. Prius enim et posterius dicitur per comparationem ad aliquod principium. Si ergo non esset in homine aliqua forma substantialis præter animam rationa-

lem, sed immediate materiæ primæ inhæreret, sequeretur quod esset in ordine imperfectissimarum formarum, quæ immediate inhærent materiæ primæ. — *Ibid.* arg. 3.

4. Præterea, corpus humanum est corpus mixtum; mixtio autem non fit secundum materiam tantum, quia tunc esset corruptio sola : oportet ergo quod remaneant formæ elementorum in corpore mixto, quæ sunt formæ substantiales; ergo in corpore humano sunt aliæ formæ substantiales præter animam intellectivam. — *Ibid.* arg. 4.

Sed contra : unius rei est unum esse substantiale; sed forma substantialis dat esse substantiale : ergo unius rei est una tantum forma substantialis. Anima autem est forma substantialis hominis; ergo possibile non est, quod in homine sit aliqua alia forma substantialis quam anima intellectiva. — 1a, q. 76, a. 4, arg. *Sed contra.*

Respondeo dicendum, quod si poneretur anima intellectiva non uniri corpori ut forma, sed solum ut motor, ut Platonici posuerunt, necesse esset dicere, quod in homine esset alia forma substantialis, per quam corpus ab anima mobile in suo esse constitueretur. Sed si anima intellectiva unitur corpori ut forma substantialis, sicut jam supra (a. 1) dictum est, impossibile est, quod aliqua alia forma substantialis præter eam inveniatur in homine. Ad cujus evidentiam considerandum est, quod forma substantialis in hoc a forma accidentali differt, quod forma accidentalis non dat esse simpliciter, sed esse tale : sicut calor facit suum subjectum non simpliciter esse, sed esse tale, puta calidum. Et ideo cum advenit forma accidentalis, non dicitur aliquid fieri vel generari simpliciter, sed fieri tale aut aliquo modo se habens. Et similiter cum recedit forma accidentalis, non dicitur aliquid corrumpi simpliciter, sed secundum quid. Forma autem substantialis dat esse simpliciter; et ideo per ejus adventum dicitur aliquid simpliciter generari, et per ejus recessum simpliciter corrumpi. Et propter hoc antiqui naturales, quia posuerunt materiam primam esse aliquod ens actu, puta ignem aut aerem aut aliquid hujusmodi, dixerunt, quod nihil generatur aut corrumpitur simpliciter, sed omne fieri statuerunt alterari, ut dicitur in 1. *Phys.* (*text.* 33; c. 4). Si igitur ita esset, quod præter animam intellectivam præexistere quæcunque alia forma substantialis in materia, per quam subjectum animæ esset ens actu, sequeretur quod anima non daret esse simpliciter, et per consequens quod non esset forma substantialis; et quod ad adventum animæ non esset generatio simpliciter (1), sed solum secundum quid; quæ sunt manifeste falsa.

Unde dicendum est, quod nulla alia forma substantialis est in homine nisi sola anima intellectiva, et quod ipsa sic ut virtute continet animam sensitivam et nutritivam, ita virtute continet omnes inferiores formas, et facit ipsa sola quidquid imperfectiores formæ in aliis faciunt. Et similiter est dicendum de anima sensitiva in brutis, et de nutritiva in plantis, et universaliter de omnibus perfectioribus respectu imperfectorum. — 1a, q. 76, a. 4, c.

Ad primum ergo dicendum, quod Aristoteles non dicit animam esse actum corporis tantum, sed « actum corporis physici, organici, potentia vitam habentis », et quod talis potentia non abjicit animam. Unde manifestum est, quod in eo cujus anima dicitur actus, etiam anima includitur; eo modo loquendi, quo calor est actus calidi et lumen est actus lucidi, non quod seorsum sit lucidum sine lumine, sed quia est lucidum per lucem. Et similiter dicitur, quod « anima est actus corporis », quia per animam et est corpus et est organicum et est potentia vitam habens. Sed actus primus dicitur respectu actus secundi, qui est operatio.

(1) Alibi additur : « neque per ejus recessum corruptio simpliciter ».

Talis enim potentia est non abjiciens, id est non excludens animam. — *Ibid.* ad 1.

Ad secundum dicendum, quod anima non movet corpus per esse suum, secundum quod unitur corpori ut forma; sed per potentiam motivam, cujus actus præsupponit jam corpus effectum in actu per animam : ut sic anima secundum vim motivam sit pars movens, et corpus animatum sit pars mota. — *Ibid.* ad 2.

Ad tertium dicendum, quod in materia considerantur diversi gradus perfectionis, sicut esse, vivere, sentire et intelligere ; semper autem secundum superveniens priori perfectius est; forma ergo, quæ dat solum primum gradum perfectionis materiæ, est imperfectissima, sed forma, quæ dat primum et secundum et tertium et sic deinceps, est perfectissima, et tamen materiæ immediata. — *Ibid.*

Ad quartum dicendum, quod *Avicenna* posuit formas substantiales elementorum integras remanere in mixto ; mixtionem autem fieri, secundum quod contrariæ qualitates elementorum reducuntur ad medium. Sed hoc est impossibile, quia diversæ formæ elementorum non possunt esse nisi in diversis partibus materiæ, ad quarum diversitatem oportet intelligi dimensiones, sine quibus materia divisibilis esse non potest. Materia autem dimensioni subjecta non invenitur nisi in corpore ; diversa autem corpora non possunt esse in eodem loco. Unde sequitur, quod elementa sint in mixto distincta secundum situm; et ita non erit vera mixtio, quæ est secundum totum, sed mixtio ad sensum, quæ est secundum minima juxta se posita.

Averroes autem posuit in 3. *de Cœlo* (*text.* 67, 68), quod formæ elementorum propter sui imperfectionem sunt mediæ inter formas substantiales et accidentales, et ideo recipiunt magis et minus, et ideo remittuntur in mixtione et ad medium reducuntur, et conflatur ex eis una forma. Sed hoc est etiam magis impossibile ; nam esse substantiale cujuslibet rei in indivisibili consistit, et omnis additio et subtractio variat speciem, sicut in numeris, ut dicitur in 8. *Metaphys.* (*text.* 10; l. 7, c. 3). Unde impossibile est, quod forma substantialis quæcunque recipiat magis et minus. Nec minus est impossibile aliquid esse medium inter substantiam et accidens.

Et ideo dicendum est secundum Philosophum in 1. *de Generat.* (*text.* 84; c. 10) (1), quod formæ elementorum manent in mixto non actu, sed virtute. Manent enim qualitates propriæ elementorum, licet remissæ, in quibus est virtus formarum elementarium. Et hujusmodi qualitas mixtionis est propria dispositio ad formam substantialem corporis mixti, puta formam lapidis vel animæ cujuscunque. — *Ibid.* ad 4.

ARTICULUS V

UTRUM ANIMA INTELLECTIVA CONVENIENTER TALI CORPORI UNIATUR, PUTA HUMANO.

Videtur quod anima intellectiva inconvenienter uniatur corpori humano.

1. Materia enim debet esse proportionata formæ; sed anima intellectiva est forma incorruptibilis; non ergo convenienter unitur corpori corruptibili. — 1a, q. 76, a. 5, arg. 1.

2. Præterea, anima intellectiva est forma maxime immaterialis; cujus signum est, quod habet operationem, in qua non communicat materia corporalis. Sed quanto corpus est subtilius, tanto minus habet de materia. Ergo anima deberet subtilissimo corpori uniri, puta igni, et non corpori mixto et terrestri magis. — *Ibid.* arg. 2.

3. Præterea, cum forma sit principium speciei, ab una forma non proveniunt diversæ species; sed anima intellectiva est una forma : ergo non debet uniri corpori, quod componitur ex partibus dissimilium specierum. — *Ibid.* arg. 3.

4. Præterea, perfectioris formæ debet esse perfectius susceptibile. Sed anima

(1) Cf. 2. *de Partibus Animal.* c. 1.

intellectiva est perfectissima animarum. Cum igitur aliorum animalium corpora habeant naturaliter insita tegumenta, puta pilorum loco vestium, et ungularum loco calceamentorum, habeant etiam arma naturaliter sibi data, sicut ungues, dentes et cornua ; videtur quod anima intellectiva non debuerit uniri corpori imperfecto tamquam talibus auxiliis privato. — *Ibid.* arg. 4.

Sed contra est, quod dicit Philosophus in 2. *de Anima* (*text.* 4 et 5 ; c. 1), quod anima est actus primus corporis physici, organici, potentia vitam habentis. — 1a. q. 76, a. 5, arg. *Sed contra.*

Respondeo dicendum, quod, cum forma non sit propter materiam, sed potius materia propter formam ex forma oportet accipere rationem, quare materia sit talis, et non e converso. Anima autem intellectiva, secundum naturæ ordinem, infimum gradum in substantiis intellectualibus tenet, in tantum quod non habet naturaliter sibi inditam notitiam veritatis sicut angeli, sed oportet quod eam colligat ex rebus divisibilibus (1), per viam sensus, ut dicit Dionysius (*de Div. Nom.* c. 7, § 2 ; — Migne t. 3, col. 867). Natura autem nulli deest in necessariis. Unde oportuit quod anima intellectiva non solum haberet virtutem intelligendi, sed etiam virtutem sentiendi. Actio autem sensus non fit sine corporeo instrumento. Oportuit igitur animam intellectivam corpori uniri, quod posset esse conveniens organum sensus. Omnes autem alii sensus fundantur supra tactum. Ad organum autem tactus requiritur, quod sit medium inter contraria, quæ sunt calidum et frigidum, humidum et siccum, et similia, quorum est tactus apprehensivus : sic enim est in potentia ad contraria et potest ea sentire. Unde quanto organum tactus fuerit magis reductum ad æqualitatem complexionis, tanto perceptibilior erit tactus. Anima autem intellectiva habet completissime virtutem sensitivam, quia quod est inferioris, præexistit perfectius in superiori, ut dicit Dionysius (*de Div. Nom.* c. 7, § 2 ; — Migne, col. 870). Unde oportuit corpus, cui unitur anima intellectiva, esse corpus mixtum, inter alia omnia magis reductum ad æqualitatem complexionis. Et propter hoc homo inter omnia alia animalia melioris est tactus ; et inter ipsos homines qui sunt melioris tactus, sunt melioris intellectus : cujus signum est, quod molles carne bene aptos mente videmus, et dicitur 2. *de Anima* (*text.* 94 ; c. 9). — 1a, q. 76, a. 5, c.

Ad primum ergo dicendum, quod hanc objectionem aliquis forte vellet evadere per hoc, quod diceret corpus hominis ante peccatum incorruptibile fuisse. Sed hæc responsio non videtur sufficiens, quia corpus hominis ante peccatum immortale fuit non per naturam, sed per gratiæ donum ; alioquin immortalitas ejus per peccatum sublata non fuisset, sicut nec immortalitas dæmonis. — Et ideo aliter dicendum est, quod in materia duplex conditio invenitur : una, quæ eligitur ad hoc, quod sit conveniens formæ ; alia, quæ ex necessitate consequitur priorem dispositionem : sicut artifex ad formam serræ eligit materiam ferream, aptam ad secandum dura : sed quod dentes serræ hebetari possint et rubiginem contrahere, sequitur ex necessitate materiæ. Sic igitur et animæ intellectivæ debetur corpus, quod sit æqualis complexionis. Ex hoc autem de necessitate materiæ sequitur, quod sit corruptibile. — Si quis vero dicat, quod Deus potuit hanc necessitatem vitare ; dicendum est, quod in constitutione rerum naturalium non consideratur, quid Deus facere possit, sed quid naturæ rerum conveniat, ut dicit Augustinus (2. *super Genes. ad Litt.* c. 1 ; — Migne t. 34, col. 263). Providit tamen Deus adhibendo remedium contra mortem per gratiæ donum. — *Ibid.* ad 1.

Ad secundum dicendum, quod animæ intellectivæ non debetur corpus propter ipsam intellectualem operationem secundum se, sed propter sensitivam virtutem quæ requirit organum æqualiter comple-

(1) Al. « visibilibus ».

xionatum. Et ideo oportuit animam intellectivam tali corpori uniri, et non simplici elemento, vel corpori mixto in quo excederet ignis secundum quantitatem, quia non posset esse æqualitas complexionis propter excedentem ignis activam virtutem. Habet autem hoc corpus æqualiter complexionatum quandam dignitatem per hoc, quod est remotum a contrariis, in quo quodammodo assimilatur corpori cœlesti. — *Ibid.* ad 2.

Ad tertium dicendum, quod partes animalis, ut oculus, manus, caro et os et hujusmodi, non sunt in specie, sed totum; et ideo non potest dici, proprie loquendo, quod sint diversarum specierum, sed quod sint diversarum dispositionum. Et hoc competit animæ intellectivæ, quæ quamvis sit una secundum essentiam, tamen propter sui perfectionem est multiplex in virtute; et ideo ad diversas operationes indiget diversis dispositionibus in partibus corporis, cui unitur. Et propter hoc videmus, quod major est diversitas partium in animalibus perfectis quam in imperfectis, et in his quam in plantis. — *Ibid.* ad 3.

Ad quartum dicendum, quod anima intellectiva, quia est universalium comprehensiva, habet virtutem ad infinita. Et ideo non potuerunt sibi determinari a natura vel determinatæ existimationes naturales, vel etiam determinata auxilia vel defensionum vel tegumentorum, sicut aliis animalibus, quorum animæ habent apprehensionem et virtutem ad aliqua particularia determinata. Sed loco horum omnium homo habet naturaliter rationem et manus, quæ sunt organa organorum, quia per ea homo potest sibi præparare instrumenta infinitorum modorum et ad infinitos effectus. — *Ibid.* ad 4.

ARTICULUS VI

UTRUM ANIMA INTELLECTIVA UNIATUR CORPORI MEDIANTIBUS DISPOSITIONIBUS ACCIDENTALIBUS.

Videtur quod anima intellectiva uniatur corpori mediantibus aliquibus dispositionibus accidentalibus.

1. Omnis enim forma est in materia sibi propria et disposita; sed dispositiones ad formam sunt accidentia quædam : ergo oportet præintelligi accidentia aliqua in materia ante formam substantialem, et ita ante animam, cum anima sit quædam substantialis forma. — 1a, q. 76, a. 6, arg. 1.

2. Præterea, diversæ formæ unius speciei requirunt diversas materiæ partes; diversæ autem partes non possunt intelligi nisi secundum divisionem dimensivarum quantitatum : ergo oportet intelligere dimensiones in materia ante formas substantiales, quæ sunt multæ unius speciei. — *Ibid.* arg. 2.

3. Præterea, sicut anima naturaliter unitur corpori, ita hæc anima unitur huic corpori; sed hoc corpus est per hoc, quod est sub aliquibus dimensionibus terminatis : ergo anima unitur corpori mediantibus dimensionibus terminatis, et per consequens mediantibus dimensionibus accidentalibus. — *Quæst. disp. de Anima* a. 9, arg. 17.

4. Præterea, materia prima quantum est de se indifferenter se habet ad omnes formas; si igitur non præexistant quædam dispositiones, per quas approprietur ad hanc vel ad illam formam, non magis recipietur in ea hæc forma quam illa. — *de Spirit. Creat.* a. 3, arg. 20.

5. Præterea, spirituale applicatur corporali per contactum virtutis; virtus autem animæ est ejus potentia : ergo videtur quod anima uniatur corpori mediante potentia, quæ est quoddam accidens. — 1a, l. c. arg. 3.

Sed contra est : 1. quod accidens est posterius substantia et tempore et ratione, ut dicitur in 7. *Metaphys.* (*text.* 4 ; l. 6, c. 1); non ergo forma accidentalis aliqua potest intelligi in materia ante animam, quæ est forma substantialis. — 1a, q. 76, a. 6, arg. *Sed contra.*

2. Præterea, dicit Philosophus in 8. *Metaphys.* (*text.* 15 et 16; l. 7, c. 6), quod

forma unitur materiæ immediate; anima autem unitur corpori ut forma : ergo unitur illi immediate.— *Quæst. disp. de Anima* a. 9, arg. *Sed contra.*

Respondeo dicendum, quod si anima uniretur corpori solum ut *motor*, nihil prohiberet, imo magis necessarium esset esse aliquas dispositiones medias inter animam et corpus, potentiam scilicet ex parte animæ, per quam moveret corpus, et aliquam habilitatem ex parte corporis, per quam corpus esset ab anima mobile. Sed si anima intellectiva unitur corpori ut *forma substantialis*, sicut jam supra dictum est, impossibile est quod aliqua dispositio accidentalis cadat media inter animam et corpus, vel inter quamcunque formam substantialem et materiam suam. Et hujus ratio est, quia, cum materia sit in potentia ad omnes actus ordine quodam, oportet quod id, quod est primum simpliciter in actibus, primo in materia intelligatur. Primum autem inter omnes actus est esse. Impossibile est ergo intelligere materiam prius esse calidam vel quantam, quam esse in actu. Esse autem in actu habet per formam substantialem, quæ facit esse simpliciter, ut dictum est. Unde impossibile est quod quæcunque dispositiones accidentales præexistant in materia ante formam substantialem, et per consequens neque ante animam. — 1a, q. 76, a. 6, c.

Ad primum ergo dicendum, quod, sicut ex supra dictis patet, forma perfectior virtute continet quidquid est inferiorum formarum; et ideo una et eadem existens perficit materiam secundum diversos perfectionis gradus. Una enim et eadem forma est per essentiam, per quam homo est ens actu et per quam est corpus et per quam est vivum et per quam est animal et per quam est homo. Manifestum est autem, quod unumquodque genus consequuntur propria accidentia. Sicut ergo materia præintelligitur perfecta secundum esse ante intellectum corporeitatis, et sic de aliis, ita intelliguntur accidentia, quæ sunt propria entis, ante corporeitatem; et sic præintelliguntur dispositiones in materia ante formam, non quantum ad omnem ejus effectum, sed quantum ad posteriorem. — *Ibid.* ad 1.

Ad secundum dicendum, quod dimensiones quantitativæ sunt accidentia consequentia corporeitatem, quæ toti materiæ convenit. Unde materia jam intellecta sub corporeitate et dimensionibus potest intelligi ut distincta in diversas partes, ut sic accipiat diversas formas secundum ulteriores perfectionis gradus. Quamvis enim eadem forma sit secundum essentiam, quæ diversos perfectionis gradus materiæ attribuit, ut dictum est, tamen secundum considerationem differt.—*Ibid.* ad 2.

Ad tertium dicendum, quod dimensiones non possunt intelligi in materia, nisi secundum quod materia intelligitur constituta per formam substantialem in esse substantiali corporeo; quod quidem non fit per aliam formam in homine quam per animam, ut dictum est. Unde hujusmodi dimensiones non præintelliguntur ante animam in materia totaliter, sed per ordinem ad ultimos gradus perfectionis. — *Quæst. disp. de Anima* a. 9, ad 17.

Ad quartum dicendum, quod materia prout nuda consideratur, se habet indifferenter ad omnes formas, sed determinatur ad speciales formas per virtutem moventis, ut traditur in 2. *de Generat.* (*text.* 53; c. 9). Et secundum ordinem intelligibilem formarum in materia est ordo agentium naturalium. Inter ipsa enim corpora cœlestia unum est universalius activum quam alterum; nec universalius agens agit seorsum ab inferioribus agentibus, sed ultimum agens proprium agit in virtute omnium superiorum. Unde non imprimuntur a diversis agentibus diversæ formæ in uno individuo; sed una forma est, quæ imprimitur a proximo agente, continens in se virtute omnes formas præcedentes; et materia, secundum quod consideratur perfecta sub ratione formæ universalioris et accidentium consequentium, fit propria ad subsequentem perfe-

onem. — *de Spirit. Creat.* a. 3, ad 20.
Ad quintum dicendum, quod substan- spiritualis, quæ unitur corpori solum motor, unitur ei per potentiam vel vir- tem; sed anima intellectiva corpori uni- r ut forma per suum esse; administrat men ipsum et movet per suam poten- m et virtutem. — 1a, l. c. ad 3.

ARTICULUS VII

RUM ANIMA RATIONALIS UNIATUR CORPORI HUMANO MEDIANTE ALIQUO CORPORE.

Videtur quod anima rationalis uniatur rpori humano mediante aliquo corpore.
1. Illud enim, quo subtracto solvitur io aliquorum unitorum, videtur esse dium inter ea; sed deficiente spiritu, ima a corpore separatur : ergo spiritus, i est quoddam corpus subtile, medium in unione corporis et animæ. — 1a, 76, a. 7, arg. 2; *Quæst. disp. de Ani-* a. 9, arg. 16.
2. Præterea, ea quæ sunt multum di- ntia, non uniuntur nisi per medium; l anima intellectiva multum distat a rpore, et quia est corporea, et quia est corruptibilis: ergo videtur quod uniatur mediante aliquo quod sit corpus incor- ptibile; et hoc videtur esse aliqua lux lestis, quæ conciliat elementa et redigit unum. — 1a, l. c. arg. 3; *Quæst. de ima* l. c. arg. 18.
3. Præterea, unumquodque operatur in notiora per id, quod est maxime proxi- m; sed vires animæ diffunduntur in um corpus per cor : ergo cor est vici- is animæ quam ceteræ partes corporis, ita mediante corde uniëtur corpori. — *æst. disp. de Anima* l. c. arg. 13.
4. Præterea, in partibus corporis est venire diversitatem et ordinem ad invi- n; sed anima est simplex secundum entiam suam : cum ergo forma sit pro- tionata materiæ perfectibili, videtur od anima uniatur primo uni parti cor- is, et ea mediante aliis. — *Ibid.* arg.

Sed contra est, quod Philosophus dicit in 2 *de Anima* (*text.* 7; c. 1), quod « non oportet quærere, si unum est anima et corpus, sicut neque ceram et figuram »; sed figura unitur ceræ nullo corpore mediante: ergo et anima corpori. — 1a, q. 76, a. 7, arg. *Sed contra.*

Respondeo dicendum, quod si anima secundum Platonicos corpori uniretur solum ut motor, conveniens esset dicere, quod inter animam hominis (vel cujuscunque animalis) et corpus aliqua alia corpora media intervenirent. Convenit enim motori aliquid distans per media magis propinqua movere. — Si vero anima unitur corpori ut forma, sicut jam dictum est, impossibile est quod uniatur ei mediante aliquo corpore. Cujus ratio est, quia sic dicitur aliquid unum, quomodo et ens. Forma autem per seipsam facit rem esse in actu, cum per essentiam suam sit actus; nec dat esse per aliquod medium. Unde unitas rei compositæ ex materia et forma est per ipsam formam, quæ secundum seipsam unitur materiæ ut actus ejus. Nec est aliquid aliud uniens, nisi agens, quod facit materiam esse in actu, ut dicitur in 8. *Metaphys.* (*text.* 15; l. 7, c. 6).

Unde patet falsas esse opiniones eorum, qui posuerunt aliqua corpora esse media inter animam et corpus hominis. Quorum quidam Platonici dixerunt, quod anima intellectiva habet corpus incorruptibile sibi naturaliter unitum, a quo nunquam separatur, et eo mediante unitur corpori humano corruptibili. Quidam vero dixerunt, quod unitur corpori mediante spiritu corporeo. Alii vero dixerunt, quod unitur corpori mediante luce, quam dicunt esse corpus et de natura quintæ essentiæ: ita quod anima vegetabilis unitur corpori mediante luce cœli siderei, anima vero sensibilis mediante luce cœli crystallini, anima vero intellectualis mediante luce cœli empyrei. Quod fictitium et derisibile apparet, tum quia lux non est corpus; tum quia quinta essentia non venit materialiter in compositionem

corporis mixti, cum sit inalterabilis, sed virtualiter tantum; tum etiam quia anima immediate corpori unitur ut forma materiæ. — 1a, q. 76, a. 7, c.

Ad primum ergo dicendum, quod subtracto spiritu deficit unio animæ ad corpus, non quia sit medium, sed quia tollitur dispositio, per quam corpus est dispositum ad talem unionem. Est tamen spiritus medium in movendo, sicut primum instrumentum motus. — 1a, l. c. ad 2.

Vel dic, quod sicut forma non advenit materiæ, nisi sit facta propria per debitas dispositiones, ita cessantibus propriis dispositionibus forma in materia remanere non potest; et hoc modo unio animæ ad corpus solvitur remoto calore et humiditate naturali et aliis hujusmodi, in quantum his disponitur corpus ad susceptionem animæ: unde hujusmodi cadunt media inter animam et corpus ut dispositiones. — Dispositiones autem accidentales, quæ faciunt materiam propriam ad aliquam formam, non sunt mediæ totaliter inter formam et materiam, sed inter formam secundum quod dat ultimam perfectionem, et materiam secundum quod jam est perfecta perfectione inferioris gradus. Materia enim secundum seipsam est propria respectu infimi gradus perfectionis, quia materia secundum seipsam est in potentia ad esse substantiale corporeum. Nec ad hoc requirit aliquam dispositionem; sed hac perfectione præsupposita in materia requiruntur dispositiones ad ulteriorem perfectionem. Tamen sciendum est, quod si potentiæ animæ sunt accidentia propria animæ, non sunt sine ea; unde non habent dispositionem ad animam, secundum quod sunt ejus potentiæ, nisi secundum quod potentiæ inferioris partis animæ dicuntur dispositiones ad superiorem partem, sicut potentia animæ vegetabilis ad animam sensibilem. — *Quæst. disp. de Anima* a. 9, ad 16 et 5.

Ad secundum dicendum, quod anima distat a corpore plurimum, si utriusque conditiones seorsum considerentur. Unde si utrumque ipsorum separatim esse h beret, oporteret quod multa media inte venirent. Sed in quantum anima e forma corporis, non habet esse seorsu ab esse corporis, sed per suum esse co pori unitur immediate; sic enim et qu libet forma, si consideretur ut actu habet magnam distantiam a materia, qu est ens in potentia tantum. — 1a, l. ad 3.

Ad tertium dicendum, quod cor primum instrumentum, per quod anim movet ceteras partes corporis, et id mediante illo anima unitur reliquis pa tibus corporis ut motor; licet ut for uniatur unicuique parti corporis per se immediate. — *Quæst. disp. de Anima* 9, ad 13.

Ad quartum dicemdum, quod licet a ma sit forma simplex secundum esse tiam, est tamen multiplex virtute, secu dum quod est principium diversaru operationum. Et quia forma perficit m teriam non solum quantum ad esse, s etiam ad operandum; ideo oportet qu licet anima sit una forma, partes corpo diversimode perficiantur ab ipsa, et un quaeque secundum quod competit ej operationi; et secundum hoc etiam oport esse ordinem in partibus secundum or nem operationum; sed iste ordo est s cundum operationem corporis ad anima ut est *motor*. — *Ibid.* ad 14.

ARTICULUS VIII

UTRUM ANIMA SIT TOTA IN QUALIBET PARTE CORPORIS.

Videtur quod anima non sit tota qualibet parte corporis.

1. Dicit enim Philosophus in libro *Causa Motus Animalium* c. 7 (10): « N opus est in unaquaque corporis parte es animam, sed in quodam principio corp ris existente alia vivere, eo quod sim nata sunt facere proprium motum per n turam ». — 1a, q. 76, a. 8, arg. 1.

2. Præterea, anima est in corpo

ujus est actus; sed est actus corporis rganici: ergo non est nisi in corpore rganico; sed non quælibet pars corporis ominis est corpus organicum: ergo ania non est in qualibet parte corporis rganici tota. — *Ibid.* arg. 2.

3. Præterea, in 2. *de Anima* (*text.* 9 et); c. 1) dicitur, quod sicut se habet pars ıimæ ad partem corporis ut visus ad ıpillam, ita anima tota ad totum corpus ıimalis. Si igitur tota anima est in quabet parte corporis, sequitur quod quælit pars corporis sit animal. — *Ibid.* g. 3.

4. Præterea, omnes potentiæ animæ in sa essentia animæ fundantur; si igitur ıima tota est in qualibet parte corporis, quitur quod omnes potentiæ animæ nt in qualibet parte corporis; et ita vis erit in aure et auditus in oculo; quod t inconveniens. — *Ibid.* arg. 4.

5. Præterea, si in qualibet parte corıris esset tota anima, quælibet pars rporis immediate dependeret ab anima; ın ergo unà pars dependeret ab alia, c una pars esset principalior quam alia; ıod est manifeste falsum. Non ergo ania est in qualibet parte corporis tota. — *id.* arg. 5.

Sed contra: 1. Anima non dat esse corıri, nisi in quantum unitur ei; sed ania dat esse corpori et cuilibet parti us: ergo anima est in toto corpore et in ıalibet parte ejus. — *Quæst. disp. de ıima* a. 10, arg. 2 *Sed contra.*

2. Præterea, anima non operatur nisi ıi est; sed operationes animæ apparent qualibet parte corporis: ergo anima est toto corpore et in qualibet parte illius. *Ibid.* arg 3 *Sed contra.*

Respondeo dicendum, quod sicut in aliis m dictum est, si anima uniretur corpori lum ut *motor*, posset dici, quod non set in qualibet parte corporis, sed in ıa tantum, per quam alias moveret. Sed ıia anima unitur corpori ut *forma*, nesse est quod sit in toto et in qualibet ırte corporis. Non enim est forma corıris accidentalis, sed substantialis; substantialis autem forma non solum est perfectio totius, sed cujuslibet partis. Cum enim totum consistat ex partibus, forma totius, quæ dat esse singulis parsibus corporis, est forma quæ est compotitio et ordo, sicut forma domus: et talis forma est *accidentalis*. Anima vero est forma *substantialis*. Unde oportet quod sit forma et actus non solum totius, sed cujuslibet partis. Et ideo, recedente anima, sicut non dicitur animal et homo nisi æquivoce (quemadmodum et animal pictum vel lapideum); ita et de manu et oculo aut carne et osse, ut dicitur 2. *de Anima text.* 9; c. 1). Cujus signum est, quod nulla pars corporis habet proprium opus anima recedente; cum tamen omne quod retinet speciem, retineat operationem speciei. Actus autem est in eo, cujus est actus. Unde oportet animam esse in toto corpore et in qualibet ejus parte.

Et quod tota sit *in qualibet parte* ejus, hinc considerari potest, quia cum *totum* sit, quod dividitur in partes, secundum triplicem divisionem est *triplex totalitas*. Est enim quoddam totum, quod dividitur in *partes quantitativas*, sicut tota linea vel totum corpus. Est etiam quoddam totum, quod dividitur in *partes rationis et essentiæ*, sicut definitum in partes definitionis, et compositum resolvitur in materiam et formam. Tertium autem totum est potentiale, quod dividitur in *partes virtutis*. — Primus autem totalitatis modus non convenit formis nisi forte per accidens et illis solis formis, quæ habent indifferentem habitudinem ad totum quantitativum et partes ejus; sicut albedo, quantum est de sui ratione, æqualiter se habet ut sit in tota superficie et in qualibet superficiei parte; et ideo divisa superficie dividitur albedo per accidens. Sed forma quæ requirit diversitatem in partibus, sicut est anima, et præcipue animalium perfectorum, non æqualiter se habet ad totum et partes; unde non dividitur per accidens, scilicet per divisionem quantitatis. Sic ergo totalitas quantitativa non potest attribui animæ nec per

se nec per accidens. Sed totalitas secunda, quæ attenditur secundum rationis et essentiæ perfectionem, proprie et per se convenit formis; similiter autem et totalitas virtutis, quia forma est operationis principium.

Si ergo quæreretur de *albedine*, utrum esset tota in tota superficie et in qualibet ejus parte, distinguere oporteret, quia si fiat mentio de totalitate quantitativa, quam habet albedo per accidens, non tota esset in qualibet parte superficiei; et similiter dicendum est de totalitate virtutis: magis enim potest movere visum albedo quæ est in tota superficie, quam albedo quæ est in aliqua ejus particula. Sed si fiat mentio de totalitate speciei et essentiæ, tota albedo est in qualibet superficiei parte. — Sed quia anima totalitatem quantitativam non habet, nec per se nec per accidens, ut dictum est, sufficit dicere, quod anima tota est in qualibet parte corporis secundum totalitatem perfectionis et essentiæ; non autem secundum totalitatem virtutis, quia non secundum quamlibet suam potentiam est in qualibet parte corporis, sed secundum visum in oculo, secundum auditum in aure, et sic de aliis. — Tamen attendendum est, quod quia anima requirit diversitatem in partibus, non eodem modo comparatur ad totum et ad partes: nam ad totum comparatur primo et per se sicut ad proprium et proportionatum perfectibile; ad partes autem per posterius, secundum quod partes habent ordinem ad totum. — 1a, q. 76, a. 8, c.

Ad primum ergo dicendum, quod Philosophus loquitur de potentia motiva animæ. — *Ibid.* ad 1.

Ad secundum dicendum, quod anima est actus corporis organici, sicut proportionati et primi perfectibilis. — *Ibid.* ad 2.

Ad tertium dicendum, quod animal est, quod componitur ex anima et corpore toto, quod est primum et proportionatum ejus perfectibile. Sic autem anima non est in parte: unde non oportet quod pars animalis sit animal. — *Ibid.* ad 3.

Ad quartum dicendum, quod potentiarum animæ *quædam* sunt in ea secundum quod excedit totam corporis capacitatem, scilicet intellectus et voluntas; unde hujusmodi potentiæ in nulla parte corporis esse dicuntur. *Aliæ* vero potentiæ sunt communes animæ et corpori; unde talium potentiarum non oportet quod qualibet sit in quocunque est anima, sed solum in illa parte corporis, quæ est proportionata ad talis potentiæ operationem. — *Ibid.* ad 4.

Ad quintum dicendum, quod una pars corporis dicitur esse principalior quam alia propter potentias diversas, quarum sunt organa partes corporis; quæ enim est principalioris potentiæ organum, est principalior pars corporis, vel quæ etiam eidem potentiæ principalius deservit. — *Ibid.* ad 5.

ARTICULUS IX

UTRUM ANIMA RATIONALIS QUÆ UNITUR UNI CORPORI, POSSET UNIRI ALII CORPORI.

Videtur quod anima rationalis quæ unitur uni corpori, posset uniri alii corpori.

1. Cum enim individuatio fiat secundum determinationem principiorum essentialium (nam sicut de ratione hominis est ut componatur ex anima et corpore, ita de ratione hujus hominis, puta Socratis, est ut componatur ex hac anima et hoc corpore), anima rationalis, de cujus essentiali compositione non est materia, debet ex se individuari; sed forma ex se individuata non respicit de se magis unum corpus quam aliud: ergo anima rationalis quæ unitur uni corpori, de se posset uniri alii corpori. — *de Spirit. Creat.* a. 9, arg. 4.

2. Præterea, anima rationalis habet suum esse individuatum et distinctum independens a corpore, quia manet post corpus; sed omnis forma secundum esse et unitatem suam numericam indep

ns a corpore, non est determinata ad ud, sed potest incipere non incipiente o, et per consequens alteri corpori uni- ; ergo anima rationalis non ita unitur ıi corpori, quin eadem posset uniri alii rpori. — 1. *Sent.* dist. 8, q. 5, a. 2, 6; 2. *Sent.* dist. 17, q. 2, a. 2, arg. et ad 4.

3. Præterea, anima et angelus conve- unt in natura intellectuali; sed naturæ tellectualis conditio est immaterialitas: go sicut angeli ratione immaterialitatis sua creatione non habent quod cor- ori uniartur; similiter et animæ ratio- les in sua creatione saltem non erunt ligatæ huic vel illi corpori, sed eadem, æ unitur uni corpori, posset alteri iri. — 2. *Sent.* dist. 17, q. 2, a. 2, g. 5.

4. Præterea, animæ rationales omnes nt æquales, cum inæqualitas earum c possit oriri vel a Deo creatore (quia em in quantum idem semper est natum cere idem, ut dicitur in 2. *de Generat.* xt. 56; c. 9), vel a materia (quia anima tionalis non educitur ex potentia mate- æ); ergo æqualiter omnes respiciunt nnia corpora humana; et ita illa, quæ itur uni corpori, posset, quantum est se, alii corpori uniri. — 2. *Sent.* dist. 2, q. 2, a. 3, arg. 3 et 4.

Sed contra est : 1. quod Philosophus (1. *Anima text.* 53; c. 3) Pythagoræorum ntentiam asserentium transmigrationem imarum de corpore in corpus refutat, tendens, quod anima est in corpore, et li corpore, ita ut non posset uniri cui- nque, sed determinato, eo quod unus- isque actus natus est fieri in determi- ta et propria materia; anima autem t actus quidam. — 1. *de Anima* l. 8.

2. Præterea, dicit Philosophus in (2. *hys. text.* 38; c. 3), quod sicut se habent usæ universales ad universalia, ita se bent causæ particulares ad particularia. d impossibile est quod una anima se- ndum speciem respiciat indifferenter oad se diversa animalia secundum spe- em, ita ut anima canis informare possit corpus lupi, et anima hominis aliud corpus quam hominis. Ergo et impossibile est, quod hæc anima numero, quæ informat hoc numero corpus, hujus scilicet hominis, possit informare corpus alterius hominis. — 1a, q. 76, a. 2, arg. 2 *Sed contra ;* 2. *c. Gent.* c. 73 et 75.

3. Præterea, si anima rationalis, quæ informat corpus Petri, naturaliter posset, quantum est de se, informare corpus Pauli, sequeretur Petrum et Paulum posse esse idem numero individuum; nam cum unitas rei sequatur formam sicut et esse, oportet quod illa sint idem numero, quorum est forma numero una. Sed naturaliter impossibile est Petrum et Paulum esse idem individuum : ergo et naturaliter impossibile erit quod anima Petri possit informare corpus Pauli. — 2. *c. Gent.* c. 83.

Respondeo dicendum, quod necesse est dicere, quod anima rationalis quæ unitur uni corpori, non potest uniri alii corpori. Potest autem hoc esse manifestum ex multis : — et *primo*, ex proportione inter animam et corpus. Cum enim anima sit forma corporis, ejusque motor et actus, *sicut* inter movens et motum, agens et patiens, actum et potentiam, materiam et formam debet esse proportio, ex qua hoc sit aptum natum movere, agere, actuare et informare, illud vero moveri, pati, actuari et informari : quia non omne agens agit in omne patiens, nec quodlibet movens in quodlibet motum, nec quælibet forma et quilibet actus actuat et informat quamlibet potentiam et quamlibet materiam; — *ita* inter animam et corpus talis debet esse proportio, ut sicut anima unius speciei non potest informare corpus nisi unius et determinatæ speciei, ita hæc anima non debeat posse informare nisi hoc numero corpus ; nam quæ est proportio animæ specificæ ad corpus specificum, ea est animæ hujus numero ad corpus tale numericum. — 1. *de Anima* l. 8; 2. *de Anima* l. 4; 2. *c. Gent.* c. 75 et c. 81 ad rat. 3.

Secundo, ex numerica diversitate ani-

marum. Cum enim animæ humanæ non differant specie ad invicem, sed solo numero, alioqui et homines differrent specie; differentia earum numerica non nisi ex materiali differentia seu ex principiis materialibus provenire potest. Quod patet, *tum* quia impossibile est diversitatem in numero sub eadem specie causari aliunde quam ex diversitate materiæ, quia ad diversitatem principiorum formalium sequitur diversitas specierum; *tum* quia, cum de ratione animæ humanæ sit quod sit unibilis corpori humano, quia non habet speciem completam, sed est in composito complementum speciei, non aliter multiplicari potest numero, quam quia est unibilis huic vel illi corpori. Non ergo poterit anima quæ unitur uni corpori, alteri uniri et illud actuare et informare, sed erit determinata de sua natura ad illud solum; propter quod quilibet actus tantum aptus est fieri in determinata et propria materia. — 2. c. *Gent.* c. 83; *de Pot.* q. 3, a. 10, c.; 2. *Sent.* dist. 17, q. 2, a. 2, c. et ad 4; *Quæst. disp. de Anima* a. 3, c.

Tertio, ex habitudine hujus animæ ad hoc corpus. Cum enim anima det esse specificum et substantiale huic corpori, habet essentialem habitudinem ad hoc corpus, et cum illo unum per se essentiale constituit; ergo non poterit uniri alteri corpori: quia cum ad illud non habeat essentialem habitudinem, cum illo non constituet unum per se, sed unum per accidens. — Dicendum ergo est, quod anima quæ unitur uni corpori numero, non potest alteri numero uniri. — 2. *Sent.* dist. 17, q. 2, a. 2, ad 5; *de Spirit. Creat.* a. 9, ad 4.

Ad primum ergo dicendum, quod licet corpus non sit de essentia animæ, tamen anima secundum suam essentiam habet habitudinem ad corpus, in quantum hoc est ei essentiale, quod sit corporis forma; et ideo in definitione animæ ponitur corpus. Sicut ergo de ratione animæ est quod sit forma corporis, ita de ratione hujus animæ, in quantum est hæc anima, est quod habeat habitudinem ad hoc corpus. — *de Spirit. Creat.* a. 9, ad 4.

Ad secundum dicendum cum Avicenna (*de Anima* part. 1, c. 1 et sqq.), quod licet anima non dependeat a corpore quantum ad suum esse vel quantum ad finem — nam cessantibus corporibus non cessat individuatio animarum —, dependet tamen a corpore quoddammodo quantum ad suum principium. Cujus *duplex ratio* afferri potest: *una* est, quia cum universalia non habeant aliquod esse nisi in anima, oportet quod quidquid in esse natura producitur, producatur secundum hoc quod individuatur. Cum ergo anima esse individuatum non possit habere, nisi secundum quod conjungitur corpori, forma ejus, ut dictum est, oportet quod anima rationalis non incipiat esse nisi in corpore. Sed tamen in corpore acquirit illi esse absolutum, non depressum vel obligatum ad corpus; et ideo etiam post destructionem corporis manet secundum suum esse individuata et distincta ab alia anima. — *Altera ratio* est, quia cum omnis perfectio infundatur materiæ secundum capacitatem suam, anima ita infunditur diversis corporibus, ut non infundatur secundum eandem nobilitatem et puritatem. Unde in unoquoque corpore habet esse terminatum, secundum mensuram corporis. Quia vero hoc esse terminatum, quamvis acquiratur anima in corpore, non tamen illi acquiritur ex corpore, nec per dependentiam ad corpus; ideo remotis corporibus remanet unicuique animæ suum esse terminatum secundum affectiones vel dispositiones, quæ consecutæ sunt ipsam, prout fuit perfecta talis corporis. — Quod potest hoc sensibili exemplo manifestari, quo ad id ostendendum utitur Avicenna. Si enim aliquid unum non retinens figuram distinguatur per diversa vasa, sicut aqua, quando removentur vasa, non remanent propriæ figuræ distinctæ, sed remanet una aqua: et hoc modo se habent formæ materiales, quæ non retinent esse per se. Si autem sit aliquid retinens figuram,

ıod distinguatur secundum diversas ;uras per diversa instrumenta, etiam motis illis remanebit distinctio figura-m, ut patet in cera : et hoc modo se bet anima rationalis. Ita enim retinet ec esse suum post corporis destructio-m, ut in ipsa maneat idem esse indivi-atum et distinctum. — 2. *Sent.* dist. , q. 2, a. 2, c. et ad 4.

Ad tertium dicendum, quod anima et gelus in hoc conveniunt, quod utrum-e est substantia subsistens, habens esse solutum, et quod materiam partem sui n habent: ex quibus consequitur intel-tualitas in utroque; in hoc tamen dif-unt, quod cum natura angelica sit sub-ıior et Deo propinquior, acquiritur i esse altius, in cujus participationem llo modo corpus addi potest; ac per c nec angelus potest esse forma cor-ris. Sed animæ aquiritur esse infe-ıs et minus nobile, in quo corpus sibi itur, et unum fit animæ esse et corpo-, quod est conjuncti. Et ideo est forma rporis; et sua individuatio est ex unione ıs ad corpus ; et individuatio talis ani-e est ad tale corpus. Nam cum det ıe substantiale et specificum tali cor-ri, habet essentialem habitudinem ad e corpus, ut dictum est, ita ut anima, æ dat esse huic corpori, aliud corpus rficere non possit, ut docet Philosophus ıtra Pythagoricos (in 1. et 2. *de Anima*), dictum est. — 2. *Sent.* dist. 17, l. c. 5.

Ad quartum dicendum, quod animæ ra-nales sunt inæquales ac diversæ, et a est nobilior et perfectior alia. Verum c diversitas oritur tum ex Deo, tum, et ncipaliter, ex diversitate materiæ. Li-enim Deus sit unum agens, in quo lla est diversitas, quia tamen per vo-ıtatem agit, potest multiformes effectus ıducere, pro libito suæ voluntatis. Quo-ım autem esse non potest, quod aliqua specie convenientia, in forma habeant ersitatem, quia hoc contradictionem plicat ; ideo oportet quod diversitas, æ est in animalibus ejusdem speciei, in diversitatem materiæ reducatur: quod non est ullo modo impossibile, sed rationi maxime consentaneum. Nam licet anima rationalis non educatur de potentia materiæ, creatur tamen in materia ut actus ipsus; et ideo oportet quod in ea per modum materiæ recipiatur, et per consequens quod numero multiplicetur juxta numericam pluritatem materierum. — 2. *Sent.* dist. 32, q. 2, a. 3, ad 3 et 4.

QUÆSTIO XCII

DE PROPRIETATIBUS ANIMÆ RATIONALIS.

Deinde considerandum est de proprietatibus animæ rationalis.

CIRCA QUAS QUÆRITUR :

Utrum anima rationalis sit immortalis et incorruptibilis.

ARTICULUS

UTRUM ANIMA RATIONALIS SIT IMMORTALIS ET INCORRUPTIBILIS.

Videtur quod anima rationalis sit mortalis et corruptibilis.

1. Ut enim in 1. *de Cœlo* (*text.* 133 ; c. 12) probat Philosophus, impossibile est quod aliquid habeat virtutem ad essendum semper, quod non semper fuit : quia virtus, quæ est ad hoc ut sit semper, determinatur ad tempus infinitum ; et quod in tempore infinito potest esse, non habet virtutem determinatam ad hoc ut quandoque sit, quandoque non sit, quod invenitur in omni eo quod esse cœpit ; — sed anima rationalis non semper fuit, quinimo cum corpore incepit : ergo nec semper erit, sed cum corpore desinet esse. — 2. *Sent.* dist. 19, q. un., a. 1, arg. 5.

2. Præterea, Philosophus probat in 8. *Phys.* (*text.* 78 et sqq. ; c. 10), quod pri-

mum movens est infinitæ virtutis, quia movet tempore infinito; si igitur anima habet virtutem durandi tempore infinito, sequitur quod virtus ejus sit infinita; sed virtus infinita non est in essentia finita: ergo sequitur quod essentia animæ sit infinita, si sit incorruptibilis et immortalis; sed hoc est impossibile, quia sola divina essentia est infinita: ergo anima rationalis non est incorruptibilis et immortalis. — *Quæst. disp. de Anima* a. 14, arg. 4.

3. Præterea, dicit Philosophus (3. *de Anima text.* 36; c. 7), quod intellectus non est separatus a magnitudine; quærit enim, quomodo intellectus non separatus a magnitudine possit intelligere spiritualia et incorporea. Sed intellectus non separatus a magnitudine est virtus corporeo organo affixa et per consequens corruptibilis ut cetera potentiæ corruptibiles corporeo organo immersæ; ergo intellectus et consequenter anima intellectualis non est incorruptibilis et immortalis. — 3. *de Anima* l. 12.

4. Præterea, nulla res est sine propria operatione. Sed propria operatio animæ, quæ est intelligere cum phantasmate (nihil enim sine phantasmate intelligit anima, inquit Philosophus 1. *de Anima text.* 12; c. 1; et 3. *de Anima text.* 39; c. 8), non potest esse sine corpore. Quod patet, tum quia impeditur læso organo phantasiæ; tum quia phantasma non est sine corpore, ut dicitur 2. *de Anima text.* 161 (l. 3, c. 3); et in 1. *de Anima text.* 65 (c. 4) dicitur, quod intelligere cum phantasmate corrumpitur corrupto corpore, quod de aliis animæ operationibus magis manifestum est. Ergo anima non potest remanere destructo corpore. — 1a, q. 75, a. 6, arg. 3; 2. *Sent.* l. c. arg. 6; *de Pot.* q. 3, a. 9, arg. 22 et 23; *Quodl.* 10, a. 6, arg. 1; *Quæst. disp. de Anima* a. 14, arg. 14.

5. Præterea, Philosophus 1. *de Anima* (*text.* 12; c. 1) dicit, quod si intelligere est imaginatio aut non sine imaginatione, non continget intelligere esse sine corpore; sed necesse est intelligentem phantasmata speculari, ut dicitur 3. *de Anima* (*text.* 39; c. 8): ergo idem quod prius. — 1. *de Anima* l. 2; 2. *c. Gent.* c. 80, n. 3.

6. Præterea, animæ humanæ multiplicantur secundum multiplicationem corporum, ut supra ostensum est; ergo destructis corporibus non possunt animæ in sua multitudine remanere; unde oportet alterum duorum sequi: aut quod totaliter anima humana esse desinat, aut quod remaneat una tantum, quod est impossibile. — 2. *c. Gent.* c. 80, n. 1.

7. Præterea, forma non habet esse nisi in eo, in quo est; si igitur anima est forma corporis, ergo non potest esse nisi in corpore; ergo perit pereunte corpore. — *Quæst. disp. de Anima* a 14, arg. 9.

8. Sed dices, quod hoc est verum de anima secundum quod est forma, non secundum suam essentiam. — Sed contra: anima non est forma corporis per accidens; alioqui cum anima constituat hominem secundum quod est forma corporis, sequitur quod homo esset ens per accidens. Quidquid autem competit alicui non per accidens, convenit ei secundum suam essentiam. Si ergo secundum quod est forma est corruptibilis, et secundum suam essentiam erit corruptibilis. — *Ibid.* arg. 10.

9. Præterea, quæcumque conveniunt ad unum esse, ita se habent, quod corrupto uno corrumpitur et aliud; sed anima et corpus conveniunt ad unum esse, scilicet ad esse hominis: ergo corrupto corpore corrumpitur anima. — *Ibid.* arg. 11; *Sent.* dist. 19, q. un., a. 1, arg. 3.

10. Præterea, hominis compositi ex anima et corpore est quoddam esse. Aut ergo præter hoc esse anima habet aliud esse aut non. Si habet aliud esse, ex compositio advenit animæ post esse completum; ergo hujusmodi compositio animæ accidentalis, et sic homo non est ens per se, sed ens per accidens; quod est inconveniens. Si autem non habet aliud esse anima præter esse compositi, ergo postquam defecit esse compositi, anima esse non potest, sed in morte cor-

ali deficit esse compositi : ergo anima post mortem corporis non remanet. — *Quodl.* 10, a. 6, arg. 3.

11. Præterea, quod advenit alicui et discedit ab eo præter illius corruptionem, advenit ei accidentaliter; hæc enim est definitio accidentis. Si ergo anima humana non corrumpitur corpore abscedente, sequetur quod anima humana accidentaliter corpori uniatur ; ergo homo est ens per accidens, quia est compositus ex anima et corpore. Et sequetur ulterius, quod non sit aliqua species humana; non enim ex his, quæ conjunguntur per accidens, fit species una ; nam homo albus non est aliqua species. — 2. *c. Gent.* c. 80, n. 4.

Sed contra est : 1. quod Philosophus multis in locis ponit animam rationalem esse formam incorruptibilem et immortalem. Nam 1. *de Anima text.* 65 (c. 4) dicit, quod intellectus videtur quædam substantia esse et non corrumpi. Quod autem hoc non possit intelligi de aliqua substantia separata, quæ sit intellectus possibilis vel agens, patet ex contextu. Subdit enim : « maxime namque corrumperetur ab ea quæ est in senio debilitate, a qua tamen non corrumpitur » ; — et *text.* 66 : « intellectus », inquit, « fortassis divinius quid est et impassibile » ; et *text.* 82 (c. 5) dicit intellectum esse nobilissimum et secundum naturam divinum (1) ; — et *text.* 92 (c. 5) expresse docet intellectum non habere determinatam partem et organum in corpore, et consequenter ab illo non pendere. (1. *de Anima* l. 12 et 14.) — Et 2. *de Anima text.* 11 (c. 1) dicit, quod nihil prohibet quasdam partes separari, quoniam nullius corporis sunt actus ; — et *text.* 21 (c. 2) : « de intellectu autem et speculativa potentia nondum quidquam est manifestum, sed videtur genus alterum animæ esse, et hoc solum contingit separari, sicut perpetuum a corruptibili ». — Et *text.* 150 (l. 3, c. 3) confutat opinionem antiquorum asserentium idem esse intellectum et sensum, et intelligere esse aliquid corporeum sicut sensibile. (3. *de Anima* l. 4.) — Et 3. *de Anima text.* 4 (c. 4) dicit intellectum non esse mixtum ex corporibus, quia omnia intelligit; — et *text.* 5 et 6, non esse mixtum corpori, seu non habere organum corporeum, quia alioqui habebit aliquam naturam determinatam ex naturis rerum sensibilium; — et *text.* 15 dicit, quod etiam ipse intellectus possibilis est intelligibilis sicut cetera intelligibilia ; nam in his, quæ sunt sine materia, idem est intelligens et quod intelligitur : ergo intellectus est abstractus a materia; quod recte probat, quia reflectitur supra se, quod non potest sensus. Et *text.* 19 (c. 5) : « intellectus », inquit, « separatus est, et immixtus, et impassibilis ». Cum sit autem intellectus potentia animæ rationalis, non potest separari sine suo subjecto ; unde et ipsa anima rationalis debet esse separabilis. Et *text.* 20 dicit, quod sola anima intellectiva est separata, immortalis et perpetua, sicut dixerat 2. *de Anima text.* 21 (c. 2). — 2. *Sent.* dist. 19, q. un., a. 1, arg. 1 *Sed contra*; 2. *c. Gent.* c. 81 ; *Quodl.* 10, a. 8, arg. *Sed contra; Quæst. disp. de Anima* a. 14, arg. 4 *Sed contra.*

2. Præterea, ut in 3. *de Anima text.* 6 (c. 4) dicit Philosophus, anima est *locus specierum ;* sed locus conservat locatum : ergo si similitudo bona est, oportet quod in anima intellectiva, de qua loquitur, species intelligibiles conserventur. Sed intellectus potest intelligere præsentibus intelligibilibus, sicut sensus sentire præsentibus sensibilibus ; ergo anima potest per se in actum intelligendi, sine hoc quod aliquid a corpore accipiat ; et ita videtur quod sine corpore esse possit, ex regula, quam Aristoteles (1. *de Anima text.* 12 et 13 ; c. 1) ponit, quod si anima habet operationem propriam sine corpore, est separabilis. — 2. *Sent.* l. c. arg. 4 *Sed contra.*

3. Præterea, 12. *Metaphys.* (*text.* 16 ; l. 11, c. 3) contra Platonem loquens dicit, quod causæ moventes præexistunt, causæ vero formales sunt simul cum his, quorum sunt causæ : quando enim sanatur

(1) Al. « dominum ».

homo, tunc sanitas est, et non prius, — contra hoc quod Plato posuit formas rerum præexistere rebus. Et his dictis postmodum subdit : « si autem et posterius aliquid manet, perscrutandum est ; nam in quibusdam nihil prohibet, ut si est anima tale, non omnis, sed intellectus ». Ex quo patet, cum loquatur de formis, quod vult intellectum, qui est forma hominis, post materiam remanere, scilicet post corpus. — 2. *c. Gent.* c. 79, n. 10.

4. Præterea, 2. *de Generat. Animal.* (c. 3) duas proponit dubitationes : *prima* est, an omnes animæ sint in corpore cum ante non fuerint, an vero omnes cum ante fuerint, aut partim cum ante non fuerint, partim cum ante fuerint ; — *secunda*, an omnes extrinsecus adveniant non eductæ ex materia vi seminis, an nulla extrinsecus adveniat, an vero quædam extrinsecus, quædam non. Quas dubitationes simul solvit dicens non posse omnes esse ante corpus. Nam quorum principiorum actio est corporea, hæc non possunt esse sine corpore ; unde extrinsecus venire impossibile est : nec enim ipsa per se accedere possunt, cum inseparabilia sint ; neque cum corpore, semen enim excrementum alimenti mutati est. Restat igitur, inquit, ut mens sola extrinsecus accedat, eaque sola divina sit ; nihil enim cum ejus actione communicat actio corporalis. Dixerat autem Philosophus 1. *de Anima* (*text.* 13 ; c. 1), quod si anima nullam habet operationem, in qua non communicat corpus, non posse illam esse separabilem ; secus vero, si habet aliquam operationem, in qua non communicat corpus. — Et in lib. *de Elementis* dicit Philosophus, quod « in nato fit spiritus vitæ jussu Dei ». Ergo anima rationalis est incorruptibilis. — 2. *Sent.* dist. 18, q. 2, a. 1, arg. 1 *Sed contra*.

5. Præterea, 10. *Eth.* c. 7 et 8 (al. 7, 8, 9) probat Philosophus felicitatem contemplativam activa digniorem esse, quia est diuturnior ; sed felicitas activa extenditur usque ad terminum hujus vitæ corporalis : ergo contemplativa remanet etiam post hanc vitam ; non autem in corpore ergo in anima : ergo anima rationalis est immortalis. — 2. *Sent.* l. c. arg. 2 *Sed contra ; Quodl.* 10, a. 2, arg. 2 *Sed contra*.

6. Præterea, ad Deum pertinet habere curam et providentiam de omnibus quæ in mundo fiunt, et præcipue de his quæ circa homines geruntur, et præcipue circa bonos et qui sunt Deo simillimi, ut habetur ex verbis Philosophi 10. *Eth.* (c. 8), quod homo sapiens est Deo simillimus et ipsi amandissimus. Sed non potest esse sine injustitia provisoris et gubernantis ut mali non puniantur et boni non præmientur. Cum ergo injustitia in Deum cadere non possit, oportet omne malum puniri et omne bonum præmiari ; hæc autem in vita ista non contingit, cum frequenter bona malis eveniant et e converso : ergo videtur quod hoc erit post hanc vitam. — 2. *Sent.* l. c. arg. 3 *Sed contra*.

Respondeo dicendum, quod necesse est dicere animam humanam, quam dicimus intellectivum principium, esse incorruptibilem et immortalem. Quod potest esse manifestum ex *duobus signis*, quorum *unum* accipi potest ex parte intellectus — quia ea, quæ sunt *in se* ipsis corruptibilia, secundum quod *intellectu* percipiuntur, incorruptibilia sunt ; est enim intellectus apprehensivus rerum in universali secundum quem modum non accidit ei corruptio. (*Quæst. disp. de Anima* a. 14 c., versus fin.) Præterea, quia cum operatio non possit esse nisi per se existentis, oportet illud, quod per se habet operationem absolutam, etiam esse absolutum et independens a corpore habere, et per consequens esse incorruptibile. Operatio autem intellectus est ipsius absolute, sine hoc quod in hac operatione aliquod organum corporale communicet. Quod patet præcipue ex tribus : — *primo* quia hæc operatio est omnium formarum corporalium sicut objectorum ; unde oportet illud principium, cujus est hæc operatio, ab omni forma corporali absolutum esse. *Secundo*, quia intelligere est

universalium; in organo autem corporali recipi non possunt nisi intentiones individuatæ. *Tertio*, quia intellectus intelligit se, quod non contingit in aliqua virtute cujus operatio sit per organum corporale; cujus ratio est, quia secundum Avicennam (*de Anima* part. 2, c. 2) cujuslibet virtutis operantis per organum corporale oportet ut organum sit medium inter ipsam et objectum ejus. Visus enim nihil cognoscit nisi illud, cujus species potest fieri in pupilla. Unde cum non sit possibile ut organum corporale cadat medium inter virtutem aliquam et ipsam essentiam virtutis, non erit possibile ut aliqua virtus operans mediante organo corporali cognoscat se ipsam. — 2. *Sent.* dist. 19, q. 1, a. 1, in c.

Alterum signum sumi potest ex naturali appetitu, qui in nulla re frustrari potest. Unumquodque enim naturaliter suo modo esse desiderat. Desiderium autem in rebus cognoscentibus sequitur cognitionem. Sensus autem non cognoscit esse nisi sub hic et nunc. Sed intellectus apprehendit esse absolute et secundum omne tempus. Unde omne habens intellectum naturaliter desiderat esse semper. Naturale autem desiderium non potest esse inane. Omnis igitur intellectualis substantia est incorruptibilis. — 1a, q. 75, a. 6, in c.; 2. *c. Gent.* c. 79, rat. 4.

Probatur secundo *ratione*, quia dupliciter aliquid corrumpitur : uno modo per se, alio modo per accidens. Impossibile est autem aliquid subsistens generari aut corrumpi per accidens, id est aliquo generato et corrupto. Sic enim competit alicui generari et corrumpi, sicut et esse, quod per generationem aquiritur et per corruptionem amittitur. Unde quod per se habet esse, non potest generari vel corrumpi nisi per se; quæ vero non substunt, ut accidentia et formæ materiales, dicuntur fieri et corrumpi per generationem et corruptionem compositorum. Ostensum est autem supra (1a, q. 75, a. 3), quod animæ brutorum non sunt per se subsistentes, sed sola anima humana. Unde animæ brutorum corrumpuntur corruptis corporibus. Anima autem humana non posset corrumpi, nisi per se corrumperetur. Quod quidem omnino est impossibile non solum de ipsa, sed de quolibet subsistente quod est forma tantum. Manifestum est enim, quod id, quod secundum se convenit alicui, est inseparabile ab ipso. Esse autem convenit formæ, quæ est actus. Unde materia secundum hoc acquirit esse in actu, quod acquirit formam; secundum hoc autem accidit in ea corruptio, quod separatur forma ab ea. Impossibile autem est quod forma separetur a seipsa. Unde impossibile est quod forma subsistens desinat esse. Est ergo anima rationalis incorruptibilis. — 1a, q. 75, a. 6, c.; *Quodl.* 10, a. 6, in c.; *Quæst. disp. de Anima* a. 14, in c.

Quod præterea confirmatur, quia nulla forma corrumpitur, nisi vel actione contrarii vel per corruptionem sui subjecti vel per defectum suæ causæ; — per actionem quidem contrarii, sicut calor destruitur per actionem frigidi; per corruptionem autem sui subjecti, sicut destructo oculo destruitur virtus visiva; per defectum autem causæ, sicut lumen aeris deficit deficiente solis præsentia, quæ erat ipsius causa. Sed anima rationalis non potest corrumpi per actionem contrarii, quia nihil est illi contrarium, cum per intellectum possibilem ipsa sit cognoscitiva et receptiva contrariorum omnium. Similiter autem neque per deficientiam suæ causæ, quia non potest habere aliquam causam nisi æternam, cum in esse produci non possit nisi per creationem, quæ soli Deo competit. Similiter autem neque per corruptionem sui subjecti, tum quia anima humana est forma non dependens a corpore secundum suum esse, ut ostensum est supra; tum quia si anima corrumpitur per corruptionem corporis, oportet quod ejus esse debilitetur per debilitatem corporis. Si autem aliqua virtus animæ debilitatur debilitato corpore, hoc non est nisi per accidens, in quantum scilicet virtus animæ indiget organo corpo-

rali, sicut visus debilitatur debilitato organo, per accidens tamen. Quod ex hoc patet : si enim ipsi virtuti per se accideret aliqua debilitas, nunquam restauraretur organo reparato. Videmus autem, quod quantumcunque vis visiva videatur debilitata, si organum reparetur, vis visiva restauratur. Unde dicit Aristoteles (1. *de Anima text.* 65; c. 4), quod si senex accipiat oculum juvenis, videbit utique sicut juvenis. Cum igitur intellectus sit virtus animæ, quæ non indiget organo, ut ex dictis patet, ipse non debilitatur, neque per se, neque per accidens per senium vel per aliquam aliam debilitatem corporis. Si autem in operatione intellectus accidit fatigatio aut impedimentum propter infirmitatem corporis, hoc non est propter debilitatem ipsius intellectus, sed propter debilitatem virium, quibus intellectus indiget, scilicet imaginationis, memorativæ et cogitativæ virtutum. Patet igitur quod intellectus humanus est incorruptibilis et immortalis, et consequenter et anima rationalis, quæ est intellectiva substantia.

Quod præterea potest confirmari, quia operatio debet semper proportionari virtuti operanti, et contra virtus operationi; operatio enim non potest esse abstractior virtute ; sed operatio propria animæ rationalis, puta intellectio, est separata a materia, ut patet ex objecto, quod est universale ; — tum quia non exercetur per ullum organum. Ergo. — 2. *c. Gent.* c. 79, rat. 8 et 9.

Ad primum ergo dicendum, quod ex ratione illa non plus probatur, quam hoc, scilicet quod id, quod habet virtutem ad hoc ut sit semper, dum habet illam virtutem, non terminat esse suum ad aliquod tempus ante vel post, quasi non potuerit per hanc virtutem plus quam certo tempore durasse. Et hoc etiam in anima verum est, quia per virtutem, quam modo habet, potuisset per mille millia annorum durasse ; sed quia hanc virtutem a se non habet, sed ab alio, tunc ex hac virtute incepit sua duratio, quando hæc virtus ipsi data est. — 2. *Sent.* dist. 19, q. un. a. 1, ad 5.

Vel dic, quod illa ratio habet locum in illis, quæ fiunt et corrumpuntur naturaliter, in quibus ex defectu virtutis et quod non possunt nec semper fuisse nec semper fore ; non autem habet locum in his, quæ per creationem sunt, quæ accipiunt a Deo virtutem ut sint semper ; per quam esse non possunt, antequam illa accipiant. — *Quodl.* 10, a. 6, ad 2.

Ad secundum dicendum, quod esse comparatur ad formam sicut per se consequens ipsam ; non autem sicut effectus ad virtutem agentis, ut puta motus ad virtutem moventis. Licet ergo quod aliquid possit movere infinito tempore, demonstraret infinitatem virtutis ; tamen quod aliquid possit esse tempore infinito, non demonstrat infinitatem formæ, per quam aliquid est, sicut est ; sicut neque hoc quod dualitas semper est par, ostendit infinitatem ipsius. Magis autem hoc quod aliquid est tempore infinito, demonstrat virtutem infinitam ejus, quod est causa essendi. — *Quæst. disp. de Anima* a. 14, ad 4.

Ad tertium dicendum, quod Philosophus dicit intellectum non esse separatum a corpore, in quantum est quædam potentia animæ, quæ est actus corporis, quod patet, quia supra dixerat (*text.* 6 et 29 ; c. 4 et 5) intellectum esse separatum a corpore, quia non habet organum corporeum deputatum suæ operationi. — *de Anima* l. 12.

Ad quartum dicendum, quod anima indiget aliquo corporali ad suam operationem dupliciter : *uno modo* sicut *organo* per quod operatur, sicut indiget oculo ad videndum ; et sic ad intelligendum non indiget aliquo organo, ut probatum est. Si autem sic indigeret organo ad intelligendum, esset corruptibilis, utpote non potens per se operari. *Alio modo* anima ad operandum indiget aliquo corpore sicut *objecto*, sicut ad videndum indiget corpore colorato ; et anima rationalis indiget ad intelligendum phantasmate : quia phantasmata sunt ut sensibilia animæ intellectiva

væ, ut dicitur 3. *de Anima* (*text.* 30; c. 7). Operatio autem, quæ sic indiget aliquo corporali, a principio non potest (esse) sine corporali illo, potest autem postea. Sicut enim anima sensitiva nullam operationem habere potest, nisi prius moveatur a sensibilibus, quæ sunt extra animam, sed postea remanet actus imaginationis, etiam sensibilibus abeuntibus: similiter destructis phantasmatibus operatio intellectiva in anima remanere potest. — *Quodl.* 10, a. 6, ad 1; *de Pot.* q. 3, a. 9, in c. et ad 10, 22, 23 et 24.

Vel dic, quod intelligere cum phantasmate est propria operatio animæ, secundum quod corpori est unita; et de hoc loquitur Philosophus. Separata autem a corpore habebit alium modum intelligendi similem aliis substantiis a corpore separatis. Cum enim unumquodque secundum hoc agat, secundum quod est; alio modo debet anima intelligere separata a corpore, et corpori unita, sicut et alio modo est. Et licet esse animæ humanæ, dum est corpori unita, sit absolutum, a corpore non dependens, tamen instrumentum quoddam ipsius et subjectum ipsam recipiens est corpus. Unde et consequenter operatio propria ipsius, quæ est intelligere, etsi non dependet a corpore quasi per organum corporale exercita, habet tamen objectum in corpore, scilicet phantasma. Unde quamdiu anima est in corpore, non potest intelligere sine phantasmate, nec etiam reminisci nisi per virtutem cogitativam et memorativam, per quam phantasmata præparantur. Et propter hoc intelligere quantum ad hunc modum, et similiter reminisci, destruitur corpore destructo. Esse vero animæ separatæ est ipsi soli absque corpore. Unde nec ejus operatio, quæ est intelligere, explebitur per respectum ad aliqua objecta in corporeis organis existentia, quæ sunt phantasmata; sed intelliget per se ipsam, per modum substantiarum, quæ sunt totaliter secundum esse a corporibus separatæ. — 1a, q. 75, a. 6, ad 3; 2. *c. Gent.* c. 81, n. 5.

Ad quintum dicendum, quod Philosophus (loco citato ex 1. *de Anima*) dubitative tantum loquitur. Nam cum movisset dubitationem circa passiones animæ et operationes: utrum scilicet essent animæ propriæ sine communicatione corporis, ut Platoni videbatur; vel nulla sit animæ propria, sed omnes sint communes corporis et compositi; — et dixisset talem dubitationem esse valde difficilem: — statim ostendit difficultatem, dicens causam difficultatis esse, quia videtur quod multæ passiones sint communes, ut irasci, sentire et hujusmodi, quorum nihil patitur sine anima. Tum subdit, quod si aliqua operatio esset propria animæ, maxime esset operatio intellectus, intelligere enim, quæ est operatio intellectus, maxime videtur esse proprium animæ; sed et ipsum intelligere non videtur proprium esse animæ: cum enim intelligere vel sit phantasia, ut Platonici putabant, vel non sine phantasia, sicut hæc indiget corpore, ita et illud, et ita non erit proprium animæ, sed erit commune animæ et corpori, et ita intelligere non erit sine corpore. — Verum in 3. *de Anima* (*text.* 6 et 19; c. 4 et 5) rei veritatem manifestat, ut dictum est (supra arg. 1 *Sed contra*). — 1. *de Anima* l. 2.

Nihilominus tamen quantum ad ea, quæ docet 1. *de Anima* (loco citato), sciendum est, quod intelligere quodammodo est proprium animæ, quodammodo conjuncti. Est enim aliqua operatio animæ aut passio, quæ indiget corpore sicut instrumento et sicut objecto; sicut videre indiget corpore sicut objecto, quia color, qui est objectum visus, est in corpore; item sicut instrumento, quia visio, etsi sit ab anima, non est tamen nisi per organum visus, scilicet pupillam, quæ est ut instrumentum; et sic videre non est animæ tantum, sed etiam organi. Aliqua autem operatio est quæ indiget corpore, non tamen sicut instrumento, sed sicut objecto tantum. Intelligere enim non est per organum corporale, sed indiget objecto corporali. Sicut enim dicit Philoso-

phus in 3. *de Anima* (*text.* 18; c. 5), hoc modo se habent phantasmata ad intellectum, sicut colores ad visum; colores autem se habent ad visum sicut objecta: phantasmata ergo se habent ad intellectum sicut objecta. Cum autem phantasmata non sint sine corpore, videtur quod intelligere non sit sine corpore, ita tamen, quod sit sicut objectum et non sicut instrumentum. — Et ex hoc duo sequuntur: *unum* est, quod intelligere est propria operatio animæ, et non indiget corpore nisi ut objecto tantum, ut dictum est; videre autem et aliæ operationes et passiones non sunt animæ tantum, sed conjuncti. *Aliud* est, quod illud, quod habet operationem per se, habet etiam esse et subsistentiam per se; et illud, quod non habet operationem per se, non habet esse per se; et ideo intellectus est forma subsistens, aliæ potentiæ sunt formæ in materia. — 1. *de Anima* l. 2.

Ad sextum dicendum est, quod quæcunque oportet esse invicem coaptata et proportionata, simul recipiunt multitudinem vel unitatem, unumquodque ex sua causa. Si igitur esse unius dependeat ab altero, unitas vel multiplicatio ejus etiam ex illo dependet; aliquid ex causa extrinseca. Formam igitur et materiam semper oportet esse ad invicem proportionata et quasi naturaliter coaptata, quia proprius actus in propria materia fit. Unde semper oportet quod materia et forma consequantur se invicem in multitudine et unitate. Si igitur esse formæ dependet a materia, multiplicatio ipsius dependet a materia, et similiter unitas. Si autem non, erit quidem necessarium multiplicari formam secundum multiplicationem materiæ (id est simul cum materia) et proportionem ipsius, non autem ita, quod dependeat unitas vel multitudo ipsius formæ a materia. Ostensum est autem, quod anima humana est forma secundum esse a materia non dependens. Unde sequitur quod multiplicantur quidem animæ secundum quod multiplicantur corpora, non tamen multiplicatio corporum erit causa multiplicationis animarum; et ideo non oportet quod destructis corporibus cesset pluralitas animarum ut ratio concludebat. — 2. *c. Gent.* c. 81 n. 1.

Ad septimum dicendum, quod anima est talis forma, quæ habet esse non dependens ab eo, cujus est forma; quod operatio ipsius ostendit. — *Quæst. disp. de Anima* a. 14, ad 9.

Ad octavum dicendum, quod licet anima per suam essentiam sit forma; tamen potest ei aliquid competere in quantum est talis forma, scilicet forma subsistens, quod non competit ei in quantum est forma; sicut intelligere non convenit homini in quantum est animal, licet homo sit animal secundum suam essentiam. — *Ibid.* ad 10.

Ad nonum dicendum, quod licet anima et corpus conveniant ad unum esse hominis, tamen illud est corpori ab anima, ita quod anima humana esse suum, in quo subsistit, corpori communicat; et ideo remoto corpore adhuc remanet anima. — *Ibid.* ad 11.

Et ex his patet *ad decimum*; anima enim esse suum communicat corpori; quod quidem ita acquiritur animæ in corpore, ut secundum ipsum subsistere possit; quod non est de aliis formis; et sic ipsum esse animæ fit esse compositi, et tamen manet composito destructo. — *Quodl.* 10, a. 6, ad 3.

Ad undecimum dicendum, quod non est necessarium, quod si anima manet corpore destructo, fuerit ei accidentaliter unita, ut postrema ratio concludebat. Accidens enim describitur, quod potest adesse vel abesse præter corruptionem subjecti compositi ex materia et forma. Si autem referatur ad principia compositi subjecti, verum non invenitur. Constat enim materiam primam ingenitam et incorruptibilem esse, ut probat Aristoteles in 1. *Phys.* (*text.* 82; c. 9). Unde recedente forma manet in sua essentia; non tamen forma accidentaliter ei unebatur,

ed essentialiter : uniebatur enim ei secundum esse unum. Similiter autem anima unitur corpori secundum esse unum; unde licet maneat post corpus, substantaliter tamen ei unitur, non accidentaliter. Quod autem materia prima remaneat actu post formam, non est nisi secundum actum alterius formæ. Anima autem humana manet in actu eodem ; et ex hoc contingit, quod anima humana est forma et actus, materia autem prima potentia tantum. — 2. *c. Gent.* c. 81, n. 4.

QUÆSTIO XCIII

DE POTENTIIS ANIMÆ INTELLECTIVÆ IN COMMUNI.

Deinde considerandum est de potentiis animæ intellectivæ in communi.

CIRCA QUAS QUÆRUNTUR OCTO :

. Utrum intellectus et ratio sint diversæ potentiæ.
. Utrum intelligentia sit alia potentia ab intellectu.
. Utrum in anima rationali sit memoria.
. Utrum memoria realiter distinguatur ab intellectu sicut potentia a potentia.
. Utrum intellectus et voluntas sint una et eadem potentia realiter.
. Utrum in homine sit liberum arbitrium.
. Utrum liberum arbitrium sit etiam in brutis.
. Utrum liberum arbitrium in homine sit potentia realiter distincta ab intellectu et voluntate.

ARTICULUS I

UTRUM INTELLECTUS ET RATIO SINT DIVERSÆ POTENTIÆ.

Videtur quod intellectus et ratio sint diversæ potentiæ.

1. Dicit enim Boethius (*de Consol. Philos.* . 4, prosa 6 ; — Migne t. 63, col. 817), quod intellectus comparatur ad rationem sicut æternitas ad tempus ; sed non est ejusdem virtutis esse in æternitate et esse in tempore : ergo non est eadem potentia intellectus et ratio. — 1a, q. 79, a. 8, arg. 2.

2. Præterea, homo communicat cum angelis in intellectu, cum brutis vero in sensu ; sed ratio, quæ est propria hominis, qua animal rationale dicitur, est alia potentia a sensu : ergo pari ratione est alia potentia ab intellectu, qui proprie convenit angelis, unde et intellectuales dicuntur. — *Ibid.* arg. 3.

3. Præterea, sicut sensuum propriorum acceptiones terminantur ad sensum communem, qui de eis judicat ; ita rationis discursus terminatur ad intellectum, ut judicium feratur de his, de quibus ratio consulit. Tunc enim de his, quæ ratio confert, homo judicat, cum resolvendo ad principia devenitur, de quibus est intellectus, ratione cujus ars judicandi resolutoria nominatur. Ergo sicut sensus communis est alia potentia a sensu proprio, ita et intellectus a ratione. — *de Verit.* q. 15, a. 1, arg. 3.

Sed contra est : 1. quod potentia aliqua quanto est immaterialior, tanto ad plura se potest extendere ; sed sensus communis, qui est virtus corporalis, confert de sensibilibus propriis, ea ad invicem discernendo ; habet etiam eorum cognitionem absolute ; aliter inter ea discernere non posset, ut probatur in 2. *de Anima* (*text.* 145 et sqq. ; l. 3, c. 2) : ergo multo fortius ratio, quæ est virtus magis immaterialis, non solum potest conferre, sed etiam absolute accipere, quod pertinet ad intellectum ; et sic intellectus et ratio non videntur esse potentiæ diversæ. — *de Verit.* q. 15, a. 1, arg. 4 *Sed contra.*

2. Præterea, in operatione animæ humanæ duplex compositio invenitur : una, qua componit et dividit subjectum cum prædicato, formando propositiones ; alia, qua componit principia cum conclusionibus, conferendo ; sed in prima compositione eadem potentia animæ est, quæ ipsa simplicia apprehendit, id est prædicatum et subjectum, per proprias quid-

ditates ; et quæ componendo propositionem format; utrumque enim intellectui possibili tribuitur, ut dicitur in 3. *de Anima* (*text.* 21 et sqq.; c. 6) : ergo et similiter una potentia erit, quæ ipsa principia accipit, quod est intellectus, et principia in conclusionem ordinat, quod est rationis. — *Ibid.* arg. 6 *Sed contra.*

3. Præterea, omnis potentia, quæ comparat alia ad invicem, oportet quod habeat utriusque absolute cognitionem : unde probat Philosophus in 2. *de Anima* (*text.* 144 ; l. 3, c. 2), quod oportet in nobis esse unam potentiam, quæ cognoscat album et dulce, per hoc quod discernimus inter ea ; sed sicut qui discernit inter aliqua diversa, comparat ea ad invicem, ita etiam qui confert, unum alteri comparat : ergo illius potentiæ, quæ confert, scilicet rationis, erit absolute aliquid cognoscere, quod pertinet ad intellectum. — *Ibid.* arg. 10 *Sed contra.*

Respondeo dicendum, quod ratio et intellectus in homine non possunt esse diversæ potentiæ. Quod manifeste cognoscitur, si utriusque actus consideretur. *Intelligere* enim est simpliciter veritatem intelligibilem apprehendere. *Ratiocinari* autem est procedere de uno intellecto ad aliud ad veritatem intelligibilem cognoscendam. Et ideo angeli, qui perfecte possident secundum modum suæ naturæ cognitionem intelligibilis veritatis, non habent necesse procedere de uno ad aliud ; sed simpliciter et absque discursu veritatem rerum apprehendunt, ut dicit Dionysius (de *Div. Nom.* c. 7, § 2 ; — Migne PP. Gr. t. 3, col. 867). Homines autem ad intelligibilem veritatem cognoscendam perveniunt procedendo de uno ad aliud, ut ibidem dicitur, et ideo rationales dicuntur. Patet ergo, quod ratiocinari comparatur ad intelligere sicut moveri ad quiescere vel acquirere ad habere; quorum unum est perfecti, aliud autem imperfecti. Et quia motus semper ab immobili procedit, et ad aliquid quietum terminatur, inde est quod ratiocinatio humana secundum viam acquisitionis (1) vel inventionis procedit a quibusdam simpliciter intellectis, quæ sunt prima principia ; et rursus in via judicii resolvendo redit ad prima principia, ad quæ inventa examinat. Manifestum est autem quod quiescere et moveri non reducuntur ad diversas potentias, sed ad unam et eandem, etiam in naturalibus rebus ; quia per eandem naturam aliquid movetur ad locum et quiescit in loco. Multo ergo magis per eandem potentiam intelligimus et ratiocinamur. Et sic patet, quod in homine eadem potentia est ratio et intellectus. — 1a, q. 79, a. 8, c.

Ad primum ergo dicendum, quod æternitas comparatur ad tempus sicut immobile ad mobile; et ideo Boethius comparavit intellectum æternitati, rationem vero tempori. Sicut ergo cognitio principiorum, quæ habent rationem veritatis immobilis, et cognitio conclusionum, quæ habent rationem veritatis mobilis, ad eandem potentiam pertinent ; ita et intellectus et ratio sub eadem potentia comprehenduntur. — 1a, l. c. ad 2.

Ad secundum dicendum, quod alia animalia sunt ita infra hominem, quod non possunt attingere ad cognoscendam veritatem, quam ratio inquirit. Homo vero attingit ad cognoscendam intelligibilem veritatem, quam angeli cognoscunt, sed imperfecte; et ideo vis cognoscitiva angelorum non est alterius generis a vi cognoscitiva rationis, sed comparatur ad ipsam ut perfectum ad imperfectum. — *Ibid.* ad 3.

Ad tertium dicendum, quod sensus communis cum omnia sensibilia percipiat secundum Philosophum (2. *de Anima*, *text.* 145 et sqq. ; l. 3, c. 2), oportet quod in ea feratur secundum unam communem rationem ; alias non haberet unum per se objectum. Sed in hanc communem objecti rationem nullus sensuum propriorum pertingere potest ; sed in simplicem acceptionem ratio pertingit sicut ad suum

1. Al. « inquisitionis ».

erminum, ut quando discursus rationis n scientiam (1) concluditur. Unde non portet quod intellectus in nobis sit alia otentia a ratione, sicut sensus communis propriis. — *de Verit.* l. c. ad 3.

ARTICULUS II

TRUM INTELLIGENTIA SIT ALIA POTENTIA AB INTELLECTU.

Videtur quod intelligentia sit alia potentia ab intellectu.

1. Dicitur enim in lib. *de Spiritu et Anima* (c. 11 ; — Migne PP. Lat. t. 40, col. 786), quod cum ab inferioribus ad superiora ascendimus, prius occurrit sensus, deinde imaginatio, tum ratio, postea intellectus, et demum intelligentia; sed imaginatio et sensus sunt diversæ potentiæ : ergo et intellectus et intelligentia. — 1a, q. 79, a. 10, arg. 1.

2. Præterea, dicit Boethius (*de Consol. Philos.* l. 5, prosa 4 ; — Migne t. 63, col. 849), quod « ipsum hominem aliter sensus, aliter imaginatio, aliter ratio, aliter intelligentia intuetur » ; sed intellectus est eadem potentia cum ratione : ergo videtur quod intelligentia sit alia potentia quam intellectus, sicut ratio est alia potentia quam imaginatio et sensus. — *Ibid.* arg. 2.

3. Præterea, actus sunt prævii potentiis, ut dicitur 2. *de Anima* (*text.* 33 ; c. 4). Sed intelligentia est quidam actus diversus ab aliis actibus qui tribuuntur intellectui. Dicit enim Damascenus (2. *de Fide Orthod.* c. 22; — Migne PP. Gr. t. 94, col. 943), quod « primus motus dicitur intelligentia ; quæ vero circa aliquid est intelligentia, intentio vocatur : quæ permanens et figurans animam ad id, quod intelligitur, excogitatio dicitur ; excogitatio vero in eodem manens et se ipsam examinans et dijudicans, phronesis dicitur, id est sapientia ; « phronesis autem dilatata facit cognitionem, id est interius dispositum sermonem » ; ex quo ait « provenire sermonem per linguam enarratum ». Ergo videtur quod intelligentia sit quædam specialis potentia. — *Ibid.* arg. 3.

Sed contra est, quod Philosophus dicit in 3. *de Anima* (*text.* 21 ; c. 6), quod intelligentia indivisibilium est in quibus non est falsum ; sed hujusmodi cognoscere pertinet ad intellectum : ergo intelligentia non est alia potentia præter intellectum. — 3. *de Anima* l. 11.

Respondeo dicendum, quod hoc nomen *intelligentia* proprie significat ipsum actum intellectus, qui est intelligere. In quibusdam tamen libris de Arabico translatis substantiæ separatæ, quas nos angelos dicimus, intelligentiæ vocantur, forte propter hoc quod hujusmodi substantiæ semper actu intelligunt. In libris tamen de Græco translatis dicuntur intellectus seu mentes. Sic ergo intelligentia ab intellectu non distinguitur sicut potentia a potentia, sed sicut actus a potentia. Innuitur enim talis divisio etiam a philosophis. Quandoque enim ponunt quatuor intellectus, scilicet intellectum agentem, possibilem, in habitu, et adeptum. Quorum quatuor intellectus agens et possibilis sunt diversæ potentiæ, sicut et in omnibus est alia potentia activa et alia passiva ; *alia* vero tria distinguuntur secundum tres status intellectus possibilis : qui quandoque est in potentia tantum, et sic dicitur possibilis; quandoque autem in actu primo, qui est scientia, et sic dicitur intellectus in habitu ; quandoque autem in actu secundo, qui est considerare, et sic dicitur intellectus in actu seu intellectus adeptus. — 1a, q. 79, a. 10, c.

Ad primum ergo dicendum, quod si recipi debet illa auctoritas, intelligentia ponitur pro actu intellectus; et sic dividitur contra intellectum sicut actus contra potentiam. — 1a, l. c. ad 1.

Ad secundum dicendum, quod Boethius accipit intelligentiam pro actu intellectus, quæ transcendit actum rationis.

1. Al. « scientia ».

Unde ibidem (prosa 5; — Migne col. 854) dicit, quod « ratio tantum humani generis est, sicut intelligentia sola Dei »; proprium enim Dei est quod absque omni investigatione omnia intelligat. — *Ibid.* ad 2.

Ad tertium dicendum, quod omnes illi actus, quos Damascenus enumerat, sunt unius potentiæ, scilicet intellectivæ. Quæ primo quidem simpliciter apprehendit aliquid, et hic actus dicitur intelligentia; secundo vero id quod apprehendit ordinat ad aliquid aliud cognoscendum vel operandum, et hic vocatur intentio; dum vero persistit in inquisitione illius quod intendit, vocatur cogitatio; dum vero id quod est excogitatum examinat ad aliqua certa, dicitur scire vel sapere, quod est phronesis vel sapientia — nam sapientiæ est judicare, ut dicitur 1. *Metaphys.* (c. 2) —; ex quo autem habet aliquid pro certo quasi examinatum, cogitat quomodo possit illud aliis manifestare, et hæc est dispositio interioris sermonis, ex qua procedit exterior locutio. Non enim omnis differentia actuum potentias diversificat, sed sola illa, quæ non potest reduci in idem principium. — *Ibid.* ad 3.

ARTICULUS III

UTRUM IN ANIMA RATIONALI SIT MEMORIA.

Videtur quod in anima rationali non sit memoria.

1. Dicit enim Philosophus in libro *de Memoria et Reminisc.* (c. 1), quod memoria non est intellectivi, sed sensitivi; cum ergo anima rationalis sit intellectiva et differat ab anima sensitiva, videtur quod memoria non sit in illa. — *de Verit.* q. 10, a. 2, arg. 2.

2. Præterea, intellectus et omnia quæ ad partem intellectivam atque adeo ad animam rationalem pertinent, abstrahunt ab hic et nunc; memoria vero non abstrahit; concernit namque determinatum tempus, scilicet præteritum; memoria namque præteritorum est, ut dicit Tullius: ergo. — *Ibid.* arg. 3; 1a, q. 79, a. 6, arg. 2.

3. Præterea, in memoria conservantur species rerum quæ actu non cogitantur. Sed hoc non est possibile accidere in intellectu, quia intellectus fit in actu per hoc quod informatur specie intelligibili. Intellectum autem esse in actu est ipsum intelligere in actu; et si intellectus omnia intelligit in actu quorum species apud se habet. Non ergo memoria est in parte intellectiva. — 1a, l. c. arg. 3.

4. Præterea, omnis animæ potentia habet aliquem actum; sed memoria nullum habere potest actum in anima rationali; nam ut est cognitio præteritorum, ut sic pertinet ad partem sensitivam, ut vero est vis retentiva specierum non dicit ullum actum: ergo memoria non est in anima rationali. — 1. *Sent.* dist. 3, q. 4, a. 1, c.

5. Præterea, 12. *Metaphys. text.* 3 (l. 11, c. 7) dicitur a Commentatore quod natura intellectiva dividitur in intellectum et voluntatem; nec ullus unquam philosophus in parte intellectiva posuit memoriam, qui tamen potentias animæ consideraverunt: ergo memoria non est in anima rationali. — *Ibid.* arg. 3.

Sed contra: Philosophus dicit in 3. *de Anima* (*text.* 6; c. 4), quod anima est locus specierum, præterquam quod non tota sed intellectiva; loci autem est conservare contenta in eo: cum ergo conservatio species ad memoriam pertineat, videtur quod in parte intellectiva seu in anima rationali sit memoria. — *de Verit.* q. 10, a. 2, arg. 1 *Sed contra.*

Respondeo dicendum, quod cum de ratione memoriæ sit conservare species rerum quæ actu non apprehenduntur, hoc primum considerari oportet, utrum species intelligibiles sic in intellectu conservari possint. Posuit enim Avicenna hoc esse impossibile. In parte enim sensitiva dicebat hoc accidere quantum ad aliquas potentias, in quantum sunt actu

-ganorum corporalium, in quibus con-
rvari possunt aliquæ species absque
tuali apprehensione. In intellectu au-
m, qui caret organo corporali, nihil
istit nisi intelligibiliter. Unde oportet
telligi in actu illud, cujus similitudo
intellectu existit. Sic ergo, secundum
sum, quam cito aliquis actu desinit in-
lligere aliquam rem, desinit esse illius
i species in intellectu; sed oportet, si
nuo vult rem illam intelligere, quod
nvertat se ad intellectum agentem,
em ponit substantiam separatam, ut
illo effluant species intelligibiles in
tellectum possibilem. Et ex usu et
ercitio convertendi se ad intellectum
entem, relinquitur secundum illum
ædam habilitas in intellectu possibili
nvertendi se ad intellectum agentem,
em dicebat esse habitum scientiæ. Se-
ndum igitur hanc positionem nihil
nservatur in parte intellectiva, quod
n actu intelligatur. Unde non poterit
ni in parte intellectiva atque adeo in
ima rationali memoria secundum hunc
dum.

Sed hæc opinio manifeste repugnat di-
s Aristotelis. Dicit enim in 3. *de Ani-*
a (*text.* 8; c. 4), quod cum intellectus
ssibilis sic fiat singula, ut sciens dici-
quis secundum actum; et quod hoc
idit, cum possit operari per se ipsum:
quidem igitur et tunc potentia quo-
mmodo, non tamen simpliciter, ut
te addiscere aut invenire. Dicitur au-
n intellectus possibilis fieri singula,
undum quod recipit species singulo-
n. Ex hoc ergo quod recipit species
elligibilium, habet quod possit ope-
i cum voluerit, non autem quod sem-
operetur; quia et tunc est quodam-
do in potentia, sed aliter quam ante
elligere: eo scilicet modo, quo sciens
habitu est in potentia ad consideran-
n in actu.

Repugnat etiam prædicta positio ra-
ni. Quod enim recipitur in aliquo,
ipitur in eo secundum modum reci-
ntis. Intellectus autem est magis sta-
bilis naturæ et immobilis quam materia corporalis. Si ergo materia corporalis formas, quas recipit, non solum tenet, dum per eas agit in actu, sed etiam postquam agere cessaverit, multo fortius intellectus immobiliter et inamissibiliter recipit species intelligibiles, sive a sensibilibus acceptas sive etiam ab aliquo superiori intellectu effluxas.

Sic igitur, si memoria accipiatur solum prout conservativa specierum, oportet dicere memoriam esse in intellectiva parte atque adeo in anima rationali. Si vero de ratione memoriæ sit, quod ejus objectum sit præteritum ut præteritum, memoria in parte intellectiva non erit, sed sensitiva tantum, quæ est apprehensiva particularium. Præteritum enim ut præteritum, cum significet esse sub determinato tempore, ad conditionem particularis pertinet. — 1a, q. 79, a. 6, c.; 2. c. *Gent.* c. 74.

Ad primum ergo dicendum, quod ex illa auctoritate tantum haberi potest, quod in anima rationali atque adeo in parte intellectiva non est memoria proprie sumpta, secundum quod est cognitio præteriti ut præteritum est, sed alio modo, minus proprie, prout est vis conservativa specierum. — *de Verit.* q. 10, a. 2, ad 2.

Ad secundum dicendum est eodem modo. — *Vel dic*, quod præteritio potest ad duo referri, scilicet ad objectum quod cognoscitur, et ad cognitionis actum. Quæ quidem duo simul conjunguntur in parte sensitiva, quæ est apprehensitiva alicujus per hoc quod immutatur a præsenti sensibili. Unde simul animal memoratur se prius sensisse in præterito, et sensisse quoddam præteritum sensibile. Sed quantum ad partem intellectivam pertinet, præteritio accidit, et non per se convenit ex parte *objecti*. Intellectus enim intelligit hominem in quantum est homo; homini autem in quantum est homo accidit, vel in præsenti vel in præterito vel in futuro esse. Ex parte vero *actus* præteritio per

se accipi potest etiam in intellectu sicut in sensu : quia intelligere animæ nostræ est quidam particularis actus in hoc vel in illo tempore existens : secundum quod dicitur homo intelligere nunc vel heri vel cras. Et hoc non repugnat intellectualitati, quia hujusmodi intelligere, quamvis sit quoddam particulare, tamen est immaterialis actus. Et ideo, sicut intellectus intelligit se ipsum, quamvis ipse sit quidam singularis intellectus ; ita intelligit suum intelligere, quod est singularis actus, vel in præterito vel in præsenti vel in futuro existens. Sic igitur salvatur ratio memoriæ quantum ad hoc quod est præteritorum in intellectu, secundum quod intelligit se prius intellexisse, non autem secundum quod intelligit præteritum, prout est hic et nunc. — *Ibid.* ad 3; 1a, l. c. ad 2.

Ad tertium dicendum, quod species intelligibiles aliquando sunt in intellectu in potentia tantum, et tunc dicitur intellectus esse in potentia ; aliquando autem secundum ultimam complexionem actus, et tunc intelligit actu ; aliquando medio modo se habet inter potentiam et actum, et tunc dicitur esse intellectus in habitu ; et secundum hunc modum intellectus conservat species, etiam quando actu non intelligit. — 1a, l. c. ad 3.

Ad quartum dicendum, quod omnis proprietas consequens essentiam animæ secundum suam naturam, vocatur potentia animæ, sive sit ad operandum sive non. Cum igitur natura animæ sit receptibilis, in quantum habet aliquid de possibilitate, eo quod omne habens esse ab aliquo, est possibile in se, ut probat Avicenna (in lib. *de Intelligentiis* c. 4) ; et non sit impressa corporali organo, cum habeat operationem absolutam a corpore, scilicet intelligere : consequitur ipsam quædam proprietas, ut impressa retineat. Unde dicitur 3. *de Anima* (*text.* 6 ; c. 4), quod anima est locus specierum, non tota, sed intellectus. Ista ergo virtus retinendi dicitur potentia memoriæ. — Ulterius, quia anima est immunis a materia, et omnis talis natura est intellectualis, consequitur, ut id quod in ipsa tenetur al ea intelligatur, et ita post memoriam se quitur intelligentia. — Item, quia i quod intelligitur accipitur ut convenien intelligenti, ideo consequitur voluntas quæ tendit in ipsum conveniens; ne potest ultra procedere, quia voluntas es respectu finis, cum ejus objectum sit bo num, et rei perfectio non extendatu ultra finem. Et secundum hoc sunt tre potentiæ distinctæ ab invicem, memoria intelligentia et voluntas. — 1. *Sen* dist. 3, q. 4, a. 1, c.

Ad quintum dicendum, quod philoso phi accipiebant potentias illas tantum quæ ordinantur ad aliquem actum. Pro prietas autem retentiva ipsius anim non habet aliquem actum, sed loco actu habet hoc ipsum, quod est *tenere* ; ideo de memoria sic dicta non fecerun mentionem inter potentias animæ. — *Ibid.* ad 3.

ARTICULUS IV

UTRUM MEMORIA DISTINGUATUR REALITE AB INTELLECTU, SICUT POTENTIA A P TENTIA.

Videtur quod memoria distinguat realiter ab intellectu.

1. Dicit enim Augustinus (14. *de Tr* c. 8 ; — Migne PP. Lat. t. 42, c 1044), quod secundum hoc anima rati nalis est ad imaginem Dei, quod pot uti ratione atque intellectu (1), atq adeo secundum potentias ; sed in ani attenditur imago, secundum quod h tria inveniuntur in ea, nimirum men ria, intellectus et voluntas : ergo h tria sunt tres potentiæ realiter distinct — *de Verit.* q. 10, a. 3, arg. 1 *Sed co trat.*

(1) Migne l. c. : « Eo quippe ipso imag ejus est, quo ejus capax est ejusque par ceps esse potest. »

2. Præterea, si prædicta tria non sunt es potentiæ realiter distinctæ, oportet quod eorum esse actum vel operatio- m. Sed actus non semper est in anima, n enim semper in actu intelligit aut lt; ergo ista tria non semper erunt in ima, et sic non esset anima ad imagi- m Dei; quod est contra Augustinum. go dicendum est memoriam esse poten- m realiter distinctam ab aliis duabus. *Ibid.* arg. 2 *Sed contra.*

3. Præterea, secundum Augustinum). *de Trin.* c. 11; — Migne PP. Lat. t. , col. 982 et sq.) memoria, intellectus voluntas sunt ad invicem æqualia, et um eorum ab alio oritur; et ideo per a repræsentatur æqualitas et processio vinarum personarum; hæc autem re- æsentari non possent, nec illa esse, si emoria esset eadem potentia cum intel- ctu: ergo realiter debet ab illo distin- i. — 1a, q. 79, a. 7, arg. 3; *de Verit.* c. arg. 3 *Sed contra.*

4. Præterea, eadem ratio definitionis est tentiarum sensitivæ partis et intelle- ivæ; sed memoria in parte sensitiva est a potentia realiter a sensu, ut supra ctum est: ergo memoria intellectivæ rtis debet esse alia potentia ab intel- ctu. — 1a, l. c. arg. 2.

Sed contra est, quod de ratione memo- e est quod sit thesaurus vel locus con- rvativus specierum; hoc autem Philo- phus 3. *de Anima* (*text.* 6; c. 4) attri- uit intellectui: non ergo in parte intel- ctiva memoria est alia potentia realiter intellectu. — 1a, q. 79, a. 7, arg. *d contra.*

Respondeo dicendum, quod potentiæ ani- æ, sicut supra dictum est (q. 51, a. 3), stinguuntur secundum diversas rationes ijectorum, eo quod ratio cujuslibet po- ntiæ consistit in ordine ad id, ad quod citur, quod est ejus objectum. Dictum t etiam supra (q. 51, a. 3, c.), quod si iqua potentia secundum propriam ratio- m ordinetur ad aliquod objectum secun- m communem rationem objecti, non versificabitur illa potentia secundum diversitates particularium differentiarum: sicut potentia visiva, quæ respicit suum objectum secundum rationem colorati, non diversificatur secundum rationem albi et nigri. Intellectus autem respicit suum objectum secundum communem rationem entis, eo quod intellectus possibilis est, quo est omnia fieri. Unde secundum nullam differentiam entium diversificatur differentia intellectus possibilis. Diversificatur tamen potentia intellectus agentis et intellectus possibilis, quia respectu ejusdem objecti aliud principium oportet esse potentiam activam, quæ facit objectum esse in actu, et aliud potentiam passivam, quæ movetur ab objecto in actu existente. Et sic potentia activa comparatur ad suum objectum ut ens in actu ad ens in potentia. Potentia autem passiva comparatur ad suum objectum e converso ut ens in potentia ad ens in actu. Sic igitur nulla alia differentia potentiarum in intellectu esse potest nisi possibilis et agentis. Unde patet, quod memoria non est alia potentia ab intellectu. Ad rationem enim potentiæ passivæ pertinet conservare, sicut et recipere. — 1a, q. 79, a. 7, c.

Ad primum ergo dicendum, quod imago Trinitatis in anima potest assignari dupliciter: uno modo secundum perfectam imitationem Trinitatis, alio modo secundum imperfectam. Anima enim *perfecte* Trinitatem imitatur, secundum quod meminit actu, intelligit actu et vult actu. Imago vero secundum *imperfectam* imitationem est, quando assignatur secundum habitus et potentias; et hoc modo reperitur in memoria, intellectu et voluntate, secundum quod dicunt potentias, non tamen hoc modo, quod memoria possit esse in parte intellectiva alia potentia ab intellectu, ut dictum est (in c.); sed quatenus intellectus habet habitudinem ad diversa, scilicet ad tenendam notitiam alicujus habitualiter; sicut et Augustinus distinguit rationem inferiorem a superiori secundum habitudinem ad diversa. Et de hoc secundo modo imaginis inventæ in anima secundum imperfectam imitatio-

nem loquitur Augustinus, non de primo modo secundum perfectam imitationem, quæ est quando anima actu imitatur Trinitatem, intelligendo eam. — *de Verit.* l. c. ad 1 *Sed contra.*

Ad secundum dicendum, quod semper est in anima imago Trinitatis aliquo modo, sed non secundum perfectam imitationem. — *Ibid.* ad 2 *Sed contra.*

Ad tertium dicendum, quod intelligentia oritur ex memoria sicut actus ex habitu, et hoc modo etiam æquatur ei; non autem sicut potentia potentiæ (1a, l. c. ad 3). — *Vel dic*, quod inter potentiam et actum et habitum potest esse æqualitas, secundum quod comparantur ad unum objectum; et sic imago Trinitatis invenitur in anima, secundum quod fertur in Deum. Et tamen, etiam communiter loquendo de potentia, habitu et actu, invenitur in eis æqualitas, non quidem secundum proprietatem naturæ, quia alterius modi habet esse operatio, habitus et potentia; sed secundum comparationem ad actum: secundum quam consideratur horum trium quantitas; nec oportet quod accipiatur unus tantum actus numero aut unus habitus, sed habitus et actus in genere. — *Ibid.* ad 3 *Sed contra.*

Ad quartum dicendum, quod præteritum et præsens possunt esse propriæ differentiæ potentiarum sensitivarum, secundum diversitatem objectorum, non autem potentiarum intellectivarum, ratione supra (art. praeced.) dicta. — 1a, l. c. ad 2.

ARTICULUS V

UTRUM INTELLECTUS ET VOLUNTAS SINT UNA ET EADEM POTENTIA REALITER.

Videtur quod intellectus et voluntas sint realiter una et eadem potentia.

1. Dicit enim Philosophus (2. *de Anima text.* 33; c. 4), quod potentiæ distinguuntur secundum objecta; objectum autem intellectus est verum, voluntatis vero bonum: cum ergo bonum et verum sint idem supposito et differant ratione, videtur quod intellectus et voluntas sint idem re, sed differant ratione. — *de Verit.* q. 22, a. 10, arg. 1.

2. Præterea, secundum Philosophum in 3. *de Anima* (*text.* 42; c. 9) voluntas in ratione est; ergo vel est idem, quod ratio vel pars rationis; sed ratio est eadem potentia cum intellectu: ergo et voluntas. — *Ibid.* arg. 2.

3. Præterea, vires animæ communiter dividuntur in rationale, irrationale et concupiscibile; sed voluntas distinguitur ab irrationali et concupiscibili: ergo continetur sub rationali; et sic non distinguetur ab intellectu. — *Ibid.* arg. 3.

4. Præterea, ubicunque invenitur idem objectum re et ratione, est una potentia; sed voluntatis et intellectus practici est idem objectum re et ratione; utrisque enim objectum videtur bonum: ergo intellectus practicus non est alia potentia quam voluntas; sed intellectus speculativus non est alia potentia quam practicus, quia secundum Philosophum in 3. *de Anima* (*text.* 49; c. 10) intellectus speculativus per extensionem fit practicus: ergo voluntas et intellectus simpliciter sunt una potentia. — *Ibid.* arg. 4.

5. Præterea, sicut ad cognoscendum differentiam duorum ad invicem, oportet quod sit idem, qui cognoscit utrumque eorum inter quæ differentia considerari tur; ita oportet quod sit idem, qui cognoscit et vult. Sed ad hoc quod cognoscatur differentia inter aliqua duo, ut inter album et dulce, oportet quod eadem potentia sit, quæ cognoscat utrumque; ex quo probat Philosophus in 2. *de Anima* (*text.* 144 et sqq.; l. 3, c. 2) sensum communem esse. Ergo eadem ratione oportet esse unam potentiam, quæ cognoscit et vult, et ita intellectus et voluntas sunt una potentia. — *Ibid.* arg. 5.

Sed contra est: 1. quod appetitivum genus animæ aliud est ab intellectivo, secundum Philosophum (2. *de Anima text.* 2; c. 3); sed voluntas continetur sub appetitivo: ergo voluntas est alia potentia a

ıtellectu. — *de Verit.* q. 22, a. 10, arg. *Sed contra.*

2. Præterea, intellectus cogitur secun-ım Philosophum in 5. *Metaphys.*; sed ɔluntas non potest cogi: ergo intellectus voluntas non sunt una potentia. — *Ibid.* ·g. 2 *Sed contra.*

Respondeo dicendum, quod voluntas et ıtellectus sunt diversæ potentiæ et ad ıversa genera potentiarum pertinentes. d cujus evidentiam sciendum est, quod, ım distinctio potentiarum attendatur ɔnes actus et objecta, non quælibet obje-orum differentia ostendit diversitatem ɔtentiarum, sed differentia objectorum in ıantum objecta sunt, non autem aliqua ccidentalis differentia, quæ accidit objecto cundum quod est objectum. Sensibili ıim, in quantum est sensibile, accidit sse animatum vel inanimatum, quamvis sis rebus, quæ sentiuntur, hæ differen-æ sint essentiales. Et ideo penes has ifferentias non diversificantur potentiæ ensitivæ, sed penes audibile et visibile tangibile, quæ sunt differentiæ sensi-ilis in quantum est sensibile, sive per sse sensibile per medium, sive sine me-io. Et quando quidem differentiæ essen-ıles objectorum, in quantum objecta ınt, sumuntur ut dividentes per se iquod speciale objectum animæ, ex hoc versificantur potentiæ, sed non genera ɔtentiarum : sicut sensibile nominat non ɔjectum animæ simpliciter, sed quoddam ɔjectum quod prædictis differentiis per se ıviditur. Unde visus et auditus et tactus ınt diversæ potentiæ speciales ad idem enus potentiarum animæ pertinentes, ilicet ad sensum. Sed quando differentiæ cceptæ dividunt ipsum objectum com-ıuniter acceptum, tunc ex tali differentia ınotescunt diversa genera potentiarum.

Dicitur autem aliquid esse objectum nimæ, secundum quod habet aliquam abitudinem ad animam. Ubi ergo inve-imus diversas rationes habitudinis ad nimam, ibi invenimus per se differentiam bjecti animæ demonstrantem diversum enus potentiarum animæ. Res autem ad animam invenitur duplicem habitudinem habere: unam, secundum quod ipsa res est in anima per modum animæ et non per modum sui; aliam, secundum quod anima comparatur ad rem in suo esse existentem. Et sic objectum animæ est aliquid dupliciter: uno modo, in quantum natum est esse in anima non secundum esse proprium, sed secundum modum animæ, id est spiritualiter; et hæc est ratio cognoscibilis in quantum est cognoscibile. Alio modo est aliquid objectum animæ, secundum quod ad ipsum anima inclinatur et ordinatur, secundum modum ipsius rei in se ipsa existentis; et hæc est ratio appetibilis in quantum est appetibile. Unde cognoscitivum et appetitivum constituunt diversa genera potentiarum. Unde cum intellectus sub cognoscitivo comprehendatur, oportet voluntatem et intellectum esse potentias genere diversas. — *de Verit.* q. 22, a. 10, c.

Ad primum ergo dicendum, quod distinctio potentiarum non ostenditur ex objectis secundum rem consideratis, sed secundum rationem, quia ipsæ rationes objectorum specificant ipsas operationes potentiarum; et ideo ubi est diversa ratio objecti, ibi invenimus diversam potentiam, quamvis sit eadem res, quæ subest utrique rationi, sicut est de bono et vero. Et hoc patet in rebus materialibus. Nam aer patitur ab igne in quantum est calidus, secundum quod est in potentia aer calidus; in quantum vero ignis est lucidus, patitur ab eo, secundum quod ipse est diaphanus; nec est eadem potentia in aere, secundum quam dicitur diaphanus et potentia calidus, quamvis idem ignis sit, qui in utramque potentiam agat. — *Ibid.* ad 1.

Ad secundum dicendum, quod potentia dupliciter potest considerari: vel in ordine ad objectum, vel in ordine ad essentiam animæ, in qua radicatur. Si ergo voluntas consideretur in ordine ad objectum: sic ad aliud genus animæ pertinet quam intellectus; et sic voluntas contra rationem et intellectum distinguitur. Si vero voluntas consideretur secundum id in quo

radicatur : sic, cum voluntas non habeat organum corporale sicut nec intellectus, voluntas et intellectus ad eandem partem animæ reducentur; et sic quandoque intellectus vel ratio sumitur prout includit in se utrumque, et sic dicitur, quod voluntas est in ratione; et secundum hoc rationale includens intellectum et voluntatem dividitur contra irascibile et concupiscibile. — *Ibid.* ad 2. — Unde patet solutio *ad tertium.*

Ad quartum dicendum, quod objectum intellectus practici non est bonum, sed verum relatum ad opus. — *Ibid.* ad 4.

Ad quintum dicendum, quod velle et cognoscere non sunt actus unius rationis; et ideo non possunt pertinere ad unam potentiam, sicut cognoscere album et dulce; unde non est simile. — *Ibid.* ad 5.

ARTICULUS VI

UTRUM IN HOMINE SIT LIBERUM ARBITRIUM.

Videtur quod non sit in homine liberum arbitrium.

1. Is enim, in quo est liberum arbitrium, facit quod vult, et ejus est velle et non velle; sed homo nec facit quod vult; dicitur enim *Rom.* 7, 19 : *Non enim quod volo bonum, hoc ago; sed quod odi malum, illud facio;* — nec hominis est velle et non velle; dicitur enim *Rom.* 9, 16 : *Non est volentis* (scilicet velle) *neque currentis* (scilicet currere) : — ergo in homine non est liberum arbitrium. — 1a, q. 83, a. 1, arg. 1 et 2.

2. Præterea, liberum est quod est causa sui motus; quod ergo movetur ab alio, non est liberum. Sed Deus movet voluntatem; dicitur enim *Prov.* 21, 1 : *Cor regis in manu Dei*, et : *quocunque voluerit, vertet illud*, et *Phil.* 2, 13 : *Deus est, qui operatur in nobis velle et perficere.* Ergo homo non est liberi arbitrii. — *Ibid.* arg. 3.

3. Præterea, quicunque est liberi arbitrii, est dominus suorum actuum; sed homo non est dominus suorum actuum, præsertim meritoriorum, *tum* quia excedunt facultatem naturalem arbitrii; *tum* quia ad illos operandos requiritur gratia assistens, quam multi non habent; *tum* quia universaliter dicitur *Hierem.* 10, 23 quod *non est in homine via ejus, nec vir est ut dirigat gressus suos; tum* quia omne quod movet motum movet sicut instrumentum, ut patet per Commentatorem in 8. *Phys.* (*text.* 35; c. 5); instrumentum autem non est liberum ad agendum, cum non agat nisi secundum quod aliquis eo utitur. Cum ergo homo non operetur nisi motus a Deo, videtur quod non sit liberi arbitrii. — *Ibid.* arg. — *de Verit.* q. 24, a. 1, arg. 2, 6, 1, 5.

4. Præterea, qualis unusquisque est, talis finis videtur ei; sed non est in nostra potestate quod simus tales vel tales, cum hoc homo ex nativitate habeat, et dependeat, ut quibusdam videtur, ex dispositione stellarum : ergo non est in potestate nostra, ut hunc vel illum finem approbemus et sequamur; sed omne judicium de agendis sumitur ex fine : ergo non sumus liberi arbitrii. — *de Verit.* l. c. arg. 19; 1a, l. c. arg. 5.

5. Præterea, ita se habet finis ad agibilia sicut principia ad ea quæ ex principiis consequuntur, ut patet in 7. *Phys.* (c. 8 med., al. 9); sed ex principiis ex necessitate deducuntur conclusiones : ergo ex fine de necessitate movetur homo ad eligendum; et sic non erit in agente liberi arbitrii. — 1a 2æ, q. 13, a. 1, arg. 1.

6. Præterea, ubi est idem motivum et idem mobile, est et idem modus movendi. Sed cum aliquis vult finem et ea quæ sunt ad finem, idem est quod movet, scilicet voluntas, et idem est movens; quia ea quæ sunt ad finem non vult aliquis, nisi in quantum vult finem : ergo est idem modus movendi, ut scilicet, sicut aliquis ex necessitate vult finem ultimum, ita ex necessitate vult ea quæ sunt

d finem. — *de Malo* q. 6, a. un., rg. 9.

7. Præterea, electio consequitur judi-ium rationis de agendis ; sed ratio ex ecessitate judicat de aliquibus, propter ecessitatem præmissarum : ergo vide-ır quod etiam electio ex necessitate se-uitur, et per consequens quod in ho-nine non sit liberum arbitrium. — 1a æ, q. 13, a. 6, arg. 2.

8. Præterea, si aliqua sunt penitus qualia, non magis movetur homo ad num quam ad aliud : sicut famelicus habet cibum æqualiter appetibilem in iversis partibus et secundum æqualem istantiam, non magis movetur ad unum uam ad alterum, ut Plato dixit assi-nans rationem quietis terræ in medio, cut dicitur in 2. *de Cœlo* (*text.* 75 et 3; c. 13); sed multo minus potest eligi uod accipitur ut minus, quam quod ac-pitur ut æquale : ergo si proponantur uo vel tria vel plura, inter quæ unum ajus appareat, impossibile est aliquod iorum eligere; ergo ex necessitate eli-tur illud, quod eminentius apparet. Sed nnis electio est de omni eo, quod vide-ır aliquo modo melius ; ergo omnis ectio est ex necessitate, et per conse-uens homo non habet liberum arbi-ium; nam si haberet, libere eligeret. - *Ibid.* arg. 3.

Sed contra est : 1. quod dicitur *Eccli.* 5, 14 : *Deus ab initio constituit hominem reliquit eum in manu consilii sui ;* hoc ıtem non esset, nisi haberet liberam ectionem, quæ est appetitus præconsi-ati, ut dicitur in 3. *Eth.* (c. 2, al. 4) : go homo habet libertatem in suis acti-ıs. — *de Malo* q. 6, a. un., arg. 1 *Sed ntra.*

2. Præterea, potentiæ rationales sunt l opposita, secundum Philosophum (9. *etaphys. text.* 3 ; l. 8, c. 2); sed volun-s est potentia rationalis ; est enim in ıtione, ut dicitur in 3. *de Anima* (*text.* 2; c. 9) : ergo voluntas se habet ad posita, et non ex necessitate movetur l unum. — *Ibid.* arg. 2 *Sed contra.*

3. Præterea, secundum Philosophum (in 3. et 6. *Eth.*) homo est dominus sui actus, et in ipso est agere et non agere ; sed hoc non esset, si non esset liberi arbitrii : ergo. — *Ibid.* arg. 3 *Sed contra.*

Respondeo dicendum, quod homo est liberi arbitrii; alioqui frustra essent consilia, exhortationes, præcepta, prohibitiones, præmia et pœnæ. Ad cujus evidentiam considerandum est, quod quædam agunt absque judicio : sicut lapis movetur deorsum, et similiter omnia cognitione carentia. Quædam autem agunt judicio, sed non libero, sicut animalia bruta. Judicat enim ovis videns lupum, eum esse fugiendum, naturali judicio et non libero, quia non ex collatione, sed ex naturali instinctu hoc judicat ; et simile est de quolibet judicio brutorum animalium. Sed homo agit judicio, quia per vim cognoscitivam judicat aliquid esse fugiendum vel prosequendum. Sed judicium istud non est ex naturali instinctu in particulari operabili, sed ex collatione quadam rationis; et ideo agit libero judicio, potens in diversa ferri. Ratio enim circa contingentia habet viam ad opposita, ut patet in dialecticis syllogismis et rhetoricis persuasionibus. Particularia autem operabilia sunt quædam contingentia; et ideo circa ea judicium rationis ad diversa se habet, et non est determinatum ad unum. Et pro tanto necesse est quod homo sit liberi arbitrii, ex hoc ipso quod rationalis est. — 1a, q. 83, a. 1, c.

Ad primum ergo dicendum, quod appetitus sensitivus etsi obedit rationi, tamen potest in aliquo repugnare, concupiscendo contra illud, quod ratio dictat. Hoc ergo est bonum, quod homo non facit cum vult, scilicet non concupiscere contra rationem, ut ait glossa Augustini super primum locum Apostoli. — Ad secundum locum dicendum, quod verbum illud Apostoli non sic est intelligendum, quasi homo non velit et non curat libero arbitrio, sed quia liberum ar-

bitrium ad hoc non est sufficiens, nisi moveatur et juvetur a Deo. — 1a, l. c. ad 1 et 2.

Ad secundum dicendum, quod liberum arbitrium est causa sui motus, quia homo per liberum arbitrium se ipsum movet ad agendum. Non tamen hoc est de necessitate libertatis, quod sit prima causa sui id quod liberum est ; sicut nec ad hoc quod aliquid sit causa alterius, requiritur quod sit prima causa ejus. Deus igitur est prima causa movens et naturales causas et voluntarias. Et sicut naturalibus causis, movendo eas, non aufert quin actus earum sint naturales ; ita movendo causas voluntarias non aufert quin actiones earum sint voluntariæ ; sed potius hoc in eis facit : operatur enim in unoquoque secundum ejus proprietatem. — *Ibid.* ad 3.

Ad tertium dicendum, quod homo est liberi arbitrii in suis electionibus. Unde *ad primam instantiam* de opere meritorio dicendum, quod opus meritorium a non meritorio non distat in *quid* agere, sed in *qualiter* agere. Nihil enim est, quod unus homo meritorie agat et ex caritate, quod alius non possit absque merito agere aut velle. Et ideo hoc, quod homo non potest sine gratia agere opera meritoria, nihil derogat perfectæ libertati : quia homo dicitur esse liberi arbitrii, secundum quod potest agere hoc vel illud, non secundum quod potest sic vel sic agere ; quia secundum Philosophum ille, qui nondum habet habitum virtutis, non habet in sua potestate agere taliter, qualiter virtuosus agit, nisi in quantum potest acquirere habitum virtutis. Gratiam autem, quæ opera meritoria facit, quamvis homo non possit libero arbitrio acquirere, potest tamen se ad gratiam habendam præparare, quæ ei a Deo non denegabitur, si fecerit quod in se est. Et ideo non omnino est extra liberi arbitrii potestatem opera meritoria agere, quamvis ad hoc per se potestas liberi arbitrii non sufficiat, eo quod modus qui ad meritum requiritur, facultatem naturæ excedit ; non autem modus qui est in operibus ex virtutibus politicis. Nullus autem diceret, propter hoc hominem non esse liberi arbitrii, quia non potest taliter velle vel eligere, qualiter Deus vel angelus. — Et sic patet *ad secundam probationem*. (*de Verit.* q. 24, a. 1, ad 2 et 6.) — *Ad tertiam* dicendum, quod dicitur non esse in homine via ejus quantum ad exsecutiones electionum, in quibus homo impediri potest, velit nolit. Electiones autem ipsæ sunt in nobis, supposito tamen divino auxilio. Ut enim dicit Gregorius Nyssenus, in opere hominis duo est invenire, scilicet electionem operum, et hæc semper in hominis potestate consistit ; et operum gestionem seu exsecutionem, et hæc non semper est in hominis potestate, sed divina providentia gubernante propositum hominis ad finem quandoque perducitur, quandoque vero non. Et ideo homo non dicitur esse liber suarum actionum, sed liber suæ electionis, quæ est judicium de agendis. Et hoc ipsum nomen « liberum arbitrium » demonstrat. (*Ibid.* ad 1.) — *Ad quartum* dicendum, quod instrumentum duplicitur dicitur : *uno* modo proprie, quando scilicet aliquid ita ab altero movetur, quod non confertur ei a movente aliquod principium talis motus, sicut serra movetur a carpentario ; et tale instrumentum non est capax libertatis. *Alio* modo dicitur instrumentum magis communiter, quidquid est movens ab alio motum, sive sit in ipso principium sui motus, sive non ; et sic ab instrumento non oportet quod omnino excludatur ratio libertatis, quia potest aliquid esse ab alio motum, quod tamen se ipsum movet ; et ita est de voluntate humana. (*Ibid.* ad 5.)

Ad quintum dicendum, quod qualitas hominis est duplex, una naturalis et alia superveniens. *Naturalis* autem qualitas accipi potest vel circa partem intellectivam, vel circa corpus et virtutes corporis annexas. Ex eo igitur quod homo est aliquis qualitate naturali, quæ attenditur secundum intellectivam partem, naturaliter homo appetit ultimum finem, scilicet

eatitudinem. Qui quidem appetitus naralis est, et non subjacet libero arbiio. Ex parte vero corporis et virtutum rpori annexarum potest esse homo aliialis complexionis, vel talis dispositios, ex quacunque impressione corpoream causarum, quæ non possunt in inllectivam partem imprimere, eo quod on est alicujus corporis actus. Igitur ialis unusquisque est secundum corpoam qualitatem, talis finis videtur ei : ia ex hujusmodi dispositione homo inatur ad eligendum aliquid vel reputandum. Sed istæ inclinationes subjaent judicio rationis, cui obedit inferior petitus; unde per hæc libertati arbiii non præjudicatur. Qualitates autem *pervenientes* sunt sicut habitus et passones, secundum quas aliquis magis inatur in unum quam in alterum. Taen istæ etiam inclinationes subjacent dicio rationis; et hujusmodi etiam quatates ei subjacent, in quantum in nobis t tales qualitates acquirere vel causalier vel dispositive, vel a nobis excluere. Et sic nihil est, quod libertati arbiii repugnet. — 1a, l. c. arg. 5.

Ad quintum dicendum, quod non semer ex principiis ex necessitate procedit onclusio, sed tunc solum, quando prinipia non possunt esse vera, si conclusio on sit vera ; et similiter non oportet uod semper ex fine insit homini necestas ad eligendum ea quæ sunt ad nem ; quia non omne quod est ad finem ale est, quod sine eo finis haberi non ossit, aut si tale sit, non semper sub ali ratione consideratur. — 1a 2æ, q. 3, a. 6, ad 1.

Ad sextum dicendum, quod quando ad nem non potest perveniri nisi una via, unc eadem ratio est volendi finem, et a quæ sunt ad finem ; sed ita non est n proposito, nam multis viis perveniri otest ad beatitudinem ; et ideo licet hoao ex necessitate velit beatitudinem, ihil tamen eorum, quæ ad beatitudinem ducunt, ex necessitate vult. — *de Malo* q. 6, a. un., ad 9.

Ad septimum dicendum, quod sententia sive judicium rationis de rebus agendis est circa contingentia, quæ a nobis fieri possunt ; in quibus conclusiones non ex necessitate sequuntur ex principiis necessariis absoluta necessitate, sed necessariis solum ex conditione, ut *si currit, movetur*. — 1a 2æ, l. c. ad 2.

Vel dic, quod judicium, cui tribuitur libertas, est judicium electionis, non autem judicium, quo sententiat homo de conclusionibus in scientiis speculativis ; nam ipsa electio est quasi quædam scientia de præconsiliatis. — *de Verit.* q. 24, a. 1, ad 17.

Ad octavum dicendum, quod nihil prohibet, si aliqua duo æqualia proponantur secundum unam considerationem, quin circa alterum consideretur aliqua conditio, per quam emineat, et magis flectatur voluntas in ipsum quam in aliud. — 1a 2æ, l. c. ad 3.

ARTICULUS VII

UTRUM LIBERUM ARBITRIUM SIT IN BRUTIS.

Videtur quod liberum arbitrium sit etiam in brutis.

1. Secundum hoc enim dicimur esse liberi arbitrii, quod actus nostri sunt voluntarii ; sed voluntario et pueri et bruta communicant, secundum Philosophum in 3. *Eth.* (c. 1 versus fin., al. c. 3) : ergo liberum arbitrium est in brutis. — *de Verit.* q. 24, a. 2, arg. 1.

2. Præterea, secundum Philosophum in 8. *Phys.* (*text.* 29 ; c. 4) in omni eo quod movet se ipsum, est moveri et non moveri ; sed bruta movent se ipsa : ergo in eis est moveri et non moveri ; sed hoc dicimur esse liberi arbitrii, quod in nobis est agere aliquid, ut patet per Gregorium Nyssenun et Damascenum : ergo in brutis est liberum arbitrium. — *Ibid.* arg. 2.

3. Præterea, liberum arbitrium duo

importat, scilicet judicium et libertatem, quorum utrumque est invenire in brutis. Habent enim aliquod judicium de agendis; quod patet ex hoc, quod unum prosequuntur et aliud fugiunt; habent etiam libertatem, cum possint movere et moveri. Ergo in eis est liberum arbitrium. — *Ibid.* arg. 3.

4. Præterea, illud dicitur esse liberum, quod non est obligatum alicui; sed anima bruti non est obligata ad alterum oppositorum, quia potentia ipsius non est determinata ad unum, sicut potentiæ rerum naturalium, quæ semper idem faciunt : ergo anima bruti habet liberum arbitrium. — *Ibid.* arg. 5.

5. Præterea, pœna non debetur nisi ei, qui habet liberum arbitrium; sed in veteri lege frequenter invenitur pœna inflicta brutis, sicut *Exod.* 19, 13 patet de bestia tangente montem, et 21, 29 de bove cornupeta, et *Levit.* 20, 16 de jumento, cui mulier succubuit : ergo bruta videntur esse liberi arbitrii. — *Ibid.* arg. 6.

6. Præterea, hoc est signum, quod homo est liberi arbitrii, ut Sancti dicunt, quia præceptis ad bonum instigatur et a malo retrahitur; videmus autem bruta allici beneficiis et moveri præceptis aut terreri minis ad aliquid agendum vel dimittendum : ergo idem quod prius. — *Ibid.* arg. 7.

7. Præterea, divinum præceptum non datur nisi habenti liberum arbitrium; sed divinum præceptum datur bruto ; unde *Jonæ* 4, 7 secundum aliam litteram dicitur, quod *præceptit Dominus vermi, et percussit edera* : ergo bruta habent liberum arbitrium. — *Ibid.* arg. 8.

Sed contra : 1. Ex hoc videtur homo esse ad imaginem Dei, quod est liberi arbitrii, ut dicunt Damascenus (2. *de Fide Orthod.* c. 12; — Migne PP. Gr. t. 94, col. 919) et Bernardus (*de Gratia et Libero. Arb.* c. 9; — Migne PP. Lat. t. 182, col. 1016); sed bruta non sunt ad imaginem Dei : ergo non sunt liberi arbitrii. — *de Verit.* q. 24, a. 2, arg. 1 *Sed contra.*

2. Præterea, omne quod est liberi arbitrii, agit et non solum agitur ; sed bruta non agunt, sed aguntur, ut dicit Damascenus (2. *de Fide Orthod.* c. 27 ; — Migne t. 94, col. 962) : ergo bruta non sunt liberi arbitrii. — *Ibid.* arg. 2.

Respondeo dicendum, quod bruta nullo modo sunt liberi arbitrii. Ad cujus evidentiam sciendum est, quod cum ad operationem nostram tria concurrant, scilicet cognitio, appetitus et ipsa operatio, tota ratio libertatis ex modo cognitionis dependet. Appetitus enim cognitionem sequitur, cum appetitus non sit nisi boni, quod sibi per vim cognitivam proponitur. Et quod quandoque appetitus videatur cognitionem non sequi, hoc ideo est, quia non circa idem accipitur appetitus et cognitionis judicium; est enim appetitus de particulari operabili, judicium vero rationis quandoque est de aliquo universali, quod est quandoque contrarium appetitui. Sed judicium de hoc particulari operabili, ut nunc, nunquam potest esse contrarium appetitui. Qui enim vult fornicari, quamvis sciat in universali fornicationem malum esse, tamen judicat sibi, ut tunc, fornicationis actum bonum esse, et sub specie boni ipsum eligit. Nullus enim intendens ad malum operatur, ut Dionysius dicit (*de Div. Nom.* c. 4, § 31; — Migne col. 731). Appetitum autem, si non sit aliquid prohibens, sequitur motus vel operatio. Et ideo si judicium cognitivæ non sit in potestate alicujus, sed sit aliunde determinatum; nec appetitus erit in potestate ejus, et per consequens nec motus vel operatio absolute. Judicium autem est in potestate judicantis, secundum quod potest de suo judicio judicare ; de eo enim quod est in nostra potestate, possumus judicare. Judicare autem de suo judicio solus rationis est, quæ super actum suum reflectitur, et cognoscit habitudines rerum, de quibus judicat et per quas judicat. Unde totius libertatis radix est in ratione constituta. Unde secundum quod aliquid se habet ad rationem, et sic se habet ad liberum arbitrium. Ratio

autem plene et perfecte invenitur solum in homine : unde in eo solum liberum arbitrium plenarie invenitur.

Bruta autem habent aliquam similitudinem rationis, in quantum participant quandam prudentiam naturalem, secundum quod natura inferior attingit aliqualiter ad id, quod est naturæ superioris ; quæ quidem similitudo est secundum quod habent judicium ordinatum de aliquibus. Sed hoc judicium est eis ex naturali æstimatione, non ex aliqua collatione, cum rationem sui judicii ignorent; propter quod hujusmodi judicium non se extendit ad omnia, sicut judicium rationis, sed ad quædam determinata. Et similiter in eis est quædam similitudo liberi arbitrii, in quantum possunt agere vel non agere unum et idem secundum suum judicium, ut sic sit in eis quasi quædam conditionata libertas : possunt enim agere si judicant agendum esse; vel non agere si non judicant. Sed quia judicium eorum est determinatum ad unum, per consequens et appetitus et actio ad unum determinatur ; unde, secundum Augustinum (9. *super Genes. ad Litt.* c. 14 ; — Migne t. 34, col. 402) moventur visis ; et secundum Damascenum (2. *de Fide Orthod.* c. 27 ; — Migne t. 94, col. 962) aguntur passionibus : quia scilicet naturaliter de tali viso et de tali passione sic judicant ; unde necesse habent ab ipsa visione alicujus rei vel a passione insurgente moveri ad fugiendum vel prosequendum : sicut ovis viso lupo necesse habet timere et fugere, et canis insurgente passione iræ necesse habet latrare et prosequi ad nocendum. Sed homo non necessario movetur ab his, quæ sibi occurrunt, vel a passionibus insurgentibus, quia potest ea accipere vel refugere ; et ideo homo est liberi arbitrii, non autem bruta. — *de Verit.* q. 24, a. 2, c.

Ad primum ergo dicendum, quod voluntarium ponitur a Philosopho in brutis non secundum quod convenit cum voluntate, sed secundum quod opponitur violento : ut sic dicatur voluntarium esse in brutis vel pueris, quia sua sponte aliquid faciunt, non propter usum liberæ electionis. — *Ibid.* ad 1.

Ad secundum dicendum, quod potentia motiva brutorum secundum se considerata non magis inclinatur ad unum oppositorum quam ad alterum ; et sic dicitur, quod possunt moveri et non moveri. Sed judicium, quod applicatur potentia motiva ad alterum oppositorum, est determinatum ; et sic non sunt liberi arbitrii. — *Ibid.* ad 2.

Ad tertium dicendum, quod quamvis in brutis sit quædam indifferentia actionum, tamen non potest proprie dici, quod sit in eis libertas actionum, sive agendi vel non agendi ; tum quia actiones, cum per corpus exerceantur, cogi possunt vel prohiberi non solum in brutis, sed etiam in hominibus : unde nec ipse homo dicitur liber actionis suæ ; tum etiam quia, quamvis sit indifferentia ad agere et non agere in bruto, considerata ipsa actione secundum se ipsam, tamen considerato ordine ejus ad judicium, a quo provenit, quod est determinatum ad unum, etiam ad ipsas actiones obligatio quædam derivatur, ut non possit in eis inveniri ratio libertatis absolute. Tamen dato quod in eis esset libertas aliqua et judicium aliquod, non tamen sequeretur quod inesset libertas judicii, cum judicium eorum sit naturaliter determinatum ad unum. — *Ibid.* ad 3.

Ad quartum dicendum, quod quamvis potentia motiva in brutis non sit determinata ad unum ; tamen judicium eorum de agendis est determinatum ad unum, ut dictum est. — *Ibid.* ad 5.

Ad quintum dicendum, quod cum bruta sint facta in obsequium hominis, secundum hoc de brutis disponitur, quod hominibus expedit, propter quos facta sunt. Puniuntur ergo bruta lege divina non propter hoc quod ipsa peccent, sed propter hoc quod ex eorum pœna homines puniantur in eorum possessione, vel terreantur ex ipsa pœnæ acerbitate, vel etiam instruantur ex mysterii significatione. — *Ibid.* ad 6.

Ad sextum dicendum, quod tam homines quam bruta beneficiis inducuntur et flagellis prohibentur, vel præceptis et prohibitionibus, sed diversimode : quia in potestate hominum est, ut eisdem rebus similiter repræsentatis, sive sint præcepta et prohibitiones, sive sint beneficia et flagella, eligant vel fugiant judicio rationis ; — sed in brutis est judicium naturale determinatum ad hoc, quod id quod uno modo proponitur vel occurrit, eodem modo accipiatur vel fugiatur. Contingit autem ex memoria præteritorum beneficiorum vel flagellorum, ut bruta aliquid apprehendant quasi amicum et prosequendum vel sperandum, et aliquid quasi inimicum et fugiendum vel timendum : et ideo post flagella ex passione timoris, quæ inde eis insurgit, inducuntur ad obediendum nutui instructoris. Nec est necessarium hujusmodi brutis fieri propter libertatem arbitrii, sed propter indifferentiam actionum. — *Ibid.* ad 7.

Ad septimum dicendum, quod secundum Augustinum (1) præceptum divinum brutis factum non ita factum esse credendum est, ut vox aliqui jussioris de nube facta sit eis aliquibus verbis, quæ rationales animæ audientes intelligere atque obedire solent : non enim hoc acceperunt ut possint bestiæ vel aves. In suo tamen genere obtemperant Deo, non rationalis voluntatis arbitrio ; sed sicut ille movet omnia temporibus opportunis, non ipse temporaliter motus, moventur bruta temporaliter, ut jussu ejus (2). — *Ibid.* ad 8.

ARTICULUS VIII

UTRUM LIBERUM ARBITRIUM SIT POTENTIA VEL NON.

Videtur quod liberum arbitrium non sit potentia.

1. Dicit enim Augustinus, quod liberum arbitrium est facultas voluntatis et rationis. Facultas autem nominat facilitatem potestatis, quæ est ex habitu, quia secundum eundem Augustinum habitus est quo facile quis agere potest. Ergo liberum arbitrium non est potentia, sed habitus. — 1a, q. 83, a. 2, arg. 2 ; *de Verit.* q. 24, a. 4, arg. 1.

2. Præterea, dicit D. Bernardus (*de Gratia et Libero Arb.* c. 1 ; — Migne t. 182, col. 1002), quod liberum arbitrium est habitus animi liber sui ; ergo liberum arbitrium non est potentia, sed habitus. — 1a, l. c. arg. 2 ; *de Verit.* l. c. arg. 8.

3. Præterea, liberum arbitrium nihil est aliud quam liberum judicium ; judicium autem non nominat potentiam, sed actum : ergo liberum arbitrium non est potentia. — 1a, l. c. arg. 1.

4. Præterea, nulla potentia naturalis tollitur per peccatum ; sed liberum arbitrium tollitur per peccatum ; Augustinus enim dicit (*Enchir.* c. 30 ; — Migne t. 40, col. 246), quod homo male utens libero arbitrio et se perdidit et ipsum : ergo liberum arbitrium non est potentia. — 1a, l. c. arg. 3 ; *de Verit.* l. c. arg. 6.

5. Præterea, secundum Philosophum (2. *Eth.* c. 5, al. 4) habitus sunt, secundum quos nos aliqualiter agimus ; sed liberum arbitrium non solum nominat id quo agimus, sed etiam id quo aliqualiter agimus, scilicet libere : ergo liberum arbitrium nominat habitum. — *de Verit.* l. c. arg. 4.

Sed contra : 1. Secundum Philosophum (2. *Eth.* c. 5, al. 4) tria sunt in anima : potentia, habitus et passio. Liberum autem arbitrium non est *passio*, cum sit in superiori parte animæ, passio autem et passibilis qualitas sunt solum circa partem animæ sensitivam. Similiter non est *habitus*, cum sit subjectum gratiæ ; habitus enim se ad gratiam, ut dicit Augustinus (alius auctor in *Hypognosticon* l. 3, c. 11 ; — Migne PP. Lat. t. 45, col. 1632), [illegible] equus ad sessorem ; habitus vero non potest alterius esse subjectum. Ergo relinquitur quod liberum arbitrium sit *pote*

(1) *Super Genes. ad Litt.*

(2) Al. « ut jussa ejus efficiant ».

ia. — *de Verit.* q. 24, a. 4, arg. 1 *Sed ontra;* 1a, q. 83, a. 2, arg. *Sed contra.*

2. Præterea, hoc videtur inter habium et potentiam distare, quod potentia, uæ se ad opposita habet, per habitum eterminatur ad unum; sed liberum arbitrium nominat aliquid ad opposita se abens, nullo modo determinatum ad num: ergo liberum arbitrium est potenia. — *de Verit.* l. c. arg. 2 *Sed contra.*

Respondeo dicendum, quod quamvis liberum arbitrium nominet quendam actum, secundum propriam significationem vocabuli, secundum tamen communem usum loquendi liberum arbitrium dicimus id, quod est hujus actus principium, scilicet quo homo libere judicat. Principium autem actus in nobis est et potentia et habitus. Dicimur enim aliquid cognoscere et per scientiam et per intellectivam potentiam. Oportet ergo quod liberum arbitrium vel sit potentia vel habitus vel sit potentia cum aliquo habitu. — Quod autem non sit *habitus* neque potentia cum habitu, manifeste apparet ex duobus: *primo* quidem, quia si est habitus, oportet quod sit habitus naturalis. Hoc enim est naturale homini, quod sit liberi arbitrii. Nullus autem habitus naturalis adest nobis ad ea, quæ subsunt libero arbitrio; quia ad ea, respectu quorum habemus habitus naturales, naturaliter inclinamur, sicut ad assentiendum primis principiis. Ea autem, ad quæ naturaliter inclinamur, non subsunt libero arbitrio, sicut patet de appetitu beatitudinis. Unde contra propriam rationem liberi arbitrii est, quod sit habitus naturalis. Contra naturalitatem autem ejus est, quod sit habitus non naturalis. Et sic relinquitur quod nullo modo sit habitus. — *Secundo* hoc apparet, quia habitus dicuntur, secundum quos nos habemus ad passiones vel ad actus bene vel male, ut dicitur in 2. *Eth.* c. 5, al. 4). Nam per temperantiam bene nos habemus ad concupiscentias, per intemperantiam autem male; per scientiam etiam bene nos habemus ad actum intellectus, dum verum cognoscimus; per habitum vero contrarium, male. Liberum autem arbitrium indifferenter se habet ad bene eligendum vel male. Unde impossibile est quod liberum arbitrium sit habitus. Relinquitur ergo quod sit *potentia*· — 1a, q. 83, a. 2, c.

Ad primum ergo dicendum, quod aliquid dicitur esse *facile* dupliciter: uno modo propter remotionem impedimentorum; alio modo propter appositionem adjutorii. Facilitas igitur pertinens ad habitum est per adjutorii appositionem: nam habitus inclinat potentiam ad actum. Hanc autem facilitatem non nominat liberum arbitrium, eo quod, quantum est de se, non inclinatur magis ad unum quam ad aliud; sed nominat facilitatem, quæ est per remotionem impedimenti, eo quod liberum arbitrium non impeditur aliquo cogente a propria operatione. Et ideo Augustinus proprie liberum arbitrium facultatem nominavit, non facilitatem, quia facultas hoc importare videtur, ut aliquid sit in potestate facultatem habentis. (*de Verit.* q. 24, a. 4, ad 1.) — *Vel dic*, quod facultas nominat quandoque potestatem expeditam ad operandum, et sic facultas ponitur in definitione liberi arbitrii. (1a, q. 83, a. 2, ad 2.)

Ad secundum dicendum, quod Bernardus accipit habitum, non secundum quod dividitur contra potentiam, sed secundum quod significat habitudinem quandam, qua aliquo modo se aliquis habet ad actum; quod quidem est tam per potentiam quam per habitum; nam per potentiam homo se habet ut potens operari, per habitum autem ut aptus ad operandum bene vel male. (1a, l. c. ad 2.) Unde sumit habitum improprie pro quacunque facilitate. (*de Verit.* l. c. ad 8.)

Ad tertium dicendum, quod consuetum est potentiam significare nomine actus. Et sic per hunc actum, qui est liberum judicium, nominatur potentia, quæ est hujus actus principium; alioqui, si liberum arbitrium nominaret actum, non semper maneret in homine. — 1a, l. c. ad 1.

Ad quartum dicendum, quod homo pec-

cando liberum arbitrium dicitur perdidisse, non quantum ad naturalem libertatem quæ est a coactione, sed quantum ad libertatem quæ est a culpa. — *Vel dic*, quod homo male utendo libero arbitrio non totaliter ipsum perdidit, sed quantum ad aliquid, quia scilicet post peccatum non potest esse sine peccato, sicut poterat ante peccatum. — 1a, q. 83, a. 2, ad 3; *de Verit.* l. c. ad 6.

Ad quintum dicendum, quod in actu duplex modus potest considerari : unus, qui pertinet ad rationem habitus, sicut cum bene vel male aliquid agitur ; alius, qui pertinet ad rationem potentiæ, sicut cognoscere immaterialiter convenit intellectui ex ipsa natura potentiæ. Modus igitur importatus in hoc, quod dico *libere judicare*, non pertinet ad aliquem habitum superadditum, sed ad ipsam potentiæ rationem. — *de Verit.* l. c. ad 4.

ARTICULUS IX

UTRUM LIBERUM ARBITRIUM SIT POTENTIA APPETITIVA.

Videtur quod liberum arbitrium non sit potentia appetitiva, sed cognoscitiva.

1. Dicit enim Damascenus (2. *de Fide Orthod.* c. 27 ; — Migne t. 94, col. 959), quod cum rationali confestim comitatur liberum arbitrium ; sed ratio est potentia cognoscitiva : ergo liberum arbitrium est potentia cognoscitiva. — 1a, q. 83, a. 3, arg. 1.

2. Præterea, liberum arbitrium dicitur quasi liberum judicium ; sed judicare est actus potentiæ cognoscitivæ : ergo liberum arbitrium est potentia cognoscitiva. — *Ibid.* arg. 2.

3. Præterea, ad liberum arbitrium præcipue pertinet electio; sed electio videtur ad cognitionem pertinere, quia electio videtur quandam comparationem unius ad alterum importare, quod est proprium cognoscitivæ virtutis : ergo liberum arbitrium est potentia cognoscitiva. — *Ibid.* arg. 3.

Sed contra est, quod Philosophus dici in 3. *Eth.* (c. 2, al. 4), quod electio est de siderium eorum, quæ sunt in nobis. Sed desiderium est actus appetitivæ virtutis ergo et electio. Liberum autem arbitrium est secundum quod eligimus; ergo liberum arbitrium est virtus appetitiva.— 1a q. 83, a. 3, arg. *Sed contra.*

Respondeo dicendum, quod proprium liberi arbitrii est electio; ex hoc enim dicimur liberi arbitrii, quod possumus unum recipere alio recusato, quod est eligere ; et ideo naturam liberi arbitrii ex electione considerare oportet. Ad electionem autem concurrit aliquid ex parte cognitivæ virtutis, et aliquid ex parte appetitivæ. Ex parte autem cognitivæ requiritur consilium, per quod dijudicatur quid sit alteri præferendum. Ex parte autem appetitivæ requiritur, quod appetendo acceptetur quod per consilium dijudicatur. Et ideo Aristoteles in 6. *Eth.* (c. 2) sub dubio relinquit, utrum principalius pertineat electio ad vim appetitivam vel ad vim cognitivam. Dicit enim quod electio vel est appetitus intellectivus vel intellectus appetitivus. Sed in 3 *Eth.* (c. 3, al. 5) in hoc magis declinat quod sit appetitus intellectivus, nominans electionem « desiderium consiliabile ». Et hujus ratio est, quia proprium objectum electionis est illud, quod est ad finem ; hoc autem in quantum hujusmodi habet rationem boni quod dicitur utile. Unde, cum bonum in quantum hujusmodi, sit objectum appetitus, sequitur quod electio sit principaliter actus appetitivæ virtutis. Et sic liberum arbitrium est appetitiva potentia. — 1a, q. 83, a. 3, c.

Ad primum ergo dicendum, quod potentiæ appetitivæ concomitantur apprehensivas ; et secundum hoc dicit Damascenus, quod cum rationali confestim concomitatur liberum arbitrium. — 1a q. 83, a. 3, ad 1.

Ad secundum dicendum, quod judicium est quasi conclusio et determinatio consilii. Determinatur autem consilium prim

uidem per sententiam rationis, et secun-
o per acceptationem appetitus. Unde
hilosophus dicit in 3. *Eth.* (c. 3, al.
), quod ex consiliatis judicantes desi-
eramus secundum consilium. — *Ibid.*
d 2.

Ad tertium dicendum, quod ista colla-
o, quæ importatur in nomine electionis,
ertinet ad consilium præcedens, quod
st rationis. Appetitus enim quamvis
on sit collativus, tamen in quantum a vi
ognitiva conferente movetur, habet
uandam collationis similitudinem, dum
num alteri præoptat. — *Ibid.* ad 3.

ARTICULUS X

TRUM LIBERUM ARBITRIUM SIT VOLUNTAS, VEL ALIA POTENTIA DISTINCTA A VOLUNTATE.

Videtur quod liberum arbitrium sit
lia potentia a voluntate.

1. Dicit enim Damascenus (2. *de Fide Orthod.* c. 22; — Migne t. 94, col. 943), uod aliud est thelisis, aliud bulisis; thelisis autem est voluntas, bulisis autem idetur liberum arbitrium, quia bulisis ecundum ipsum est voluntas, quæ est irca aliquid, quasi unus per comparaionem ad alterum : ergo videtur quod iberum arbitrium sit alia potentia a oluntate. — 1a, q. 83, a. 4, arg. 1.

2. Præterea, potentiæ cognoscuntur per ctus; sed eligere, quod est actus liberi rbitrii, est aliud quam velle, quod est ctus voluntatis, ut patet per Philosohum (3. *Eth.* c. 2, al. 4) : ergo liberum rbitrium est alia potentia a voluntate. — *Ibid.* arg. 2.

3. Præterea, voluntas est appetitus ntellectivus ; sed ex parte intellectus unt duæ potentiæ, scilicet agens et posibilis : ergo etiam ex parte appetitus inellectivi debet esse aliqua potentia præer voluntatem ; et hæc non videtur esse isi liberum arbitrium : ergo liberum rbitrium est alia potentia præter volunatem. — *Ibid.* arg. 3.

Sed contra est : 1. quod Damascenus dicit (3. *de Fide Orthod.* c. 14 ; — Migne t. 94, col. 1038), quod liberum arbitrium nihil aliud est quam voluntas. — 1a, q. 83, a. 4, arg. *Sed contra.*

2. Præterea, Philosophus dicit in 3. *Eth.* (c. 3, al. 5), quod electio est appetitus præconsiliati ; electio autem est actus liberi arbitrii : ergo liberum arbitrium est potentia appetitiva. Sed non est appetitus inferior, qui dividitur per irascibilem et concupiscibilem ; sic enim bruta haberent liberum arbitrium. Ergo est appetitus superior ; et hic est voluntas secundum Philosophum in 3. *de Anima* (*text.* 57 ; c. 11). Ergo liberum arbitrium est voluntas. — *de Verit.* q. 24, a. 6, arg. 2 *Sed contra.*

Respondeo dicendum, quod potentias appetitivas oportet esse proportionatas potentiis apprehensivis. Sicut autem ex parte apprehensionis intellectivæ se habent intellectus et ratio, ita ex parte appetitus intellectivi se habent voluntas et liberum arbitrium, quod nihil aliud est quam vis electiva. Et hoc patet ex habitudine et objectorum et actuum. Nam *intelligere* importat simplicem acceptionem alicujus rei : unde intelligi dicuntur proprie principia, quæ sine collatione per se ipsa cognoscuntur. *Ratiocinari* autem proprie est devenire ex uno in cognitionem alterius : unde proprie de conclusionibus ratiocinamur, quæ ex principiis innotescunt. Similiter ex parte appetitus *velle* importat simplicem appetitum alicujus rei : unde voluntas dicitur esse de fine, qui propter se appetitur. *Eligere* autem est appetere aliquid propter alterum consequendum : unde proprie est eorum quæ sunt ad finem. Sicut autem se habet in cognitivis principium ad conclusionem, cui propter principia assentimur ; ita in appetitivis se habet finis ad ea quæ sunt ad finem, quæ propter finem appetuntur. Unde manifestum est, quod sicut se habet intellectus ad rationem, ita se habet voluntas ad vim electivam, id est ad liberum arbi-

trium. Ostensum autem est supra, quod ejusdem potentiæ est intelligere et ratiocinari, sicut ejusdem virtutis est quiescere et moveri. Unde ejusdem etiam potentiæ est velle et eligere. Et propter hoc voluntas et liberum arbitrium non sunt duæ potentiæ, sed una. — 1a, q. 83, a. 4, c.

Ad primum ergo dicendum, quod bulisis distinguitur a thelisi non propter diversitatem potentiarum, sed propter differentiam actuum. - *Ibid.* ad 1.

Ad secundum dicendum, quod electio et voluntas, id est ipsum velle, sunt diversi actus, sed tamen pertinent ad eandem potentiam, sicut etiam intelligere et ratiocinari, ut dictum est. — *Ibid.* ad 2.

Ad tertium dicendum, quod intellectus comparatur ad voluntatem ut movens; et ideo non oportet in voluntate distinguere agens et possibile. — *Ibid.* ad 3.

QUÆSTIO XCIV

DE POTENTIA INTELLECTIVA.

Deinde considerandum est de potentia intellectiva.

CIRCA QUAM QUÆRUNTUR OCTO :

1. Utrum intellectus sit potentia animæ vel ejus essentia.
2. Utrum intellectus sit potentia passiva.
3. Utrum necesse sit ponere intellectum agentem.
4. Utrum intellectus agens sit aliquid animæ.
5. Utrum intellectus agens sit unus omnium.
6. Utrum ratio superior et inferior sint diversæ potentiæ.
7. Utrum intellectus practicus et speculativus sint diversæ potentiæ.
8. Utrum intellectus possibilis sit unus in omnibus hominibus.

ARTICULUS I

UTRUM INTELLECTUS SIT POTENTIA ANIMÆ VEL EJUS ESSENTIA.

Videtur quod intellectus non sit aliqu potentia animæ, sed sit ipsa ejus esser tia.

1. Dicit enim Philosophus (in 2. d *Anima text.* 6; c. 1), quod anima e actus primus, sicut scientia; sed scienti est immediatum principium actus secu di, qui est considerare : ergo anima e immediatum principium consideration Sed anima est immediatum principiu considerationis per intellectum; ergo inte lectus est ipsa essentia animæ rationali et sic non erit intellectus potentia an mæ. — *Quæst. disp. de Anima* a. 12, arg 14.

2. Præterea, nullum accidens exced suum subjectum; sed intellectus exced animam rationalem; non enim se sola intelligit anima, sed etiam alia : erg intellectus non est accidens animæ ratio nalis, sed ejus substantia. — *Ibid.* arg 5.

3. Præterea, idem est principium e sendi et operandi; sed anima rational est principium essendi secundum sei sam, quia secundum suam essentiam e forma : ergo sua essentia est principiu operandi; est autem principium intelli gendi per intellectum : ergo intellectus e essentia animæ. — *Ibid.* arg. 10.

4. Præterea, ex hoc convenit alic substantiæ quod sit intellectiva, qui est immaterialis; sed anima est immate rialis per suam essentiam : ergo videtu quod anima per suam essentiam sit in tellectiva. — 1a, q. 79, a. 1, arg. 4.

Sed contra est, quod Philosophus p nit intellectivam potentiam animæ, u patet in 2. *de Anima* (*text.* 27; c. 3). — 1a, q. 79, a. 1, arg. *Sed contra.*

Respondeo dicendum, quod necesse e dicere, secundum præmissa, quod intel lectus sit aliqua potentia animæ, et no

psa essentia animæ. Tunc enim solum mmediatum principium operationis est psa essentia rei operantis, quando ipsa peratio est ejus esse. Sicut enim potenia se habet ad operationem ut suum acum, ita se habet essentia ad esse. In solo eo autem idem est intelligere, quod uum esse. Unde in solo Deo intellectus st ejus essentia ; in aliis autem (in omibus autem) creaturis intellectualibus ntellectus est quædam potentia intellientis. — 1a, q. 79, a. 1, c.

Ad primum ergo dicendum, quod simitudo inter animam et scientiam attendir secundum quod utraque est actus rimus, non autem quantum ad omnia. nde non oportet quod anima sit immeiatum principium operationum, sicut cientia.— *Quæst. de Anima* a. 12, ad 14.

Ad secundum dicendum, quod accidens n excedit suum subjectum in essendo, xcedit tamen in agendo; calor enim nis exteriora calefacit. Et secundum c potentiæ animæ excedunt ipsam, in antum anima intelligit et diligit non lum se, sed etiam alia. — *Ibid.* ad 5.

Ad tertium dicendum, quod anima est incipium operandi, sed primum, non oximum; operantur enim potentiæ rtute animæ, sicut et qualitates eleentorum in virtute formarum substanlium. — *Ibid.* ad 10.

Ad quartum dicendum, quod ipsa imterialitas substantiæ intelligentis creanon est ejus intellectus, sed ex immaialitate habet virtutem ad intelligenm. Unde non oportet quod intellectus substantia animæ, sed ejus virtus et entia. — 1a, l. c. ad 4.

ARTICULUS II

UTRUM INTELLECTUS SIT POTENTIA PASSIVA.

Videtur quod intellectus non sit potenpassiva.

1. Patitur enim unumquodque secundum materiam et agit ratione formæ ; sed virtus intellectiva consequitur immaterialitatem substantiæ intelligentis : ergo videtur quod intellectus non sit potentia passiva. — 1a, q. 79, a. 2, arg. 1.

2. Præterea, potentia intellectiva est incorruptibilis, ut supra dictum est ; sed intellectus si est passivus, est corruptibilis, ut dictum est 3. *de Anima* (*text.* 20 ; c. 5) : ergo potentia intellectiva non est passiva. — *Ibid.* arg. 2.

3. Præterea, agens est nobilius patiente, ut dicit Aristoteles (3. *de Anima text.* 19; c. 5) ; potentiæ autem omnes vegetativæ partis sunt activæ, quæ tamen sunt infimæ inter potentias animæ : ergo multo magis potentiæ intellectivæ, quæ sunt supremæ, omnes sunt activæ. — *Ibid.* arg. 3.

4. Præterea, quod habet aliquam operationem, illud est activum, non passivum; sed intellectus habet aliquam operationem, puta intellectionem ; ergo est potentia activa. — *de Verit.* q. 16, a. 1, arg. 13.

Sed contra est, quod Philosophus dicit in 3. *de Anima* (*text.* 12; c. 4), quod intelligere est pati quoddam. — 1a, q. 79, a. 2, arg. *Sed contra.*

Respondeo dicendum, quod *pati* tripliciter dicitur : *uno* modo *propriissime*, scilicet quando aliquid removetur ab eo, quod convenit sibi secundum naturam aut secundum propriam inclinationem ; sicut cum aqua frigiditatem amittit per calefactionem, et cum homo ægrotat aut sanatur. *Secundo* modo *minus proprie* dicitur aliquis pati ex eo quod aliquid ab ipso abjicitur, sive sit ei conveniens sive non conveniens. Et secundum hoc dicitur pati non solum qui ægrotat, sed etiam qui sanatur, et non solum qui tristatur, sed etiam qui lætatur, vel quocunque modo aliquis alteretur vel moveatur. *Tertio* dicitur aliquis pati *communiter* ex hoc solo quod id quod est in potentia ad aliquid, recipit illud ad quod erat in potentia, absque hoc quod aliquid abjiciatur. Secundum quem modum omne quod exit de

potentia in actum, potest dici pati, etiam cum perficitur. Et sic intelligere nostrum est pati. Quod quidem hac ratione apparet: intellectus enim habet operationem circa ens in universali. Considerari ergo potest utrum intellectus sit in actu vel potentia, ex hoc quod consideratur quomodo intellectus se habeat ad ens universale. Invenitur enim aliquis intellectus, qui ad ens universale se habet sicut actus totius entis. Talis est intellectus divinus, quia est Dei essentia, in qua originaliter et virtualiter totum ens præexistit sicut in prima causa ; et ideo intellectus divinus non est in potentia, sed est actus purus. Nullus autem intellectus creatus potest se habere ut actus respectu totius entis universalis, quia sic oporteret quod esset ens infinitum. Unde omnis intellectus creatus per hoc ipsum quod est, non est actus omnium intelligibilium, sed comparatur ad ipsa intelligibilia sicut potentia ad actum. — Potentia autem dupliciter se habet ad actum. Est enim *quædam* potentia, quæ semper est perfecta per actum, sicut dicimus de materia corporum cœlestium. *Quædam* autem potentia est, quæ non semper est in actu, sed de potentia procedit in actum, sicut invenitur in generabilibus et corruptibilibus. — Intellectus igitur angelicus semper est in actu suorum intelligibilium, propter propinquitatem ad primum intellectum, qui est actus purus. Intellectus autem humanus, qui est infimus in ordine intellectuum, et maxime remotus a perfectione divini intellectus, est in potentia respectu intelligibilium ; et in principio est « sicut tabula rasa, in qua nihil est scriptum », ut Philosophus dicit in 3. *de Anima* (*text.* 14 ; c. 4). Quod manifeste apparet ex hoc, quod in principio sumus intelligentes solum in potentia, postmodum autem efficimur intelligentes in actu. Sic igitur patet, quod intelligere nostrum est quoddam pati secundum tertium modum passionis ; et per consequens intellectus est potentia passiva. — Ia, q. 79, a. 2, c.

Ad primum ergo dicendum, quod objectio illa procedit de primo et secundo modo passionis, qui sunt proprii materiæ prima. Tertius autem modus passionis est cujuscunque in potentia existentis, quod actum reducitur. — *Ibid.* ad 1.

Ad secundum dicendum quod intellectus passivus secundum *quosdam* dicitur appetitus sensitivus, in quo sunt animæ passiones, qui etiam in 2. *Eth.* (c. ult.) dicitur rationalis per participationem, qui obedit rationi. Secundum *alios* autem intellectus passivus dicitur virtus cogitativa quæ nominatur ratio particularis. Et utroque modo passivum accipi potest secundum primos duos modos passionis, quantum talis intellectus sic dictus est actus alicujus organi corporalis. Sed intellectus, qui est in potentia ad intelligibilia (quem Aristoteles 3. *de Anima text.* c. 4 ob hoc nominat intellectum *possibilem*), non est passivus nisi tertio modo, quia non est actus organi corporalis; ideo est incorruptibilis. — *Ibid.* ad 2.

Ad tertium dicendum, quod agens est nobilius patiente, si ad idem actio et passio referantur ; non autem semper, si sint diversa. Intellectus autem est vis passiva respectu totius entis universalis. Vegetativum autem est activum respectu cujusdam entis particularis, scilicet corpori conjuncti. Unde nihil prohibet hujusmodi passivum esse nobilius tali activo. — *Ibid.* ad 3.

Ad quartum dicendum, quod non distinguitur potentia activa a passiva ex hoc quod habet operationem, quia cum cuilibet potentiæ animæ tam activæ quam passivæ sit operatio aliqua, quælibet potentia animæ esset activa. Cognoscitur autem earum distinctio per comparationem potentiæ ad objectum. Si enim objectum se habeat ad potentiam ut patiens et transmutatum, sic erit potentia activa ; si autem e converso se habeat ut agens et movens, sic erit potentia passiva. Unde est quod omnes potentiæ animæ vegetabilis sunt activæ, quia alimentum transmutatur per potentiam animæ tam

utriendo quam in generando. Sed potenæ *sensitivæ* omnes sunt passivæ, quia er sensibilia objecta moventur et fiunt in ctu. Circa *intellectum* vero aliqua potenia est activa, aliqua passiva, eo quod per ntellectum intelligibile in potentia fit inelligibile actu, quod est intellectus agenis; et sic intellectus agens est potentia ctiva. Ipsum etiam intelligibile in actu icit intellectum in potentia esse intelletum in actu; et sic intellectus possibilis rit potentia passiva. — *de Verit.* q. 16, . 1, ad 13.

ARTICULUS III

TRUM NECESSE SIT PONERE INTELLECTUM AGENTEM.

Videtur quod non sit necesse ponere ntellectum agentem.

1. Quod enim potest per unum fieri in atura, non fit per plura; sed homo potest fficienter intelligere per unum intelleum, scilicet possibilem: non ergo necesse t ponere intellectum agentem. — Minor robatur, quia potentiæ quæ radicantur una essentia animæ, compatiuntur ad vicem. Unde ex motu facto in potentia nsitiva relinquitur aliquid in imaginaone; nam phantasia est motus a sensu ctus secundum actum, ut dicitur in 2. *Anima* (*text.* 161; l. 3, c. 3). Si ergo tellectus possibilis est in anima nostra, non est substantia separata, ut infra citur, oportet quod sit in eadem essentia imæ cum imaginatione. Ergo motus imanationis redundat in intellectum possiem; et ita non est necessarium ponere ellectum agentem qui faciat phantaata intelligibilia a phantasmatibus abacta. — *Quæst. disp. de Anima* a. 4, g. 1.

2. Præterea, tactus et visus sunt diver- potentiæ. Contingit autem in cæco, od ex motu relicto in imaginatione a su tactus, commoveatur imaginatio ad ginandum aliquid, quod pertinet ad sum visus; et hoc ideo, quia visus et tactus radicantur in una essentia animæ. Si igitur intellectus possibilis est quædam potentia animæ, pari ratione ex motu imaginationis resultabit aliquid in intellectum possibilem, et ita non est necessarium ponere intellectum agentem. — *Ibid.* arg. 2.

3. Præterea, intellectus agens ad hoc ponitur, quod intelligibilia in potentia faciat intelligibilia actu. Fiunt autem aliqua intelligibilia actu per hoc, quod abstrahuntur a materia et materialibus conditionibus. Sed hoc potest fieri sine intellectu agente; nam intellectus possibilis cum sit immaterialis, necesse est quod immaterialiter recipiat, cum omne receptum sit in recipiente per modum recipientis. Nulla igitur est necessitas ponendi intellectum agentem. — *Ibid.* arg. 3; 1a, q. 79, a. 3, arg. 3.

4. Præterea, sicut se habet sensus ad sensibilia, ita se habet intellectus ad intelligibilia; sed quia sensus est in potentia ad sensibilia, non ponitur sensus agens, sed sensus patiens tantum: ergo cum intellectus noster sit in potentia ad intelligibilia, videtur quod non debeat poni intellectus agens, sed possibilis tantum. — 1a, l. c. arg. 1.

5. Si dicatur, quod in sensu etiam est aliquod agens, sicut lumen; contra: lumen requiritur ad visum, in quantum facit medium lucidum in actu; nam color ipsè secundum se est motivus lucidi. Sed operatione intellectus non ponitur aliquod medium, quod necesse sit fieri in actu. Ergo non est necessarium ponere intellectum agentem. — *Ibid.* arg. 2.

6. Præterea, ad hoc quod aliquid, quod est in potentia, reducatur in actum in rebus naturalibus, sufficit id quod est in actu ejusdem generis, sicut ex materia, quæ est potentia ignis, fit actu ignis per ignem, qui est in actu. Ad hoc igitur quod intellectus, qui in nobis est in potentia, fiat in actu, non requiritur nisi intellectus in actu, vel ipsiusmet intellectualitas (sicut quando ex cognitione principiorum venimus in cognitionem conclusionum)

vel alterius (sicut cum aliquis addiscit a magistro). Non est igitur necessarium ponere intellectum agentem. — *Quæst. disp. de Anima* a. 4, arg. 6.

7. Præterea, actus intellectus est intelligere; si igitur est duplex intellectus, scilicet agens et possibilis, erit unius hominis duplex intelligere; quod videtur inconveniens. — *Ibid.* arg. 8.

Sed contra est, quod Philosophus dicit in 3. *de Anima* (*text.* 17; c. 5), quod « sicut in omni natura ita et in anima est aliquid, quo est omnia fieri, et aliquid quo est omnia facere »; ergo est ponere intellectum agentem. — 1a, q. 79, a. 3, arg. *Sed contra.*

Respondeo dicendum, quod necesse est ponere intellectum agentem. — Ad cujus evidentiam considerandum est, quod cum intellectus possibilis sit in potentia ad intelligibilia, necesse est quod intelligibilia moveant intellectum possibilem. Quod autem non est, non potest aliquid movere. Intelligibile autem per intellectum possibilem non est aliquid in rerum natura existens, ut intelligibile est. Intelligit enim intellectus possibilis noster aliquid quasi unum in multis et de multis. Tale autem esse non invenitur in rerum natura subsistens, ut Aristoteles probat in 7. *Metaphys.*; oportet igitur, si intellectus possibilis debet moveri ab intelligibili, quod hujusmodi intelligibile per intellectum fiat; et cum non possit esse id quod est in potentia ut (ad) aliquid factum ipsius, oportet ponere præter intellectum possibilem intellectum agentem, qui faciat intelligibilia in actu, quæ moveant intellectum possibilem. Facit autem ea per abstractionem a materia et a materialibus conditionibus, quæ sunt principia individuationis. Cum enim natura specei, quantum ad id, quod per se ad speciem pertinet, non habeat unde multiplicetur in diversis, sed individuantia principia sint præter rationem ipsius, poterit intellectus accipere eam præter omnes conditiones individuantes; et sic accipietur ut aliquid unum. Et eadem ratione intellectus accipit naturam generis abstrahendo a differentiis specificis, ut unum in multis (et) de multis speciebus. Si autem universalia per se subsisterent in rerum natura, sicut Platonici posuerunt, nulla esset necessitas ponendi intellectum agentem, quia ipsæ res intelligibiles per se intellectum possibilem moverent. Unde videtur Aristoteles hac ratione inductus ad ponendum intellectum agentem, quia non consensit opinioni Platonis de positione idearum. Sunt tamen et aliqua per se intelligibilia in actu, subsistentia in rerum natura, sicut sunt substantiæ immateriales. Sed tamen ad ea cognoscenda intellectus possibilis pertingere non potest, sed aliqualiter in eorum cognitionem devenit per ea, quæ abstrahit a rebus materialibus. — *Quæst. disp. de Anima* a. 4, c. 1a, q. 79, a. 3, c.

Ad primum ergo dicendum, quod intelligere nostrum non potest compleri per intellectum possibilem tantum. Non enim intellectus possibilis potest intelligere nisi moveatur ab intelligibili, quod cum non præexistat in rerum natura, oportet quod fiat per intellectum agentem. Verum est autem, quod duæ potentiæ, quæ sunt in substantia animæ radicatæ, compatiuntur sibi ad invicem; sed ista compassio quantum ad duo potest intelligi, scilicet quantum ad hoc, quod una potentia impeditur vel totaliter abstrahitur a suo actu quando alia potentia intense operatur — sed hoc non est ad propositum —; vel etiam quantum ad hoc, quod una potentia ab alia movetur, sicut imaginatio a sensu. Et hæc quidem possibile est, quia formæ imaginationis et sensus sunt ejusdem generis (utræque enim sunt individuales) et ideo formæ quæ sunt in sensu possunt imprimere formas quæ sunt in imaginatione, movendo imaginationem, quasi similes. Formæ autem imaginationis in quantum sunt individuales, non possunt creare formas intelligibiles, cum sint universales. — *Quæst. disp. de Anima* a. 4 ad 1.

Ad secundum dicendum, quod ex spe-

ciebus receptis in imaginatione a sensu actus, imaginatio non sufficeret formare formas ad visum pertinentes, nisi præexisterent formæ per visum receptæ in thesauro memoriæ vel imaginationis reservatæ. Non enim cæcus natus colorem imaginari potest per quascunque alias species sensibiles. — *Ibid.* ad 2.

Ad tertium dicendum, quod conditio recipientis non potest transferre speciem receptam de uno genere in aliud; potest tamen, eodem genere manente, variare speciem receptam, secundum aliquem modum essendi. Et inde est quod cum species universalis et particularis differant secundum genus, sola cognitio intellectus possibilis non sufficit ad hoc, quod species, quæ sunt in imaginatione particulares, in eo fiant universales; sed requiritur intellectus agens, qui hoc faciat. — *Ibid.* ad 3.

Vel dic, quod supposito agente, bene contingit diversimode recipi ejus similitudinem in diversis, propter eorum diversam dispositionem. Sed si agens non præexistit, nihil ad hoc faciet dispositio recipientis. Intelligibile autem in actu non est aliquid existens in rerum natura, quantum ad naturam rerum sensibilium, quæ non subsistunt præter materiam. Et ideo ad intelligendum non sufficeret immaterialitas intellectus possibilis, nisi adesset intellectus agens, qui faceret intelligibilia in actu, per modum abstractionis. — 1a, q. 79, a. 3, ad 3.

Ad quartum dicendum, quod sensibilia inveniuntur actu extra animam; et ideo non oportuit ponere sensum agentem. Et sic patet, quod in parte nutritiva omnes potentiæ sunt activæ; in parte autem sensitiva omnes passivæ; in parte vero intellectiva est aliquid activum et aliquid passivum. — *Ibid.* ad 1.

Ad quintum dicendum, quod circa effectum luminis est duplex opinio. *Quidam* enim dicunt, quod lumen requiritur ad visum, ut faciat colores actu visibiles. Et secundum hoc similiter requiritur, et propter idem, intellectus agens ad intelligendum, propter quod lumen ad videndum. Secundum *alios* vero lumen requiritur ad videndum, non propter colores, ut fiant actu visibiles, sed ut medium fiat actu lucidum, ut Commentator dicit in 3. *de Anima text.* 18. Et secundum hoc similitudo, qua Aristoteles assimilat intellectum agentem lumini, attenditur quantum ad hoc, quod sicut hoc est necessarium ad videndum, ita illud ad intelligendum, sed non propter idem. — *Ibid.* ad 2.

Ad sextum dicendum, quod intellectus possibilis factus in actu non sufficit ad causandam scientiam in nobis, nisi præsupposito intellectu agente. Si enim loquamur de intellectu in actu qui est in ipso *addiscente*, contingit, quod intellectus possibilis alicujus sit in potentia quantum ad aliquid, et quantum ad aliquid in actu; et per quod est in actu, potest reduci etiam quantum ad id, quod est in potentia, in actum: sicut per id, quod est actu cognoscens principia, fit in actu cognoscens conclusiones, quas prius cognoscebat in potentia; sed tamen actualem cognitionem principiorum habere non potest intellectus possibilis nisi per intellectum agentem. Cognitio enim principiorum a sensibilibus accipitur, ut dicitur in fine libri *Posteriorum* (lib. 2, *text.* ult.). A sensibilibus autem non possunt intelligibilia accipi nisi per abstractionem intellectus agentis. Et ita patet, quod intellectus in actu principiorum non sufficit ad reducendum intellectum possibilem de potentia in actum sine intellectu agente. Sed in hac reductione intellectus agens se habet sicut artifex, et principia demonstrationis sicut instrumenta. — Si autem loquamur de intellectu in actu *docentis*, manifestum est, quod docens non causat scientiam in addiscente tamquam interius agens, sed sicut exterius adminiculans: sicut etiam medicus sanat sicut exterius adminiculans, natura autem tamquam interius agens. — *Quæst. disp. de Anima* a. 4, ad 6.

Ad septimum dicendum, quod duorum intellectuum, scilicet possibilis et agentis, sunt duæ actiones. Nam actus intellectus

possibilis est recipere intelligibilia : actio autem intellectus agentis est abstrahere intelligibilia. Nec tamen sequitur quod sit duplex intelligere in homine, quia ad unum intelligere oportet, quod utraque istarum actionum concurrat. — *Ibid.* ad 8.

ARTICULUS IV

UTRUM INTELLECTUS AGENS SIT ALIQUID ANIMÆ.

Videtur quod intellectus agens non sit aliquid animæ nostræ.

1. Intellectus enim agentis effectus est illuminare ad intelligendum ; sed hoc fit per aliquid, quod est altius anima, secundum illud *Joannis* (1, 9) : *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* : ergo videtur quod intellectus agens non sit aliquid animæ nostræ. — 1a, q. 79, a. 4, arg. 1.

2. Præterea, Philosophus in 3. *de Anima* (*text.* 20 ; c. 5) attribuit intellectui agenti, quod non aliquando intelligit et aliquando non intelligit ; sed anima nostra non semper intelligit, sed aliquando intelligit, aliquando non intelligit : ergo intellectus agens non est aliquid animæ nostræ. — *Ibid.* arg. 2.

3. Præterea, agens et patiens sufficiunt ad agendum. Si igitur intellectus passivus est aliquid animæ nostræ, qui est virtus passiva, et similiter intellectus agens, qui est virtus activa ; sequitur quod homo semper poterit intelligere cum voluerit ; quod patet esse falsum. Non est ergo intellectus agens aliquid animæ nostræ. — *Ibid.* arg. 3.

4. Præterea, Philosophus dicit in 3. *de Anima* (*text.* 19 ; c. 5), quod « intellectus agens est substantia actu ens ». Nihil autem est respectu ejusdem in actu et in potentia. Si ergo intellectus possibilis, qui est in potentia ad omnia intelligibilia, est aliquid animæ nostræ, videtur impossibile quod intellectus agens sit aliquid animæ nostræ. — *Ibid.* arg. 4.

5. Præterea, si intellectus agens est aliquid animæ nostræ, oportet quod sit aliqua potentia. Neque enim est passio neque habitus. Nam habitus et passiones non habent rationem agentis respectu passionum animæ ; sed magis passio est ipsa actio potentiæ passivæ, habitus autem est aliquid quod ex actibus consequitur. Omnis autem potentia fluit ab essentia animæ. Sequeretur ergo quod intellectus agens ab essentia animæ procederet ; et sic non inesset animæ per participationem ab aliquo superiori intellectu quod est inconveniens. Non ergo intellectus agens est aliquid animæ nostræ.- *Ibid.* arg. 5.

Sed contra est, quod Philosophus dicit in 3. *de Anima* (*text.* 17 et 18 ; c. 5), quod « necesse est in anima has esse differentias », scilicet intellectum possibilem et agentem. — *Ibid.* arg. *Sed contra.*

Respondeo dicendum, quod intellectus agens, de quo Philosophus loquitur, est aliquid animæ. — Ad cujus evidentiam considerandum est, quod supra animam intellectivam humanam necesse est ponere aliquem superiorem intellectum, a quo anima virtutem intelligendi obtineat. Semper enim quod participat aliquid, quod est mobile, et quod est imperfectum, præexigit ante se aliquid quod est per essentiam suam tale, et quod est immobile et perfectum. Anima autem humana intellectiva dicitur per participationem intellectualis virtutis ; cujus signum est, quod non tota est intellectiva, sed secundum aliquam sui partem. Pertinet etiam ad intelligentiam veritatis cum quadam discursu et motu, arguendo. Habet etiam imperfectam intelligentiam, tum quia non omnia intelligit ; tum quia ea quæ intelligit, de potentia procedit ad actum. Oportet ergo esse aliquem alterum intellectum, quo anima juvetur ad intelligendum.

Posuerunt ergo quidam hunc intellectum secundum substantiam separatam esse intellectum agentem, qui quasi abstrahendo phantasmata facit ea intelligibilia actu. — Sed dato quod sit aliquis talis

llectus agens separatus, nihilominus men oportet ponere in ipsa anima humana aliquam virtutem ab illo intellectu separato participatam, per quam anima humana facit intelligibilia in actu: cut et in aliis rebus naturalibus perfectis præter causas universales agentes sunt propriæ virtutes inditæ singulis rebus erfectis, ab universalibus agentibus derivatæ ; non enim solus sol generat hominem, sed est in homine virtus generativa hominis, et similiter in aliis animabus perfectis. Nihil autem est perfectius inferioribus rebus anima humana. nde oportet dicere, quod in ipsa sit aliqua virtus derivata a superiore intellectu, er quam possit phantasmata illustrare. t hoc experimento cognoscimus, dum ercipimus nos abstrahere formas universales a conditionibus particularibus, quod st facere actu intelligibilia. Nulla autem ctio convenit alicui rei nisi per aliquod rincipium formaliter ei inhærens, ut upra (a. 1) dictum est, cum de intelectu potentiali ageretur. Ergo oportet virtutem, quæ est principium hujus ctionis, esse aliquid in anima. Et ideo Aristoteles (3. *de Anima text.* 18 ; c. 5) comparavit intellectum agentem lumini, quod est aliquid receptum in aere. Plato autem intellectum separatum imprimentem in animas nostras comparavit soli, ut Themistius dicit in comment. 3. *de Anima.* Sed intellectus separatus, secundum nostræ fidei documenta est ipse Deus, qui est creator animæ, et in quo solo beatificatur. Unde ab ipso anima humana lumen ntellectuale participat, secundum illud *Psalm.* 4, 7) : *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* — 1a, q. 79, a. 4, c.

Ad primum ergo dicendum, quod illa lux vera illuminat sicut causa universalis, a qua anima humana participat quandam particularem virtutem, ut dictum est (in c.). — *Ibid.* ad 1.

Ad secundum dicendum, quod Philosophus illa verba non dicit de intellectu agente, sed de intellectu in actu. Unde supra de ipso præmiserat : « Idem autem est secundum actum scientia rei ». — Vel si intelligatur de intellectu agente, hoc dicitur, quia non est ex parte intellectus agentis hoc, quod quandoque intelligimus et quandoque non intelligimus, sed ex parte intellectus, qui est in potentia. — *Ibid.* ad 2 ; cf. *Quæst. disp. de Anima* a. 5, ad 1, ubi melius solvitur argumentum.

Ad tertium dicendum, quod si intellectus agens compararetur ad intellectum possibilem ut objectum agens ad potentiam, sicut visibile in actu ad visum ; sequeretur quod statim omnia intelligeremus, cum intellectus agens sit « quo est omnia facere » ; nunc autem non se habet ut objectum, sed ut faciens objecta in actu ; ad quod requiritur præter præsentiam intellectus agentis præsentia phantasmatum, et bona dispositio virium sensitivarum, et exercitium in hujusmodi opere : quia per unum intellectum fiunt etiam alia intellecta, sicut per terminos propositiones, et per prima principia conclusiones. Et quantum ad hoc non differt, utrum intellectus agens sit aliquid animæ vel aliquid separatum. — *Ibid.* ad 3.

Ad quartum dicendum, quod anima intellectiva est quidem actu immaterialis, sed est in potentia ad determinatas species rerum. Phantasmata autem e converso sunt quædam (sunt quidem) actu similitudines specierum quarundam, sed sunt potentia immaterialia. Unde nihil prohibet unam et eandem animam, in quantum est immaterialis in actu, habere aliquam virtutem, per quam faciat immaterialia in actu, abstrahendo a conditionibus individualis materiæ, quæ quidem virtus dicitur intellectus agens, et aliam receptivam virtutem hujusmodi specierum, quæ dicitur intellectus possibilis, in quantum est in potentia ad hujusmodi species. — *Ibid.* ad 4.

Ad quintum dicendum, quod cum essentia animæ sit immaterialis, a supremo intellectu creata, nihil prohibet virtutem quæ a supremo intellectu participatur, per quam abstrahitur (1) a materia, ab es-

(1) Al. « abstrahit ».

sentia ipsius procedere, sicut et alias ejus potentias. — *Ibid.* ad 5.

ARTICULUS V

UTRUM INTELLECTUS AGENS SIT UNUS IN OMNIBUS.

Videtur quod intellectus agens sit unus in omnibus.

1. Nihil enim, quod est separatum a corpore, multiplicatur secundum multiplicationem corporum ; sed intellectus agens est separatus, ut dicitur 3. *de Anima* (*text.* 19 et 20; c. 5) : ergo non multiplicatur in multis corporibus hominum, sed est unus in omnibus. — 1a, q. 79, a. 5, arg. 1 ; *Quæst. disp. de Anima* a. 5, arg. 4.

2. Præterea, intellectus agens facit universale, quod est unum in multis ; sed illud, quod est causa universalis, est magis unum : ergo intellectus agens est unus in omnibus. — 1a, l. c. arg. 2.

3. Præterea, ad actionem aliquam non requiritur nisi agens et patiens. Si igitur intellectus possibilis, qui se habet ut patiens in intelligendo, est aliquid substantiæ nostræ, ut dictum est, et intellectus agens est aliquid animæ nostræ, videtur quod in nobis sufficienter habeamus, unde intelligere possimus. Nihil ergo aliud est nobis necessarium ad intelligendum ; quod tamen patet esse falsum. Indigemus enim sensibus, ex quibus experimenta sumimus ad sciendum ; unde qui caret uno sensu, scilicet visu, caret una scientia, scilicet colorum. Indigemus etiam doctrina, quæ fit per magistrum, et alterius illuminatione, quæ fit per Deum, juxta illud *Joannis* (1, 9) : *Erat lux vera.* — *Quæst. disp. de Anima* a. 5, arg. 6.

4. Præterea, intellectus agens comparatur ad intelligibilia sicut ars, et sicut lumen ad visibilia, ut patet 3. *de Anima* (*text.* 17 et 18; c. 5) ; sed ars est principium separatum ab artificiatis ; et una lux separata, scilicet solis, sufficit ad faciendum omnia visibilia actu : ergo et ad faciendum omnia intelligibilia actu sufficit una lux separata ; et sic intellectus agens erit separatus a nobis, unus in omnibus. — *Quæst. de Anima* a. 5, arg. 7 et 8.

5. Præterea, agens est honorabilior patiente, ut dicitur in 3. *de Anima* (*text.* 19; c. 5). Si ergo intellectus possibilis est aliquo modo separatus, intellectus agens erit magis separatus ; quod non potest esse, ut videtur, nisi omnino extra substantiam ponatur, unus in omnibus. — *Ibid.* arg. 10.

Sed contra est, quod Philosophus dicit in 3. *de Anima* (*text.* 18; c. 5), quod intellectus agens est sicut lumen ; non autem est idem lumen in diversis illuminatis : ergo non est idem intellectus agens in diversis hominibus. — 1a, l. c. arg. *Sed contra*.

Respondeo dicendum, quod veritas hujus quæstionis dependet ex præmissis. Si enim intellectus agens non esset aliquid animæ, sed esset quædam substantia separata, unus esset intellectus agens omnium hominum ; et hoc intelligunt qui ponunt unitatem intellectus agentis. Si autem intellectus agens sit aliquid animæ ut quædam virtus ipsius, necesse est dicere, quod sint plures intellectus agentes secundum pluralitatem animarum, quæ multiplicantur secundum multiplicationem hominum, ut supra dictum est. Non enim potest esse quod una et eadem virtus numero sit diversorum subjectorum. — 1a, q. 79, a. 5, c.

Ad primum ergo dicendum, quod Philosophus probat intellectum agentem esse separatum per hoc, quod possibilis est separatus ; quia, ut ipse dicit (*text.* 19 ; c. 5) agens est honorabilius patiente. Intellectus autem possibilis dicitur separatus, qui non est actus alicujus organi corporalis ; et secundum hunc modum etiam intellectus agens dicitur separatus, non quasi a aliqua substantia separata. — *Ibid.* ad 1.

Ad secundum dicendum, quod intellectus agens facit universale abstrahendo a materia. Ad hoc autem non requiritur

ıod sit unus in omnibus habentibus in-llectum ; sed quod sit unus in omnibus cundum habitudinem ad omnia, a quibus ostrahit universale, respectu quorum niversale est unum. Et hoc competit tellectui agenti, in quantum est immarialis. — *Ibid.* ad 2.

Ad tertium dicendum, quod licet in nima nostra sit intellectus agens et posbilis, tamen requiritur aliquid extrinseım ad hoc quod intelligere possumus. t primo quidem requiruntur phantanata a sensibilibus accepta, per quæ reræsententur intellectui rerum determiatarum similitudines. Nam intellectus gens non est talis actus, in quo omnium erum species determinatæ accipi possint l cognoscendum; sicut nec lumen deterinare potest visum ad species determiatas colorum, nisi adsint colores deterninantes visum. Ulterius autem cum poıcrimus intellectum agentem esse quanam virtutem participatam in animabus ostris, velut lumen quoddam; necesse est onere aliam causam exteriorem, a qua lud lumen participetur. Et hanc dicimus)eum, qui interius docet, in quantum ujusmodi lumen animæ infundit ; et sura hujusmodi lumen naturale addit pro uo beneplacito copiosius lumen ad conoscendum ea, ad quæ naturalis ratio ttingere non potest, sicut est lumen fidei t prophetiæ. — *Quæst. de Anima* a. 5, ıd 6.

Ad quartum dicendum, quod licet sit similitudo quædam intellectus agentis ad ırtem, non tamen oportet hujusmodi similitudinem quantum ad omnia extendi. — Quod vero attinet ad aliam similitudiıem de lumine, dicendum, quod colores moventes visum sunt extra animam; sed phantasmata, quæ movent intellectum possibilem, sunt nobis intrinseca. Et ideo licet lux solis exterior sufficiat ad faciendum colores visibiles actu ; ad faciendum tamen phantasmata intelligibilia esse actu, requiritur lux interior, quæ est lux intellectus agentis. Et præterea pars intellectiva animæ est perfectior quam sensitiva; unde necessarium est quod magis ei adsint sufficientia principia ad propriam operationem ; propter quod et secundum intellectivam partem invenimur et recipere intelligibilia et abstrahere ea; quasi in nobis existente secundum intellectum virtute activa et passiva, quod circa sensum non accidit. — *Ibid.* ad 7 et 8.

Ad quintum dicendum, quod intellectus agens est nobilior possibili, sicut virtus activa nobilior est passiva; et est magis separatus, secundum quod magis a similitudine materiæ recedit ; non tamen ita, quod sit substantia separata. — *Ibid.* ad 10.

ARTICULUS VI

UTRUM RATIO SUPERIOR ET INFERIOR SINT DIVERSÆ POTENTIÆ.

Videtur quod ratio superior et inferior sint diversæ potentiæ.

1. Dicit enim Augustinus (12. *de Trin.* c. 4; — Migne PP. Lat. t. 42, col. 1000), quod « imago Trinitatis est in superiori parte rationis, non in inferiori » ; sed partes animæ sunt ipsæ ejus potentiæ : ergo duæ potentiæ sunt ratio superior et inferior. — 1a, q. 79, a. 9, arg. 1 ; 2. *Sent.* dist. 24, q. 2, a. 2, arg. 3 ; *de Verit.* q. 15, a. 2, arg. 1.

2. Præterea, in partibus animæ non accipitur superius et inferius animæ secundum situm, sed secundum dignitatem ; sed inter partes animæ intellectivæ est invenire unam partem alia digniorem, quia intellectus agens est nobilior possibili, ut dicitur in 3. *de Anima* (*text.* 18 et 19; c. 5), quæ diversæ potentiæ sunt, ut supra dictum est : ergo videtur quod id quod est superius in ratione, et id quod est inferius, sint diversæ potentiæ. — 2. *Sent.* l. c. arg. 1.

3. Præterea, omne æternum est necessarium, et omne temporale et mutabile est contingens, út patet per Philosophum 11. *Metaphys.* ; sed idem Philosophus (6. *Eth.* c. 2) dicit, quod scientificum

animæ circa necessaria est, ratiocinativum vero circa contingentia operata a nobis : ergo videtur quod scientificum sit illud idem quod ratio superior, quæ æterna conspicit, et ratiocinativum idem quod ratio inferior, quæ temporalibus inhæret, ut dicit Augustinus (12. *de Trin.* c. 4 et 7 ; — Migne t. 42, col. 1000 et 1003). Sed ratiocinativum et scientificum, ut docet Philosophus ibidem, sunt diversæ potentiæ. Quod probat per hoc quod ad ea, quæ sunt genere altera, altera genere particula ordinatur ; contingens autem et necessarium sunt genere altera, sicut corruptibile et incorruptibile. Ergo videtur quod ratio superior et inferior sunt diversæ potentiæ. — 2. *Sent.* l. c. arg. 2 ; *de Verit.* q. 15, a. 2, arg. 3 ; 1a, l. c. arg. 3.

4. Præterea, potentiæ distinguuntur per actus, et actus per objecta ; sed aliud objectum est verum contemplabile, et aliud operabile bonum ; et cum officium actum nominet, ut Tullius lib. *de Officiis* dicit, aliud est officium rationis superioris et aliud inferioris, ut dicit Augustinus ; ergo et alia potentia est ratio superior, quæ verum contemplatur, et alia inferior, quæ bonum operatur, quæque per officium geminantur, ex Augustino. — *de Verit.* l. c. arg. 5 et 12 ; 2. *Sent.* l. c. arg. 5.

5. Præterea, una potentia non potest simul peccare et non peccare ; sed quandoque peccat ratio inferior superiori non peccante, ut patet per Augustinum (12. *de Trin.* c. 12 ; — Migne PP. Lat. t. 42, col. 1007) : ergo non sunt una potentia. — *de Verit.* l. c. arg. 10.

6. Præterea, ratio superior et inferior magis differunt quam intellectus agens et possibilis, cum circa idem intelligibile attendatur actus intellectus agentis et possibilis ; non autem actus superioris et inferioris rationis, sed circa diversa, ut dictum est ; sed intellectus agens et possibilis sunt diversæ potentiæ : ergo et ratio superior et inferior. — *Ibid.* arg. 13.

7. Præterea, regulans et regulatum, imperans et imperatum, movens et motum non possunt esse idem, sicut nec agens et patiens ; sed ratio superior se habet ad inferiorem ut regulans ad regulatum, et ut movens ad motum, in quantum illam dirigit et gubernat : ergo non possunt esse una potentia. — *Ibid.* arg. 15 ; 2. *Sent.* l. c. arg. 4.

8. Præterea, nihil oritur a se ipso, sed ratio inferior oritur a superiore, et ab eo regulatur et dirigitur, ut dictum est : ergo ratio superior est alia potentia a inferiori. — *de Verit.* l. c. arg. 14 ; 1a, l. c. arg. 2.

Sed contra est : 1. quod Augustinus dicit 12. *de Trin.* (c. 4 in princ.), quod ratio superior et inferior non nisi per officia distinguuntur ; non ergo sunt duæ potentiæ. — 1a, q. 79, a. 9, arg. 1 *Sed contra.*

2. Præterea, quanto aliqua potentia est immaterialior, tanto ad plura se potest extendere. Sed ratio est immaterialior quam sensus ; eadem autem potentia sensitiva (scilicet visu) et æterna sive incorruptibilia et perpetua (scilicet corpora cœlestia) et corruptibilia (sicut hæc inferiora) cernimus : ergo et eadem potentia rationis est, quæ æterna contemplatur et temporalia disponit. — *de Verit.* q. 15, a. 2, arg. 2 *Sed contra.*

Respondeo dicendum, quod ad evidentiam hujus quæstionis oportet duo prius cognoscere, scilicet qualiter potentiæ distinguantur, et quomodo ratio superior et inferior sint una potentia vel duæ. Sciendum igitur, quod potentiarum diversitas penes actus et objecta distinguitur. Quidam autem dicunt hoc non esse ita intelligendum, quod actuum et objectorum diversitas sit causa diversitatis potentiarum, sed signum solummodo. Quidam vero dicunt, quod diversitas objectorum est causa diversitatis potentiarum in passivis potentiis, non autem in activis. Sed si diligenter consideretur, in utraque potentia inveniuntur actus et objecta non solum esse signa diversitatis, sed

ausæ aliquo modo. Omne enim cujus sse non est nisi propter finem aliquem, abet modum sibi determinatum ex fine, d quem ordinatur ; sicut serra est hujusnodi et quantum ad formam et quantum d materiam, ut sit conveniens ad finem uum, qui est secare. Omnis autem potentia animæ sive activa sive passiva rdinatur ad actum sicut ad finem, ut patet in 9. *Metaphys.* (*text.* 13 sqq. ; l. 8, c. 8). Unde unaquæque potentia habet determinatum modum et speciem, secundum quod potest esse conveniens ad tatem actum. Et secundum hoc diversificatæ unt potentiæ, quod diversitas actuum diversa principia requirebat, a quibus licerentur. Cum autem objectum comparetur ad actum sicut terminus, terminis autem specificentur actus, ut patet in 5. *Phys.*, oportet quod actus penes obecta distinguantur ; et ideo objectorum diversitas potentiarum diversitatem inducit. — *de Verit.* q. 15, a. 2, c.

Sed objectorum diversitas dupliciter attendi potest : uno modo secundum naturas rerum, alio modo secundum rationem diversitatis objectorum ; secundum naturam rerum, ut color et sapor ; secundum diversam rationem objecti, ut bonum et verum. Cum autem potentiæ, quæ sunt actus determinatorum organorum, non possint se extendere ultra suorum organorum dispositionem (non enim potest esse organum corporale unum et idem omnibus naturis cognoscendis accomodatum) ; oportet de necessitate quod potentiæ, quæ sunt organis affixæ, circa quasdam naturas determinatæ sint, scilicet circa naturas corporeas. Operatio enim, quæ per organum corporeum exercetur, non potest se extendere ultra naturam corpoream. Sed cum in natura corporea inveniatur aliquid in quo omnia corpora conveniunt, aliquid vero in quo diversa corpora diversificantur ; possibile erit aptare unam potentiam corpori alligatam omnibus corporeis secundum id, quod commune habent : sicut imaginativa, prout omnia corpora communicant in ratione quantitatis et figuræ et consequentium (unde non solum ad naturalia, sed ad mathematica se extendit) ; sensus vero communis, prout in omnibus corporibus naturalibus, ad quæ solum se extendit, invenitur vis activa et immutativa. Quædam vero potentiæ aptantur his, in quibus corpora diversificantur secundum diversum modum immutandi ; et sic est visus circa colorem, auditus circa sonum, et sic de aliis.

Ex hoc igitur quod pars sensitiva animæ utitur organo in operando, duo ipsam consequuntur : scilicet quod non potest ei attribui aliqua potentia respiciens commune objectum omnibus entibus ; sic enim jam transcenderet corporalia ; et iterum, quod possibile est in ea inveniri diversas potentias secundum diversam naturam objectorum, propter conditionem organorum, quæ aptari potest huic vel illi naturæ. Illa vero pars animæ, quæ non utitur organo corporeo in opere suo, non remanet determinata, sed quodammodo infinita, in quantum est immaterialis ; et sic ejus virtus se extendit ad objectum commune omnibus entibus. Unde commune objectum intellectus dicitur esse id, quod in omnibus generibus entium invenitur. Unde Philosophus (3. *de Anima text.* 18 ; c. 5) dicit, quod « intellectus est quo est omnia facere, et quo est omnia fieri ». Unde impossibile est quod in parte intellectiva distinguantur diversæ potentiæ ad diversas naturas objectorum, sed solummodo secundum rationem diversam objecti, prout scilicet secundum diversam rationem in unam et eandem rem quandoque actus animæ fertur ; — et sic bonum et verum in parte animæ diversificant intellectum et voluntatem : in verum enim intelligibile fertur intellectus ut in formam, cum oporteat eo quod intelligitur, intellectum esse informatum ; in bonum autem fertur ut in finem. Unde a Philosopho in 6. *Metaphys.* (*text.* 8 ; l. 5, c. 3) dicitur verum esse in mente, bonum et malum in rebus ; cum forma sit intus, et finis extra. Non autem

eadem ratione finis et forma perficit; et sic bonum et verum non habent eandem rationem objecti. — Sic etiam circa intellectum distinguuntur intellectus agens et possibilis. Non enim eadem ratione est objectum aliquid, in quantum est in actu et in quantum est in potentia, aut in quantum agit et patitur. Intelligibile enim actu, est objectum intellectus possibilis, agens quasi ipsum, prout eo ipse exit de potentia in actum; intelligibile vero in potentia, est objectum intellectus agentis, prout fit per intellectum agentem intelligibile actu.

Sic igitur patet, qualiter in parte intellectiva potentiæ distingui possunt. Ratio vero superior et inferior hoc modo distinguuntur. Sunt enim quædam naturæ anima rationali superiores, quædam inferiores. Cum vero omne quod intelligitur intelligatur per modum intelligentis, rerum quæ sunt *supra* animam, intellectus est in anima rationali inferior ipsis rebus intellectis; earum vero, quæ sunt *infra* animam, inest animæ intellectus superior ipsis rebus, cum in ea res ipsæ nobilius esse habeant quam in se ipsis; — et sic ad utrasque res diversam habitudinem habet, et ex hoc diversa sortitur officia. Secundum enim quod ad superiores naturas respicit, sive ut earum veritatem et naturam absolute contemplans, sive ut ab eis rationem et quasi exemplar operandi accipiens, superior ratio nominatur; secundum vero quod ad inferiora convertitur vel conspicienda per contemplationem vel per actionem disponenda, inferior ratio nominatur. Utraque autem, scilicet superior et inferior, secundum communem rationem intelligibilis ab anima humana apprehenditur: superior quidem prout est immaterialis in se ipsa, inferior autem prout a materia per actum intellectus agentis denudatur. Unde patet, quod ratio superior et inferior non nominant diversam potentiam, sed unam et eandem ad diversa diversimode comparatam. — *de Verit.* q. 15, a. 2, c.

Ad primum ergo dicendum, quod secundum quamcunque rationem participationis potest pars dici. In quantum vero ratio dividitur secundum diversa officia, ratio superior et inferior partitiones dicuntur, et non quia sunt diversæ potentiæ. (1a, q. 79, a. 9, ad 1.) — *Vel dic*, quod imago Trinitatis in anima attenditur quidem in potentiis ut in radice, sed completive in actibus potentiarum; et secundum hoc imago dicitur ad superiorem, et non ad inferiorem rationem pertinere. — *de Verit.* q. 15, a. 2, ad 1.

Ad secundum dicendum, quod ratio superior et inferior non differunt sicut agens et possibile: quia ratio superior et inferior habent actus respectu diversorum; agens autem et possibile concurrunt semper ad idem objectum vel medium, quia impossibile est nos in intellectivam operationem progredi sine operatione intellectus possibilis et agentis. Oportet enim ut species phantasmatum quæ sunt objecta intellectus nostri, efficiantur in actu intelligibiles, quod ad agentem pertinet; et intellectui conjungantur in eo receptæ, quod pertinet ad possibilem. Unde ex diversitate possibilis et agentis non sequitur diversitas superioris et inferioris rationis, sed ex diversitate medii vel objecti. — 2. *Sent.* dist. 24, q. 2, a. 2, ad 1.

Ad tertium dicendum, quod *scientificum*, de quo Philosophus loquitur, non est idem quod ratio superior. Nam necessaria scibilia inveniuntur etiam in rebus temporalibus, de quibus est scientia naturalis et mathematica. *Opinativum* autem et *ratiocinativum* in minus est quam ratio inferior, quia est contingentium tantum. Nec tamen est simpliciter dicendum, quod sit alia potentia qua intellectus cognoscit necessaria, et alia qua cognoscit contingentia: quia utraque cognoscit secundum eandem rationem objecti, scilicet secundum rationem entis et veri. Unde et necessaria, quæ habent perfectum esse in veritate, perfecte cognoscit, utpote ad eorum quidditatem pertinentes, per quam propria accident

ie his demonstrat. Contingentia vero im-
erfecte cognoscit, sicut et habent imper-
ectum esse et veritatem. Perfectum au-
em et imperfectum in actu non diversi-
icant potentiam, sed diversificant actus
uantum ad modum agendi, et per conse-
uens principia actuum et ipsos habitus.
t ideo Philosophus posuit duas parti-
ulas animæ, *scientificum* et *ratiocinati-
um*, non quia sunt duæ potentiæ, sed
uia distinguuntur secundum diversam
ptitudinem ad recipiendos diversos ha-
itus, quorum diversitatem ibi inquirere
ntendit. Contingentia enim et necessa-
ia etsi differunt secundum propria ge-
era, conveniunt tamen in communi
atione entis, quam respicit intellectus ;
d quam diversimode se habent secun-
lum perfectum et imperfectum. — 1a,
. 79, a. 9, ad 3.

Ad quartum dicendum, quod verum
ontemplabile et bonum operabile ad
iversas potentias pertinet, scilicet ad
ntellectum et voluntatem ; sed penes
oc non distinguuntur ratio superior et
nferior, cum utraque possit esse et spe-
ulativa et activa, quamvis ratione diver-
orum, ut dictum est. (*de Verit.* l. c. ad
.) — Ad illud de diversitate actuum di-
endum, quod, sicut Avicenna dicit id 6.
e *Naturalibus*, diversitas actus quando-
ue indicat diversitatem potentiarum,
uandoque non. Quinque enim modis in
ctibus animæ diversitas inveniri potest.
no modo secundum fortitudinem et de-
ilitatem, sicut opinari et credere. Alio
odo secundum velocitatem et tardita-
m, sicut currere et moveri. Tertio modo
ecundum habitum et privationem, ut
uiescere et moveri. Quarto modo secun-
um operationem ad contraria ejusdem
eneris, ut sentire album et nigrum.
uinto modo est, quando actus est diver-
orum generum, ut apprehendere et mo-
eri, vel sentire sonum et colorem. Di-
ersitas igitur primi et secundi modi
iversitatem potentiæ non indicat, quia sic
porteret tot esse potentias animæ distin-
tas, quot gradus fortitudinis vel debili-
tatis, vel velocitatis vel tarditatis inve-
niuntur in actibus. Similiter etiam nec
diversitas tertii et quarti modi, cum
ejusdem potentiæ sit operari ad utrum-
que oppositum. Sola autem diversitas
quinti modi indicat diversitatem potentiæ,
ut dicamus actus genere diversos, qui in
ratione objecti non conveniunt. Et secun-
dum hoc diversitas actuum rationis su-
perioris et inferioris diversitatem po-
tentiæ non indicat. — *de Verit.* l. c.
ad 12.

Ad quintum dicendum, quod cum pec-
care sit actus quidam, proprie loquendo,
neque est rationis superioris neque in-
ferioris, sed hominis secundum hanc vel
illam. Nec est inconveniens, si una po-
tentia ad diversa comparatur, quod se-
cundum unam habitudinem sit peccatum,
secundum aliam non : sicut cum plures
habitus sunt in una potentia, contingit
peccare secundum actum unius habitus,
et non secundum actum alterius ; ut si
idem sit grammaticus et geometra, et
vera de lineis enuntiet solœcismum fa-
ciendo. — *Ibid.* ad 10.

Ad sextum dicendum, quod intellectus
agens et possibilis plus differunt, quam
ratio superior et inferior, cum intellectus
agens et possibilis diversa objecta forma-
liter respiciant, etsi non materialiter.
Respiciunt enim diversam rationem obje-
cti, quamvis utrumque in eadem re in-
telligibili possit inveniri : unum enim et
idem potest esse prius intelligibile in po-
tentia, et post intelligibile in actu. Sed
ratio superior et inferior respiciunt di-
versa objecta materialiter, non formali-
ter, cum respiciant naturas diversas,
secundum unam rationem objecti. Diver-
sitas autem formalis major est quam
materialis ; et ideo ratio non sequitur.
— *Ibid.* ad 13.

Ad septimum dicendum, quod diversi-
tas regulantis et regulari non demon-
strat diversam potentiam, sed diversum
habitum. Unus enim habitus est regula-
tivus alterius, sicut patet in scientiis spe-
culativis, quod omnes scientias Sapientia

seu Metaphysica dirigit. Ita etiam ratio superior inferiorem dirigere dicitur. (2. *Sent.* l. c. ad 4.) Et idem dico de diversitate moventis et moti. Eatenus enim dicitur ratio superior inferiorem movere, quatenus rationes inferiores regulandæ sunt secundum superiores, sicut etiam subalternata scientia a subalternante gubernatur. — *de Verit.* q. 15, a. 2, ad 15.

Ad octavum dicendum, quod ratio inferior dicitur a ratione superiori oriri et deduci vel ab ea regulari, in quantum principia, quibus utitur inferior ratio, deducuntur et diriguntur a principiis superioris rationis. — 1a, l. c. ad 2 ; *de Verit.* l. c. ad 14.

ARTICULUS VII

UTRUM INTELLECTUS PRACTICUS ET SPECULATIVUS SINT DIVERSÆ POTENTIÆ.

Videtur quod intellectus practicus et speculativus sint diversæ potentiæ.

1. *Apprehensivum* enim et *motivum* sunt diversa genera potentiarum, ut patet in 2. *de Anima* (*text.* 27; c. 3) ; sed intellectus speculativus est apprehensivus tantum, intellectus autem practicus est motivus : ergo sunt diversæ potentiæ. — 1a, p. 79, a. 11, arg. 1.

2. Præterea, diversa ratio objecti diversificat potentiam ; sed objectum intellectus speculativi est verum, practici autem bonum, quæ differunt ratione : ergo intellectus speculativus et practicus sunt diversæ potentiæ. — *Ibid.* arg. 2.

3. Præterea, in parte intellectiva intellectus practicus comparatur ad speculativum sicut æstimativa ad imaginativam in parte sensitiva ; sed æstimativa differt ab imaginativa sicut potentia a potentia : ergo et intellectus practicus a speculativo. — *Ibid.* arg. 3.

Sed contra est, quod dicitur in 3. *de Anima* (*text.* 49 ; c. 10), quod intellectus speculativus per extensionem fit practicus ; una autem potentia non movetur in aliam : ergo intellectus speculativus et practicus non sunt diversæ potentiæ. — *Ibid.* arg. *Sed contra.*

Respondeo dicendum, quod intellectus practicus et speculativus non sunt diversæ potentiæ. Cujus ratio est, quia, ut supra dictum est (q. 51, a. 3, in corp.) id quod accidentaliter se habet ad objecti rationem, quam respicit aliqua potentia, non diversificat potentiam. Accidit enim colorato, quod sit homo aut magnum aut parvum. Unde omnia hujusmodi eadem visiva potentia apprehenduntur. Accidit autem alicui apprehensi per intellectum, quod ordinetur ad opus vel non ordinetur. Secundum hoc autem differunt intellectus speculativus et practicus. Nam intellectus speculativus est qui quod apprehendit non ordinat ad opus, sed ad solam veritatis consideration nem ; practicus vero intellectus dicitur qui hoc quod apprehendit ordinat ad opus. Et hoc est, quod Philosophus dicit in 3. *de Anima* (*tex.* 49 ; c. 10), quod speculativus differt a pratico fine. Unde et a fine denominatur uterque : hic quidem speculativus, ille vero practicus id est operativus. — 1a, q. 79, a. 11 c.

Ad primum ergo dicendum, quod intellectus practicus est motivus, non quasi exsequens motum, sed quasi dirigens ad motum ; quod convenit ei secundum modum suæ apprehensionis. — *Ibid.* ad 1.

Ad secundum dicendum, quod verum et bonum se invicem includunt. Nam verum est quoddam bonum, alioqui non esset appetibile ; et bonum est quoddam verum, alioqui non esset intelligibile. Sicut igitur objectum appetitus potest esse verum in quantum habet rationem boni, sicut cum aliquis appetit veritatem cognoscere ; ita objectum intellectus practici est bonum ordinabile ad opus sub ratione veri. Intellectus enim practicus veritatem cognoscit sicut et speculativus, sed veritatem cognitam ordinat ad opus. — *Ibid.* ad 2.

Ad tertium dicendum, quod multæ dif-

erentiæ diversificant potentias sensitivas, uæ non diversificant potentias intellectivas. — *Ibid.* ad 3.

ARTICULUS VIII

UTRUM INTELLECTUS POSSIBILIS SIT UNUS IN OMNIBUS HOMINIBUS.

Videtur quod intellectus possibilis sit nus in omnibus hominibus.

1. Perfectio enin est proportionata perectibili; sed veritas est perfectio intelectus; nam verum est bonum intellectus, icut dicit Philosophus in 6. *Eth.* Cum gitur veritas sit una, quam omnes intelgunt, videtur quod intellectus possibilis it unus in omnibus hominibus. — *Quæst. isp. de Anima* a. 3, arg. 1.

2. Præterea, intellectus possibilis deudatur ab omni intelligibili : quia nihil st eorum quæ sunt ante intelligere, ut icitur in 3. *de Anima* (*text.* 5 et 14 ; c.); sed, ut in eodem dicitur, ipse est telligibilis, sicut et alia : ergo ipse est enudatus a se ipso, et ita non habet nde possit multiplicari in diversis. — *bid.* arg. 4.

3. Præterea, dicit Philosophus in 3. *e Anima* (*text.* 36 sqq ; c. 7 et 8), quod dem est intellectus, et quod intelligitur ; ed id, quod intelligitur, est idem apud mnes : ergo intellectus possibilis est nus in omnibus hominibus. — *Ibid.* rg. 7.

4. Præterea, id quod est separatum a orpore, non potest multiplicari secunum corpora; sed intellectus possibilis st separatus a corpore, ut probat Philoophus in 3. *de Anima* (*text.* 19 et 20 ; c.) : ergo non potest multiplicari vel diingui secundum corpora ; ergo in plurius hominibus est unus. — *Ibid.* arg. 6.

5. Præterea, unumquodque in quanm est, unum est. Cujus igitur esse non ependet ab alio, ne unitas ejus dependet alio. Sed esse intellectus possibilis non ependet a corpore, alias corrumperetur corrupto corpore. Ergo nec unitas intellectus possibilis dependet a corpore, et per consequens nec ejus multitudo. Non igitur intellectus possibilis multiplicatur in diversis corporibus. — *Ibid.* arg. 19.

6. Præterea, omnis virtus cognoscitiva quæ est in materia corporali, cognoscit ea tantum, quæ habent affinitatem cum materia in qua est : sicut visus cognoscit tantum colores qui habent affinitatem cum pupilla, quæ est susceptiva colorum propter suam diaphaneitatem. Sed intellectus possibilis non est susceptivus eorum tantum, quæ habent affinitatem vel cum toto corpore vel cum quacunque parte ejus. Ergo intellectus possibilis non est virtus cognoscitiva in materia corporali, neque in toto corpore, neque in aliqua parte ejus ; ergo non multiplicatur secundum multiplicationem corporum. — *de Spirit. Creat.* a. 9, arg. 8.

7. Præterea, intellectus possibilis Socratis vel Platonis intelligit essentiam suam, cum intellectus possibilis in se ipsum reflectatur ; ergo ipsa essentia intellectus possibilis est intellecta in actu ; sed nulla forma individuata et multiplicata per materiam, est intellecta in actu : ergo intellectus possibilis non individuatur nec multiplicatur per materiam corporalem ; et sic relinquitur quod sit unus intellectus possibilis in omnibus. — *Ibid.* arg. 15.

Sed contra : Per intellectum possibilem homo intelligit. Dicitur enim in 3. *de Anima* (*text.* 18, 19, 20; c. 5), quod intellectus possibilis est, quo intelligit anima. Si igitur unus sit intellectus possibilis in omnibus, sequitur quod illud, quod unus intelligit, alius intelligat ; quod patet esse falsum. — *Quæst. disp. de Anima* a. 3, arg. *Sed contra.*

Respondeo dicendum, quod de intellectu possibili fuit opinio Averrois in 3. *de Anima* (*text.* 5 et 6) asserentis intellectum possibilem esse substantiam quandam separatam secundum esse a corporibus hominum, sed continuari nobiscum per phantasmata, et esse unum intelle-

ctum possibilem in omnibus. — Quæ positio primum est contraria fidei, ut facile est videre; tollit enim præmia et pœnas futuræ vitæ. Deinde contraria est veris principiis Philosophiæ; nam secundum hanc positionem sequeretur quod nullus homo particularis intelligeret aliquid. Si enim sint duæ substantiæ omnino distinctæ, una agente vel operante, alia non dicitur operari. — Sed dato, disputationis gratia, quod aliquis homo particularis per intellectum sic separatum intelligere posset, sequuntur tria inconvenientia, si ponatur, quod sit unus intellectus possibilis omnium, quo omnes intelligant. *Primo* quidem, quia non est possibile unius virtutis simul et semel esse plures actiones respectu ejusdem objecti; contingit autem duos homines simul et semel unum et idem intelligibile intelligere : si igitur uterque intelligit per unum intellectum possibilem, sequeretur quod una et eadem numero esset intellectualis operatio utriusque; sicut si duo homines viderent uno oculo, sequeretur quod eadem esset visio utriusque; quod patet esse omnino impossibile. Nec potest dici, quod intelligere meum sit aliud ab intelligere tuo propter diversitatem phantasmatum : quia phantasma non est intelligibile in actu, sed id quod est ab eo abstractum, quod ponitur esse verbum. Unde diversitas phantasmatum est extrinseca ab intellectuali operatione; et sic non potest diversificare ipsam.

Secundo, quia impossibile est esse unum numero in individuis ejusdem speciei illud, per quod speciem sortiuntur. Si enim duo equi convenirent in eodem secundum numerum, quo speciem equi haberent, sequeretur quod duo equi essent unus equus, quod est impossibile. Et propter hoc in 7. *Metaphys.* dicitur, quod principia speciei, secundum quod sunt determinata, constituunt individuum : ut si ratio hominis est, ut sit ex anima et corpore, de ratione hujus hominis est, quod sit ex hac anima et hoc corpore. Unde principia cujuslibet speciei oportet pluri-ficari in pluribus individuis ejusdem spe-ciei. A quo autem aliquis speciem sorti-tur, cognoscitur a propria operatione spe-ciem consequente. Dijudicamus enim es verum aurum, quod habet propriam oper-tionem auri. Propria autem operatio hu-manæ speciei est intelligere ; unde secun-dum hanc operationem ponit Philosoph. in 10. *Eth.* (c. 7 et 8) ultimam hominis fe-citatem. Hujus autem operationis pri-cipium non est intellectus passivus, id e vis cogitativa, vel vis appetitiva sens-tiva, quæ participet aliqualiter rationem cum hæ vires non habeant operatione nisi per organum corporale ; intellige autem non potest esse per organum co-porale, ut 3. *de Anima* (*text.* 6; c. probatur. Et sic relinquitur quod inte-lectus possibilis sit, quo hic homo spe-ciem humanam sortitur, non autem in-tellectus passivus, ut Averroes (3. *Anima text.* 5 et 36) fingit. Relinquitu ergo quod impossibile sit unum intell-ctum possibilem in omnibus hominib esse. — *de Spirit. Creat.* a. 9. c.

Tertio, sequeretur quod intellectus po-sibilis non reciperet aliquas species phantasmatibus nostris abstractas, si s unus intellectus possibilis omnium q sunt et qui fuerunt ; quia jam cum mu homines processerint multa intelligente sequeretur quod intellectus respectu om-nium illorum, quæ illi s iverunt, sit i actu, et non sit in potentia ad recipie-dum; quia nihil recipit, quod jam habe Ex quo ulterius sequeretur, si nos sum intelligentes et scientes per intellecta possibilem, quod scire in nobis non s nisi reminisci ; quamvis et hoc ipsu secundum se inconveniens videatur, qu intellectus possibilis, si sit substanti separata secundum esse, efficiatur in act per phantasmata, cum superiora in eri-bus non indigeant inferioribus ad si perfectionem. Sicut enim inconvenie esset dicere, quod corpora cœlestia pe-fiunantur in actu, accipiendo a corpori inferioribus, similiter, et multo amplio est impossibile quod aliqua substanti

arata perficiatur in actu, accipiendo a ntasmatibus. Manifestum est etiam, d hæc positio repugnat verbis Aristos. Cum enim incipit quærere de inectu possibili, statim a principio nomieum partem animæ, dicens (3. *de Ani text.* 1; c. 4) : « de parte autem ani, qua cognoscit anima et sapit ». ens autem inquirere de natura intelus possibilis, præmittit quandam dutionem, scilicet utrum pars intelle a sit separabilis ab aliis partibus ani subjecto, ut Plato posuit, vel ratione tum; et hoc est, quod dicit (ibid.) : ive separabili existente, sive insepaili secundum magnitudinem, sed sedum rationem ». Ex quo apparet, d si utrumlibet horum ponatur, sta sententia sua, quam intendit de inectu possibili. Non autem staret, quod et separata secundum rationem, si præa positio esset vera. Unde prædicta nio non est sententia Aristotelis. Postdum (3. *de Anima text.* 5; c. 4) etiam dit, quod intellectus possibilis est, opinatur et intelligit anima ; et lta alia hujusmodi : ex quibus mani e dat intelligere, quod intellectus sibilis sit aliquid animæ, et non sit stantia separata. — *de Spirit. Creat.* 9, c.; *Quæst. disp. de Anima* a. 3, c.

Ad primum ergo dicendum, quod ve is est adæquatio intellectus ad rem ; igitur est una veritas, quam diversi lligunt, ex eo quod eorum conceptio eidem rei adæquantur. — *Quæst. de Anima* a. 3, ad 1.

Ad secundum dicendum, quod non est essarium intellectum communem delari ab eo, quod intelligit, sed solum llectum in potentia; sicut et omne ipiens denudatur a natura recepti. le si aliquis intellectus est, qui sit is tantum, sicut intellectus divinus, ntelligit per se ipsum. Sed intellectus sibilis intelligibilis dicitur, sicut et intelligibilia, quia per speciem intelbilem aliorum intelligibilium se intel; ex objecto enim cognoscit suam operationem, per quam devenit ad cognitionem sui ipsius. — *Ibid.* ad 4.

Ad tertium dicendum, quod licet species intelligibilis, qua intellectus formaliter intelligit, sit in intellectu possibili istius et illius hominis, ex quo intellectus possibiles sunt plures ; id tamen, quod intelligitur per hujusmodi species, est unum, si consideremus habito respectu ad rem intellectam : quia universale, quod intelligitur ab utroque, est idem in omnibus. Et quod per species multiplicatas in diversis id, quod est unum in omnibus, possit intelligi, contingit ex immaterialitate specierum, quæ repræsentant rem absque materialibus conditionibus individuantibus, ex quibus una natura secundum speciem multiplicatur numero in diversis. — *Ibid.* ad 7.

Ad quartum dicendum, quod licet intellectus possibilis sit separatus a corpore quantum ad operationem, est tamen potentia animæ, quæ est actus corporis. — *Ibid.* ad 16.

Ad quintum dicendum, quod licet esse animæ intellectivæ non dependeat a corpore, tamen habet aptitudinem ad corpus naturaliter, propter perfectionem suæ speciei. — *Ibid.* ad 19.

Ad sextum dicendum, quod ex hac etiam ratione deceptus fuit Averroes; putavit enim, quod quia Aristoteles dixit intellectum possibilem esse separatum, quod esset separatus secundum esse, et per consequens, quod non multiplicaretur secundum multiplicationem corporum. Sed Aristoteles intendit, quod intellectus possibilis est virtus animæ, quæ non est actus alicujus organi, quasi habeat operationem suam per organum corporale, sicut potentia visiva est virtus organi habens operationem per organum corporale ; et quia non habet operationem intellectus possibilis per organum corporale, ideo non oportet quod cognoscat ea tantum, quæ habent affinitatem vel cum toto corpore vel cum parte corporis. — *de Spirit. Creat.* a. 9, ad 8.

Ad septimum dicendum, quod ~~esse in-~~

THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
ST. MICHAEL'S COLLEGE
LIBRARY

dividuale non repugnat ei, quod est esse intellectum in actu : quia substantiæ separatæ sunt intellectæ in actu, cum tamen sint individuæ ; alioqui non haberent actiones, quæ sunt singularium. Sed habere esse materiale repugnat ei, quod est esse intellectum in actu ; et ideo formæ individuales, quæ individuantur per materiam, non sunt intellectæ in actu, sed in potentia tantum. Anima autem intellectiva non sic individuatur per materiam, ut fiat forma materialis, præcipue secundum intellectum, secundum quem transcendit materiæ corporalis proportionem ; sed eo modo individuatur secundum materiam corporalem, in quantum habet habitudinem ut sit forma hujus corporis. Unde hoc non tollitur, quin intellectus possibilis hominis sit quid intellectum in actu, et similiter ea, quæ recipiuntur in ipso. — *Ibid.* ad 15.

QUÆSTIO XCV

DE SPECIEBUS INTELLIGIBILIBUS.

Deinde considerandum est de speciebus intelligibilibus.

CIRCA QUAS QUÆRUNTUR QUINQUE :

1. Utrum sit necesse ponere species intelligibiles ad hoc, ut intellectus intelligat.
2. Utrum anima rationalis intelligat per species intelligibiles innatas.
3. Utrum species intelligibiles, per quas anima intelligit, efluant in animam ab aliquibus formis separatis.
4. Utrum anima recipiat species intelligibiles a phantasmatibus et a rebus sensibilibus.
5. Utrum intellectus possit intelligere per species intelligibiles, quas habet, non convertendo se ad phantasmata.

ARTICULUS I

UTRUM SIT NECESSE PONERE SPECIES INTELLIGIBILES AD HOC, UT INTELLECTUS INTELLIGAT.

Videtur quod non sit necesse ponere species intelligibiles ad hoc, ut intellectus intelligat.

1. Impossibile enim est idem subje ctum perfici simul pluribus formis uniu generis et diversarum specierum ; sicu impossibile est quod idem corpus secundu idem simul coloretur diversis coloribus vel figuretur diversis figuris. Sed omne species intelligibiles sunt unius generis licet sint plures unius intellectivæ poten tiæ. Ergo impossibile est quod sint *plu res* species in intellectu, per quas intelli gat. — Sed etiam impossibile est, quod pe *unam* speciem omnia intelligat, cum in telligere per unum sit proprium Dei ; intellectus inferiores cognoscant per multa et tanto amplius per plura, quanto am plius intellectus inferior fuerit ; certu autem est in genere intellectuum hum num intellectum esse inferiorem omnibu ergo species intelligibiles non sunt nece sariæ animæ rationali ad hoc, ut intell gat. — 1a, q. 85, a. 4, c. ; q. 55, a. 3,

2. Præterea, non est dare agens pr ducens has species. Neque enim est ul *substantia separata,* ut infra (a. 3) oste demus. — Neque *intellectus agens : tu* quia eatenus dicitur illas producere, qu tenus illas abstrahit a conditionibus in dividuantibus ; sed hoc non potest facer quia intellectus agens se habet ad phan tasmata sicut lumen ad colores, quod n abstrahit a coloribus, sed magis influ *tum* quia idem in quantum idem semp facit idem ; at species intelligibiles, lic sint ejusdem generis, sunt tamen dive sarum specierum. — Neque est *phant mu : primo,* quia nihil incorpore potest imprimere in rem incorporea *Secundo,* quia cum phantasma sit sim litudo rei singularis, producitur in int lectu possibili similitudo rei singula licet immaterialis. *Tertio,* quia non pot effectus esse immaterialior sua caus sed species intelligibilis est magis imm terialis quam phantasma : ergo. *Quar* quia quod superiores vires ab inferio bus accipiant, videtur esse perversit ordinis, quæ nulla debet admitti in p tibus animæ. *Quinto,* quia eorum, q non conveniunt in materia, non pot

sse actio et passio, ut patet per Philoso-
hum in 1. *de Generat.* (*text.* 53; c. 7);
ed mens nostra non communicat in ma-
eria cum rebus sensibilibus : ergo non
ossunt phantasmata, quæ sunt sensibi-
ia, agere in intellectum possibilem pro-
ucendo in illo species intelligibiles. *Sexto*,
uia agens est nobilius patiente, ut patet
er Philosophum 3. *de Anima* (*text.* 19; c.
); sed recipiens se habet ad illud quod
ecipit, sicut patiens ad agens : ergo cum
ntellectus possibilis sit nobilior sensibi-
bus et sensibus, non poterunt phantas-
nata sensibilia quidquam in illo produ-
ere; ergo non datur talis species neces-
aria ad intelligendum. — 1a, q. 85, a. 1,
rg. 4; a. 4 et 6, c.; 1. *c. Gent.* c. 65,
bi v. Ferrariensis; 2. *c. Gent.* c. 62; 2.
ent. dist. 20, q. 2, a. 2, arg. 2; *de Verit.*
. 10, a. 6, arg. 1 et 8.

3. Præterea, in intellectu est aliquando
lsitas, ut dicit Philosophus 3. *de Anima*
ext. 21 et 22; c. 2); sed non esset, si
telligeret per hujusmodi species intelli-
Liles, quia cum semper repræsentent
jectum eo modo, quo est, semper verum
telligeret, et sic nunquam falleretur :
go non sunt necessariæ hujusmodi spe-
es ad intelligendum. — 1a, q. 17, a. 3,
g. *Sed contra*, et in c.

4. Præterea, secundum Philosophum
2. *Metaphys.* (*text.* 51; l. 11, c. 9) et 3.
Anima (*text.* 15; c. 4) in his quæ
nt sine materia, idem est intellectus et
quod intelligitur. Id autem quod intel-
gitur, est idem intelligenti, ratione ejus
o intelligitur. Ergo in his quæ sunt
ne materia, ut sunt animæ rationales,
quo intelligitur, est ipsa substantia
telligentis, non autem species intelligi-
lis. — 1a, q. 55, a. 1, arg. 2.

5. Præterea, intellectus agens facit
am operationem sine ullis speciebus in-
lligibilibus, et sine ullo habitu superad-
to; ergo et intellectus possibilis idem
ciet, et ita non erunt necessariæ spe-
es intelligibiles. — *de Verit.* q. 20, a.
arg. 5.

6. Præterea, sicut se habet bonum ad affectum, ita verum ad intellectum; sed bonum non est in affectu per aliquam sui similitudinem : ergo nec verum cognoscitur ab intellectu per aliquam sui similitudinem ; ergo intellectus in intellectione non eget ulla similitudine aut specie. — *de Verit.* q. 10, a. 9, arg. 7.

7. Præterea, nulla est necessitas ponendi hujusmodi species. Neque enim *primo* requiruntur ad assimilandum objectum materiale intellectui immateriali : *tum* quia, ut dicit Philosophus 3. *de Anima* (*text.* 37 ; c. 8) : « anima est quodammodo omnia » ; unde, cum simile simili cognoscatur, debet anima per suam essentiam assimilari rebus cognitis, et illas intelligere; *tum* quia anima est superior corporalibus creaturis ; inferiora autem sunt eminentiori modo in superioribus : quare omnes creaturæ corporeæ nobiliori modo existunt in ipsa essentia animæ quam in se ipsis ; unde per suam substantiam debet posse illas cognoscere. Neque *secundo* requiruntur ad repræsentandum objectum, quia phantasmata sufficienter repræsentant et proponunt objectum intellectui ; et ab ipsis habet intellectus possibilis, quod intelligendo producat conceptum seu verbum, atque adeo similitudinem expressam et determinatam hujus objecti et non alterius. Neque *tertio* requiruntur, ut fiat objectum intelligibile actu, quia intellectus angelicus cognoscit res materiales; non posset autem illas cognoscere, nisi essent intelligibiles actu : ergo species intelligibiles non sunt necessariæ intellectui humano ad intelligendum. — 1a, q. 84, a. 2, arg. 2; ll. cit. in resp.

Sed contra est : 1. quod Philosophus 3. *de Anima text.* 3 (c. 4) dicit intellectum esse impassibilem, susceptivum tamen formarum, et ita se habere ad intelligibilia, sicut se habet sensus ad sensibilia; et *text.* 6 ait animam esse locum formarum ; et *text.* 37 et sq. (c. 8) dicit animam esse omnia, quia omnium formas recipit ; non enim lapis est in anima, sed forma lapidis. Hæc autem intelligi non

possunt nisi de speciebus intelligibilibus requisitis ad intelligendum; ergo hæ sunt necessariæ. — 3. *de Anima* l. 7 et 13.

2. Præterea, intellectus noster possibilis se habet in ordine intelligibilium sicut materia prima in ordine naturalium, eo quod est in potentia ad intelligibilia, sicut materia prima est in potentia ad naturalia. Sed materia non habet esse naturale nisi reducta in actum per formas naturales. Ergo nec intellectus possibilis potest habere intelligibilium operationem, nisi perficiatur per speciem intelligibilem alicujus. — 1a, q. 14, a. 2, ad 3.

3. Præterea, omnis cognitio rei fit per assimilationem rei cognitæ et cognoscentis; et ideo necessario debet esse in intellectu forma, per quam assimiletur rei cognitæ. Sed non est sufficiens forma similis in esse naturæ, quia sic oporteret dicere cum Empedocle, quod anima esset de natura omnium, ad hoc quod illa cognosceret. Ergo requiritur forma similis rei cognitæ in esse intelligibili, quæ dicitur species intelligibilis; ergo hæc est necessaria ad intelligendum. — 1a, q. 88, a. 1, ad 2; 2. *Sent.* dist. 3, q. 3, a. 4, c.; 1a, q. 84, a. 2, c.

Respondeo dicendum, quod necesse est dicere, quod species intelligibiles necessariæ sunt ad intelligendum. — Quod manifeste patet *primo* ex natura intellectionis ut est actio quædam. Illud enim, quo intellectus intelligit, comparatur ad intellectum intelligentem ut forma ejus, quia forma est id, quo agens agit. Oportet autem ad hoc, quod potentia perfecte compleatur per formam, quod omnia contineantur sub forma, ad quæ potentia se extendit; et inde est quod in rebus corruptibilibus forma non perfecte complet potentiam materiæ, quia potentia materiæ ad plura se extendit, quam sit continentia formæ hujus vel illius. Potentia autem intellectiva animæ rationalis se extendit ad intelligendum omnia; potentia enim intellectiva hominis, ut infra dicetur, habet pro objecto universaliter omne ens. Ipsa autem essentia animæ rationalis non comprehendit in se omnia cum sit essentia determinata ad genus et speciem. Hoc autem proprium est essentiæ divinæ, quæ infinita est ut in se simpliciter omnia comprehendat perfecte. Et ideo solus Deus cognoscit omnia per suam essentiam. Anima rationalis autem non potest per suam essentiam omnia cognoscere; sed oportet intellectum ejus aliquibus speciebus perfici ad res cognoscendas. — 1a, q. 55, a. 1, c.

Secundo, probatur ex natura intellectionis ut intellectio est. Hoc enim animis omnium communiter inditum est, quod simile simili cognoscitur; unde principium cognitionis debet esse forma similis rei cognitæ. Cum autem possit esse similis illi *vel* in modo essendi, ita ut forma cogniti sit in cognoscente eo modo, quo est in re cognita; *vel* in ratione formæ sed non in modo essendi formæ; — nequ est necessarium neque fieri potest, ut forma cogniti intellectionis principium sit illi similis in forma et modo essendi formæ, ut priores naturales existimabant (qui quia considerabant res cognitas esse corporeas et materiales, posuerunt oportere res cognitas etiam in anima cognoscente materialiter esse; et ideo ut animæ attribuerent omnium cognitionem, posuerunt eam habere naturam communem cum omnibus; et quia natura principiatorum ex principiis constituitur, attribuerunt animæ naturam principii, ita quod qui dixit principium omnium esse ignem posuit animam esse de natura ignis, et similiter de aere et aqua): quia si oportet rem cognitam materialiter in cognoscente existere, nulla ratio esset, quare res, quæ materialiter extra subsistunt, cognitione careant. — Praeterquam quod in materia principio, de quo antiqui philosophi loquebantur, non existunt principiata nisi in potentia. Non autem cognoscitur aliquid secundum quod est in potentia, sed secundum quod est in actu, ut patet 9. *Metaphys.* (*text.* 20; l. 8, c. 9). Unde nec ipsa potentia cognoscitur nisi per actum. I

·opterea non sufficeret attribuere ani-
æ principiorum naturam, ad hoc quod
nnia cognosceret, nisi inessent ei natu-
e et formæ singulorum effectuum, puta
sis et carnis et aliorum hujusmodi, ut
ristoteles contra Empedoclem argumen-
tur in 1. *de Anima* (*text.* 77 ; c. 5).

Relinquitur ergo quod oportet materia-
a cognita in cognoscente existere non
aterialiter, sed immaterialiter. Et hu-
s ratio est, quia actus cognitionis se ex-
ndit ad ea, quæ sunt extra cognoscen-
m. Cognoscimus enim etiam ea, quæ
tra nos sunt. Per materiam autem de-
rminatur forma rei ad aliquid unum.
nde manifestum est, quod ratio cogni-
onis ex opposito se habet ad rationem
aterialitatis. Et ideo quæ non recipiunt
rmas nisi materialiter, nullo modo sunt
gnoscitiva, sicut plantæ, ut dicitur in 2.
Anima (*text.* 124 ; c. 12). Quanto au-
em aliquid immaterialius habet formam
ei cognitæ, tanto perfectius cognoscit.
nde et intellectus, qui abstrahit speciem
on solum a materia, sed etiam a mate-
alibus conditionibus (individuantibus),
erfectius cognoscit quam sensus, qui
ccipit formam rei cognitæ sine materia
uidem, sed cum materialibus conditio-
ibus. Et inter ipsos sensus, visus est
nagis cognoscitivus, quia est minus ma-
erialis ; et inter ipsos intellectus tanto
uilibet est perfectior, quanto immateria-
or. — 1a, q. 84, a. 2, c.

Ex his ergo patet, quod forma, quæ est
rincipium intellectionis, debet esse simi-
s rei cognitæ in ratione formæ, non au-
em in modo essendi illius ; forma autem
ic similis dicitur forma seu species intel-
gibilis. Quare dicendum est hanc esse
ecessariam ad intellectionem, sicut ne-
essarium est intellectionem fieri per assi-
ilationem rei cognitæ et cognoscentis.
— *Ibid.*

Ad primum ergo dicendum, quod plu-
es species intelligibiles possunt esse in
odem intellectu secundum actum im-
erfectum, non autem secundum actum
erfectum ; sicut similiter plures species
sensibiles possunt esse in sensu eodem modo. Sciendum enim est, quod omnes formæ intelligibiles sunt unius generis, licet res, quarum sunt, sint diversorum generum : omnes enim eandem potentiam intellectivam respiciunt, et ideo in potentia omnes simul esse possunt in intellectu, et similiter in actu incompleto, qui est medius inter potentiam et actum completum et perfectum. Et hoc est esse species in habitu, qui est medius inter potentiam et operationem. Sed in actu perfecto plures species in intellectu vel sensu esse non possunt. — Ll. cc. in arg.; cf. 1a, q. 14, a. 12.

Ad secundum dicendum, quod phantasma concurrit ad producendam intellectionem, et per consequens ad productionem speciei intelligibilis, dupliciter : *uno modo* tamquam materia causæ ; sicut enim in objecto visus est aliquid materiale, quod accipitur ex parte rei coloratæ ; sed complementum formale visibilis, in quantum hujusmodi, est ex parte lucis, quæ facit visibile in potentia esse visibile in actu ; ita etiam objectum intellectus quasi materialiter administratur vel offertur a virtute imaginativa ; sed in esse formali intelligibili completur ex lumine intellectus agentis, et secundum suam formam habet, quod sit perfectio in actu intellectus possibilis. — 1a, q. 84, a. 6, c. ; 2. *Sent.* dist. 20, q. 2, a. 2, ad 2. — *Alio modo* concurrit tamquam agens instrumentale et secundarium, intellectus vero agens tamquam agens principale et primum ; propter hoc enim et phantasmata dicuntur illuminari ab intellectu agente, quia nimirum phantasmata ex virtute intellectus agentis redduntur habilia, ut ab eis species intelligibiles abstrahantur, seu ut hæ ab illis per virtutem intellectus agentis simul concurrentis producantur, quibus mediantibus intellectus possibilis consideret naturas rerum in universali, sine conditionibus nimirum individuantibus, sicut pars sensitiva ex conjunctione ad intellectum efficitur virtuosior ad agendum. Et inde est quod actionis utriusque agentis effectus relinquitur in intellectu possibili

secundum conditionem utriusque, et non secundum conditionem alterius tantum. Nam intellectus possibilis recipit formas ut intelligiles actu ex virtute intellectus agentis, sed ut similitudines determinatarum rerum ex cognitione phantasmatum; præterquam quod species intelligibilis est a phantasmate secundum suum esse materiale, sed ab intellectu agente secundum suum esse formale, id est, ut est intelligibilis in actu. — *Quodl.* 8, a. 3, c.; 1a, q. 85, a. 1, ad 4 et 5; q. 84, a. 6, ad 2 et 3; 2. *c. Gent.* c. 77; *de Verit.* q. 10, a. 6, ad 6.

Ex his patet *ad probationes contra intellectum agentem.* Nam ad *priorem* dicendum, quod intellectus agens comparatur lumini, quia sicut lumen necessarium est ad videndum, ita lumen intellectus agentis ad intelligendum, licet non eodem modo. Præterea dicuntur phantasmata illuminari ab intellectu agente, quatenus, ut dictum est, ex conjunctione cum illo reddunturvirtuosiora ad agendum. — Ad *posteriorem* vero dicendum, quod intellectus agens ex conjunctione prædicta cum phantasmatibus diversis diversas etiam producit species intelligibiles. — *Tabula Aurea* voce « intellectus » n. 157; 1a, q. 79, a. 2, ad 2; q. 85, a. 1, ad 4.

Ad *primam* autem *probationem contra phantasmata* dicendum, quod corporeum virtute agentis principalis incorporei potest agere in incorporeum. — 1a, q. 84, a. 6, c. — Ad *secundam* dicendum, quod licet phantasma sit similitudo rei singularis, non tamen oportet ut producat in intellectu similitudinem rei singularis: quia non agit ratione propriæ naturæ, qua ad subjectum comparatur, seu quatenus est tale accidens, et ratione materialium dispositionum, sed quatenus est similitudo rei ad extra, et ratione naturæ et formæ latentis in phantasmate. — *de Verit.* q. 2, a. 5; q. 8, a. 11; v. Ferrariensis in 1. *c. Gent.* c. 65. — Ad *tertiam* dicendum, quod effectus potest esse immaterialior sua causa, quando causa productiva illius agit secundum quod participat de proprietate superioris naturæ, et agit non ad transmutandam materiam, sed ad diffundendam similitudinem formæ, sive in medio sive in sensu vel intellectu, secundum similitudinem spiritualis intentionis, ut est in proposito. — *de Pot.* q. 5, a. 8, c.; v. Ferrariensis in 2. *c. Gent.* c. 62. — Ad *quartam* dicendum, quod ex eo, quod phantasma producit speciem intelligibilem in intellectu possibili ut agens instrumentale et secundarium, non sequitur deordinatio in partibus animæ, quia intellectus agens non accipit virtutem a phantasmate, sed potius e contra, ut dictum est (ad 2 princ.). — 2. *Sent.* dist. 20, q. 2, a. 2, ad 2. — Ad *quintam* dicendum, quod formæ sensibiles vel a sensibilibus abstractæ, ut sunt phantasmata, non possunt agere in intellectum possibilem, nisi quatenus per intellectum agentem immaterialesreddunturet sic efficiuntur quodammodo homogeneæ intellectui possibili, in quem agunt. — *de Verit.* q. 10, a. 6, ad 1. — Ad *sextam* dicendum, quod quamvis intellectus possibilis sit simpliciter nobilior quam phantasma; tamen secundum quid nihil prohibet phantasma nobilius esse, in quantum scilicet phantasma est actu similitudo talis rei, quod intellectui possibili non convenit nisi in potentia; et sic quodammodo potest agere in intellectum possibilem virtute luminis intellectus agentis, sicut et color potest agere in visum virtute luminis corporalis. — *de Verit.* q. 10, a. 6, ad 8.

Ad *tertium* principale dicendum, quod in intellectu non est falsitas respectu specierum intelligibilium repræsentantium rem aliter, vel respectu rei repræsentatæ, sed ratione compositionis et divisionis, quatenus intellectus attribuit rei cujus quidditatem intelligit, aliquid, quod eam non consequitur, vel quod ei opponitur. — 1a, q. 17, a. 3.

Ad *quartum* dicendum, quod sicut sensus in actu est sensibile in actu, ut dicitur in 2. *de Anima* (*text.* 53; c. 5), ita quod ipsa vis sensitiva sit ipsa similitudo sensibilis, quæ est in sensu, sed qua

utroque fit unum, sicut ex actu et po-
ıtia; ita et intellectus in actu dicitur
se intellectum in actu, non quod sub-
ıntia intellectus sit ipsa similitudo per
am intelligit, sed quia illa similitudo est
ma ejus. Idem est autem, quod dici-
r « in his quæ sunt sine materia, idem
intellectus et quod intelligitur », ac si
ceretur, quod intellectus in actu est
ellectum in actu. Ex hoc enim aliquid
intellectum in actu, quod est imma-
iale. — 1a, q. 55, a. 1, ad 2.

Ad quintum dicendum, quod intelle-
ıs agens non egeat ullis speciebus vel
o habitu ad suam operationem, prove-
ex hoc, quod nihil accipit ab intelli-
ıilibus, sed magis formam suam illis
buit faciendo illa intelligibilia actu.
tellectus vero possibilis contra se habet.
de Verit. q. 20, a. 2, ad 5.

Ad sextum dicendum, quod motus vel
eratio cognoscitivæ partis perficitur in
a mente; et ideo oportet ad hoc, quod
quid cognoscatur, esse similitudinem
quam in mente, maxime si per essen-
m suam non conjungitur menti ut
gnitionis objectum. Sed motus vel ope-
tio affectivæ partis incipit ab anima et
rminatur ad res; et ideo non requiritur
affectu similitudo rei, qua informatur,
ut in intellectu. — *de Verit.* q. 10, a.
ad 7.

Ad septimum dicendum, quod neces-
as ponendi species intelligibiles est, ut
beat intellectus formam, per quam
ssit omnia cognoscere, quæ sub suo
jecto continentur, ut dictum est (in c.),
æ non potest esse illius essentia, sed
cessario debet esse forma ab illa di-
ncta. — 2. *Sent.* dist. 20, q. 2, a. 2, ad
de Verit. q. 10, a. 6, ad 7.

ARTICULUS II

RUM ANIMA INTELLIGAT PER SPECIES SIBI NATURALIRER INDITAS.

Videtur quod anima intelligat omnia
r species sibi naturaliter inditas.

1. Dicitur enim in lib. *de Causis* (prop. 10), quod omnis intelligentia est plena formis; sed homo habet commune cum angelis intelligere : ergo etiam anima habet species rerum naturaliter inditas, quibus illas cognoscat. — 1a, q. 84, a. 3, arg. 1.

2. Præterea, anima intellectiva est nobilior quam materia prima corporalis; sed hæc est creata a Deo sub formis, ad quas est in potentia : ergo multo magis anima intellectiva est creata a Deo sub speciebus intelligibilibus; et sic anima intelligit corporalia per species sibi naturaliter inditas. — *Ibid.* arg. 2.

3. Præterea, nullus potest verum respondere nisi de eo, quod scit; sed aliquis etiam idiota non habens scientiam acquisitam respondet verum de singulis, si tamen ordinate interrogetur, ut narratur in *Menone* Platonis (circa med.) de quodam : ergo antequam aliquis acquirat scientiam, habet rerum cognitionem; quod non esset, nisi anima haberet species naturaliter inditas. — *Ibid.* arg. 3.

Sed contra est, quod Philosophus dicit in 3. *de Anima* (*text.* 14; c. 4) de intellectu loquens, quod est sicut tabula, in qua nihil est scriptum. — *Ibid.* arg. *Sed contra.*

Respondeo dicendum, quod cum forma sit principium actionis, oportet ut eo modo se habeat aliquid ad formam, quæ est actionis principium, quo se habet ad actionem illam : sicut si moveri sursum sit ex levitate, oportet, quod in potentia tantum sursum fertur, esse leve solum in potentia; quod autem actu sursum fertur, esse leve in actu. Videmus autem, quod homo est quandoque cognoscens in potentia tantum, tam secundum sensum quam secundum intellectum; et de tali potentia in actum reducitur : ut sentiat quidem per actiones sensibilium in sensum, ut intelligat autem per disciplinam aut inventionem. Unde oportet dicere, quod anima cognoscitiva sit in potentia tam ad similitudines quæ sunt principia sentiendi, quam ad similitudines quæ

sunt principia intelligendi. Et propter hoc Aristoteles 3. *de Anima (text.* 14; c. 4) posuit, quod intellectus, quo anima intelligit, non habet aliquas species naturaliter inditas, sed est in principio in potentia ad hujusmodi species omnes.

Sed quia id, quod habet actu formam, interdum non potest agere secundum formam propter aliquod impedimentum (sicut leve, si impediatur sursum ferri), propter hoc Plato posuit, quod intellectus hominis naturaliter est plenus omnibus speciebus intelligibilibus, sed per unionem corporis impeditur, ne possit in actum exire. — Sed hoc non videtur convenienter dictum: *primo* quidem, quia si habet anima naturalem notitiam omnium, non videtur esse possibile quod hujus naturalis notitiæ tantam oblivionem capiat, quod nesciat se hujusmodi scientiam habere. Nullus enim homo obliviscitur ea, quæ naturaliter cognoscit, sicut quod omne totum sit majus sua parte, et hujusmodi. Præcipue autem hoc videtur esse inconveniens, si ponatur esse animæ naturale corpori uniri, sicut supra habitum est. Inconveniens enim est, quod naturalis operatio alicujus rei totaliter impediatur per id, quod est sibi secundum naturam. *Secundo* apparet manifeste hujus positionis falsitas ex hoc, quod deficiente aliquo sensu deficit scientia eorum, quæ apprehenduntur secundum illum sensum: sicut cæcus natus nullam potest habere notitiam de coloribus; quod non esset, si intellectui animæ essent naturaliter inditæ omnium intelligibilium rationes. Et ideo dicendum est, quod anima non cognoscit res corporeas et naturales per species naturaliter inditas. — 1a, q. 84, a. 3, c.

Ad primum ergo dicendum, quod homo quidem convenit cum angelis in intelligendo, deficit tamen ab eminentia intellectus eorum; sicut et corpora inferiora, quæ tantum existunt, secundum Gregorium (*Homil. in Evang.* 29; — Migne t. 76, col. 1214) deficiunt ab existentia superiorum corporum. Nam materia inferiorum corporum non est completa totaliter per formam, sed est in potentia a formas, quas non habet; materia autem cœlestium corporum est totaliter comple per formam, ita quod non est in potent ad aliam formam, ut supra habitum es Et similiter intellectus angeli est perfectus per species intelligibiles secundu suam naturam; intellectus autem humanus est in potentia ad hujusmodi specie — *Ibid.* ad 1.

Ad secundum dicendum, quod mater prima habet esse substantiale per formam; et ideo oportuit quod crearetur su aliqua forma, alioqui non esset in act Sub una tamen forma existens est in p tentia ad alias. Intellectus autem n habet esse substantiale per speciem int ligibilem; et ideo non est simile. — *Ib* ad 2.

Ad tertium dicendum, quod ordina interrogatio procedit ex principiis com munibus per se notis ad propria. P talem autem processum scientia causat in anima addiscentis. Unde cum veru respondet de his, de quibus secundo inte rogatur, hoc non est quia prius ea nov rit, sed quia tunc ea de novo addisc Nihil enim refert, utrum ille qui doc proponendo, vel interrogando, proced de principiis communibus ad conclusi nes. Utrobique enim animus audien certificatur de posterioribus per prior — *Ibid.* ad 3.

ARTICULUS III

UTRUM SPECIES INTELLIGIBILES, PER QU ANIMA INTELLIGIT, EFFLUANT IN ILLAM ALIQUIBUS FORMIS SEPARATIS.

Videtur quod species intelligibiles eff ant in animam ab aliquibus formis sep ratis.

1 Omne enim quod per participation est tale, causatur ab eo quod est p essentiam tale; sicut quod est ignitu reducitur sicut in causam in ignem. S anima intellectiva, secundum quod e

actu intelligens, participat ipsa intelligibilia ; intellectus enim in actu quodam modo est intellectum in actu. Ergo ea, quæ secundum se et per essentiam suam sunt intellecta in actu, sunt causæ animæ intellectivæ, quod actu intelligat. Intellecta autem in actu per essentiam suam sunt formæ in materia existentes. Species igitur intelligibiles, quibus anima intelligit, causantur a formis aliquibus separatis. — 1a, q. 84, a. 4, arg. 1.

2. Præterea, intelligibilia se habent ad intellectum sicut sensibilia ad sensum. Sed sensibilia, quæ sunt in actu extra animam, sunt causæ ipsorum sensibilium quæ sunt in sensu, quibus sentimus. Ergo species intelligibiles, quibus intellectus noster intelligit, causantur ab aliquibus actu intelligibilibus extra animam existentibus. Hujusmodi autem non sunt nisi formæ a materia separatæ. Formæ igitur intelligibiles intellectus nostri effluunt ab aliquibus substantiis separatis. — *Ibid.* arg. 2.

3. Præterea, omne quod est in potentia, educitur in actum per id quod est actu. Si ergo intellectus noster prius in potentia existens postmodum actu intelligat, oportet quod hoc causetur ab aliquo intellectu, qui semper est in actu ; hic autem est intellectus separatus : ergo ab aliquibus substantiis separatis causantur species intelligibiles, quibus actu intelligimus. — *Ibid.* arg. 3.

Sed contra est, quia secundum hoc sensibus non indigeremus ad intelligendum ; quod patet esse falsum ex hoc præcipue, quod qui caret uno sensu, nullo modo potest habere scientiam de sensibilius illius sensus. — *Ibid.* arg. *Sed contra.*

Respondeo dicendum, quod quidam posuerunt species intelligibiles nostri intellectus procedere ab aliquibus formis vel substantiis separatis. Et hoc dupliciter. Plato enim, sicut dictum est, posuit formas rerum sensibilium per se sine materia subsistentes, sicut formam hominis, quam nominabat *per se hominem,* et formam vel ideam equi, quam nominabat *per se equum,* et sic de aliis. Has ergo formas separatas ponebat participari et ab anima nostra et a materia corporali : ab anima quidem nostra ad cognoscendum ; a materia vero corporali ad essendum : ut sicut materia corporalis per hoc quod participat ideam lapidis, fit hic lapis : ita intellectus noster per hoc quod participat ideam lapidis, fit intelligens lapidem. Participatio autem ideæ fit per aliquam similitudinem ipsius ideæ in participante ipsam, per modum quo exemplar participatur ab exemplato. Sicut igitur ponebat formas sensibiles, quæ sunt in materia corporali, effluere ab ideis sicut quasdam earum similitudines ; ita ponebat species intelligibiles nostri intellectus esse similitudines quasdam idearum ab eis effluentes. Et propter hoc scientias et definitiones ad ideas referebat.

Sed quia contra rationem rerum sensibilium est, quod earum formæ subsistant absque materiis, ut Aristoteles 7. *Metaphys.* (*text.* 44 usque ad 58 ; l. 6, c. 13 ad 16) multipliciter probat ; ideo Avicenna, hac positione remota, posuit omnium rerum sensibilium intelligibiles species non quidem per se subsistere absque materia, sed præexistere immaterialiter in intellectibus separatis ; a quorum primo derivantur hujusmodi species in sequentem ; et sic de aliis usque ad ultimum intellectum separatum, quam nominat *intellectum agentem :* a quo, ut ipse dicit, effluunt species intelligibiles in animas nostras, et formæ sensibiles in materiam corporalem.

Et sic in hoc Avicenna cum Platone concordat, quod species intelligibiles nostri intellectus effluunt a quibusdam formis separatis, quas tamen Plato dicit per se subsistere ; Avicenna vero ponit eas in intelligentia agente. Differunt etiam quantum ad hoc, quod Avicenna ponit, species intelligibiles non remanere in intellectu nostro, postquam desinit actu intelligere ; sed indigere ut iterato se convertat ad recipiendum de novo ; unde non ponit scientiam animæ naturaliter indi-

tam, sicut Plato, qui ponit participationes idearum immobiliter in anima permanere.

Sed secundum hanc positionem sufficiens ratio assignari non posset, quare anima nostra corpori uniretur. Non enim potest dici, quod anima intellectiva corpori uniatur propter corpus : quia nec forma est propter materiam, nec motor propter mobile, sed potius e converso. Maxime autem videtur corpus esse necessarium animæ intellectivæ ad ejus operationem propriam, quæ est intelligere : quia secundum esse suum a corpore non dependet. Si autem anima species intelligibiles secundum suam naturam apta nata esset recipere per influentiam aliquorum separatorum principiorum tantum, et non acciperet eas ex sensibus, non indigeret corpore ad intelligendum ; unde frustra corpori uniretur. — Si autem dicatur, quod indiget anima nostra sensibus ad intelligendum, quibus quodammodo excitetur ad consideranda ea, quorum species intelligibiles a principiis separatis recipit, hoc non videtur sufficere : quia hujusmodi excitatio non videtur animæ necessaria, nisi in quantum est consopita (secundum Platonicos) quodammodo et obliviosa, propter unionem ad corpus ; et sic sensus non proficerent animæ intellectivæ, nisi ad tollendum impedimentum, quod animæ provenit ex corporis unione. Remanet igitur quærendum, quæ sit causa unionis animæ ad corpus. — Si autem dicatur secundum Avicennam, quod sensus sunt animæ necessarii, quia per eos excitatur, ut convertat se ad intelligentiam agentem, a qua recipit species ; hoc quidem non sufficit, quia si in natura animæ est ut intelligat per species ab intelligentia agente effluxas, sequeretur quod quandoque anima possit se convertere ad intelligentiam agentem ex inclinatione suæ naturæ, vel etiam excitata per alium sensum, ut convertat se ad intelligentiam agentem, ad recipiendum species sensibilium, quorum sensum aliquis non habet. Et sic cæcus natus posset habere scientiam de coloribus ; quod est manifeste falsum. Unde dicendum est, quod species intelligibiles, quibus anima nostra intelligit, non effluunt a formis separatis. — 1a, q. 84, a. 4, c.

Ad primum ergo dicendum, quod species intelligibiles, quas participat noster intellectus, reducuntur sicut in primam causam, in aliquod principium per suam essentiam intelligibile, scilicet in Deum. Sed ab illo principio procedunt mediantibus formis rerum sensibilium et materialium, a quibus scientiam colligimus, ut Dionysius dicit (*de Div. Nom.* c. 7, § 2 ; — Migne t. 3, col. 867 et sq.). — *Ibid.* ad 1.

Ad secundum dicendum, quod res materiales secundum esse quod habent extra animam, possunt esse sensibiles actu, non autem actu intelligibiles. Unde non est simile de sensu et intellectu. — *Ibid.* ad 2.

Ad tertium dicendum, quod intellectus noster possibilis reducitur de potentia ad actum per aliquod ens actu, id est per intellectum agentem, qui est virtus quædam animæ nostræ, ut dictum est, non autem per intellectum aliquem separatum sicut per causam propriam proximam, sed forte sicut per causam remotam. — *Ibid.* ad 3.

ARTICULUS IV

UTRUM ANIMA RECIPIAT SPECIES INTELLIGIBILES A PHANTASMATIBUS ET A REBUS SENSIBILIBUS.

Videtur quod anima non recipiat species intelligibiles a phantasmatibus et a rebus sensibilibus.

1. Dicit enim Philosophus in 1. *de Generat.* (*text.* 45 et 53 ; c. 6 et 7), quod eorum, quæ non conveniunt in materia, non potest esse actio et passio. Sed intellectus noster non communicat in materia cum rebus sensibilibus et cum phantasmatibus. Ergo non possunt phantasmata

ere in intellectum producendo species telligibiles. — *de Verit.* q. 10, a. 6, g. 1.

2. Præterea, objectum intellectus est od quid est, ut dicitur 3. *de Anima* (*text.* et sqq.; c. 4); sed quidditas rei nullo odo sensu percipitur, nec phantasmate præsentatur : ergo species intelligi- les non producuntur a phansmatibus. *Ibid.* arg. 2.

3. Præterea, si intellectus possibilis cipit species intelligibiles a phantas- atibus, hoc non potest esse, nisi in antum species, quæ a sensibilibus acci- tur, intellectum possibilem movet. Sed lis species non potest movere intelle- um possibilem; non enim movet ipsum *phantasia* adhuc existens, quia ibi istens nondum est actu intelligibilis, d potentia tantum; similiter non movet tellectum possibilem existens in *in- llectu agente*, qui nullus speciei est ceptivus, alias non differret ab intel- ctu possibili. Similiter nec existens in *tellectu possibili*, quia forma jam inhæ- ns subjecto subjectum non movet, sed ipso quodammodo quiescit. Nec etiam r se existens, cum species intelligibiles n sint substantiæ, sed de genere acci- ntium. Ergo nullo modo species intelli- biles possunt recipi a sensibilibus seu phantasmatibus. — *Ibid.* arg. 7.

4. Præterea, effectus non se extendit tra virtutem suæ causæ; sed species telligibiles se extendunt ultra sensibi- a et ultra phantasmata; per illas enim telligimus quædam, quæ sensu percipi phantasmate repræsentari non pos- nt : ergo species intelligibilis non po- st accipi a sensibilibus. — 1a, q. 84, 6, arg. 3.

Sed contra est, quod Philosophus pro- at in 1. *Metaphys.* (c. 1) et in fine 2. oster. (*text.* 27; c. 19), quod principium ostræ cognitionis est a sensu; princi- ium autem intellectionis est species in- lligibilis : ergo. — 1a, q. 84, a. 6, rg. *Sed contra.*

Respondeo dicendum, quod circa istam quæstionem *triplex* fuit Philosophorum *opinio*. — Democritus enim posuit, quod nulla est alia causa cujuslibet nostræ cognitionis, nisi cum ab his corporibus, quæ cogitamus, veniunt atque intrant imagines in animas nostras, ut Augustinus dicit in *Epist. ad Dioscorum* (c. 4, n. 27; — Migne t. 33, col. 445), et Aristoteles etiam dicit in lib. *de Somno et Vigilia* (*de Divinatione per Somnum* c. 2), quod Democritus posuit cognitionem fieri per idola et defluxiones. Et hujus positionis ratio fuit, quia tam ipse Democritus quam alii antiqui naturales non ponebant intellectum differre a sensu, ut Aristoteles dicit in 2. *de Anima* (*text.* 150 et 151; l. 3, c. 3). Et ideo, quia sensus immutatur a sensibili, arbitrabantur omnem nostram cognitionem fieri per solam immutationem a sensibilibus; quam quidem immutationem Democritus asserebat fieri per imaginum defluxiones.

Plato vero e contrario posuit intellectum differre a sensu, et intellectum quidem esse virtutem immaterialem organo corporeo non utentem in suo actu. Et quia incorporeum non potest immutari a corporeo, posuit, quod cognitio intellectualis non fit per immutationem intellectus a sensibilibus, sed per participationem formarum intelligibilium separatarum, ut dictum est; sensum etiam posuit virtutem quandam per se operantem. Unde nec ipse sensus, cum sit quædam vis spiritualis, immutatur a sensibilibus; sed organa sensuum a sensibilibus immutantur; ex qua immutatione anima quodammodo excitatur, ut in se species sensibilium formet. Sic igitur, secundum Platonis opinionem, neque intellectualis cognitio a sensibili procedit, neque etiam sensibilis totaliter a sensibilibus rebus; sed sensibilia excitant animam sensibilem ad sentiendum, et similiter sensus excitant animam intellectivam ad intelligendum.

Aristoteles autem media via processit : posuit enim cum Platone, intellectum differre a sensu; sed sensum posuit propriam operationem non habere sine com-

municatione corporis, ita quod sentire non sit animæ actus tantum, sed conjuncti. Et similiter posuit de omnibus operationibus sensitivæ partis. Quia igitur non est inconveniens, quod sensibilia, quæ sunt extra animam, causent aliquid in conjunctum; in hoc Aristoteles cum Democrito concordavit, quod operationes sensitivæ partis causentur per impressionem sensibilium in sensum; non per modum defluxionis, ut Democritus posuit, sed per quandam operationem. Nam et Democritus omnem actionem fieri posuit per influxionem atomorum, ut patet in 1. *de Generat.* (*text.* 56 et 57; c. 8). Intellectum vero posuit Aristoteles habere operationem absque communicatione corporis. Nihil autem corporeum imprimere potest in rem incorpoream. Et ideo ad causandam intellectualem operationem secundum Aristotelem non sufficit sola impressio sensibilium corporum, sed requiritur aliquid nobilius, quia agens est nobilius patiente, ut ipse dicit 3. *de Anima* (*text.* 19; c. 5); non tamen ita, quod intellectualis operatio causetur ex sola impressione aliquarum rerum superiorum, ut Plato posuit, sed requiritur illud superius et nobilius agens, quod vocat intellectum agentem, de quo jam supra diximus, quod facit phantasmata a sensibus accepta intelligibilia in actu, per modum abstractionis cujusdam. Secundum hoc ergo ex parte phantasmatum intellectualis operatio a sensu causatur. Sed quia phantasmata non sufficiunt immutare intellectum possibilem, sed oportet quod fiant intelligibilia actu per intellectum agentem; non potest dici, quod sensibilis cognitio sit totalis et perfecta causa intellectualis cognitionis, sed magis quodammodo est materia causæ. — 1a, q. 84, a. 6, c.

Ad primum ergo dicendum, quod formæ sensibiles vel a sensibilibus abstractæ non possunt agere in mentem nostram, nisi quatenus per lumen intellectus agentis immateriales redduntur, et sic efficiuntur quodammodo homogeneæ intellectui possibili, in quem agunt. — *d. Verit.* q. 10, a. 6, ad 1.

Ad secundum dicendum, quod circa idem virtus superior et inferior operantur, non similiter, sed superior sublimius; unde et per formam, quæ a rebus accipitur, sensus non ita efficaciter rem cognoscit sicut intellectus; sed sensus per eam manuducitur in cognitionem exteriorum accidentium, intellectus vero pervenit ad nudam quidditatem rei, secernendo eam ab omnibus materialibus conditionibus. Unde pro tanto dicitur cognitio mentis a sensu originem habere: non quod omne illud, quod mens cognoscit, sensus apprehendat; sed quia ex his quæ sensus apprehendit, mens in aliqua ulteriora manuducitur, sicut etiam sensibilia intellecta manuducunt in intelligibilia divinorum. — *Ibid.* ad 2.

Ad tertium dicendum, quod in receptione, qua intellectus possibilis species rerum accipit a phantasmatibus, se habent phantasmata ut agens instrumentale et secundarium, intellectus vero agens ut agens principale et primum; et ideo actionis effectus relinquitur in intellectu possibili secundum conditionem utriusque, et non secundum conditionem alterius tantum. Et ideo intellectus possibilis recipit formas ut intelligibiles actu ex virtute intellectus agentis, sed ut similitudines determinatarum rerum ex cognitione phantasmatum; et sic formæ intelligibiles in actu non sunt per se existentes, neque in phantasia neque in intellectu agente, sed solum in intellectu possibili. — *Ibid.* ad 7.

Ad quartum dicendum, quod sensitiva cognitio non est tota causa intellectualis cognitionis; et ideo non est mirum, si intellectualis cognitio ultra sensitivam se extendit. — 1a, q. 84, a. 6, ad 3.

ARTICULUS V

UTRUM INTELLECTUS POSSIT ACTU INTELLIGERE PER SPECIES INTELLIGIBILES, QUAS HABET, NON CONVERTENDO SE AD PHANTASMATA.

Videtur quod intellectus possit actu intelligere per species intelligibiles, quas habet abstractas a phantasmatibus, non convertendo se ad phantasmata.

1. Intellectus enim fit in actu per speciem intelligibilem, qua informatur; sed intellectum esse in actu est ipsum intelligere : ergo species intelligibiles sufficiunt ad hoc quod intellectus actu intelligat, absque eo quod ad phantasmata se convertat. — 1a, q. 84, a. 7, arg. 1.

2. Præterea, magis dependet imaginatio a sensu, quam intellectus ab imaginatione; sed imaginatio potest imaginari actu absentibus sensibilibus: ergo multo magis intellectus potest intelligere actu, non convertendo se ad phantasmata. — *Ibid.* arg. 2.

3. Præterea, incorporalium non sunt aliqua phantasmata, quia imaginatio temporis et continuum non transcendit. Si ergo intellectus noster non posset aliquid intelligere in actu, nisi converteretur ad phantasmata, sequeretur quod non posset intelligere aliquid incorporeum; quod patet esse falsum; intelligimus enim veritatem ipsam et Deum et angelos. — *Ibid.* arg. 3.

4. Præterea, eadem est natura animæ conjunctæ et separatæ, imo perfectior est anima conjuncta corpori quam separata, cum anima sit pars naturaliter humanæ naturæ, quælibet autem pars est perfectior in suo toto quam extra totum ; sed anima separata potest intelligere sine phantasmate ; ergo et conjuncta. — 1a, q. 89, a. 1, c. et a. 2, arg. 1.

5. Præterea, intellectus est universalium, phantasma vero est similitudo rei corporalis et singularis ; ergo intellectus non intelligit convertendo se ad phantasmata ; nam sic intelligeret singularia, non autem universalia. — *de Memoria et Reminisc.* l. 2.

Sed contra est : 1. quod Philosophus 3. *de Anima* (*text.* 30; c. 7) et *de Memoria et Reminisc.* (c. 1) dicit, quod anima nunquam intelligit sine phantasmate. — 3. *de Anima* l. 12; *de Memoria et Reminisc.* l. 2.

2. Præterea, dicit Philosophus *de Memoria et Reminisc.* (c.1), quod nihil potest homo intelligere sine continuo et tempore ; sed hoc est, quia non potest intelligere sine phantasmate ; quia phantasma est similitudo rei singularis, quæ est hic et nunc, quæ non potest intelligi sine phantasmate : ergo. — *de Memoria et Reminisc.* l. 2.

3. Præterea, operatio proportionatur virtuti et essentiæ; sed intellectivum hominis est in sensitivo, sicut dicitur in 2. *de Anima :* ergo propria operatio ejus est intelligere intelligibilia in phantasmatibus; sicut intellectus substantiæ separatæ operatio est intelligere res secundum se intellectas. — *Ibid.*

Respondeo dicendum, quod impossibile est intellectum secundum præsentis vitæ statum, quo passibili corpori conjungitur, aliquid intelligere in actu, nisi convertendo se ad phantasmata. Et hoc duobus indiciis apparet. *Primo* quidem, quia cum intellectus sit vis quædam non utens corporali organo, nullo modo impediretur in suo actu per læsionem alicujus corporalis organi, si non requireretur ad ejus actum actus alicujus potentiæ utentis organo corporali. Utuntur autem organo corporali sensus et imaginatio et aliæ vires pertinentes ad partem sensitivam. Unde manifestum est, quod ad hoc quod intellectus actu intelligat, non solum accipiendo scientiam de novo, sed etiam utendo scientia jam acquisita, requiritur actus imaginationis et ceterarum virtutum. Videmus enim, quod impedito actu virtutis imaginativæ per læsionem organi, ut in phreneticis, et similiter impedito actu memorativæ virtutis,

ut in letargicis, impeditur homo ab intelligendo in actu etiam ea, quorum scientiam præaccepit.

Secundo, quia hoc quilibet in se ipso experiri potest, quod quando aliquis conatur aliquid intelligere, format sibi aliqua phantasmata per modum exemplorum, in quibus quasi inspiciat quod intelligere studet. Et inde est etiam quod quando aliquem volumus facere aliquid intelligere, propronimus ei exempla, ex quibus phantasmata formare possit ad intelligendum. — Hujus autem ratio est, quia potentia cognoscitiva proportionatur cognoscibili. Unde intellectus Angeli, qui est totaliter a corpore separatus, objectum proprium est substantia intelligibilis a corpore separata, et per hujusmodi intelligibile materialia cognoscit. Intellectus autem humani, qui est conjunctus corpori, proprium objectum est quidditas sive natura in materia corporali existens; et per hujusmodi naturas visibilium rerum, etiam in invisibilium rerum aliqualem cognitionem ascendit. De ratione autem hujus naturæ est quod in aliquo individuo existat, quod non est absque materia corporali; sicut de ratione naturæ lapidis est quod sit in hoc lapide, et de ratione naturæ equi est quod sit in hoc equo, et sic de aliis. Unde natura lapidis vel cujuscunque rei materialis cognosci non potest complete et vere, nisi secundum quod cognoscitur ut in particulari existens. Particulare autem apprehendimus per sensum et imaginationem; et ideo necesse est ad hoc, quod intellectus intelligat suum objectum proprium, quod convertat se ad phantasmata, ut speculetur naturam universalem in particulari existentem. Si autem proprium objectum intellectus nostri esset forma separata, vel si formæ rerum sensibilium subsisterent non in particularibus, secundum Platonicos, non oporteret quod intellectus noster semper intelligendo converteret se ad phantasmata. — 1a, q. 84, a. 7, c.

Ad primum ergo dicendum, quod species conservatæ in intellectu possibi in eo existunt habitualiter, quando act non intelligit. Unde ad hoc quod intell gamus in actu, non sufficit ipsa conser vatio specierum; sed oportet quod ei utamur secundum quod convenit rebus quarum sunt species, quæ sunt natur in particularibus existentes. — *Ibid.* a 1.

Ad secundum dicendum, quod etia ipsum phantasma est similitudo rei par ticularis. Unde non indiget imaginati aliqua alia similitudine particulari, sicu indiget intellectus. — *Ibid.* ad 2.

Ad tertium dicendum, quod incorpore quorum non sunt phantasmata, cogn scuntur a nobis per comparationem a corpora sensibilia, quorum sunt phantas mata; sicut veritatem intelligimus e consideratione rei, circa quam veritate speculamur; Deum autem, ut Dionysiu (*de Div. Nom.* c. 1, § 5; — Migne t. col. 594 — et alibi) dicit, cognoscimu ut causam et per excessum et per remo tionem. Alias etiam incorporeas substa tias in statu præsentis vitæ cognoscer non possumus nisi per remotionem v aliquam comparationem ad corporalio Et ideo cum de hujusmodi aliquid in telligimus, necesse habemus converti a phantasmata corporum, licet ipsoru non sint phantasmata. — *Ibid.* ad 3.

Ad quartum dicendum, quod quia ni hil operatur, nisi in quantum est actu modus autem operandi uniuscujusque r sequitur modum essendi ipsius; — ide quia anima habet duplicem modum es sendi — unum, cum unitur corpor alium, cum fuerit a corpore separata — secundum priorem modum competit il modus intelligendi per conversionem a phantasmata; secundum posteriore vero sine conversione. Et quia modu prior intelligendi est animæ naturalis sicut et corpori uniri, posterior vero e præter naturam (nam ad hoc unitur cor pori, ut operetur secundum suam natu ram); ideo simpliciter dicendum es quod anima naturaliter intelligere no

otest sine conversione ad phantasmata. -Nec obstat, quod posterior modus intelgendi sit perfectior, quia cum hoc stat, uod prior sit naturalior, sicut et anima eparata imperfectior est considerata naıra corporis, quam cum est conjuncta orpori. — 1a, q. 89, a. 1, c. et a. 2, d 1.

Ad quintum dicendum, quod anima um intelligit convertendo se ad phanasmata, non habet pro objecto ipsum hantasma, sed ipsam naturam universaem, quam tamen quia speculatur in articulari existentem, ideo dicitur intelgere suum objectum convertendo se ad hantasma. — *Opusc.* 43, c. 6; 1a, q. 4, a. 7, c.

QUÆSTIO XCVI

DE ACTU INTELLECTUS.

Deinde considerandum est de actu inellectus.

IRCA QUEM QUÆRUNTUR QUINQUE :

. Utrum omnis intellectio sit productiva verbi, seu sit dictio.
. Utrum intellectio sit prior natura dictione, an vero posterior.
. Utrum intellectio realiter distinguatur a verbo.
. Utrum intellectio producatur ab intellectu et a specie intelligibili tamquam a duobus agentibus partialibus, an vero a solo intellectu.
. Utrum intellectus sit semper in actu secundo.

ARTICULUS I

TRUM OMNIS INTELLECTIO SIT PRODUCTIVA VERBI, SEU SIT DICTIO.

Videtur quod non omnis intellectio sit roductiva verbi, seu sit dictio.

1. Dicit enim Philosophus 9. *Metaphys.* (*text.* 16; l. 8, c. 8), quod per actionem immanentem nihil producitur, sicut producitur per transeuntem; sed si intellectio esset productiva verbi, per actionem immanentem aliquid produceretur : ergo non omnis saltem intellectio est productiva verbi. — 9. *Metaphys.* l. 8.

2. Præterea, visio beatifica est intellectio; sed visio beatifica non est productiva verbi: quia verbum est medium, in quo res videtur et intelligitur; at in visione beatifica nullum est medium in quo, sed immediate tendit in divinam essentiam; ergo idem quod prius. — 4. *Sent.* dist. 49, q. 2, a. 1, ad 15.

3. Præterea, actus reflexus intellectus est intellectio, sicut actus directus; sed actus reflexus non est productivus verbi, quia verbum, quod est expressivum rei, quæ intelligitur, non est reflexum : ergo non omnis intellectio est productiva verbi. — *Opusc.* 14.

4. Præterea, in divinis Filius et Spiritus Sanctus intelligunt ; sed Filius et Spiritus Sanctus non producunt verbum : ergo non omnis intellectio est productio verbi.

5. Præterea, intellectus intelligit se; sed intellectus non dicit se : ergo non omnis intellectio est dictio. — *Opusc.* 14.

Sed contra est : 1. quod in omni intellectione est aliquid intellectum ; sed omne intellectum necessario debet esse in intellectu ; intellectum autem in intellectu nihil est aliud quam verbum mentis, quod est similitudo rei ad extra, et res ipsa intellecta, puta homo intellectus : ergo in omni intellectione datur et formatur verbum, per quod res intellecta dicitur esse in intellectu. — *de Pot.* q. 7, a. 6; q. 9, a. 5, c.; 4. *c. Gent.* c. 11, ubi v. Ferrariensis; *Quodl.* 8, a. 1. — Idem sentit Almain 3. *Sent.* dist. 14.

2. Præterea, de ratione ejus, quod est intelligere, est conceptio : sic enim, quia in Deo est intelligere, est etiam conceptio; sed conceptio necessario terminatur ad conceptum; unde et in divinis quia est conceptio, est etiam conceptum: ergo

necessario in omni intellectione est conceptum, quod alio nomine appellatur verbum. — *de Pot.* q. 9, a. 5; 1a, q. 27, a. 1.

3. Præterea, intellectio est actio potentiæ intellectivæ; sed per actionem potentiæ intellectivæ procedit aliquid ad intra, quod dicitur verbum : ergo per omnem intellectionem producitur verbum. — *Ibid.* et 4. *c. Gent.* c. 11.

Respondeo dicendum, quod dupliciter potest considerari intellectus creatus : *uno modo* in via : et sic necesse est dicere, per omnem intellectionem produci verbum, et consequenter omnem intellectionem esse dictionem.— Quod potest esse manifestum ex multis : et *primo* quidem ex natura cujuslibet actionis sive ad intra sive ad extra. Nam secundum omnem actionem tam ad intra quam ad extra, attenditur aliqua processio. Sicut enim per actionem ad extra aliquid procedit ad extra, ita et per actionem ad intra procedit aliquid ad intra. Sed ideo hoc ipso, quod quis intelligit vel amat, procedit aliquid intra ipsum, quia conceptio rei intellectæ ex vi intellectiva provenit, et ex ejus notitia procedit; et similiter id, quod per actum amoris producitur, per quod amatum est in amante, procedit ex voluntate. Est autem conceptio verbum cordis, quam vox significat; ergo in omni intellectione formatur verbum. — *Secundo*, ex natura ipsius intelligi. Ubi enim est intelligere, ibi est intelligi; intelligi autem est esse ipsius verbi : debet ergo per omne intelligere formari verbum. — *Tertio*, ex ratione rei intellectæ. De ratione enim ejus est, ut sit præsens intellectui per modum objecti, seu in esse objectivo terminante intellectionem. Neque enim sufficit, ut sit præsens vel per speciem intelligibilem vel realiter per identitatem ; nam intellectus angelicus intelligit se per verbum, et tamen est realiter idem cum specie intelligibili et cum intellectu ; est autem res intellecta præsens in esse objectivo intellectui mediante verbo per intellectionem formato. — *Quarto*, ex ratione rei intellectæ, ut intellecta est. Omne enim intellectum in quantum intellectum, oportet esse in intelligente ; sequitur enim ipsum intelligere apprehensionem ejus, quod intelligitur per intellectum. Unde etiam intellectus noster se ipsum intelligens est in se ipso, non solum ut idem sibi per essentiam, sed etiam ut a se apprehensus intelligendo. Intellectum autem in intelligente est intentio intellecta et verbum. Est igitur in quocunque intelligente per quamcunque intellectionem verbum quasi res intellecta. — *Demum* ex ratione locutionis. Per omnem enim intellectionem intellectus vel sibi vel alii loquitur; non potest autem intellectus loqui sibi vel alii, nisi sibi vel alii manifestet rem quam loquitur ; manifestatur autem res per verbum, quod tali intellectione et locutione formatur : unde verbum est species rei intellectæ ut concepta in intellectu et ordinata ad manifestationem vel ad se vel ad alterum. — 1a, q. 27, a. 1, c.; 2. *c. Gent.* c. 11; 4. *c. Gent.* c. 11 ; *de Pot.* q. 9, a. 5 ; *de Verit.* q. 4, a. 2; 1. *Sent.* dist. 27, q. 2, a. 1, 2, 3, c.

Altero modo potest considerari intellectus in patria ut videns Deum ; et sic de divina essentia nullum verbum ab intellectu beati formatur; sed per divinum verbum, tamquam per conceptionem unam, immediate divinam essentiam intuetur, juxta illud *Zachariæ* ult. (14, 9) *In illa die erit Dominus unus, et unum nomen*. — Quod ex multis potest constare. Nam, *primo*, visio beatifica est immediata, careas scilicet medio in quo, tamquam speculo; cognitio autem per verbum est mediata, nam verbum habet rationem speculi et imaginis et medii, in quo res videtur, ut infra ostendam (1. *Sent.* dist. 2, q. 1, a. 3, § Quantum ad quartum). — *Secundo*, quia verbum est similitudo rei intellectæ ; sed nulla res vel creatura potest esse similitudo divinæ essentiæ : *tum* quia omnis species intelligibilis, per quam intelligitur essentia et quidditas rei, comprehendit in repræsen-

ando rem illam; unde et orationes signi-
icantes *quod quid est*, terminos et ratio-
es et definitiones vocamus. Impossibile
utem est similitudinem creatam totaliter
epræsentare Deum: *tum* quia impossi-
ile est aliquod ens creatum, quod sit
erfecte actus et similitudo omnium en-
um, quia sic infinite possideret naturam
ntitatis; *tum* quia sicut ad hoc, ut visus
ideat albedinem, oportet quod recipiatur
n eo similitudo albedinis, secundum
ationem suæ speciei, quamvis non se-
undum eundem modum essendi; ita
militer, ut intellectus intelligat aliquam
uidditatem, oportet quod in eo fiat simi-
tudo ejusdem rationis secundum spe-
em, licet non sit idem modus essendi
triusque. Unde fit, ut sicut si fuerit in
culo forma citrini, non dicetur videre
bedinem; ita similiter, si in intellectu
erit similitudo unius quidditatis, nec
icetur nec poterit intelligere aliam quid-
itatem. Ratio est, quia forma existens
n sensu vel intellectu non est princi-
ium cognitionis secundum modum es-
endi, quem habet utrobique, sed secun-
um rationem, in qua communicat cum
e exteriori, quod commune est tam spe-
ei impressæ quam expressæ, quia utra-
ue deducit intellectum in cognitionem
ei per similitudinem, quam habet cum
e; nulla vero res creata potest commu-
icare in specie cum divina essentia. —
a, q. 12, a. 5, ad 2; 1. *Sent.* dist. 27,
. 2, a. 3, c.; 2. *Sent.* dist. 12, q. 1, a.
; 1. *Sent.* dist. 36, q. 1, a. 3; 4. *Sent.*
st. 49, q. 2, a. 1, ad 5; *Opusc.* 13 et
1; *c. Gent.* l. 1, c. 53; l. 3, c. 49; *de*
erit. q. 8, a. 1; q. 20, a. 2, c.

Postremo, quia ideo requiritur verbum
l omnem intellectionem viatoris, quia
tellectus viatoris intelligit indifferenter
m præsentem et absentem, et absque
lis conditionibus materialibus et indi-
duantibus; et quia cum intelligat intel-
ctus loquendo sibi vel aliis, debet sibi
l aliis manifestare rem intellectam,
iod fit per verbum; et quia intelligens
bet uniri cum re intellecta, unitur au-
m per verbum. Verum hæ rationes non
urgent respectu visionis beatificæ, quia divina essentia est immaterialis, et mediante lumine gloriæ præsentissima est intellectui beati: — ut ipsa *sicut* fungitur officio speciei intelligibilis, atque adeo formæ intrinsecæ in esse repræsentativo et intelligibili; *ita* etiam fungatur officio verbi et conceptionis. Nam ex divina essentia et intellectu beati fit unum in intelligendo, quomodo ex re intellecta et intellectu viatoris mediante verbo fit unum in intelligendo. Cum autem nequeat conceptio creata repræsentare perfecte totam perfectionem divinæ essentiæ, necesse est ut talis conceptio sit ipsamet essentia divina seu divinum verbum. Et sic sufficienter intelligitur intellectus beati videre divinam essentiam per intuitum in illam, sine ulla expressione et formatione verbi. — Ceterum, licet beatus non formet per visionem beatificam unum verbum vel unum conceptum repræsentantem divinam essentiam, potest tamen formare diversos conceptus inadæquate repræsentantes divinam essentiam, sicut et diversa nomina imponit, quibus laudat ejus bonitatem, majestatem et cetera attributa, quia dum videt Deum, vel imprimuntur illi a verbo divino similitudines rerum, quas videt in verbo; vel certe ex ipsa visione divinæ essentiæ potest beatus formare in se similitudines rerum quæ in essentia divina videntur, quibus mediantibus formari possunt varii conceptus de illis. — Et sic manifestum est, quomodo omnis intellectio intellectus creati sit dictio, et consequenter productiva verbi, et quomodo non. — 1. *Sent.* dist. 27, q. 2, a. 1, c.; *de Verit.* q. 8, a. 1, c. et ad 7; a. 5, ad 5 et 6; 1. *Sent.* dist. 2, q. 1, a. 3, § Quantum ad quartum; dist. 27, q. 2, a. 1, c.; *de Pot.* q. 7, a. 6, c.; 1a, q. 12, a. 9, ad 2.

Ad primum ergo *primæ partis* dicendum, quod tam per actionem immanentem quam per transeuntem producitur aliquid; sed per transeuntem immutatur aliquid extrinsecum, cui per actionem infertur passio; per immanentem autem nihil extrinsecum immutatur, sed totum

in ipso agente agitur; et ideo per illam dicitur nihil produci, ad extra scilicet, sicut producitur per actionem transeuntem. — 1a, q. 27, a. 1, c.; q. 34, a. 2, c.

Ad secundum dicendum, quod beati non formant unum conceptum de Deo, quia impossibile est quod conceptio intellectus creati repræsentet totam perfectionem divinæ essentiæ, sed illis ipsa divina essentia est loco conceptus, sicut et ipsa divina essentia est loco speciei intelligibilis; vi tamen visionis beatificæ formant varios conceptus de iis, quæ vident in divina essentia, inadæquate illa repræsentantes, ut dictum est (in c.). — 1. *Sent.* dist. 2, q. 1, a. 3; *de Pot.* q. 7, a. 6; *de Verit.* q. 8, a. 5, ad 4; 1a, q. 12, a. 9, ad 2.

Ad tertium dicendum, quod omnis intellectio rei distinctæ a verbo est in via productiva verbi, atque adeo est dictio, ut dictum est (in c.); intellectio vero verbi, quatenus est res quædam, non est intellectio rei distinctæ a verbo, et ideo non est mirum, si non producat verbum, et non sit dictio. — *Opusc.* 14.

Ad quartum dicendum, quod in divinis intellectio, quæ una est, est productiva Verbi, non tamen ut est intellectio cujuslibet divinæ personæ, sed solius Patris. — *Vel dic*, quod etiam intellectio essentialis Filii et Spiritus Sancti habet suum verbum, non tamen distinctum realiter ab intelligente, sed tantum ratione. — 1a, q. 34, a. 1, ad 1; 1. *Sent.* dist. 27, q. 2, a. 1.

Vel dic cum sancto Doctore *de Verit.* q. 4, a. 2, ad 3.

Ad quintum dicendum, quod intellectus intelligendo se producit verbum sui, non tamen dicit se, quia non intelligit se per speciem sui, sicut intelligit alia per species aliorum, cum tantum reflexe se intelligat intelligendo species rerum. — *Opusc.* 14.

Ad primum in contrarium dicendum, quod de ratione intellectionis rei est productio verbi, non autem de ratione intellectionis simpliciter, ut dictum est (in c. et ad 3). — Et sic patet *ad secundum.*

Ad tertium dicendum, quod intelligere importat solam habitudinem intelligenti ad rem intellectam, in qua nulla rati originis, et per consequens productioni importatur, sed solum informatio quædam in intellectu nostro, prout intellectu noster fit in actu per formam rei intellectæ; quæ respectu visionis beatific est divina essentia, habens rationem tu speciei intelligibilis tum verbi, ut dictu est; respectu vero intellectionis viator est verbum per illam formatum, quo me diante intelligitur res, cujus ipsum ve bum est similitudo. — Ceterum informat intellectus, in qua consistit ratio intell ctionis, aliquando importat omnimoda identitatem; et hoc modo se habet Deo, in quo idem est intellectus et inte lectum; — aliquando importat disti ctionem et originem realem inter inte lectum et conceptum ab illo formatum et hoc modo se habet in intellectu viat ris. — 1a, q. 34, a. 1, ad 3; 1. *Sen* dist. 27, q. 2, a. 1, c.

ARTICULUS II

UTRUM INTELLECTIO SIT PRIOR NATU DICTIONE SEU PRODUCTIONE VERBI.

Videtur quod intellectio sit natu posterior productione verbi et dictione

1. quia intellectio terminatur ad re non ut in se, sed ut in verbo; nam me diante verbo et in illo illam intelligit sed prius natura est id, in quo aliq cognoscitur, quam in eo cognoscat illud: ergo prius natura est product verbi seu dictio, quam intellectio. *Opusc.* 14 *de Natura Verbi*; 1. c. *Gent.* 53.

2. Præterea, objectum proponitur a tioni atque adeo intellectioni, ut di Philosophus 2. *de Anima*; sed verbum objectum intellectus immediatum, e sit id, in quo intellectus res intell tamquam in imagine expressa et ta

uam in speculo : ergo verbum prius atura existit et consequenter producir, quam existat intellectio. — *Ibid.* et . *Sent.* dist. 27, q. 2, a. 3 ; dist. 36, . 1, a. 3 ; 2. *Sent.* dist. 12, q. 1, a. 3.

3. Præterea, de ratione rei intellectæ tque adeo objecti intellectus, est ut sit ræsens objective intellectui ; sed non t præsens nisi per verbum formatum : rgo cum objectum præcedat actionem otentiæ, ut dictum est, multo magis ebet illam præcedere id, mediante quo t præsens potentiæ ; et sic prius natura roducetur verbum, quam intellectus in lo rem intelligat. — *c. Gent.* l. 1, c. 53; 4, c. 11 ; *de Pot.* q. 9, a. 5 ; *de Verit.* 4, a. 2.

Sed contra est : 1. quod productio ver- fit per intellectionem ; non enim est erbum in nobis, nisi secundum quod tu intelligimus ; unde necessario præquirit intellectum in actu suo, qui est telligere ; ergo intellectio est prior nara productione verbi, cum hæc sit efctus illius. — *de Verit.* q. 4, a. 1, ad ; *Opusc.* 14.

2. Præterea, dictio supra intellectioem addit aliquid aliud, puta rationem iginis atque adeo habitudinem ad verum conceptum ; sed id, cui fit additio, ius est eo, quod illi additur, et per nsequens composito ex utroque ; nam mpositum est posterius natura partis componentibus : ergo intellectio est ior natura dictione. — 1a, q. 34, a. 1 ; 3, a. 7 ; 1. *c. Gent.* c. 18.

Respondeo dicendum, quod aliquo modo ci potest, quod intellectio natura prædit dictionem seu productionem verbi, aliquo modo illam sequitur. — Ad cus evidentiam sciendum, quod quia res elligibilis eo ipso intelligitur, quo inlectus formatur sua specie, prius natura intellectum informari quam intellire, sed non tempore ; ideo videtur verm, quod sequitur speciem rei, simili' sequi intelligere ejus. Hoc autem non set, si per speciem rei tenderet intelctus in ipsam rem ut in se, sicut visus videt colorem extra se existentem, et tunc formaret verbum in se de (1) re prius intellecta. Sed quia intellectus accipiens speciem a re per sensus, non ducitur per ipsam in rem ut est in sui natura, sed ut in se est, quia ipse facit in se objectum quod est in eo intellectum ; objectum autem naturaliter prius est actione potentiæ circa objectum : ideo verbum, quod est intra ipsum intellectum, prius est ipso intelligere ad ipsum terminato. Aliud enim est hoc a quo accipitur species, scilicet res ipsa ; et aliud ad quod terminatur actio intellectus, scilicet similitudo rei formata ab intellectu.

Ex his autem manifestum est, quo modo attendatur prioritas unius eorum ad alterum. Prius enim natura est intellectus informatus specie, quæ est principium sufficiens intelligendi, quam gignatur verbum ; et ideo intelligere in radice est prius verbo, et verbum est terminus actionis intellectus (quamquam quia actio speciem sumit a suo principio, intellectionis autem principium non solum est species intelligibilis, seu objectum mediante specie, sed etiam intellectus, quatenus intelligere est actio intellectus, præcedit ipsum verbum, quod est terminus intellectionis). Quoniam vero objectum non habetur nisi in verbo, ut dictum est, objectum autem prius est quam quælibet actio ad illud terminata, ideo verbum est prius quam intelligere. Et hoc totum ideo contingit, quia non terminatur actio intellectus ad rem extra, a qua acquirit speciem ut in se est. Si enim species nata esset ducere intellectum ad rem ut in se est, ut species coloris ducit in colorem, omnibus modis præcederet intelligere verbum. Unde manifestum est, quod verbum non est quod sequitur intellectum immediate post rationem intellectus ; sic enim simpliciter præcederet verbum actum intellectus, qui est intelligere ; sed verbum sequitur immediate intellectum in actu per speciem, a

(1) Al. omitt. « de ».

qua procedit verbum ut actus ex actu, et non ut actus ex potentia. Unde verbum est posterius actu intelligendi ex parte intellectus; et sic verbum sequitur ad intelligere, non in se, sed in sua radice; præcedit autem ipsum formaliter, quia per verbum et in verbo formato intellectus objectum, quod est extra, seu rem, cujus verbum est similitudo, intelligit. — *Opusc.* 14.

Et ex his patet *ad objecta* utriusque partis.

ARTICULUS III

UTRUM INTELLECTIO REALITER DISTINGUATUR A VERBO.

Videtur quod intellectio realiter non distinguatur a verbo.

1. Dicit enim Augustinus (9. *de Trin.* c. 10 et 11; — Migne t. 42, col. 969), quod verbum est notitia; sed notitia nihil aliud est quam intellectio: ergo intellectio non distinguitur realiter a verbo. — 1a, q. 34, a. 1, arg. 2.

2. Præterea, verbum ponitur ut sit similitudo expressa objecti; sed hoc convenit intellectioni, ut dicit Augustinus 14. *de Trin.* (c. 17; — Migne t. 42, col. 1054 sq.) et Anselmus in *Monolog.* (c. 33; — Migne 158, col. 187 et 188): ergo verbum non distinguitur realiter ab intellectione. — 1. *c. Gent.* c. 53.

3. Præterea, verbum est quo intellectus intelligit; sed hoc ipsum convenit intellectioni, nam per intellectionem formaliter intellectus intelligit: ergo idem quod prius. — 1. *Sent.* dist. 27, q. 2, a. 1 et 2.

4. Præterea, motus est idem realiter cum termino, ut dictum est ex Philosopho 3. *Phys.* (*text.* 5 et 6, c. 1); sed intellectio est quidam motus, est enim intelligere quoddam pati (3. *de Anima text.* 12; c. 4); passio autem motus est, ut dicitur 3. *Phys.* (*text.* 18, 19, 20; c. 3): ergo intelligere realiter idem est cum suo termino intrinseco, qui est verbum. — V. supra in Physica q. 22, a. 1a, q. 79, a. 2, arg. *Sed contra.*

5. Præterea, si verbum realiter distinguetur ab intellectione, posset haberi sine verbo compleri; sed non potest compleri sine illo, propter quod verbum dicitur esse intrinsecum intellectioni: ergo idem quod prius. — 1. *c. Gent.* c. 53.

Sed contra: 1. Dicit Philosophus 1. *Eth.* c. 3 (2), quod operationes virtutum et felicitas, quæ est operatio intellectus, non sunt qualitates, sed actiones; sed verbum est qualitas: ergo verbum distinguitur realiter ab intellectione. — 1. *Eth.* l. 3.

2. Præterea, verbum ideo ponitur, ut sit id, in quo tamquam in speculo vel imagine intelligitur objectum; sed speculum et imago realiter distinguuntur a intellectione rei in speculo et imagine: ergo verbum distinguitur realiter ab intellectione. — *c. Gent.* l. 1, c. 53; l. 4, c. 11; *Opusc.* 14.

Respondeo dicendum, quod intelligere in intelligendo ad quatuor potest habere ordinem: scilicet ad rem, quæ intelligitur; ad speciem intelligibilem, per quam fit intellectus in actu; ad suum intelligere; et ad conceptionem intellectus; quorum postremum a reliquis tribus distinguitur realiterque distinguitur: — a re quidem intellecta, quia res intellecta intelligitur est extra intellectum, conceptio autem intellectus non est nisi in intellectu. Præterea, conceptio intellectus ordinatur ad rem intellectam sicut ad finem; propter hoc enim intellectus conceptionem rei in se format, ut rem intellectam cognoscat. — Distinguitur etiam a specie intelligibili, quia species intelligibilis permanet post intellectionem, non remanente verbo et intellectione. Præterea, verbum mentis est id, quod verbo exterior significatur, at verbum externum significat speciem intelligibilem. Ita species intelligibilis est principium intellectionis et verbi per intellectionem producti, cum omne agens agat in quantum est actu; actu autem fit per aliquam

nam, quæ est principium actionis : nullum autem principium est idem realiter cum suo principiato. — Differt demum ab intellectione : primo, quia verbum est terminus intellectionis, et quoddam constitutum per ipsam et effectus ipsius ; procedit enim ex notitia rei ; causa autem præsertim efficiens, ut est in proposito, realiter distinguitur a suo effectu. Secundo, quia intellectio est realiter distincta a suo objecto, sicut visio a colore et sensatio a sensibili ; verbum autem mentis est primum objectum intellectus, ut infra dicemus. Tertio, quia quotiescunque actio non est conjuncta cum motu, nihil aliud est actio quam relatio et habitudo quædam ; sed intellectio non est cum motu : ergo est tantum relatio mentis ; sed verbum mentis non est relatio, sed est qualitas quædam et habitus spiritualis : ergo dicendum est, quod verbum mentis realiter distinguitur ab intellectione. — 1a, q. 27, a. 1 ; q. 34, a. 1 ; q. 40, a. 1 ; q. 41, a. 1, ad 2 ; q. 89, a. 4 ; — *c. Gent.* l. 1, c. 53 (ubi v. Ferrariensis) et 93 ; l. 2, c. 73 (ubi v. Ferrariensis) ; l. 4, c. 11 et sqq. ; — *de Pot.* q. 8, a. 1 ; q. 9, a. 1 et 3 ; — *de Verit.* q. 4, a. 1 ; — *Quodl.* 5, q. 5, ad 9 ; — *Opusc.* 13 et 14. — V. Capreolus in 1. *Sent.* dist. 27, q. 2 ; in 2. *Sent.* dist. 3, q. 2 ; in 4. *Sent.* dist. 49, q. 5 ; — Ægidius Rom. *Quodl.* 5, q. 9 ; — Hervæus, tract. *de Verbo* q. 1, a. 3 ; — Durandus in 1. *Sent.* dist. 12, q. 1.

Ad primum ergo dicendum, quod cum Augustinus dicit, quod verbum est notitia, non accipit notitiam pro actu intellectus, sed pro eo, quod intellectus concipit cognoscendo. Unde et alibi, ut 7. *de Trin.* c. 2 et 3 (Migne t. 42, col. 936 et sq.) dicit, quod verbum est sapientia genita, quæ nihil aliud est quam ipsa conceptio sapientis, quæ etiam pari modo notitia genita dici potest. — 1a, q. 34, a. 1, ad 2.

Ad secundum dicendum, eodem modo, quod cum dicit Augustinus, quod intellectio est similitudo, sumit intellectionem pro termino, seu pro eo quod producitur per intellectionem. Ideo vero intellectio non potest esse similitudo rei intellectæ, quia intellectio est essentialiter respectus ; respectus autem de genere actionis non potest esse similitudo rei absolutæ ; nec potest esse repræsentativus nisi ratione sui principii vel termini ; nam species intelligibilis, quæ est principium intellectionis, est similitudo impressa rei intellectæ ; verbum vero, quod est terminus intellectionis, est species expressa. — V. Ferrariensis in 1. *c. Gent.* c. 53 ; Capreolus in 4. *Sent.* dist. 49, q. 5 ; 1. *c. Gent.* c. 93 ; *de Verit.* q. 8, a. 4.

Ad tertium dicendum, quod id, quo formaliter intellectus intelligit, est species intelligibilis et intelligere ; at verbum mentis est instrumentum, quo intellectus intelligit ; et id, in quo intellectus intelligit tamquam in speculo et in imagine. — 1. *Sent.* dist. 27, q. 2, a. 2, c. ; *Quodl.* 5, a. 9, ad 1 ; *Opusc.* 13 et 14.

Ad quartum dicendum, quod intellectio non est motus, qui est actus imperfecti, definitus a Philosopho 3. *Phys.*, sed est motus perfecti, qui est operatio, ut dicitur 3. *de Anima* (*text.* 5 ; c. 4). — *de Verit.* q. 4, a. 1, ad 1 ; *de Pot.* q. 10, a. 1.

Ad quintum dicendum, quod verbum dicitur intrinsecum intellectioni, quia nequit intellectio terminari ad rem intellectam, nisi mediante verbo ; et tam intellectio quam verbum sunt in intellectu, simulque sunt, et simul desinunt ; nam verbum in anima nequit esse sine actuali intellectione. — 1. *c. Gent.* c. 53.

ARTICULUS IV

UTRUM INTELLECTIO PRODUCATUR AB INTELLECTU ET A SPECIE INTELLIGIBILI TAMQUAM A DUOBUS AGENTIBUS PARTIALIBUS, AN VERO VEL A SOLO INTELLECTU VEL A SOLA SPECIE.

Videtur quod intellectio producatur a

solo intellectu, tamquam a principio completo productivo.

1. Actio enim intellectus cum sit immanens, et non transiens in exteriorem materiam, ut dicitur 9. *Metaphys.* (*text.* 16; l. 8, c. 8), est in eo subjective, a quo est; sed actio intellectus est subjective in intellectu: ergo est productive a solo intellectu. — 1a, q. 105, a. 3, arg. 1; q. 85, a. 1, c.; q. 79, a. 2, c.

2. Præterea id, quod habet in se principium sufficiens sui motus, non movetur ab alio, ac proinde non eget alio comprincipio talis motus. Sed motus intellectus est ipsum intelligere ejus: sicut dicitur, quod intelligere vel sentire est motus quidam, secundum Philosophum in 3. *de Anima* (*text.* 28; c. 7); sufficiens autem principium intelligendi est lumen intelligibile inditum intellectui. Ergo respectu intellectionis non datur aliud principium præter intellectum. — 1a, q. 105, a. 3, arg. 2.

3. Præterea, actio intellectus est vitalis, atque adeo vita, ut dicit Philosophus (12. *Metaphys. text.* 39; l. 11, c. 7); et ideo principium illius est vitale. Sed species intelligibilis non est vita, cum nec sit de essentia agentis intellectualis, nec ejus potentia et proprietas, nec operatio, ut dictum est. Ergo actio intellectus non producitur a specie intelligibili. — *Tabula Aurea* voce « vita »; 1a, q. 18, a. 3, ad 1; *Opusc.* 14; *de Verit.* q. 8, a. 4.

4. Præterea, si species intelligibilis esset principium intellectionis, cum sit causa naturalis naturaliter ac necessario agens, illa posita in intellectu, necessario sequeretur intellectio rei repræsentatæ per illam speciem; sed non semper intellectus intelligit res, quarum habet species intelligibiles: ergo intellectionis principium non est species intelligibilis.

5. Videtur quod sola species est causa efficiens intellectionis: quia cum causa efficiens et materialis non incidant in idem numero, ut dicitur 2. *Phys.* (*text.* 70 et sqq.; c. 6), non potest idem esse causa efficiens et subjectum intellectionis; sed intellectus est subjectum intellectionis: ergo non potest esse causa efficiens illius, sed hæc erit sola species. — Cfr. 1a 2æ, q. 74, a. 1, arg. 3.

Sed contra est, quod Philosophus intellectionis principium ponit et animam mediante intellectu, ut 2. *de Anima text.* 37 (c. 4) et objectum mediante specie, vel ab ipso producta, ut dicit 2. *de Anima text.* 59 et 60 (c. 5), vel ab intellectu agente, ut 3. *de Anima text.* 19 (c. 5); ergo species intelligibilis est comprincipium productivum intellectionis. — 2. *de Anima* l. 7 et 12; 1a, q. 85, a. 2, arg. *Sed contra*, et in c.; 3. *de Anima* l. 10.

Respondeo dicendum, quod intellectio producitur ab intellectu et a specie intelligibili tamquam a duobus principiis partialibus constituentibus unum integrum et completum. — Quod potest esse manifestum ex duobus. Et *primo* quidem ex determinatione et specificatione ipsius intellectionis; sicut enim in visione albi vel nigri non solum debet dari principium effectivum ipsius visionis ut visio est, cujus principium est ipsa potentia visiva, sed etiam ipsius visionis ut est albi et nigri, cujus principium est objectum mediante specie, ut dicit Philosophus 2. *de Anima* (*text.* 59; c. 5); ita non solum debet dari principium intellectionis ut intellectio est, cujus principium est potentia intellectiva, sed etiam intellectionis hujus vel illius objecti. Quod non potest esse aliud quam species intelligibilis. Ita enim se habet, ut dictum est (supra q. 94, a. 3, arg. 4), intellectus ad intelligibile sicut sensus ad sensibile, nisi quod sensibile immediate producit speciem sui in sensu, intelligibile vero non nisi mediante intellectu agente, ut dictum est. — 1a 2æ, q. 9, a. 1, c.

Secundo, ex natura virtutis intellectus: quia enim hæc est principium etiam in intelligente in potentia, necessario præter illam dandum est aliud principium in actu; hoc autem est similitudo rei intellectæ. Hinc enim est quod Deus dupliciter dicitur movere aliquem ad intelli-

gendum, nimirum dando virtutem ad intelligendum, vel naturalem vel superadditam, et imprimendo ei species intelligibiles, et utrumque tenendo et conservando in esse. (1a, q. 105, a. 4, c.) Præterea, quia licet intellectus possibilis sit potentia operativa, atque adeo activa actione immanente, quæ est perfectio ipsius agentis et operantis, ut patet ex Philosopho 3. *de Anima* (*text.* 28 ; c. 7), ut dictum est (supra q. 51, a. 9, et q. 61, a. un.); est tamen potentia passiva reducibilis ad actum ab intellectu agente, per impressionem speciei intelligibilis. Unde fit, ut quia nullum agens potest agere, nisi quatenus est actu per aliquam formam ; fit autem actu intellectus possibilis per speciem illi impressam ; propterea non possit intellectus intelligi esse principium completum intellectionis, nisi determinatus per talem formam, ita ut ex intellectu et tali forma fiat unum integrum principium. Et ita manifestum est, quod intellectio non producitur a solo intellectu neque a sola specie intelligibili, sed ab utroque, licet ab intellectu producatur tamquam a causa principali, cum ab illo dependeat quoad substantiam, et a specie quoad modum. — 1a, q. 79, a. 3 ; *Quæst. disp. de Anima* a. 4 ; *de Verit.* q. 8, a. 6 ; q. 9, a. 5.

Ad primum ergo dicendum, quod intellectio recipitur in solo intellectu possibili, et non in specie : *tum* quia est actio vitalis immanens in agente intellectuali, atque adeo in principio elicitivo vitali, ut dictum est (supra a. 1 et 2 hujus q.); *tum* quia intellectus possibilis est potentia passiva, quia in se recipit tam speciem intelligibilem quam ipsam intellectionem et verbum mentis per illam productum ; intellectus enim, ut dictum est (supra a. 3 hujus q.), habet ordinem ad illa tria : quorum speciem intelligibilem recipit ab intellectu agente ; verbum vero mentis in se format, ut per illud res ad extra intelligat ; intellectionem vero operatur immanenter in se et non extra se, licet illam eliciat non nisi constitutus in actu per speciem intelligibilem. — Et ex hoc patet *ad tertium*.

Ad secundum dicendum, quod lumen intellectuale simul cum specie intelligibili est sufficiens principium intelligendi, ut dictum est (supra in corp.).

Ad quartum dicendum, quod licet species intelligibilis sit principium intellectionis, et naturaliter agens, subditur tamen imperio voluntatis, præterquam quod non est principium principale (hoc enim est intellectiva potentia, quæ utitur specie in intelligendo, secundum imperium voluntatis); et ideo species non semper causat intellectionem, licet ex se naturaliter agat ad illam. — 1a, q. 57, a. 4.

Ad quintum dicendum, quod ratio illa procedit in causis efficientibus, quarum actiones transeunt in materiam exteriorem, et quæ non movent se, sed alia ; cujus contrarium est in intellectu et voluntate ; unde ratio non sequitur. — 1a 2æ, q. 74, a, 1, ad 3.

ARTICULUS V

UTRUM INTELLECTUS SEMPER SIT IN ACTU SECUNDO.

Videtur quod intellectus semper sit in actu secundo.

1. Dicit enim Philosophus (3. *de Anima text.* 20 ; c. 5), quod intellectus non aliquando quidem intelligit, aliquando non ; ergo semper intelligit. — 3. *de Anima* l. 10.

2. Præterea, intellectus fit in actu per hoc, quod formatur specie intelligibili ; nam antequam illam recipiat, dicitur esse in potentia ; sed intellectum esse in actu est ipsum intelligibile actu : ergo intellectus semper actu intelligit, saltem ea, quorum habet species. — 1a, q. 79, a. 6, arg. 3 ; q. 84, a. 7, a. 1.

3. Præterea, intellectus non est potentia libere agens sicut voluntas, sed naturaliter et necessario ; sed posita causa naturali et sufficienti ponitur ejus effectus, et consequenter et ejus actio ; ergo

intellectus semper est in actu secundo. — *Tabula Aurea* voce « causa » n. 3.

4. Præterea, in anima semper est imago Trinitatis, cum sit ad imaginem Dei facta; sed non est imago Dei secundum potentias, quia hæ duæ tantum sunt : ergo erit imago Dei secundum actus; et sic semper erit intellectus in actu. — 1a, q. 93, a. 7.

5. Præterea, voluntas non potest cessare ab omni actu; sed actus voluntatis necessario supponit actum intellectus, quia movetur voluntas ab intellectu : ergo intellectus semper est in actu. — 1a 2æ, q. 71, a. 5; 2a 2æ, q. 79, a. 3.

Sed contra est : 1. quod Philosophus 3. *de Anima* (*text.* 16; c. 4) dicit, quod intellectus aliquando non intelligit. — 3. *de Anima* l. 9.

2. Præterea, tunc tantum intellectus possibilis actu intelligit, quando est perfecte in actu respectu specierum, quas habet; sed aliquando est imperfecte, puta modo medio inter puram potentiam et purum actum; quod est quando habitualiter scit aliquid : ergo intellectus non semper intelligit. — *Tabula Aurea* voce « intellectus » n. 162; *de Verit.* q. 10, a. 2, ad 4; a. 3, arg. 3 *Sed contra*; 1a, q. 107, a. 1; q. 84, a. 7 et 8; q. 93, a. 7, ad 4.

Respondeo dicendum, quod intellectus non semper est in actu secundo. — Quod patet manifeste ex duobus : et *primo* quidem, quia ad hoc, ut intellectus intelligat actu, non solum accipiendo cognitionem et scientiam de novo, sed etiam utendo scientia jam acquisita, requiritur actus imaginativæ virtutis et reliquarum virtutum. Patet autem experientia, in homine aliquando has virtutes impediri per ligamentum sensus, ob maximam copiam evaporationum et fumositatum resolutarum, ut contingit in dormientibus, ut dicitur in lib. *de Somno et Vigilia* c. 4 (3). Cum enim secundum dispositionem hujusmodi evaporationum contingat esse ligamentum sensus majus vel minus, quandoque tantus est motus vaporum, ut non solum ligetur sensus, sed etiam imaginatio, ita ut nulla appareant phantasmata; sicut præcipue accidit, cum aliquis incipit dormire post multum cibum et potum; et tunc non potest intellectus operari, quia quotiescunque operatur, necesse est ut appareant phantasmata ad quæ convertatur; vel per læsionem organi, ut contingit in phreneticis et letargicis, in quibus, quia impeditur actus virtutis imaginativæ per læsionem organi, ut in prioribus, et actus virtutis memorativæ, ut in posterioribus, impediuntur ab intelligendo in actu etiam ea, quorum cognitionem præacceperunt, atque adeo quorum species intelligibiles in intellectu habent. — *de Verit.* p. 10, a. 2, ad 7; 1a, q. 84, a. 7.

Secundo patet, quia tam actus rationis quam sensitivæ interioris subest imperio rationis atque adeo motioni voluntatis. Intellectus enim cum intelligit, utitur hac vel illa specie per imperium voluntatis, ut dictum est; et actus imaginativæ subjicitur imperio rationis et voluntatis; potest autem voluntas cessare ab omni actu, ita ut aliquando nihil omnino velit, *tum quia* actus voluntatis est ex eo genere naturalium, quæ consequuntur materiam, quæ non semper insunt, ut dictum est in Logica (q. 37, a. 3, ad 2); *tum quia* cum sit libera, nec ad aliquid faciendum vel non faciendum determinetur, potest hoc modo prætermittere aliquid, quod ejus contrarium non velit, nec de ejus contrario cogitet, nec etiam de aliquo alio, quod sit per se impedimentum ejus, quod facere tenetur. Neque est necesse quod cogitet de aliquo, quod sit per accidens impedimentum, putquia est causa, cur deinde voluntas omittat actum. Nam aliquando ista causa est naturalis et non subjecta imperio voluntatis, ut quando quis propter infirmitatem prætermittit ire ad ecclesiam; et tunc non est necesse voluntatem aliquem actum exercere circa istam causam. Præterea, quia antequam voluntas aliquid velit vel non velit, ratione propriæ voluntatis, utrumque potest illi esse volunta-

ium et non volitum, puta tam actus quam omissio actus. Dicitur autem actus voluntatis voluntarius, non quia super llum cadet actus voluntatis, sed quia est n potestate voluntatis, ut fiat vel non iat, ut dicitur 3. *Eth.* c. 5 (7); ergo siniliter et omissio actus seu non velle diitur voluntarium, quia est in potestate voluntis non velle, sicut et velle. Unde elinquitur quod poterit voluntas aliquando esse sine ullo actu, et per conequens et intellectus. — *de Verit.* q. 0, a. 2, ad 4; a. 3 arg. 2 *Sed contra;* . 25, a. 4; 1a 2æ, q. 17, a. 6; q. 71, a. , in c. et ad 2; 2a 2æ, q. 79, a. 3, arg. et ad 4; 2. *Sent.* dist. 35, q. 1, a. 3, in . et ad 5.

Et ex his patet *ad quintum.*

Ad primum ergo dicendum, quod Phiosophus loquitur de intellectu in actu, ui consistit in ipso intelligere, non auem de intellectu possibili absolute sumto, vel de intellectu in habitu. — 3. *de nima* l. 10, et ll. citand. in responso ad equens argum.

Ad secundum dicendum, quod species onservatæ intellectu possibili in eo exitunt habitualiter, quando actu non intelgit. Unde ad hoc quod intellectus actu telligat, non sufficit ipsa conservatio pecierum, sed oportet quod eis utatur ecundum quod convenit rebus, quarum abet species, quæ sunt naturæ in partiularibus existentes. — 1a, q. 79, a. 6, d 3; q. 84, a. 7, ad 1.

Ad tertium dicendum, quod actus intelctus quoad exercitium subditur imperio oluntatis, ratione vero objecti aliquando ibditur imperio naturæ, ut in his, quæ onvincunt intellectum; aliquando vero ubditur imperio voluntatis, ut in his, uæ non adeo convincunt intellectum, uin possit assentire vel dissentire vel altem assensum vel dissensum suspenere propter aliquam causam. In talibus im assensus ipse vel dissensus in poteate nostra est, et sub imperium volunitis cadit. — *Tabula Aurea* voce « intelctus » n. 222 et 229.

Ad quartum dicendum, quod imago Trinitatis semper est in anima ratione potentiarum; intellectus enim et memoria saltem ratione distinguuntur per ordinem ad diversa, non autem ratione actuum. — 1a, q. 93, a. 7.

QUÆSTIO XCVII

DE TERMINO INTRINSECO INTELLECTIONIS SEU DE VERBO MENTIS.

Deinde considerandum est de termino intrinseco intellectionis seu de verbo mentis.

CIRCA QUOD QUÆRUNTUR DUO:

1. Utrum sit necessarium ponere verbum mentis.
2. Utrum verbum mentis sit medium quo, an vero in quo, atque adeo tamquam imago, in quo intellectus res ad extra intelligat.

ARTICULUS I

UTRUM SIT NECESSARIUM PONERE VERBUM MENTIS.

Videtur quod non sit necessarium verbum mentis in intellectu ultra speciem intelligibilem a phantasmatibus abstractam.

1. Omnis enim qualitas vel accidens causatur in aliquo subjecto, in quantum est alicujus receptivum; sed agens ex hoc quod agit non recipit aliquid, sed magis ex se emittit: ergo non potest intellectus per suam actionem in se producere ullam qualitatem, atque adeo verbum. — 1a 2æ, q. 51, a. 2, arg. 1.

2. Præterea illud, in quo causatur aliqua qualitas, movetur ad illam qualitatem, ut patet in re calefacta vel infrigidata; et ideo si intellectus per intellectionem in se producit verbum, debet ad ipsum moveri; sed quod producit per suum actum aliquam qualitatem, movet, ut patet in

calefaciente et infrigidante : ergo si intellectus per suum actum producit verbum idem intellectus erit movens et motum, agens et patiens ; quod est impossibile. — *Ibid.* arg. 2.

3. Præterea, effectus non potest esse nobilior sua causa; sed verbum mentis est nobilius et perfectius specie intelligibili ; nam hæc est similitudo impressa et habitualis, illud vero est actualis et expressa : ergo non potest intellectus per speciem intelligibilem verbum producere ; et per consequens nec dabitur, nam se solo intellectus non potest illud producere, quia idem in quantum idem semper natum producere idem ; at verba ponuntur multiplicia et diversa, ut patet : ergo. — *Ibid.* arg. 3 ; *c. Gent.* l. 1, c. 53 ; l. 4, c. 11.

4. Præterea, formæ quæ sunt ejusdem generis propinqui, quanto sunt perfectiores, tanto sunt magis activæ ; sed species intelligibilis et verbum, si sit forma ejusdem rei repræsentativa, cujus est species, sunt ejusdem generis ; nulla enim ratio est, nec ex parte subjecti nec objecti nec officii, quod sint diversi generis : quia utraque est in eodem subjecto, et habet idem objectum repræsentare ; ergo illa, quæ est perfectior, erit magis activa. Sed verbum est perfectior forma quam species intelligibilis : ergo si species intelligibilis simul cum intellectu possibili est sufficiens productivum verbi, multo magis verbum simul cum intellectu possibili erit sufficiens productivum alterius verbi ; et sic dabitur processus in infinitum, quod est inconveniens. Ergo non datur verbum mentis. — V. Capreolum in 1. *Sent.* dist. 27, q. 2, et dist. 35, q. 1.

5. Præterea, si verbum est necessarium, *vel primo*, ut sit terminus intellectionis ; et hoc non, tum quia terminus cujuslibet intellectionis est ejus objectum, objectum autem intellectus est res, non verbum et conceptus ; tum quia alioqui scientia esset de conceptibus et non de rebus ; tum quia verbum non nisi reflexe cognoscitur, res autem directe cognoscitur ab intellectu ; — *vel secundo*, ut uniat objectum intellectui, quippe qui indifferente cognoscit præsens et absens ; et hoc non quia hoc sufficienter facit species intelligibilis prævia intellectioni ; — *vel tertio* ut sit imago, in qua intellectus respiciat suum objectum ; et hoc non, quia perfectius cognoscit intellectus quam sensus ; sensus autem non cognoscit sensibile in aliqua imagine, sed in se ; — *vel demum* quia objectum intellectus debet esse denudatum a conditionibus individuantibus atque a-leo universale ; hoc autem nihil aliud est quam ipsum verbum, ut dictum est (in Logica q. 2, a. 1) ; et hoc non, quia intellectus intelligit se ipsum qui est singularis ; et cum sit virtus superior ipso sensu, debet posse quidquid illi potest ; cognoscit autem sensus singulare, ut patet : ergo. — 1a, q. 85, a. 2 ; *c. Gent.* l. 1, c. 53 ; l. 4, c. 11 ; 1a, q. 86, a. 1, arg. 3 et 4 ; *de Verit.* q. 10, a. 5.

Sed contra est, quod secundum Philosophum (l. *Periherm.* c. 1) « ea quæ sunt in voce, sunt signa eorum quæ sunt in anima passionum » ; sed non sunt signa intellectionis vel speciei intelligibilis, ut dictum est (in Logica q. 2, a. 1) : ergo sunt signa verbi mentalis formati ab intellectu. — *Opusc.* 13 et 15 *de Pot.* q. 8, a. 1 ; 1a, q. 27, a. 1.

Respondeo dicendum, quod necesse est dicere ponendum esse verbum per actum intellectus seu per intellectionem formarum. — Quod potest esse manifestum ex multis. Et *primo* quidem ex natura actionis. Sicut enim per actionem ad extra intelligimus procedere aliquid ad extra, et per actionem quæ manet in ipso agente, intelligere debemus aliquid esse intra procedere. Cum ergo intellectio sit actio intellectus in intelligente manens, debebit quicumque intelligit, eo ipso quod intelligit, producere aliquid in se : hoc autem est conceptus rei intellectæ ex intellectiva proveniens, et ex ejus notitia procedens, qui alio nomine dicitur ver-

bum mentis vel cordis, quod verbo vocis significatur. (1a, q. 27, a. 1, in c.; *de Pot.* q. 10, a. 1.) *Secundo*, ex differentia inter intelligere et dicere. Nam *intelligere* importat solam habitudinem intelligentis ad rem intellectam, in qua nulla ratio originis importatur; sed *dicere* importat principaliter habitudinem ad verbum conceptum : nihil enim aliud est dicere quam proferre verbum; et mediante verbo importat habitudinem ad rem intellectam, quæ verbo prolato manifestatur. Sicut ergo datur actus intellectus, qui est dictio, ita necesse est dari terminum hujus operationis, qui dicitur verbum. (1a, q. 34, a. 1, c. et ad 3.) *Tertio*, ex differentia inter intelligere divinum et humanum. Quia enim in nobis dicere non solum significat intelligere, sed intelligere cum hoc, quod est ex se exprimere aliquam conceptionem, et sine tali expressione conceptus intelligere non possumus; ideo omne intelligere in nobis proprie loquendo est *dicere*. Sed Deus potest intelligere sine hoc, quod aliquid ex ipso procedat secundum rem, quia in eo idem est intelligens et intellectum et intelligere, quod in nobis non accidit. Sicut ergo in nobis necesse est omne intelligere esse dicere, ita necesse est dari verbum, ad quod terminatur ipsum dicere. (*de Verit.* q. 4, a. 2, ad 5.) *Quarto*, ex præsentialitate objecti. Cum enim objectum debeat esse præsens potentiæ, et intellectus indifferenter intelligat rem præsentem et absentem, in quo cum imaginatione convenit, sicut necesse est quod imaginatio formet quandam imaginem, in quam tamquam in primum objectum inspiciat, et per quam tendat in rem imaginatam, ita ut eodem motu tendat in imaginem ut imago est, et in rem imaginatam; — ita necesse est quod per intellectionem formetur quædam intentio et conceptus, in quam immediate feratur intellectus tamquam in immediatum et primum objectum, et eodem actu tendat in rem per talem conceptum repræsentatam, sive illa sit præsens sive absens. (1. *c. Gent.* c. 53; 1. *Sent.* dist. 36, q. 1, a. 3; 2. *Sent.* dist. 12, q. 1, a. 3; 1. *Sent.* dist. 27, q. 2, a. 3, c.) *Quinto*, ex conditione objecti intellectus. Sicut enim objectum sensus est res materialis et singularis, ut objectum proportionetur virtuti, quæ materialis est; ita et objectum intellectus, quæ est potentia immaterialis, debet esse denudatum a conditionibus materialibus et individuantibus, sine quibus in rerum natura non existit. Hoc autem esse non potest, nisi intellectus per suum actum formet verbum, quod repræsentat rem sine conditionibus materialibus et individuantibus. Et est forma quidem singularis, quatenus est recepta in intellectu tamquam accidens in subjecto; sed est universalis in repræsentando. Et quia est ratio cognoscendi rem, quam repræsentat, eodem actu intellectus fertur in ipsum et in rem, quæ per verbum repræsentatur. Unde manifestum est necessario ponendum esse verbum per actum intellectus formatum. — 1a, q. 76, a. 2, ad 3; *de Spirit. Creat.* a. 9, ad 6 et 15.

Ad primum ergo dicendum, quod agens in quantum agens non recipit aliquid, sed in quantum agit motum ab alio, sic recipit aliquid a movente. Intellectus autem movetur ab objecto, mediante specie intelligibili ab intellectu agente producta. — 1a 2æ, q. 51, a. 2, ad 1; 1a, q. 79, a. 3.

Ad secundum dicendum, quod idem secundum idem non potest esse agens et patiens; potest autem secundum diversa. Intellectus autem dicitur pati secundum suam entitatem puram; dicitur autem agere, ut est constitutus in actu per formam, ut dictum est (q. præced. a. 4, ad 1). — 1a 2æ, q. 51, a. 2, ad 2.

Ad tertium dicendum, quod verbum non procedit a specie intelligibili tamquam a causa principali, sed tamquam a minus principali; principalis enim causa est intellectus, qui in intelligendo utitur speciebus, per imperium voluntatis. — 1a, q. 57, a. 4; q. 107, a. 1; *de Malo* q. 16,

a. 8; v. Capreolum in 1. *Sent.* dist. 35, q. 1.

Ad quartum dicendum, quod licet verbum et species intelligibilis sint ejusdem generis, quamvis differant specie in esse naturali, sicut et color et species coloris; habet tamen verbum esse debilius et intentionalius quam species intelligibilis actui prævia, cum non remaneat, nisi quamdiu remanet actus intelligendi; et ideo non oportet quod sit principium ulterioris intellectionis, sicut species. — V. Capreolum in 1. *Sent.* dist. 27, q. 2; dist. 35, q. 1.

Ad quintum dicendum, quod verbum est necessarium : *primo*, ut sit terminus intrinsecus intellectionis, per quem constituitur formaliter et actualiter objectum præsens intellectui et ejus actui, ut dictum est (in c.). Dicitur autem res quæ intelligitur objectum intellectus, non autem conceptus aut verbum, sicut et scientia dicitur esse de rebus, non de conceptibus, quia conceptus ordinatur ad res sicut ad finem, ut dictum est (in Logica q. 2, a. 1, ad 4). Propterea vero dicitur verbum non nisi reflexe cognosci, quia dupliciter potest verbum considerari : uno modo formaliter et ut est imago, et sic est objectum primum intellectionis directæ ; alio modo materialiter, quatenus est qualitas quædam, et sic est objectum intellectionis reflexæ. *Secundo* requiritur verbum, ut actu uniat objectum intellectioni et intellectui ; ut enim dictum est (q. præced. a. 1, in c., et in Logica q. 2, a. 1), debet res intellecta esse in intellecta actu intelligente; non est autem alio modo quam per verbum. *Tertio* requiritur verbum ut imago et medium, in quo intellectus intelligit res; in hoc enim distinguitur intellectus a sensu, quod, quia objectum sensus est extra, non est necesse ut formetur idolum, in quo sensus res sensibiles intueatur; intellectus autem objectum, quia est intra ipsum, cum indifferenter intelligat res absentes et præsentes, necesse est ut intellectus formet verbum, in quo res intellecta sit objective, et per illud tamquam per imaginem intellectus deveniat in cognitionem rerum. *Quarto* requiritur verbum, ut constituatur objectum proportionatum virtuti intellectivæ, cujusmodi non est singulare materiale; — dico *materiale*, quia singulare non repugnat intelligenti, quatenus est singulare, sed in quantum est materiale; et ideo si aliquid sit immateriale et singulare, sicut intellectus, hoc non repugnat intelligenti. Virtus autem superior potest quidem illud, quod virtus inferior, sed eminentiori modo. Unde id quod cognoscit sensus materialiter et concrete, quod est cognoscere singulare directe, hoc cognoscit intellectus immaterialiter et abstracte, quod est cognoscere universale. — 1. *Sent.* dist. 36, q. 1, a. 3 ; dist. 27, q. 2, a. 3, c. — Cfr. Cajetanus in 1am, q. 27, a. 1 ; Capreolus in 1. *Sent.* dist. 35, q. 2, a. 1 ; Ferrariensis in 1. *c. Gent.* c. 53 ; Hervæus, tract. *de Verbo* q. 1, a. 3 — 1a, q. 86, a. 1, ad 3 et 4 ; q. 87, a. 1 ad 3 ; 4. *Sent.* dist. 49, q. 2, a. 1, ad 15 *de Verit.* q. 20, a. 2 ; expos. super Joannem cap. 1, lect. 1.

ARTICULUS II

UTRUM VERBUM SIT TANTUM MEDIUM QUO INTELLIGENDI, AN VERO ETIAM MEDIUM IN QUO, PER MODUM IMAGINIS ET SPECULI.

Videtur quod verbum sit tantum *medium quo* intelligendi, et non *medium in quo* et tamquam imago.

1. Ita enim se habet intellectus ad intelligibilia, sicut sensus ad sensibilia; oritur enim intellectiva cognitio a sensu; sed sensus non habet aliud medium, quo quo : ergo nec intellectus ; et sic verbum non erit medium in quo. — 1a, q. 79, a. 3, ad 1 ; 1. *Sent.* dist. 35, q. 1, a. 2 dist. 27, q. 2, a. 1 ; 1a, q. 85, a. 2.

2. Præterea, intellectus experitur, vere judicat in suo intuitu omne illud quod ejus intuitum terminat : sed manifestum est, quod intelligens rosam non experitur nec judicat in suo intuitu du

terminos, sed tantum unum, puta rosam, quæ est ad extra : ergo impossibile est quod primum intellectum sit verbum, et consequenter quod sit medium in quo. — Arg. 4 Aureoli contra primam conclus apud Capreolum 1. *Sent.* dist. 27, q. 2, a. 2.

3. Præterea, verbum non potest habere in intellectu rationem speculi et imaginis propter tria : *primum*, quia illud, quod est primo cognitum et ratio cognoscendi alterum, videtur esse magis cognitum, vel saltem non minus, quam illud, quod repræsentatur et cognoscitur per ipsum, ut patet in exemplo speculi et imaginis. Sed verbum non est magis cognitum quam res principaliter intellecta, imo est totaliter ignoratum, quia omnes experimur nos cognoscere rem, quæ est principale objectum, puta hominem esse animal rationale, quæ dicitur esse cognita per verbum ; sed quod in nobis sit aliqua forma per quam et in qua, sicut in imagine, cognoscamus hominem esse animal, nullus experitur, imo de hoc dubitamus, et quærimus, nec unquam clare invenimus. — *Secundum* est, quia nos experimur, quod intellectus noster nec se nec suos actus aut habitus aut species, si quas habeat, nec aliqua alia, si quæ ponuntur in illo subjective, potest cognoscere nisi actu reflexo : si ergo verbum est aliqua forma exemplaris existens subjective in intellectu, non potest cognosci per actum rectum ; cujus tamen oppositum ponitur ab asserentibus verbum esse medium in quo. — *Tertium* est, quia in voluntate non est aliqua forma, quæ sit primo dilecta et ratio diligendi alterum ; ergo nec in intellectu est aliqua forma, quæ sit primo intellecta et ratio intelligendi alterum ; ergo verbum non est forma exemplaris et imago subjective existens in intellectu ; sed si verbum ponitur esse medium in quo, necessario debet esse hujusmodi forma : ergo verbum non est medium in quo. — Arg. Durandi et Petri Palud. apud Capreolum in 1. *Sent.* d. 27, q. 2, a 2, arg. 9 contra primam concl. (edit. Venet. 1589 pag. 394 b.).

4. Præterea, nullum objectum prius cognitum potest esse medium cognoscendi aliud quidditativo et proprio conceptu, si in se non contineat totam rationem illius, et nisi sit omnino ejusdem rationis cum eo ; nam si diversum est, non potest deducere in cognitionem illius ; sed verbum mentis est omnino rationis et naturæ diversæ a re intellecta : ergo non potest verbum mentis esse medium in quo. — Arg. Scoti.

5. Præterea, si verbum mentis est medium in quo, necessario erit id, quod intelligitur ab intellectu. Sed hoc manifeste apparet falsum ex duobus : *primo* quidem, quia eadem sunt, quæ intelligimus, et de quibus sunt scientiæ, at scientia est de rebus, non de conceptibus ; — *secundo*, quia sequeretur error antiquorum dicentium omne quod videtur, esse verum ; et similiter, quod contradictoriæ essent simul veræ. Ergo dicendum est, quod verbum mentis non se habet ad intellectum ut medium in quo, sed tantum ut medium quo. — 1a, q. 85, a. 2, in c.

6. Præterea, ipsum intelligere non specificatur a verbo, sed ab objecto ; sed specificatur a re intellecta : ergo verbum mentis neque est objectum neque res intellecta ; et per consequens verbum non est medium in quo. — 1a, q. 14, a. 5, arg. 3.

7. Præterea, quale est unumquodque, talia operatur ; sed per hoc, quod species intelligibilis, quæ est forma intellectus et intelligendi principium, est similitudo rei exterioris, sequitur quod intellectus intentionem formet illi rei similem ; et ex hoc, quod intentio intellecta est similis alicui rei, sequitur quod intellectus formando hujusmodi intentionem, rem illam intelligat. Sed species intelligibilis est tantum medium quo intelligendi ; ergo et verbum, quod est intentio intellecta, erit tantum medium quo, et non in quo. — 1. *c. Gent.* c. 53.

Sed contra est : 1. quod illud, quo cognoscimus sicut *instrumento*, oportet nobis esse primo notum ; sic enim cognosci-

mus conclusionem per principia naturaliter cognita, ad quæ naturaliter comparatur intellectus sicut ad instrumenta, ut dicit Commentator 3. *de Anima ;* illud vero, quo cognoscimus sicut *forma cognoscentis*, non oportet esse primo notum, quia nec oculus videt lucem, quæ est de compositione oculi ; nec speciem sensibilem, per quam videt. Sed species intelligibilis est forma, qua intellectus intelligit ; verbum vero mentis est instrumentum ab intellectu fabricatum, quo intelligit ; ergo verbum mentis est medium *in quo*. — *Quodl.* 5, a. 9, ad 1 ; *Quodl.* 10, a. 7, ad 2.

2. Præterea, hoc distinguitur verbum a specie intelligibili, quod licet utrumque sit similitudo rei intellectæ, species tamen est *principium* intelligibilis operationis, verbum autem est *terminus* illius ; sed terminus intelligibilis operationis, sicut et cujuscunque actionis, est ejus objectum : ergo verbum est objectum intellectionis, et consequenter non tantum est medium *quo*, sed etiam *in quo* cognito aliud cognoscitur. — *Quodl.* 5, a. 9, in c.; *Quodl.* 10, a. 7 ; 1. *Sent.* dist. 17, q. 1, a. 5, ad 3 *.

3. Præterea, verbum mentis dicitur *intentio intellecta ;* sed quod est medium *quo* intelligendi tantum, non est quid intellectum : ergo verbum mentis non est medium *quo* tantum, sed etiam medium *in quo*. — c. *Gent.* l. 1, c. 53 ; l. 4, c. 11.

Respondeo dicendum, quod necesse est dicere, quod verbum mentis est *medium in quo*, et *imago* quæ visa deducit in cognitionem rei per illam repræsentatæ. Cujus ratio est, quia de ratione medii *in quo* cognoscendi, seu imaginis, est ut sit *primo cognitum* et *ratio cognoscendi aliud ;* utrumque autem competit verbo mentis.

Et *primum* quidem multipliciter apparet : et *primo*, quia verbum est immediatus et primus terminus intellectionis ; terminus autem immediatus intellectionis, sicut et cujuslibet actionis, est ejus objectum immediatum. *Secundo*, quia esse verbi est ipsum intelligi ; implicat autem id, cujus esse est intelligi, non terminare passive intellectionem, atque adeo intelligi ut quod. *Tertio*, quia verbum intelligentis hominem est homo intellectus ; immediatum autem objectum intellectus intelligentis hominem est homo intellectus ; nam per hunc devenit in cognitionem hominis simpliciter. *Quarto*, quia illud, quod est primo et per se intellectum, non est res illa, cujus notitia per intellectum habetur, cum illa quandoque sit intellecta in potentia tantum, et sit extra intelligentem, et sic aliquando absens, sicut cum homo intelligit res materiales, puta lapidem, animal et similia, et aliquid absens ; cum tamen oporteat quod intellectum sit in intelligente, et unum cum ipso. — Neque etiam primo intellectum est similitudo rei intellectæ, per quam informatur intellectus ad intelligendum ; intellectus enim non potest intelligere, nisi secundum quod fit actu per hanc similitudinem ; sicut nihil aliud potest operari secundum quod est in potentia, sed secundum quod fit actu per aliquam formam ; unde hæc similitudo se habet in intelligendo sicut intelligendi *principium*, non sicut *terminus*. — Hoc ergo erit primo et per se objectum, quod intellectus in se ipso format et concipit de re intellecta, quod dicitur verbum. *Quinto*, quia, ut dictum est, objectum primum intellectus debet esse intra ipsum, sicut objectum sensus est extra, et debet esse proportionatum virtuti intelligendi ; hæc autem solo verbo conveniunt, ut dictum est (art. præced.).

Quod vero verbum mentis sit *ratio cognoscendi res ad extra*, probatur : *tum quia*, ut dictum est, ratio cognoscendi

* « Visus particularis non potest cognoscere nisi illud, cujus species spiritualiter in pupilla potest recipi ; et ideo visus non potest comprehendere suum actum ». — Unde si oppositum dicit 1. *Sent.* dist. 35, q. 1, a. 2, in c., gratia exempli id dicitur, ut bene notat Capreolus in 1. *Sent.* dist. 35, q. 2, a. 1, conclus. 6.

st forma rei in quantum cognita, quia er eam fit actu cognita ; fit autem res ctu cognita per verbum ; — *tum quia* niversale est ratio cognoscendi et faiendi ea, quæ sunt a parte rei ; ad hoc nim inventæ sunt artes et scientiæ, ut es in suis naturis universalibus cognocerentur ; et per consequens eatenus inellectus res extra animam existentes conosceret, quatenus cognosceret univeralia. Est autem verbum mentis tale unicrsale, ut supra ostensum est. Cum enim erbum sit una similitudo omnium ab ntellectu formata uniformiter inducens n eorum cognitionem ob sui abstractioem a conditionibus individualibus, vere st quid universale ; quod enim est tale, st ratio cognoscendi illa quæ in eo videnur et repræsentantur, sicut universale st ratio cognoscendi particularia in eo ontenta. Quamvis enim verbum menis, si consideretur secundum quod est imilitudo plurium ad invicem similium, ihil illi tribui possit, nisi quod in rebus nvenitur ; si tamen consideretur secunlum quod est ens quoddam in intellectu, le illo potest dici, quod sit intelligibile t universale. (2. *Sent.* dist. 12, q. 1, a. , ad 5 ; et supra in Logica q. 2, art. 3, .) — Unde manifestum est, quod verbum st *medium in quo* intelligendi, et non *meium quo* tantum. — 1. *Sent.* dist. 27, q. , a. 3 ; dist. 36, q. 1, a. 3 ; 2. *Sent.* dist. 2, q. 1, a. 3, ad 5 ; 4. *Sent.* dist. 49, q. , a. 3, ad 15 ; 1a, q. 85, a. 2 ; q. 87, a. ; q. 14, a. 2 ; *c. Gent.* l. 1, c. 53 ; l. 2, . 75 ; l. 4, c. 11 ; *de Verit.* q. 3, a. 2 ; q. 0, a. 2 ; *de Pot.* q. 9, a. 5 ; lect. 1 super ap. 1 *Joannis ; Opusc.* 13 et 14.

Ad primum ergo dicendum, quod cognio sensus perficitur per solam immutaionem sensus a sensibili ; nam per formam, quæ illi a sensibili imprimitur, entit ; non autem ipse sensus exterior ormat sibi aliquam formam, quomodo llam format imaginatio consimilem verbo nentis ab intellectu fabricato. — *Quodl.* , a. 9, ad 1 et 2 ; 1a, q. 85, a. 2, ad .

Ad secundum dicendum, quod quia conceptus, seu verbum ut *imago rei*, est ratio cognoscendi, facit unum cognitum cum re, quæ cognoscitur, sicut materia et forma sunt unum in esse ; ideo quando intellectus per verbum intelligit rem, non judicat esse duo intellecta, sed unum, ut dictum est ; secus autem esset, si intellectus intelligeret verbum ut *res* quædam est. — 3. *Sent.* dist. 14, q. 1, a. 1, quæstiunc. 4, in sol. — V. Capreolum in 1. *Sent.* dist. 27, q. 2, a. 2, ad 4 Aureoli ; cf. in 1. *Sent.* dist. 35, q. 1.

Ad tertium dicendum, quod vere verbum habet rationem imaginis et medii in quo. Et *ad primam probationem* dicendum, quod *sicut* non experior, dum video albedinem, quod actus meus feratur in duo, puta in colorem et coloratum ; imo non experior quod feratur in colorem, sed in coloratum, nisi per ratiocinationem, qua distinguo inter visibile et rationem visibilis ; *ita* quia verbum mentis est ratio intelligibilitatis rei exterioris, est prius cognitum quam res extra ; non tamen est ita manifestum. — *Ad secundam probationem* dicendum, quod antecedens est falsum. Nec probatio ejus valet. Licet enim species aut actus aut habitus intellectus non cognoscatur nisi reflexe ; secus tamen est de verbo, quia illud est terminus intellectionis, non autem actus nec alia numerata. Nec oportet, si intellectus directe intuetur verbum, quod est subjective in ipso, quod ideo intueatur se ipsum directe, quantum ad suum quod quid est ; nam intellectus possibilis in quantum hujusmodi pro isto statu non est intelligibilis in actu, nisi illo modo, quo intelligit alia. Et illo modo concedo, quod in omni intellectione intellectus intelligit se ; nam dum intelligit lapidem, ipse est lapis in esse intelligibili ; et ideo intelligit se eadem intellectione, qua intelligit lapidem, non tamen in quantum intellectus, sicut nec quicunque videt lignum ut pictum, videt lignum ut lignum. — *Ad tertiam probationem* dicendum, quod similitudo inter intellectum et voluntatem

non valet, quia voluntas non est potentia conceptiva sicut intellectus ; nec requirit speciem præviam actui sicut intellectus; nec terminatur ad rem illo modo, quo intellectus ; nam objectum intellectus est res ut in intellectu, objectum vero voluntatis est res ut in se est. Conceditur tamen, quod sicut intellectus per actum suum gignit conceptionem, ita voluntas per actum suum emittit quandam impressionem amati in amante. — V. Capreolum 1. *Sent.* dist. 27, q. 2, a. 2, ad arg. 9 Durandi et Petri Palud. contra conclus. 1 (edit. Venet. 1589 pag. 399 b).

Ad quartum dicendum, quod verbum mentis est ejusdem rationis cum intellectu in esse intelligibili, non autem in esse naturali et reali. Et cum sit imago intelligibiliter repræsentans plura, ut dictum est, intelligibiliter illa in se continet.

Ad quintum dicendum, quod verbum mentis est objectum primum, ut dictum est; quomodo vero scientia sit de verbo, et de re manifestata per verbum, dictum est. Ex eo autem, quod verbum est medium in quo, sequeretur error antiquorum, si tantum intellectus judicium ferret de *ipso*, non autem de re manifestata per verbum. — 3. *Sent.* dist. 14, q. 1, a. 1, quæstiunc. 4 ; 1a, q. 85, a. 2; cf. etiam ll. cc. in corp. hujus art.

Ad sextum dicendum, quod intelligere specificatur a re et non a verbo, quia verbum ordinatur ad rem tamquam ad finem, ut dictum est (in Logica q. 2, a. 1, ad 4).

Ad septimum dicendum, quod similitudo inter speciem intelligibilem et verbum tantum consistit in hoc, quod utrumque est similitudo repræsentans rem ad extra, non autem in activitate vel in ratione medii. — 1. c. *Gent.* c. 53.

QUÆSTIO XCVIII

DE OBJECTO INTELLECTUS.

Deinde considerandum est de object intellectus, et primum quidem de object in communi, deinde in particulari.

CIRCA PRIMUM QUÆRITUR :

Quodnam sit objectum intellectus.

ARTICULUS

QUODNAM SIT OBJECTUM INTELLECTUS.

I. Videtur quod objectum intellectus s *ens*.

1. Illud enim est proprium objectu intellectus, quod primum omnium cadi in conceptionem intellectus; sed hoc es ens, quia secundum hoc unumquodqu cognoscere est, in quantum est actu, u dicitur 9. *Metaphys.* (*text.* 20; l. 8, c. 9) ergo ens est proprium objectum intellectus atque adeo primum intelligibile. — 1a q. 5, a. 1 et 2; 1. *Sent.* dist. 19, q. 5 a. 1, ad 2.

2. Præterea, ratio cujuslibet potentia consistit in ordine ad id, ad quod dicitur quod est ejus objectum; sed ratio intellectus dicitur ad communem rationem entis nam intellectus possibilis est quo es omnia fieri; unde secundum nullam differentiam entium diversificatur potentia intellectus possibilis ; ergo objectum intellectus est ens in communi. — 1a, q. 79 a. 7, c.

Sed contra est, quod modus cognoscendi sequitur modum naturæ rei cognoscentis sed anima nostra quamdiu in hac vita vivimus, habet esse in materia corporali ergo non potest intelligere nisi ea, quæ sunt in materia corporali. Non ergo ens in communi est objectum intellectus. — 1a, q. 12, a. 4 et 11, c.; q. 84, a. 8, c. q. 89, a. 1, c.

II. — Videtur quod objectum intellectus sit *verum*.

1. Id enim est objectum intellectus, sub ujus ratione percipit intellectus quid-uid intelligit ; sed intellectus intelligit ns sub ratione veri : ergo verum est bjectum intellectus. — 1a, q. 16, a. 3, rg. 3.

2. Præterea, ita se habet ad intelle-tum verum, sicut ad voluntatem bonum; ed bonum est proprium objectum volun-ıtis : ergo et verum erit proprium obje-tum intellectus. — 1a 2æ, q. 60, a. 1, ad ; 1. *Sent.* dist. 19, q. 5, a. 1, c.

Sed contra est, quod Philosophus (2. *de nima text.* 152 ; l. 3, c. 3) dicit, quod ontingit intelligere et vere et falso; ergo bjectum intellectus non est verum. — 3. *e Anima* l. 4.

III. Videtur quod objectum intellectus t *quidditas* seu *natura rei materialis.*

1. Dicit enim Philosophus (3. *de Anima xt.* 30 ; c. 7), quod nihil sine phantas-ıate intelligit anima ; sed hoc non esset erum, si objectum intellectus non esset atura et quidditas rei materialis : ergo æc vere est objectum intellectus. — 1a, . 84, a. 7, arg. *Sed contra* et in c.

2. Præterea, natura cognoscens debet sse proportionata proprio objecto ; sed atura animæ cognoscentis est forma in ıateria : ergo et ejus objectum debet sse quidditas in materia existens. — 1a, . 12, a. 4 et 11, c. ; q. 84, a. 7 et 8, c.

IV. Videtur quod objectum intellectus it *phantasma.*

1. Dicit enim Philosophus (3. *de Anima xt.* 31 ; c. 7), quod phantasmata se ha-et ad intellectum sicut sensibilia ad sen-ım, et colores ad visum ; sed sensibilia ınt propria objecta sensuum : ergo et hantasmata intellectus. — 2. *Sent.* dist.), q. 2, a. 2, c.

2. Præterea, dicit Philosophus (3. *de nima text.* 30 ; c. 7), quod oportet intel-gentem phantasmata speculari ; sed ob-ctum intellectus est id, circa quod fer-r speculatio intelligentis : ergo obje-um intellectus est phantasma. — 3. *de nima* l. 12.

3. Præterea, intellectus intelligit cum continuo et tempore, et non sine phantasmate ; sed hoc est, quia utitur phantasmatibus tamquam objectis, sive in accipiendo scientiam sive in utendo ea : ergo phantasma est objectum intellectus. — 2. *Sent.* dist. 23, q. 2, a. 2, ad 3 ; 3. *Sent.* dist. 14, q. 1, a. 3, quæstiunc.2, c.; dist. 31, q. 2. a. 4 ; *Quæst. disp. de Anima* a. 15, c.

Sed contra est, quod sicut finis potentiæ visivæ est cognoscere colores, ita finis potentiæ intellectivæ non est cognoscere phantasmata, sed res repræsentatas per species intelligibiles ; ergo sicut color est objectum visus, ita objectum intellectus erit res repræsentata per speciem intelligibilem, non autem phantasma. — 3a, q. 11, a. 2, ad 1.

V. Videtur quod objectum intellectus sit *universale.*

1. Dicit enim Philosophus (1. *Phys. text.* 49 ; c. 5), quod sensus est singularium, intellectus vero universalium ; ergo sicut singulare est objectum sensus, ita universale erit objectum intellectus. — 1a, q. 86, a. 1, arg. *Sed contra.*

2. Præterea, illud est objectum intellectus possibilis, propter quod faciendum ponitur intellectus agens ; sed hic ponitur ad faciendum universale : ut nimirum faciat res intelligibiles actu, abstrahendo eas a conditionibus individuantibus, quæ faciunt rem singularem : ergo objectum intellectus est universale. — *Quodl.* 12, a. 11.

Sed contra est, quod connaturale est homini intelligere per intellectum naturas, quæ non habent esse nisi in natura individuali ; sed intelligere formas existentes in materia individuali est intelligere singulare : ergo objectum intellectus non est universale. — 1a, q. 12, a. 4, c.; q. 85, a. 1, c.

Respondeo dicendum, quod dupliciter potest aliquid esse objectum intellectus : *uno modo, ut id quo* intellectus intelligit. Et hoc triplex est : aliud enim est, quo formaliter intellectus intelligit, sed improprie et remote, vel per modum medii;

et hoc est phantasma; — aliud vero, quo intelligit proprie et proxime; et hoc est species intelligibilis; — aliud demum, quo intellectus instrumentaliter intelligit; et hoc est verbum mentis : hoc enim est fabricatum ab intellectu tamquam instrumentum, mediante quo et in quo, ut dictum est, intellectus res intelligit. — *Alio modo, ut id quod* intellectus intelligit; et hoc est res repræsentata per speciem intelligibilem et verbum mentis. — 1a, q. 85, a. 2 et 3; 3. *Sent.* dist. 31, q. 2, a. 4, ad 5; *de Verit.* q. 2, a. 6, c.; *Quodl.* 5, a. 9, ad 1.

Verum in hac re repræsentata duo considerari possunt : unum, quod se habet quasi materialiter, et alterum est sicut formale complens rationem objecti, sicut ad visibile concurrit lux et color. Illud autem, quod se habet materialiter ad objectum intellectus, est quæcunque res intellecta, sed ratio objecti completur ex ratione *veri;* sicut id, quod se habet materialiter ad objectum voluntatis, est quæcunque res volita, sed ratio objecti completur ex ratione *boni*. Sicut enim *bonitas* dicit rationem per quam essentia ordinatur ad appetitum, ita *veritas* dicit rationem per quam essentia ordinatur ad intellectum. Unde sicut nullum esse appetitur amota ratione boni, ita nullum esse intelligitur amota ratione veri. Materiale vero dupliciter potest esse objectum potentiæ : — vel *collective*, quia continet omnia quæ pertinent ad illam potentiam; et sic ens est objectum intellectus, quia nihil intelligitur nisi ens; — vel *exhaustive*, id est, quod tantum ad illam potentiam pertinet. Et hoc dupliciter contingit esse tale : — vel *quantum ad modum* seu rationem *repræsentandi* consequentem actum rationis seu modum intelligendi in præsenti vita, qui modus est per abstractionem a conditionibus individuantibus, lumine intellectus agentis; et sic universale est objectum intellectus, quatenus intentio universalitatis consequitur modum intelligendi; — vel *quantum ad rem intellectam;* et sic quidditas est objectum intellectus, quia solus intellectus cognoscit quidditates rerum. — Et sic patet ex his, quod plura constitui possunt objectum intellectus, sed diversimode considerata, ut dictum est. — 1. *Sent.* dist. 19, q. 5, a. 1, c. et ad 2; cfr. dist. 48, q. 1, a. 2, c.; *de Verit.* q. 2, a. 3, ad 12; 1a, q. 85, a. 2; *de Pot.* q. 7, a. 9, c.; 4. *Metaphys.* l. 4 (1); 1. *Poster.* l. 2 (1).

Unde patet ad objecta.

QUÆSTIO XCIX

DE MODO, QUO ANIMA CORPORI UNITA INTELLIGIT CORPORALIA, QUÆ SUNT INFRA ANIMAM.

Deinde considerandum est de objecto in particulari, cujus consideratio erit tripartita. Nam *primo* considerabimus, quomodo anima intelligat corporalia, quæ sunt infra ipsam. *Secundo*, quomodo intelligat se ipsam et ea quæ in ipsa sunt. *Tertio*, quomodo intelligat substantias spirituales, quæ supra ipsam sunt.

Circa cognitionem vero corporalium tria consideranda occurunt; primo, per quid ea cognoscat; secundo, quomodo, et quo ordine; tertio, quid in eis cognoscat.

CIRCA PRIMUM QUÆRUNTUR QUINQUE.

1. Utrum anima cognoscat corpora per intellectum.
2. Utrum intelligat ea per essentiam suam vel per aliquas species.
3. Utrum intelligibilem cognitionem acquirat a sensu.
4. Utrum anima indigeat phantasmatibus ad intelligendum corpora.
5. Utrum judicium intellectus impediatur per impedimentum virium sensitivarum.

ARTICULUS I

UTRUM ANIMA COGNOSCAT CORPORA PER INTELLECTUM.

Videtur quod anima non cognoscat corpora per intellectum.

1. Intellectus enim habet cognoscere quidditates rerum, quia objectum intellectus est *quod quid est*, ut dicit Philosophus (3. *de Anima text.* 26; c. 6); sed quidditas rei naturalis non est ipsa corporeitas; alioqui oporteret quod omnia quæ habent quidditatem, essent corpora, quod est falsum : ergo anima non cognoscit corpora per intellectum. — *de Verit.* q. 10, a. 4, arg. 3.

2. Præterea, cognitio intellectus consequitur formam, quæ est principium cognoscendi; sed formæ intelligibiles, quæ sunt in intellectu, sunt omnino immateriales : ergo per eas intellectus non potest res materiales et corporeas cognoscere. — *Ibid.* arg. 4.

3. Præterea, omnis cognitio est per assimilationem; sed non potest esse assimilatio inter mentem et materialia, quia similitudinem facit unitas qualitatis : qualitates autem rerum corporalium sunt corporalia accidentia, quæ in intellectu esse non possunt; ergo intellectus non potest corporalia intelligere. — *Ibid.* arg. 5.

4. Præterea, intellectus nihil cognoscit nisi abstrahendo a materia et conditionibus materialibus; sed res materiales, quæ sunt res naturales, non possunt etiam secundum intellectum a materia separari, quia in earum definitionibus cadit materia; ergo idem quod prius. — *Ibid.* arg. 6.

5. Præterea, sicut se habet sensus ad intelligibilia, ita intellectus ad sensibilia; sed anima per sensum nullo modo potest cognoscere intelligibilia : ergo nec per intellectum sensibilia, quæ sunt corpora. — 1a, q. 84, a. 1, arg. 2.

6. Præterea, intellectus est necessarorum et semper eodem modo se habentium; sed corpora omnia sunt mobilia et non eodem modo se habentia : ergo anima per intellectum non potest corporalia intelligere. — *Ibid.* arg. 3.

Sed contra est, quod scientia est in intellectu; si ergo intellectus non cognoscit corpora, sequitur quod nulla scientia sit de corporibus; et sic peribit scientia naturalis, quæ est de corporibus. — 1a, q. 84, a. 1, arg. *Sed contra.*

Respondeo dicendum, ad evidentiam hujus quæstionis, quod primi philosophi, qui de naturis rerum inquisiverunt, putaverunt nihil esse in mundo præter corpus. Et quia videbant omnia corpora mobilia esse, et putabant ea in continuo fluxu esse, existimaverunt quod nulla certitudo de rerum veritate haberi posset a nobis. Quod enim est in continuo fluxu, per certitudinem apprehendi non potest, quia prius labitur, quam mente dijudicetur; sicut Heraclitus dixit, quod non est possibile aquam fluvii currentis bis tangere, ut recitat Philosophus (4. *Metaphys. text.* 22; l. 3, c. 5).

His autem superveniens Plato, ut posset salvare certam cognitionem veritatis a nobis per intellectum haberi, posuit præter ista corporalia aliud genus entium a materia et motu separatum, quod nominabat *species* sive *ideas*, per quarum participationem unumquodque istorum singularium et sensibilium dicitur vel homo vel equus vel aliquid hujusmodi. Sic ergo dicebat scientias, definitiones et quidquid ad actum intellectus pertinet, non referri ad ista corpora sensibilia, sed ad illa immaterialia et separata : ut sic anima non intelligat ista corporalia, sed intelligat horum corporalium species separatas.

Sed hoc dupliciter apparet falsum : *primo* quidem, quia, cum illæ species sint immateriales et immobiles, excluderetur a scientiis cognitio motus et materiæ, quod est proprium scientiæ naturalis, et demonstratio per causas moventes et materiales. *Secundo*, quia derisibile videtur, ut, dum rerum quæ nobis manifestæ sunt, notitiam quærimus, alia entia in medium afferamus, quæ non possunt esse eorum substantiæ, cum ab eis differant secundum esse; et sic, his substantiis separatis cognitis, non propter hoc de istis sensibilibus judicare possemus. — Videtur autem in hoc Plato

deviare a veritate, quia cum æstimaret omnem cognitionem per modum alicujus similitudinis esse, credidit, quod forma cogniti ex necessitate sit in cognoscente eo modo, quo est in cognito. Consideravit autem, quod forma rei intellectæ est in intellectu universaliter et immaterialiter et immobiliter, quod ex ipsa operatione intellectus apparet, qui intelligit universaliter et per modum necessitatis cujusdam; modus enim actionis est secundum modum formæ agentis. Et ideo existimavit, quod oporteret res intellectas hoc modo in se ipsis subsistere, scilicet immaterialiter et immobiliter. Hoc autem necessarium non est, quia etiam in ipsis sensibilibus videmus, quod forma alio modo est in uno sensibilium quam in altero: puta cum in uno est albedo intensior, in alio remissior; et cum in uno albedo est cum dulcedine, in alio sine dulcedine. Et per hunc etiam modum forma sensibilis alio modo est in re, quæ est extra animam, et alio modo in sensu, qui suscipit formas sensibilium absque materia, sicut colorem auri sine auro. Et similiter intellectus species corporum, quæ sunt materiales et mobiles, recipit immaterialiter et immobiliter, secundum modum suum; nam receptum est in recipiente per modum recipientis.

Dicendum est ergo, quod anima per intellectum cognoscit corpora cognitione immateriali, universali et necessaria. — 1a, q. 84, a. 1, c.

Ad primum ergo dicendum, quod si corporeitas sumatur a corpore prout est in genere quantitatis, sic corporeitas non est quidditas rei naturalis, sed ejus accidens, scilicet trina dimensio; si vero sumatur a corpore prout est in genere substantiæ, sic corporeitas nominat rei naturalis essentiam. Nec tamen sequitur, quod omnis quidditas sit corporeitas, nisi dicatur, quod quidditati in quantum quidditas conveniret esse corporeitatem. — *de Verit.* q. 10, a. 4, ad 3.

Ad secundum dicendum, quod, quamvis in intellectu non sint nisi immateriales formæ, possunt tamen esse similitudines rerum materialium. Non enim oportet quod ejusmodi esse habeat similitudo, cujusmodi est id, cujus est similitudo; sed solum quod in ratione conveniat; sicut forma hominis non habet tale esse in statua aurea, quale esse habet forma hominis in carnibus et ossibus. — *Ibid.* ad 4.

Ad tertium dicendum, quod quamvis qualitates corporales non possint esse in intellectu, possunt tamen esse similitudines qualitatum corporearum, et secundum has intellectus rebus corporeis assimilatur. — *Ibid.* ad 5.

Ad quartum dicendum, quod intellectus cognoscit abstrahendo a materia particulari et conditionibus ejus, sicut a hac carne et his ossibus; non tamen oportet quod abstrahat a materia universali. Unde potest considerare formam naturalem in carnibus et ossibus, sed non in his. — *Ibid.* ad 6.

Ad quintum dicendum, quod in hoc differt sensus ab intellectu, quod ille tantum corporalia cognoscere potest, hic vero et corporalia. Et ratio hujus diversitatis est, quia inferior virtus non se extendit ad ea, quæ sunt superioris virtutis, sed virtus superior ea, quæ sunt inferioris virtutis, excellentiori modo operatur. — 1a, q. 84, a. 1, ad 2.

Ad sextum dicendum, quod omnis motus supponit aliquid immobile. Cum enim transmutatio fit secundum qualitatem remanet substantia immobilis, et cum transmutatur forma substantialis, remanet materia immobilis. Rerum etiam mutabilium sunt immobiles habitudines sicut Socrates etsi non semper sedeat, tamen immobiliter est verum, quod quando sedet, in uno loco manet. Et propter hoc nihil prohibet de rebus mobilibus sentiam habere. — *Ibid.* ad 3.

ARTICULUS II

UTRUM ANIMA PER ESSENTIAM SUAM CORPORALIA INTELLIGAT VEL PER SPECIES.

Videtur quod anima per essentiam suam corporalia intelligat.

1. Dicit enim Philosophus (3. *de Anima text.* 37; c. 8), quod anima quodam modo est omnia. Cum ergo simile simili cognoscatur, videtur quod anima per se ipsam corporalia cognoscat. — 1a, q. 84, a. 2, arg. 2.

2. Præterea, anima est superior corporalibus creaturis; inferiora autem sunt in superioribus eminentiori modo quam in se ipsis, ut dicit Dionysius (*de Cœlesti Hierarch.* c. 12, § 2; — Migne t. 3, col. 294) : ergo omnes creaturæ corporeæ nobiliori modo existunt in ipsa essentia animæ quam in se ipsis; per suam ergo substantiam potest creaturas corporeas cognoscere. — *Ibid.* arg. 3.

3. Præterea, anima non potest alio modo intelligere corpora, quam vel per essentiam ipsorum corporum, vel per species acceptas ab illis, vel per essentiam suam; sed ex his modis primi duo non sunt possibiles. Non enim primus, quia omnis cognitio est per aliquam formam quæ est in cognoscente principium cognitionis; sed essentiæ corporum non possunt esse in cognoscente, cum sint extra animam, ut patet. Neque secundus, quia species accepta a corporibus non potest movere intellectum possibilem, cum non sit intelligibilis in actu. Ergo restat tertius modus, ut anima per suam essentiam cognoscat corpora. — *de Verit.* q. 10, a. 4, c.; a. 6, arg. 7.

Sed contra est, quod Philosophus dicit in fine 2. *Poster.* (*text.* 27; c. 19), quod notitia primorum principiorum, in qua consistit originaliter omnis nostra cognitio, oritur a sensu; sed ipsa anima non est cognoscibilis per sensus corporeos : non ergo cognoscit anima res corporeas per suam substantiam. — 1a, q. 84, a. 2, arg. *Sed contra; de Verit.* q. 10, a. 6, arg. *Sed contra.*

Respondeo dicendum, quod antiqui Philosophi posuerunt, quod anima per suam essentiam cognoscit corpora. Hoc enim animis omnium communiter inditum fuit, quod simile simili cognoscitur; existimabant autem, quod forma cogniti sit in cognoscente eo modo, quo est in re cognita. — E contrario autem Platonici posuerunt. Plato enim quia perspexit intellectualem animam immaterialem esse et immaterialiter cognoscere, posuit formas rerum cognitarum immaterialiter subsistere.

Priores vero naturales quia considerabant res cognitas esse corporeas et materiales, posuerunt oportere res cognitas etiam in anima cognoscente materialiter esse; et ideo, ut animæ attribuerent omnium cognitionem, posuerunt eam habere naturam communem cum omnibus. Et quia natura principiatorum ex principiis constituitur, attribuerunt animæ naturam principii : ita quod, qui dixit principium omnium esse ignem, posuit animam esse de natura ignis; et similiter de aere et aqua. — Empedocles autem, qui posuit quatuor elementa materialia, et duo moventia, ex his etiam dixit animam esse constitutam. — Et ita, cum res materialiter in anima ponerent, posuerunt omnem cognitionem animæ materialem esse, non discernentes inter intellectum et sensum.

Sed hæc opinio improbatur : *primo* quidem, quia in materiali principio, de quo loquebantur, non existunt principiata nisi in potentia. Non autem cognoscitur aliquid secundum quod est in potentia, sed secundum quod est actu, ut patet in 9. *Metaphys.* (*text.* 20; l. 8, c. 9). Unde nec ipsa potentia cognoscitur nisi per actum. Sic igitur non sufficeret attribuere animæ principiorum naturam, ad hoc quod omnia cognosceret, nisi inessent ei naturæ et formæ singulorum effectuum, puta ossis et carnis et aliorum hujusmodi, ut Aristoteles contra Empedo-

clem argumentatur in 1. *de Anima* (*text.* 7; c. 5). *Secundo*, quia si oporteret rem cognitam materialiter in cognoscente existere, nulla ratio esset, quare res, quæ materialiter extra animam subsistunt, cognitione careant; puta si anima igne cognoscit ignem, et ignis etiam, qui est extra animam, ignem cognosceret.

Relinquitur ergo, quod oportet materialia cognita in cognoscente existere non materialiter, sed magis immaterialiter. Et hujus ratio est, quia actus cognitionis se extendit ad ea, quæ sunt extra cognoscentem. Cognoscimus enim etiam ea, quæ extra nos sunt. Per materiam autem determinatur forma rei ad aliquid unum. Unde manifestum est, quod ratio cognitionis ex opposito se habet ad rationem materialitatis. Et ideo, quæ non recipiunt formas nisi materialiter, nullo modo sunt cognoscitiva, sicut plantæ, ut dicitur in 2. *de Anima* (*text.* 124; c. 12). Quanto autem aliquid immaterialius habet formam rei cognitæ, tanto perfectius cognoscit. Unde intellectus, qui abstrahit speciem non solum a materia, sed etiam a materialibus conditionibus individuantibus, perfectius cognoscit quam sensus, quia accipit formam rei cognitæ, sine materia quidem, sed cum materialibus conditionibus. Et inter ipsos sensus, visus est magis cognoscitivus, quia est minus materialis; et inter ipsos intellectus tanto quilibet est perfectior, quanto immaterialior. — Ex his ergo patet, quod si aliquis intellectus est qui per essentiam suam cognoscit omnia, oportet quod essentia ejus habeat in se immaterialiter omnia; sicut antiqui posuerunt essentiam animæ actu componi ex principiis omnium materialium, ut cognosceret omnia. Hoc autem proprium est Dei, ut sua essentia sit immaterialiter comprehensiva omnium, prout effectus virtute præexistunt in causa. Solus igitur Deus per essentiam suam omnia intelligit, non autem anima neque etiam angelus. — 1a, q. 84, a. 2, c.

Ad primum ergo dicendum, quod Aristoteles non posuit animam esse actu compositam ex omnibus, sicut antiqui naturales; sed dixit *quodam modo* animam esse omnia, in quantum est in potentia ad omnia, per sensum quidem ad sensibilia, per intellectum vero ad intelligibilia. — 1a, l. c. ad 2.

Ad secundum dicendum, quod quælibet creatura habet esse finitum et determinatum. Unde essentia superioris creaturæ etsi habet quandam similitudinem inferioris creaturæ, prout communicant in aliquo genere, non tamen complete habet similitudinem illius, quia determinatur ad aliquam speciem, præter quam est species inferioris creaturæ. Sed essentia Dei est perfecta similitudo omnium quantum ad omnia quæ in rebus inveniuntur, sicut universale principium omnium. — *Ibid.* ad 3.

Ad tertium dicendum, quod anima intelligit per species acceptas a rebus et sensibus exterioribus remote, proxime vero a phantasmatibus: quia formæ sensibiles, vel a sensibilibus abstractæ, non possunt agere in intellectum possibilem, nisi quatenus per lumen intellectus agentis, mediante phantasmate, immateriales redduntur; sic enim efficiuntur quodam modo homogeneæ intellectui possibili, in quem agunt. Verum in hac proxima receptione specierum in intellectu possibili a phantasmatibus phantasmata se habent ut agens instrumentale et secundarium; intellectus autem agens se habet ut agens principale et primum. Et ideo actionis effectus relinquitur in intellectu possibili secundum conditionem utriusque, et non secundum conditionem alterius. Et ideo intellectus possibilis recipit formas intelligibiles actu ex virtute intellectus agentis, sed ut similitudines determinatarum rerum ex cognitione phantasmatum. Et sic formæ intelligibiles in actu neque sunt per se existentes, neque sunt vel species sensibiles vel a sensibilibus immediate abstractæ, neque sunt in phantasia, quia ibi sunt tantum intelligibiles in potentia, neque sunt in intellectu

agente, quia hic nullius specici est receptivus, sed solum intellectus possibilis, et per has anima cognoscit res materiales et corporeas. — *de Verit.* q. 10, a. 6, ad 1 et 7; a. 9, ad 7; q. 18, a. 8, ad 5; 2. *Sent.* dist. 20, q. 2, a. 2, ad 4; *Quodl.* 8, a. 3; et ll. cc. in *Tabula Aurea* voce « intellectus », n. 147.

ARTICULUS III

UTRUM ANIMA INTELLIGIBILEM COGNITIONEM ACQUIRAT A SENSU ET SENSIBILIBUS.

Videtur quod anima intelligibilem cognitionem corporalium non acquirat a sensu.

1. Eorum enim, quæ non communicant in materia, non potest esse actio et passio, ut dicit Philosophus (1. *de Generat. text.* 45 et 53; c. 6 et 7); sed intellectus noster non communicat in materia cum rebus sensibilibus : ergo res sensibiles non possunt agere in intellectum imprimendo illi cognitionem. — *de Verit.* q. 10, a. 6, arg. 1.

2. Præterea, objectum intellectus est *quod quid est*, ut dicitur 3. *de Anima* (*text.* 26; c. 6); sed quidditas rei nullo modo sensu percipitur : ergo cognitio intellectus non accipitur a sensu. — *Ibid.* arg. 2.

3. Præterea, agens est nobilius patiente, ut patet per Philosophum in 3. *de Anima* (*text.* 19; c. 5); sed recipiens se habet ad illud, quod recipit, quasi patiens ad agens : cum ergo intellectus sit multo nobilior sensibilibus et sensibus ipsis, non poterit ab eis cognitionem recipere. — *Ibid.* arg. 8.

4. Præterea, effectus non se extendit ultra virtutem suæ causæ; sed intellectualis cognitio se extendit ultra sensibilia; intelligimus enim quædam, quæ sensu percipi non possunt : intellectualis ergo cognitio non derivatur a sensibilibus. — 1a, q. 84, a. 6, arg. 3.

Sed contra est : 1. quod Philosophus probat in 1. *Metaphys.* (c. 1) et in fine 2. *Poster.* (*text.* 27; c. 19), quod principium nostræ cognitionis est a sensu. — 1a, q. 84, a. 6, arg. *Sed contra.*

2. Præterea, dicit Philosophus (1. *Poster. text.* 33; c. 18) et experimento probatur, quod cui deficit unus sensus, deficit una scientia, sicut cæcis deest scientia de coloribus; hoc autem non esset, si anima aliunde acciperet scientiam quam per sensus : ergo a sensibilibus per sensus eam accipit. — *de Verit.* q. 10, a. 6, arg. 1 *Sed contra.*

3. Præterea, natura nihil facit frustra nec deficit in necessariis; frustra autem dati essent sensus animæ, nisi per ipsos cognitionem de rebus acciperet : ergo vere illam a sensibus accipit. — *Ibid.* arg. 3 *Sed contra.*

Respondeo dicendum, quod circa istam quæstionem triplex fuit Philosophorum opinio. — Democritus enim posuit, quod nulla alia est causa cujuslibet nostræ cognitionis, nisi cum ab his corporibus, quæ cogitamus, veniunt atque intrant imagines in animas nostras, ut dicit Aristoteles in lib. *de Divinat. per Somnum* (c. 2) asserens, quod Democritus posuit cognitionem fieri per idola et defluxiones. Et hujus positionis ratio fuit, quia tam ipse Democritus quam alii antiqui naturales non ponebant intellectum differre a sensu, ut dicit Aristoteles in 2. *de Anima* (*text.* 150 et 151, l. 3, c. 3). Et ideo, quia sensus immutatur a sensibili, arbitrabantur omnem nostram cognitionem fieri per solam immutationem a sensibilibus : quam quidem immutationem Democritus asserebat fieri per imaginum defluxiones.

Plato vero e contrario posuit intellectum differre a sensu; et intellectum quidem esse virtutem immaterialem organo corporeo non utentem in suo actu. Et quia incorporeum non potest immutari a corporeo, posuit quod cognitio intellectualis non fit per immutationem intellectus a sensibilibus, sed per participationem formarum intelligibilium separatarum. Sensum etiam posuit virtutem quandam per se operantem. Unde nec ipse sensus, cum sit quædam vis spiri-

tualis, immutatur a sensibilibus; sed organa sensuum a sensibilibus immutantur; ex qua immutatione anima quodammodo excitatur, ut in se species sensibilium formet. Et hanc opinionem tangere videtur Augustinus 12. *super Genes. ad Litt.* (c. 24; — Migne t. 34, col. 475), ubi dicit, quod corpus non sentit, sed anima per corpus, quo velut nuntio utitur ad formandum in se ipsa quod extrinsecus nuntiatur. Sic igitur secundum Platonis opinionem neque intellectualis cognitio a sensibili procedit, neque etiam sensibilis totaliter a sensibilibus rebus; sed sensibilia excitant animam sensibilem ad sentiendum, et similiter sensus excitant animam intellectivam ad intelligendum.

Aristoteles autem media via processit. Posuit enim (2. *de Anima text.* 152; l. 3, c. 3) cum Platone, intellectum differre a sensu. Sed sensum posuit propriam operationem non habere sine communicatione corporis, ita quod sentire non sit actus animæ tantum, sed conjuncti; et similiter posuit de omnibus operationibus sensitivæ partis. Quia igitur non est inconveniens, quod sensibilia, quæ sunt extra animam, causent aliquid in conjunctum; in hoc Aristoteles cum Democrito concordavit, quod operationes sensitivæ partis causentur per impressionem sensibilium in sensum, non per modum defluxionis, ut Democritus posuit, sed per quandam operationem. Nam et Democritus omnem actionem fieri posuit per influxionem atomorum, ut patet in 1. *de Generat. text.* 56 et sq.; c. 8). Intellectum vero posuit Aristoteles habere operationem absque communicatione corporis. Nihil autem corporeum imprimere potest in rem incorpoream. Unde ad causandum intellectualem operationem secundum Aristotelem non sufficit sola impressio sensibilium corporeorum, sed requiritur aliquid nobilius, quia agens est honorabilius patiente, ut ipse dicit 3. *de Anima text.* 19; c. 5): non tamen ita, quod intellectualis operatio causetur in nobis ex sola impressione aliquarum rerum superiorum, ut Plato posuit, sed per illud superius et nobilius agens, quod vocat *intellectum agentem*, de quo jam supra diximus, quod facit phantasmata a sensibus accepta intelligibilia in actu, per modum abstractionis cujusdam. Secundum hoc ergo ex parte phantasmatum intellectualis operatio a sensu causatur. Sed quia phantasmata non sufficiunt immutare intellectum possibilem, sed oportet quod fiant intelligibilia actu per intellectum agentem, non potest dici, quod sensibilis cognitio sit totalis et perfecta causa intellectualis cognitionis, sed magis quodam modo est materia causæ. — 1a, q. 84, a. 6, c.

Ad primum ergo dicendum, quod formæ sensibiles vel a sensibilibus abstractæ non possunt agere in mentem nostram nisi quatenus per lumen intellectus agentis immateriales redduntur, et sic efficiuntur quodammodo homogeneæ intellectui possibili, in quem agunt. — *de Verit.* q. 10, a. 6, ad 1.

Ad secundum dicendum, quod circa idem virtus superior et inferior operantur; non similiter, sed superior sublimius; unde et per formam, quæ a rebus accipitur, sensus non ita efficaciter rem cognoscit, sicut intellectus; sed sensus per eam manuducitur in cognitione exteriorum accidentium, intellectus vero pervenit ad nudam quidditatem rei secundo eam ab omnibus materialibus conditionibus. Unde pro tanto dicitur cognitio mentis a sensu originem habere; non quod omne illud, quod mens cognoscit, sensus apprehendat, sed quia ex his, quæ sensus apprehendit, mens in aliqua ulteriora manuducitur, sicut etiam sensibilia intellecta manuducunt in intelligentiam divinorum. — *Ibid.* ad 2.

Ad tertium dicendum, quod quamvis intellectus possibilis sit simpliciter nobilior quam phantasma; tamen secundum quid nihil prohibet phantasma nobilius esse, in quantum scilicet phantasma est ad similitudo talis rei; quod intellectui poss

ili non convenit nisi in potentia; et sic quodam modo potest agere in intellectum ossibilem virtute luminis intellectus gentis: sicut et color potest agere in isum virtute luminis corporalis. — *Ibid.* d 8.

Ad quartum dicendum, quod sensitiva ognitio non est tota causa intellectualis ognitionis; et ideo non est mirum, si ntellectualis cognitio ultra sensitivam se xtendit. — 1a, q. 84, a. 6, ad 3.

ARTICULUS IV

TRUM ANIMA INDIGEAT PHANTASMATIBUS AD INTELLIGENDA CORPORALIA.

Videtur quod anima non indigeat phanasmatibus ad intelligenda corporalia.

1. Intellectus enim fit in actu per speiem intelligibilem; sed intellectio ex arte intelligentis nihil aliud requirit, uam quod sit in actu; nam omne in gens agit, quando est in actu: ergo anina non eget phantasmatibus, sed solis peciebus intelligibilibus ad intelligenum. — 1a, q. 84, a. 7, arg. 1.

2. Præterea, si necessario requiruntur d intellectionem phantasmata, *vel* ut um intellectu agente producant speciem telligibilem in intellectu possibili, *vel* t sint objectum intellectionis; sed neum potest dici. *Non primum*, tum quia rma gradus inferioris non potest proucere similitudinem sui in gradum ltiorem, phantasmata vero est forma radus inferioris respectu speciei intelliibilis; tum quia, cum phantasma sit siilitudo rei singularis, tantum producet peciem repræsentantem rem singularem; on enim agit, nisi in quantum est simitudo. *Neque secundum,* quia sequereir, quod intellectus directe singularia ognosceret; cum enim phantasma sit imi'itudo rei singularis, non potest intelctus cognoscere phantasma, ut est siilitudo, nisi simul cognoscat rem singuirem, cum eodem motu feratur intellectus i imaginem et rem imaginatam, atque adeo in speciem et rem repræsentatam per illam, ut dictum est. Ergo dicendum est, quod intellectus in intelligendo res corporeas non eget phantasmatibus. — 1a, q. 84, a. 7, ad 3; *de Verit.* q. 10, a. 6, ad 7, et alibi; 2. *c. Gent.* c. 65 et 73, et vide Ferrariensem ibid.

Sed contra est, quod Philosophus (3. *de Anima text.* 30; c. 7) dicit, quod nihil sine phantasmate intelligit anima. — 3. *de Anima* l. 12; v. supra q. 95, a. 5.

Respondeo dicendum, quod necesse est dicere, quod anima indigeat phantasmatibus ad hoc, ut res corporeas intelligat. Quod ex duobus potest esse manifestum: et *primo* quidem a signo, quia ad confusionem phantasmatum sequitur confusio in actu virtutis intellectivæ, ut patet in pueris, qui in principio, ratione confusionis in phantasmatibus existentis, confusam habent cognitionem universalium quorundam, et postmodum per successionem temporum distincte unumquodque cognoscunt. Unde in 1. *Phys.* (*text.* 5; c. 1) dicitur, quod pueri in principio appellant omnem virum patrem, posterius autem determinant unumquodque. — *Secundo* ex modo essendi animæ. Cum enim modus operandi sequatur modum essendi naturæ operantis, sicut et modus actionis modum formæ agentis, ut dictum est (supra q. 98, quæstiunc. 1, arg. *Sed contra;* q. 99, a. 1), et anima hominis sit in hac vita corpori obligata, et quodammodo ei subjecta, et ab eo dependens, indiget ad phantasmata converti, quoties vult aliquid intelligere; et multo magis, si, quod intelligit, sit quid corporeum. Unde manifestum est, quod anima eget phantasmatibus ad intelligenda corporalia. — 2. *Sent.* dist. 20, q. 2, a. 2, c.; 3a, q. 11, a. 2, c.

Ad primum ergo dicendum, quod species conservatæ in intellectu possibili in eo existunt habitualiter, quando actu non intelligit. Unde ad hoc quod intelligat actu, non sufficit conservatio specierum, sed oportet quod eis utatur, secundum quod convenit rebus, quarum sunt spe-

cies, quæ sunt naturæ in singularibus existentes. — 1a, q. 84, a. 7, ad 1; q. 79, a. 6 et 7.

Ad secundum dicendum, quod phantasma requiritur ad duo : *primo* ad hoc, ut concurrat ad productionem speciei intelligibilis : tum in genere causæ efficientis; nam phantasma concurrit ut agens instrumentale et secundarium, sicut intellectus agens concurrit ut agens principale et primum ; tum in genere causæ materialis et tamquam materia causæ; nam objectum intellectus quasi materialiter administratur et offertur a virtute imaginativa, et ab eadem ipsi intellectui repræsentantur ea, quæ accepta sunt a sensibus, et præparantur phantasmata, quæ fiant actu intelligibilia per intellectum agentem. — 2. *Sent.* dist. 20, q. 2, a. 2, ad 2; *de Verit.* q. 15, a. 2, ad 7; *Quodl.* 12, a. 11; 2. *c. Gent.* c. 73.

Secundo requiritur per modum medii et tamquam objectum quo remote, ut dictum est. Neque obstant adducta in contrarium. Nam *primo*, licet forma sensibilis, cujusmodi est phantasma, non possit per se imprimere speciem intelligibilem, quia est alterius generis, cum sit forma universalis ; potest tamen id præstare virtute intellectus agentis, et ut agens instrumentale et secundarium. *Secundo*, licet phantasma sit similitudo rei singularis, non tamen inde sequitur, quod intellectus intelligat rem singularem, quia intellectus non directe fertur ex specie, quam recipit, ad cognoscendum phantasma, sed ad cognoscendum rem, cujus est phantasma; utitur enim phantasmate non tamquam objecto cognoscibili, sed tamquam medio cognitionis, per modum, quo sensus noster accipit similitudinem rei, quæ est in speculo, dum fertur in eam non ut rem quandam, sed ut in similitudinem rei. Verum est tamen, quod licet intellectus ex specie, quam recipit, non directe feratur in cognitionem phantasmatis, sed rei cujus est phantasma, per quandam tamen reflexionem redit etiam in cognitionem ipsius phantasmatis, dum considerat na turam actus sui, et speciei per quam intuetur, et ejus a quo speciem abstrahit scilicet phantasmatis : sicut per similitudinem, quæ est in visu a speculo accepta directe fertur visus in cognitionem rei speculatæ ; sed per quandam reflexionem et reversionem fertur per eandem in ipsam similitudinem, quæ est in speculo (*de Verit.* q. 2, a. 6, c.). Et licet phantasma agat ut similitudo, non tamen agit per materiam, sed per formam ; et ideo non producit simul cum intellectu agente speciem repræsentantem rem singularem sed universalem ; nam a forma sumitur ratio universalis, sicut a materia ratio singularis. — *Quodl.* 8, a. 3 ; *de Verit.* q. 10, a. 6, ad 7 ; q. 18, a. 8; 1a, q. 85, a. 1 ; q. 84, a. 6, c.

ARTICULUS V

UTRUM JUDICIUM INTELLECTUS IMPEDIATUR PER LIGAMENTUM SENSUS.

Videtur quod judicium intellectus non impediatur per ligamentum sensus.

1. Superius enim non dependet ab inferiori ; sed judicium intellectus est supra sensum : ergo judicium intellectus non impeditur per ligamentum sensus. — 1a, q. 84, a. 8, arg. 1.

2. Præterea, syllogizare est actus intellectus ; sed in somno ligatur sensus, dicitur in lib. *de Somno et Vigilia* c. 1 (3) ; contingit tamen quandoque, quod aliquis dormiens syllogizet : ergo non impeditur judicium intellectus per ligamentum sensus. — *Ibid.* arg. 2.

3. Præterea, operatio intellectus secundum hoc a sensibus dependet quod a sensibus accipit ; sed judicium est post acceptionem : ergo judicium intellectus non potest esse ligatum in somno, in quo ligantur sensus. — *de Verit.* q. 12, a. 3, arg. 3.

4. Præterea, secundum hoc vis intellectiva potest de aliquo judicare, quod speciem ejus recipit ; ergo judicium intel-

tus sequitur receptionem ; ergo ubi est otior receptio, est etiam perfectius judicium ; sed dormiens, qui habet ligatos ensus, est potior in recipiendo : ergo et ebet esse potior in judicando, et sic judicium intellectus non impedietur per ligamentum sensus. — *Ibid.* arg. 2.

5. Præterea, quicunque habet usum ationis, potest habere rectum judicium; ed in dormiendo, cum quis habet ligatos ensus, habet aliquis usum rationis : quia equenter aliquis in somno præeligit num alteri conveniens vel dissentiens : rgo in somnis dum sunt ligati sensus, otest quis recte judicare. — 2a 2æ, q. 54, a. 5, arg. 2.

6. Præterea, quicunque non habet mentem ligatam, potest recte judicare. Sed ens dormientis non habet mentem ligam, cum non sit actus corporis, ex cujus assione somnus accidit ; imo videtur uod debeat esse magis libera, quia immobilitatis exterioribus sensibus interiores, a quibus immediate mens accipit, onfortantur; et quædam quandoque ex uturis mente dormiens percipit, quæ vigiens percipere non potest. Ergo in somnis otest quis habere usum rationis, et per onsequens recte judicare. — 4. *Sent.* ist. 9, q. 1, a. 4, quæstiunc. 1, arg. 2.

Sed contra est, quod in dormiendo ea, uæ contra licitos mores contingunt, non nputantur ad peccatum, ut docet Philoophus 1. *Eth.* (c. 13), ubi ait, quod seundum dimidium vitæ, scilicet somnum, quo ligati sunt sensus, non differt felix misero neque vitiosus a studioso. Sed in somno posset quis habere rectum udicium rationis, posset peccare, et sic sset differentia inter studiosum et vitioum. Ergo judicium rationis impeditur er ligamentum sensus. — 4. *Sent.* dist. , q. 1, a. 4, quæstiunc. 1, arg. 2 *Sed ontra.*

Respondeo dicendum, quod, sicut ditum est, objectum intellectus nostri proortionatum est naturæ rei sensibilis; udicium autem perfectum de re aliqua t de ejus cognitione haberi non potest, nisi per resolutionem ad principium, unde cognitio illius ortum habet, et nisi ea omnia cognoscantur, quæ ad rem illam pertinent; sicut patet, quod cognitio conclusionum ortum habet a principiis; unde judicium rectum de conclusionibus haberi non potest, nisi resolvendo ad principia indemonstrabilia. — Cum ergo omnis cognitio intellectus nostri a sensu oriatur, non potest esse judicium rectum, nisi reducatur ad sensum. Et ideo Philosophus dicit in 3. *de Cœlo* (*text.* 61 ; c. 7), quod complementum artis et naturæ est res sensibilis et visibilis, ex qua debemus de aliis judicare ; sicut enim finis factivæ scientiæ est opus, ita naturalis scientiæ finis est quod videtur principaliter per sensum. Faber enim non quærit cognitionem cultelli, nisi propter opus, ut operetur hunc particularem cultellum ; et similiter naturalis non quærit cognoscere naturam lapidis et equi, nisi ut sciat rationes eorum, quæ videntur secundum sensum. Manifestum est autem, quod non posset esse perfectum judicium fabri de cultello, si opus ignoraret , et similiter non potest esse perfectum judicium scientiæ naturalis de rebus naturalibus, si sensibilia ignorarentur. Et ideo (6. *Eth. Nicomach.* c. 8, al. 9, in fine) dicit Philosophus, quod sicut principia indemonstrabilia, quorum est intellectus, sunt extrema, scilicet resolutionis, ita et singularia, quorum est sensus. — Quia ergo omnia, quæ in præsenti statu intelligimus, cognoscuntur a nobis per comparationem ad res sensibiles naturales ; et in somno ligati sunt sensus, per quos res sensibiles cognoscimus; — ideo in somno non potest esse perfectum atque adeo liberum judicium rationis vel sensus communis, et per consequens nec motus appetitivæ partis potest esse liber, ita ut homo possit in somno peccare aut mereri; quamquam potest in somno accidere signum peccati aut meriti, in quantum somnia habent causas imaginationis vigilantium. Unde dicit Philosophus in 1. *Eth.* (c. 13), quod in quantum paulatim pertrans-

eunt (1) quidam motum, scilicet a vigilantibus ad dormientes, meliora sunt phantasmata studiosorum quam quorumlibet; et Augustinus (12. *super Genes. ad Litt.* c. 15; — Migne t. 34, col. 466) dicit, quod propter affectionem animæ bonam etiam in somnis quædam ejus merita clarent. Unde manifestum est, quod judicium sensus impeditur per ligamentum sensus. — 1a, q. 84, a. 8, c.; 4. *Sent.* dist. 9, q. 1, a. 4, quæstiunc. 1, c.; *de Verit.* q. 12, a. 3, ad 2 et 3.

Ad primum ergo dicendum, quod quamvis intellectus sit superior sensu, accipit tamen aliquo modo a sensu, et ejus objecta prima et principalia in sensibilibus fundantur; et ideo necesse est quod impediatur judicium intellectus ex ligamento sensus. — 1a, q. 84, a. 8, ad 1.

Ad secundum dicendum, quod sensus ligatur in dormientibus propter evaporationes quasdam et fumositates resolutas, ut dicitur in lib. *de Somno et Vigilia* c. 4; et ideo secundum dispositionem hujusmodi evaporationum contingit esse ligamentum sensus majus vel minus. Quando enim multus fuerit motus vaporum, ligatur non solum sensus, sed etiam imaginatio, ita ut nulla appareant phantasmata: sicut præcipue accidit, cum aliquis incipit dormire post multum cibum et potum. Si vero motus vaporum aliquantulum fuerit remissior, apparent phantasmata, sed distorta et inordinata, sicut accidit in febricitantibus. Si vero adhuc motus magis sedetur, apparent phantasmata ordinata, sicut maxime solet contingere in fine dormitionis, et in hominibus sobriis et habentibus fortem imaginationem. Si autem motus vaporum fuerit modicus, non solum imaginatio remanet libera, sed etiam ipse sensus communis ex parte solvitur, ita quod homo judicat interdum in dormiendo ea quæ videt somnia esse, quasi dijudicans inter res et rerum similitudines. Sed tamen ex aliqua parte remanet sensus communis ligatus; et ideo licet aliquas similitudines discernat a rebus, tamen semper in aliquibus decipitur. Sic igitur per modum, quo sensus solvitur et imaginatio in dormiendo, liberatur judicium intellectus, non tamen ex toto. Unde illi qui dormiendo syllogizant, cum excitantur semper cognoscunt se in aliquo defecisse. — *Ibid.* ad 2.

Ad tertium dicendum, quod judicium intellectus non dependet a sensu hoc modo quod actus iste intellectus per organum sensibile exerceatur; sed eo indiget sicut extremo et ultimo, ad quod fiat resolutio. — *de Verit.* q. 12, a. 3, ad 3.

Ad quartum dicendum, quod judicium non dependet tantum a receptione speciei, sed ex hoc quod ea, de quibus judicatur, examinantur ad aliquod principium cognitionis, sicut de conclusionibus judicamus eas ad principia resolvendo. In somno igitur ligatis exterioribus sensibus interiores vires quasi quietatæ ab exteriorum sensuum tumultibus, magis percipere possunt interiores impressiones factas in intellectu vel imaginatione ex illustratione divina vel angelica, vel ex virtute cœlestium corporum aut quorumcunque; sicut tenui flegmate decurrente ad linguam videtur dormienti, quod dulcia comedat. Sed quia primum principium nostræ cognitionis est sensus, a ipsum oportet, ut dictum est, quodammodo resolvere omnia, de quibus judicamus. Propterea quia in somno ligati sunt sensus, non potest esse perfectum judicium nisi quantum ad aliquid, cum homo decipiatur intendens rerum similitudinibus tamquam rebus ipsis, quamvis quandoque dormiens cognoscat de aliquibus quod non sunt res, sed similitudines rerum. — *Ibid.* ad 2.

Ad quintum dicendum, quod secundum quod vires sensitivæ interiores magis vel minus opprimuntur a somno, propter vaporis turbulentiam vel puritatem secundum hoc usus rationis magis vel minus impeditur in dormiendo. Unde quan-

(1) Al. « quidam motuum », al. « partaucant quidem motum ».

ioque homo dormiens considerat hæc, quæ apparent, somnia esse. Sed quia in dormiendo neque sunt sensus soluti ex toto, ideo judicium rationis etiam non est ex toto liberum. Unde semper cum aliqua falsitate judicium rationis est, etsi quantum ad aliquid sit verum. Et inde contingit, quod aliquis in somno aliquando consentit turpitudini, aliquando non. Quia tamen judicium rationis non est omnino liberum, nec omnino datur liberi arbitrii usus, ideo neque talis consensus vel dissensus est meritorius vel demeritorius in se, nec dormienti. — 2a 2æ, q. 154, a. 5, ad 2; 4. *Sent.* dist. 9, q. 1, a. 1, quæstiunc. 1, ad 3 et 4.

Ad sextum dicendum, quod mens humana habet duos respectus, unum ad superiora, a quibus illustratur, alium ad corpus, a quo recipit, et quod regit. Ex parte illa, qua anima a supernis accipit, per somnum non ligatur, imo magis libera redditur, quanto fit a corporalibus curis magis absoluta; et ideo etiam ex influentia superni luminis aliqua de futuris percipere potest dormiens, quæ vigilans scire non posset. Ex parte autem illa, qua a corpore accipit, oportet quod ligetur quantum ad ultimum judicium et completum ligatis sensibus, a quibus ejus cognitio initium sumit; quamvis etiam imaginatio ejus non ligetur, quæ immediate ei species rerum subministrat. — 4. *Sent.* l. c. ad 2.

QUÆSTIO C

DE MODO ET ORDINE INTELLIGENDI RES CORPOREAS.

Deinde considerandum est de modo et ordine intelligendi res corporeas.

CIRCA QUÆ QUÆRUNTUR OCTO :

1. Utrum intellectus noster intelligat abstrahendo species a phantasmatibus.
2. Utrum species intelligibiles abstractæ a phantasmatibus se habeant ad intellectum nostrum ut *quod* intellectum vel sicut id *quo* intelligitur.
3. Utrum intellectus noster naturaliter intelligit prius magis universale.
4. Utrum intellectus noster possit multa simul intelligere.
5. Utrum intellectus noster intelligat componendo et dividendo.
6. Utrum intellectus possit errare.
7. Utrum unus possit eandem rem melius intelligere quam alius.
8. Utrum intellectus noster per prius cognoscat indivisibile quam divisibile.

ARTICULUS I

UTRUM INTELLECTUS NOSTER INTELLIGAT ABSTRAHENDO SPECIES A PHANTASMATIBUS.

Videtur quod intellectus noster non intelligat res corporeas et materiales per abstractionem a phantasmatibus.

1. Quicunque enim intellectus intelligit rem aliter quam sit, est falsus; formæ autem rerum materialium non sunt abstractæ a particularibus, quorum similitudines sunt phantasmata : si ergo intelligamus res materiales per abstractionem specierum a phantasmatibus, erit falsitas in intellectu nostro. — 1a, q. 85, a. 1, arg. 1.

2. Præterea, res materiales sunt res naturales, in quarum definitione cadit materia; sed nihil potest intelligi sine eo, quod cadit in definitione ejus : ergo res materiales non possunt intelligi sine materia; sed materia est principium individuationis : ergo res materiales non possunt intelligi per abstractionem universalis a particulari, quod est abstrahere species intelligibiles a phantasmatibus. — *Ibid.* arg. 2.

3. Præterea, in 3. *de Anima* (*text.* 18 et 31; c. 5 et 6) dicitur, quod phantasmata se habent ad animam intellectivam sicut colores ad visum ; sed visio non fit per abstractionem aliquarum specierum a coloribus, sed per hoc quod colores imprimunt in

visum : ergo nec intelligere contingit per hoc quod aliquid abstrahatur a phantasmatibus, sed per hoc quod phantasmata imprimunt in intellectum. — Ibid. arg. 3.

4. Præterea, ut dicitur in 3. *de Anima*, in anima intellectiva sunt duo, scilicet intellectus possibilis et agens. Sed abstrahere a phantasmatibus species intelligibiles non pertinet ad intellectum possibilem, sed recipere species jam abstractas ; sed nec etiam videtur pertinere ad intellectum agentem, qui se habet ad phantasmata sicut lumen ad colores, quod non abstrahit aliquid a coloribus, sed magis eis influit. Ergo nullo modo intelligimus abstrahendo a phantasmatibus. — *Ibid.* arg. 4.

5. Præterea, Philosophus in 3. *de Anima* (*text.* 30 et sqq. ; c. 6) dicit, quod intellectus intelligit species in phantasmatibus ; non ergo eas abstrahendo. — *Ibid.* arg. 5.

Sed contra est, quod dicitur in 3. *de Anima* (*text.* 11 ; c. 4), quod sicut res sunt separabiles a materia, sic circa intellectum sunt ; ergo oportet quod materialia intelligantur in quantum a materia abstrahuntur et a similitudinibus materialibus, quæ sunt phantasmata. — *Ibid.* arg. *Sed contra.*

Respondeo dicendum, quod, sicut supra dictum est, objectum cognoscibile proportionatur virtuti cognoscitivæ. Est autem triplex gradus cognoscitivæ virtutis. Quædam enim cognoscitiva virtus est actus corporalis organi, scilicet *sensus* ; et ideo objectum cujuslibet sensitivæ potentiæ est forma prout in materia corporali existit. Et quia hujusmodi materia est individuationis principium, ideo omnis potentia sensitivæ partis est cognoscitiva particularium tantum. Quædam autem virtus cognoscitiva est, quæ neque est actus organi corporalis, neque est aliquo modo corporali materiæ conjuncta, sicut *intellectus angelicus* ; et ideo hujus virtutis cognoscitivæ objectum est forma sine materia subsistens ; etsi enim materialia cognoscant, non tamen nisi in immaterialibus ea intuentur, vel in se ipsis vel in Deo. *Intellectus* autem *humanus* medio modo se habet : non enim est actus alicujus organi, sed tamen est quædam virtus animæ, quæ est forma corporis, ut ex supra dictis (q. 90, a. 1) patet. Et ideo proprium ejus est cognoscere formam in materia quidem corporali individualiter existentem, non tamen prout est in tali materia. Cognoscere vero id, quod est in materia individuali, non prout est in tali materia, est abstrahere formam a materia individuali, quam repræsentant phantasmata. Et ideo necesse est dicere, quod intellectus noster intelligit materialia abstrahendo a phantasmatibus ; et per materialia sic considerata in immaterialium aliqualem cognitionem devenimus ; sicut e contra angeli per immaterialia materialia cognoscunt. — Plato vero attendens solum immaterialitatem intellectus humani, non autem ad hoc quod est corpori quodammodo unitus, posuit objectum intellectus ideas separatas ; et quod intelligimus non quidem abstrahendo, sed magis abstracta participando, ut supra (q. 99, a. 1) dictum est. — 1a, q. 85, a. 1, c.

Ad primum ergo dicendum, quod abstrahere contingit dupliciter : *uno modo* per modum compositionis et divisionis, sicut cum intelligimus aliquid non esse in alio, vel esse separatum ab eo ; *alio modo* per modum simplicitatis, sicut cum intelligimus unum, nihil considerando de alio. Abstrahere igitur per intellectum ea, quæ secundum rem non sunt abstracta, secundum primum modum abstrahendi, non est absque falsitate ; sed secundo modo abstrahere per intellectum, quæ non sunt abstracta secundum rem, non habet falsitatem, ut in sensu apparet. Si enim dicamus colorem non inesse corpori colorato, vel esse separatum ab eo, erit falsitas in opinione vel oratione. Si vero consideremus colorem et proprietatem ejus, nihil considerantes de pomo colorato ; vel si quod intelligimus, voce exprimamus, erit absque falsitate opinio-

nis et orationis (pomum enim non est de ratione coloris; et ideo nihil prohibet colorem intelligi, nihil intelligendo de pomo). Similiter dico, quod ea, quæ pertinent ad rationem speciei cujuslibet rei materialis, puta lapidis aut hominis aut equi, possunt considerari sine principiis individualibus, quæ non sunt de ratione speciei. Et hoc est abstrahere universale a particulari, vel speciem intelligibilem a phantasmatibus : considerare scilicet naturam speciei absque consideratione individualium principiorum, quæ per phantasmata repræsentantur. Cum ergo dicitur, quod intellectus est falsus qui intelligit rem aliter quam sit; verum est, si ly *aliter* referatur ad rem intellectam. Tunc enim intellectus est falsus, quando intelligit rem esse aliter quam sit. Unde falsus esset intellectus, si sic abstraheret speciem lapidis a materia, ut intelligeret eam non esse in materia, ut Plato posuit. Non est autem verum quod proponitur, si ly *aliter* accipiatur ex parte intelligentis; est enim absque falsitate ut alius sit modus intelligentis in intelligendo, quam modus rei in essendo; quia intellectum est in intelligente immaterialiter per modum intellectus, non autem materialiter per modum rei materialis. — *Ibid.* ad 1.

Ad secundum dicendum, quod quidam putaverunt, quod species rei naturalis sit forma solum, et quod materia non sit pars speciei. Sed secundum hoc in definitionibus rerum naturalium non poneretur materia. — Et ideo aliter dicendum est, quod *materia* est *duplex*, scilicet communis, et signata vel individualis; *communis* quidem, ut caro et os; *individualis* autem, ut hæ carnes et hæc ossa. Intellectus igitur abstrahit speciem rei naturalis a materia sensibili individuali, non autem a materia sensibili communi; sicut speciem hominis abstrahit ab his carnibus et his ossibus, quæ non sunt de ratione speciei, sed partes individui, ut dicitur in 7. *Metaphys.* (*text.* 34 et 35; c. 6, c. 10); et ideo sine eis considerari potest. Sed species hominis non potest abstrahi per intellectum a carnibus et ossibus. Species autem mathematicæ possunt abstrahi per intellectum a materia sensibili non solum individuali, sed etiam communi; non tamen a materia intelligibili communi, sed solum individuali. Materia enim sensibilis dicitur materia corporalis, secundum quod subjacet qualitatibus sensibilibus, scilicet calido et frigido, duro et molli, et hujusmodi. Materia vero intelligibilis dicitur substantia, secundum quod subjacet quantitati. Manifestum est autem, quod quantitas prius inest substantiæ quam qualitates sensibiles. Unde quantitates, ut numeri et dimensiones et figuræ, quæ sunt terminationes quantitatum, possunt considerari absque qualitatibus sensibilibus, quod est eas abstrahi a materia sensibili; — non tamen possunt considerari sine intellectu substantiæ quantitati subjectæ, quod esset eas abstrahi a materia intelligibili communi. Possunt tamen considerari sine hac vel illa substantia, quod est eas abstrahi a materia intelligibili individuali. Quædam vero sunt, quæ possunt abstrahi etiam a materia intelligibili communi, sicut ens, unum, potentia et actus, et alia hujusmodi; quæ etiam esse possunt absque omni materia, ut patet in substantiis immaterialibus. — Et quia Plato non consideravit quod dictum est de duplici modo abstractionis : omnia, quæ diximus abstrahi per intellectum, posuit abstracta esse secundum rem. — *Ibid.* ad 2.

Ad tertium dicendum, quod colores habent eundem modum existendi, prout sunt in materia corporali individuali, sicut in potentia visiva; et ideo possunt imprimere suam similitudinem in visum. Sed phantasmata, cum sint similitudines individuorum, et existant in organis corporeis, non habent eundem modum existendi, quem habet intellectus humanus, ut ex dictis patet; et ideo non possunt sua virtute imprimere in intellectum possibilem. Sed virtute intellectus agentis resultat

quædam similitudo in intellectu possibili ex conversione intellectus agentis super phantasmata, quæ est repræsentativa eorum, quorum sunt phantasmata, solum quantum ad naturam speciei. Et per hunc modum dicitur abstrahi species intelligibilis a phantasmatibus, non quod aliqua eadem numero forma, quæ prius fuit in phantasmatibus, postmodum fiat in intellectu possibili, ad modum quo corpus accipitur ab uno loco et transfertur ad alterum. — *Ibid.* ad 3.

Ad quartum dicendum, quod phantasmata et illuminatur ab intellectu agente, et iterum ab eis per virtutem intellectus agentis species intelligibiles abstrahuntur. Illuminantur quidem, quia sicut pars sensitiva ex conjunctione ad intellectum efficitur virtuosior ; ita phantasmata ex virtute intellectus agentis redduntur habilia, ut ab eis intentiones intelligibiles abstrahantur. Abstrahit autem intellectus agens species intelligibiles a phantasmatibus, in quantum per virtutem intellectus agentis accipere possumus in nostra consideratione naturas specierum sine individualibus conditionibus, secundum quarum similitudines intellectus possibilis informatur. — *Ibid.* ad 4.

Ad quintum dicendum, quod intellectus noster et abstrahit species intelligibiles a phantasmatibus, in quantum considerat naturas rerum in universali ; et tamen intelligit eas in phantasmatibus, quia non potest ea intelligere, quorum species abstrahit, nisi convertendo se ad phantasmata, ut supra dictum est. — *Ibid.* ad 5.

ARTICULUS II

UTRUM SPECIES INTELLIGIBILES A PHANTASMATIBUS ABSTRACTÆ SE HABEANT AD INTELLECTUM NOSTRUM SICUT ID, QUOD INTELLIGITUR.

Videtur quod species intelligibiles a phantasmatibus abstractæ se habeant ad intellectum nostrum sicut *id quod* intelligitur.

1. Intellectum enim in actu est in intelligente, quia intellectum in actu est ipse intellectus in actu ; sed nihil de re intellecta est in intellectu actu intelligente nisi species intelligibilis abstracta ergo hujusmodi species est ipsum intellectum in actu. — 1a, q. 85, a. 2, arg. 1

2. Præterea, intellectum in actu oportet in aliquo esse, alioqui nihil esset sed non est in re, quæ est extra animam quia cum res, quæ est extra animam, sit materialis, nihil quod est in ea, potest esse intellectum in actu. Relinquitur ergo, quod intellectum in actu sit in intellectu, et ita nihil est aliud quam species intelligibilis prædicta. — *Ibid.* arg. 2

3. Præterea, Philosophus dicit in 1 *Periherm.* (c. 1), quod « voces sunt nota earum quæ sunt in anima passionum » sed voces significant res intellectas, id enim voce significamus, quod intelligimus : ergo ipsæ passiones animæ, scilicet species intelligibiles, sunt ea, quæ intelliguntur in actu. — *Ibid.* arg. 3.

Sed contra : Species intelligibilis se habet ad intellectum sicut species sensibilis ad sensum ; sed species sensibilis non est illud quod sentitur, sed magis id quo sentit : ergo species intelligibilis non est *quod* intelligitur, sed id *quo* intellectus intelligit. — *Ibid.* arg. *Sed contra.*

Respondeo dicendum, quod quidam posuerunt, quod vires quæ sunt in nobis cognoscitivæ, nihil cognoscunt nisi proprias passiones ; puta quod sensus non sentit nisi passionem sui organi ; et secundum hoc intellectus nihil intelligit nisi suam passionem, scilicet speciem intelligibilem in se receptam. — Sed hæc opinio manifeste apparet falsa ex duobus : *primo* quidem, quia eadem sunt, quæ intelligimus, et de quibus sunt scientiæ ; si igitur ea, quæ intelligimus, essent solum species, quæ sunt in anima, sequeretur quod scientiæ omnes non essent de rebus, quæ sunt extra animam, sed solum de speciebus

intelligibilibus, quæ sunt in anima; sicut secundum Platonicos omnes scientiæ sunt de ideis, quas ponebant esse intellectas in actu. *Secundo,* quia sequeretur error antiquorum dicentium, omne quod videtur, esse verum; et similiter quod contradictoriæ essent simul veræ. Si enim potentia non cognoscit nisi propriam passionem, de ea solum judicat. Sic autem videtur aliquid, secundum quod potentia cognoscitiva afficitur. Semper ergo judicium potentiæ cognoscitivæ erit de eo, quod judicat, scilicet de propria passione, secundum quod est. Et ita omne judicium erit verum : puta si gustus non sentit nisi propriam passionem, cum aliquis habens sanum gustum judicat mel esse dulce, vere judicabit; et similiter si ille, qui habet gustum infectum, judicet mel esse amarum, vere judicabit : uterque enim judicabit secundum quod gustus ejus afficitur. Et sic sequitur quod omnis opinio æqualiter erit vera, et universaliter omnis acceptio.

Et ideo dicendum est, quod species intelligibilis se habet ad intellectum, ut *quo* intellectus intelligit; quod sic patet. Cum enim sit duplex actio, sicut dicitur 9. *Metaphys.* (*text.* 16; l. 8, c. 6) : una, quæ manet in agente, ut videre et intelligere; et altera, quæ transit in exteriorem materiam, ut calefacere et secare : utraque fit secundum aliquam formam. Et sicut forma, secundum quam provenit actio tendens in rem exteriorem, est similitudo objecti actionis, ut calor calefacientis est similitudo calefacti; similiter forma, secundum quam provenit actio manens in agente, est similitudo objecti. Unde similitudo rei visibilis est secundum quam visus videt; et similitudo rei intellectæ, quæ est species intelligibilis, est forma secundum quam intellectus intelligit. Sed quia intellectus supra se ipsum reflectitur, secundum eandem reflexionem intelligit et suum intelligere, et speciem qua intelligit; et sic species intellecta secundario est id quod intelligitur; sed id quod intelligitur primo, est res, cujus species intelligibilis est similitudo. Et hoc etiam patet ex antiquorum opinione, qui ponebant simile simili cognosci. Ponebant enim, quod anima per terram quæ in ipsa erat, cognosceret et terram quæ extra ipsam erat; et sic de aliis. Si ergo accipiamus speciem terræ loco terræ, secundum doctrinam Aristotelis, qui dicit (3. *de Anima text.* 38; c. 8), quod lapis non est in anima, sed species lapidis, sequetur quod anima per species intelligibiles cognoscat res quæ sunt extra animam. — 1a, q. 85, a. 2, c.

Ad primum ergo dicendum, quod intellectum est in intelligente per suam similitudinem; et per hunc modum dicitur, quod intellectum in actu est intellectus in actu, in quantum similitudo rei intellectæ est forma intellectus, sicut similitudo rei sensibilis est forma sensus in actu. Unde non sequitur, quod species intelligibilis abstracta sit id quod actu intelligitur, sed quod sit similitudo ejus. — *Ibid.* ad 1.

Ad secundum dicendum, quod, cum dicitur *intellectum in actu,* duo importantur, scilicet res quæ intelligitur, et hoc quod est ipsum intelligi; et similiter cum dicitur *universale abstractum,* duo intelliguntur, scilicet ipsa natura rei, et abstractio seu universalitas. Ipsa igitur natura, cui accidit vel intelligi vel abstrahi, vel intentio universalitatis, non est nisi in singularibus; sed hoc ipsum, quod est intelligi vel abstrahi, vel intentio universalitatis, est in intellectu. Et hoc possumus videre per simile in sensu. Visus enim videt colorem pomi sine ejus odore. Si ergo quæratur, ubi sit color, qui videtur sine odore, manifestum est, quod color, qui videtur, non est nisi in pomo; sed quod sit sine odore perceptus, hoc ei accidit ex parte visus, in quantum in visu est similitudo coloris et non odoris. Similiter humanitas, quæ intelligitur, non est nisi in hoc vel in illo homine; sed quod humanitas apprehendatur sine

individualibus conditionibus, quod est ipsam abstrahi, ad quod sequitur intentio universalitatis, accidit humanitati, secundum quod percipitur ab intellectu, in quo est similitudo naturæ speciei, et non individualium principiorum. — *Ibid.* ad 2.

Ad tertium dicendum, quod in parte sensitiva invenitur duplex operatio : *una* secundum solam immutationem; et sic perficitur operatio sensus per hoc quod immutatur a sensibili. *Alia* operatio est formatio, secundum quod vis imaginativa format sibi aliquod idolum rei absentis vel etiam nunquam visæ. Et utraque hæc operatio conjungitur in intellectu. Nam primo quidem consideratur passio intellectus possibilis, secundum quod informatur specie intelligibili; qua quidem informatus format secundo vel definitionem vel divisionem vel compositionem, quæ per vocem significatur. Unde ratio, quam significat nomen, est definitio; et enuntiatio significat compositionem et divisionem intellectus. Non ergo voces significant ipsas species intelligibiles, sed ea, quæ intellectus sibi format ad judicandum de rebus exterioribus. — *Ibid.* ad 3.

ARTICULUS III

UTRUM INTELLECTUS NOSTER NATURALITER PRIUS INTELLIGAT MAGIS UNIVERSALE.

Videtur quod intellectus noster naturaliter prius non intelligat magis universale.

1. Dicit enim Philosophus (1. *Metaphys.* c. 2), quod magis universalia sunt difficillima cognitu; sed quæ sunt difficillima cognitu, quippe remotissima a sensibus, non sunt naturaliter prius cognoscibilia : ergo magis universale non est naturaliter prius cognitum. — 1. *Metaphys.* l. 2; *Opusc.* 53.

2. Præterea, ea quæ sunt priora et notioria secundum naturam, sunt posteriora et minus nota secundum nos; sed universalia sunt priora secundum naturam, quia « prius est a quo non convertitur subsistendi (essendi) consequentia »; ergo universalia sunt posteriora in cognitione nostri intellectus. — 1a, q. 85, a. 3, arg. 1.

3. Præterea, composita sunt priora quoad nos quam simplicia ; sed universalia sunt simpliciora; ergo sunt posteriora nota quoad nos. — *Ibid.* arg. 2.

4. Præterea, Philosophus dicit in 1. *Phys.* (*text.* 5 ; c. 1), quod definitum prius cadit in cognitione nostra quam partes definitionis; sed universaliora sunt partes definitionis minus universalium, sicut animal est pars definitionis hominis : ergo universalia sunt posteriora nota quoad nos. — *Ibid.* arg. 3.

5. Præterea, per effectus devenimus in causas et principia; sed universalia sunt quædam principia ; ergo universalia sunt posterius nota quoad nos. — *Ibid.* arg. 4.

Sed contra est, quod dicitur in 1. *Phys.* (*text.* 4 ; c. 1), quod ex universalibus in singularia oportet devenire. — *Ibid.* arg. *Sed contra.*

Respondeo dicendum, quod in cognitione nostri intellectus duo oportet considerare : *primo* quidem, quod cognitio intellectiva aliquo modo a sensitiva primordium sumit; et quia sensus est singularium, intellectus autem universalium, necesse est quod cognitio singularium quoad nos prior sit quam universalium cognitio. *Secundo* oportet considerare, quod intellectus noster de potentia in actum procedit; omne autem quod procedit de potentia in actum, prius pervenit ad actum incompletum, qui est modus inter potentiam et actum, quam ad actum perfectum. Actus autem perfectus, ad quem pervenit intellectus, est scientia completa, per quam distincte et determinate res cognoscuntur; actus autem incompletus est scientia imperfecta, per quam scimus res indistincte, sed quadam confusione. Quod enim sic cognoscitur, secundum quid cognoscitur in actu, et quodam modo in potentia. Unde Philosophus dicit in 1. *Phys.* (*text.* 3 ;

1), quod « sunt primo nobis manifesta et certa confusa magis ; posterius autem cognoscimus distinguendo distincte principia et elementa ». Manifestum est autem, quod cognoscere aliquid in quo plura continentur, sine hoc quod habeatur propria notitia uniuscujusque eorum quæ continentur in illo, est cognoscere aliquid sub confusione quadam. Sic autem potest cognosci tam totum universale, in quo partes continentur in potentia, quam etiam totum integrale. Utrumque enim totum potest cognosci in quadam confusione, sine hoc quod partes distincte cognoscantur. Cognoscere autem distincte id, quod continetur in toto universali, est habere cognitionem de re minus communi : sicut cognoscere animal indistincte, est cognoscere animal in quantum est animal ; cognoscere autem animal distincte, est cognoscere animal in quantum est animal rationale vel irrationale, quod est cognoscere hominem vel leonem. Prius igitur occurrit intellectui nostro cognoscere animal quam cognoscere hominem. — Et eadem ratio est, si comparemus quodcunque magis universale ad minus universale. Et quia sensus exit de potentia in actum, sicut et intellectus, idem etiam ordo cognitionis apparet in sensu. Nam prius secundum sensum diudicamus magis commune quam minus commune, et secundum locum et secundum tempus : secundum locum quidem, sicut cum aliquid videtur a remotis, prius deprehenditur esse corpus quam deprehendatur esse animal, et prius deprehenditur esse animal quam deprehendatur esse homo, et prius homo quam Socrates vel Plato ; secundum tempus autem, quia puer a principio prius distinguit hominem a non homine, quam distinguat hunc hominem ab alio homine ; et ideo pueri a principio appellant omnes viros patres, posterius autem determinant unumquemque, ut dicitur in 1. *Phys.* (*text.* 5 ; c. 1). Et hujus ratio est manifesta, quia qui scit aliquid indistincte, adhuc est in potentia ut sciat distinctionis principium : sicut qui scit genus, est in potentia ut sciat differentiam. Et sic patet, quod cognitio indistincta media est inter potentiam et actum. Est ergo dicendum, quod cognitio singularium est prior quoad nos quam cognitio universalium, sicut cognitio sensitiva quam cognitio intellectiva ; sed tam secundum sensum quam secundum intellectum cognitio magis communis, est prior quam cognitio minus communis. — 1a, q. 85, a. 3, c.

Ad primum ergo dicendum, quod magis universalia secundum simplicem apprehensionem sunt primo nota. Nam primo in intellectu cadit ens, ut Avicenna dicit, et prius in intellectu cadit animal quam homo. Sicut enim in esse naturæ, quod de potentia procedit in actum, prius est animal quam homo ; ita in generatione scientiæ prius in intellectu concipitur animal quam homo. Sed quantum ad investigationem naturalium proprietatum et causarum, prius sunt nota minus communia, eo quod per causas particulares, quæ sunt unius generis vel speciei, pervenimus in causas universales. Ea autem, quæ sunt universalia in causando, sunt posterius nota quoad nos, licet sint prius nota secundum naturam ; quamvis universalia per prædicationem sint aliquo modo prius quoad nos nota quam minus universalia, licet non prius nota quam singularia ; nam cognitio sensus, qui est cognoscitivus singularium, in nobis præcedit cognitionem intellectivam, quæ est universalium. — 1. *Metaphys.* l. 2.

Ad secundum dicendum, quod universale dupliciter potest considerari : *uno* modo secundum quod natura universalis consideratur simul cum intentione universalitatis. Et cum intentio universalitatis (ut scilicet unum et idem habeat habitudinem ad multa) proveniat ex abstractione intellectus, oportet quod secundum hunc modum universale sit posterius. Unde in 1. *de Anima* (*text.* 8 ; c. 1) dicitur, quod animal universale aut nihil est

aut posterius est. Sed secundum Platonem, qui posuit universalia subsistentia, secundum hanc considerationem universale esset prius quam particularia, quæ secundum eum non sunt nisi per participationem universalium subsistentium, quæ dicuntur ideæ. — *Alio* modo potest considerari quantum ad ipsam naturam, scilicet animalitatis vel humanitatis, prout invenitur in particularibus. Et sic dicendum est, quod duplex est ordo naturæ : unus secundum viam generationis et temporis, secundum quam viam ea, quæ sunt in potentia et imperfecta, sunt priora; et hoc modo magis commune est prius secundum naturam : quod apparet manifeste in generatione hominis et animalis; nam prius generatur animal quam homo, ut dicitur in lib. 2. *de Generat. Animal.* (c. 3). Alius est ordo perfectionis sive intentionis naturæ : sicut actus simpliciter est prius secundum naturam quam potentia, et perfectum prius quam imperfectum; et per hunc modum minus commune est prius secundum naturam quam magis commune, ut homo quam animal. Naturæ enim intentio non sistit in generatione animalis, sed intendit generare hominem. — In, q. 85, a. 3, ad 1.

Ad tertium dicendum, quod universale magis commune comparatur ad minus commune ut totum et ut pars : ut *totum* quidem, secundum quod in magis universali non solum continetur in potentia minus universale, sed etiam alia : ut sub animali non solum homo, sed etiam equus; ut *pars* autem, secundum quod minus commune continet in sui ratione non solum magis commune, sed etiam alia : ut homo non solum animal, sed etiam rationale. Sic igitur animal consideratum in se prius est in nostra cognitione quam homo; sed homo est prius in nostra cognitione, quam quod animal sit pars rationis ejus. — *Ibid.* ad 2.

Ad quartum dicendum, quod pars aliqua dupliciter cognosci potest : *uno* modo absolute secundum quod in se est; et sic nihil prohibet prius cognoscere partes quam totum, ut lapides quam domum. *Alio* modo secundum quod sunt partes hujus totius; et sic necesse est quod prius cognoscamus totum quam partes. Prius enim cognoscimus domum quadam confusa cognitione, quam distinguamus singulas partes ejus. Sic igitur dicendum est, quod definientia absolute considerata sunt prius nota quam definitum, alioqui non notificaretur definitum per ea; sed secundum quod sunt partes definitionis, sic sunt posterius nota. Prius enim cognoscimus hominem quadam confusa cognitione, quam sciamus distinguere omnia, quæ sunt de hominis ratione. — *Ibid.* ad 3.

Ad quintum dicendum, quod universale secundum quod accipitur cum intentione universalitatis, est quidem quodam modo principium cognoscendi, prout intentio universalitatis consequitur modum intelligendi, qui est per abstractionem. Non est autem necesse quod omne, quod est principium cognoscendi, sit principium essendi, ut Plato existimavit : cum quandoque cognoscamus causam per effectum, et substantiam per accidentia. Unum universale sic acceptum, secundum sententiam Aristotelis, non est principium essendi neque substantia, ut patet in *Metaphys.* (*text.* 45; l. 6, c. 13). Si autem consideremus ipsammet naturam generis et speciei, prout est in singularibus, sic quodam modo habet rationem principii formalis respectu singularium. Nam singulare est propter materiam; ratio autem speciei sumitur ex forma. Sed natura generis comparatur ad naturam speciei magis per modum materialis principii, quia natura generis sumitur ab eo, quod est materiale in re, ratio vero speciei ab eo, quod est formale : sicut ratio animalis a sensitivo, ratio vero hominis ab intellectivo. Et inde est quod ultima natura intentio est ad speciem, non autem ad individuum neque ad genus : quia forma est finis generationis, materia vero est propter formam. Non autem oportet quod cujuslibet causæ vel principii ingenerati

posterior quoad nos, cum quandoque cognoscamus per causas sensibiles effectus ignotos, quandoque autem e converso. — *Ibid.* ad 4.

ARTICULUS IV

UTRUM POSSIMUS MULTA SIMUL INTELLIGERE.

Videtur quod possimus multa simul intelligere.

1. Intellectus enim est supra tempus ; sed prius et posterius ad tempus pertinent : ergo intellectus non intelligit diversa secundum prius et posterius, sed simul. — 1a, q. 85, a. 4, arg. 1.

2. Præterea, nihil prohibet diversas formas non oppositas simul eidem actu inesse, sicut odorem et colorem pomo ; sed species intelligibiles non sunt oppositæ : ergo nihil prohibet intellectum unum simul fieri in actu secundum diversas species intelligibiles, et sic potest multa simul intelligere. — *Ibid.* arg. 2.

3. Præterea, intellectus simul intelligit aliquod totum, ut hominem vel domum ; sed in quolibet toto continentur multæ partes : ergo intellectus noster simul multa intelligit. — *Ibid.* arg. 3.

4. Præterea, non potest cognosci differentia unius ad alterum, nisi simul utrumque apprehendatur, ut dicitur in 2. *de Anima* (*text.* 146; l. 3, c. 2); et eadem ratio est de quacunque alia comparatione ; sed intellectus noster cognoscit differentiam unius ad alterum ; cognoscit enim hominem non esse lapidem : ergo cognoscit multa simul, puta hominem et lapidem. — *Ibid.* arg. 4 ; *de Verit.* q. 8, a. 14, arg. 2.

5. Præterea, potentia sensitiva, cum sit materialis, est inferior et magis contracta quam intellectiva ; sed sensus potest plura simul sentire, sicut sensus communis simul sentit album et dulce, ium eorum differentiam cognoscit : ergo multo fortius intellectus potest simul plura intelligere. — *Quodl.* 7, a. 2, arg. 1.

6. Præterea, plura intelligibilia possunt simul cognosci, in quantum sunt unum ; sed omnia intelligibilia sunt unum, in quantum sunt intelligibilia : ergo omnia intelligibilia possunt simul cognosci. — *Ibid.* arg. 2.

7. Præterea, ad cognitionem intellectus sufficit species rei intelligibilis in intellectu existens ; sed species intelligibiles non se impediunt quin simul sint in intellectu, cum non sint contrariæ, eo quod sunt a materia separatæ : ergo intellectus non impeditur quin possit simul plura intelligere. — *Ibid.* arg. 4.

8. Præterea, capacitas intellectus est major quam cujuscunque corporis. Sed aliquod corpus est, in quo simul possunt plures species, etiam contrariorum, fieri ; sicut patet, quod in uno puncto aeris, in quo se intersecant duæ lineæ directæ a duobus visibilibus ad duos videntes, est species utriusque visibilis. Ergo multo fortius plures species actu possunt simul esse in intellectu, et ita intellectus potest simul multa intelligere. — *Ibid.* arg. 5.

Sed contra est : 1. quod dicit Philosophus in 2. *Top.* (c. 4, loc. 33 ; al. c. 10) : « contingit plura scire, intelligere vero unum solum ». — 1a, q. 85, a. 4, arg. *Sed contra ; Quodl.* 7, a. 2, arg. *Sed contra.*

2. Præterea, intelligere plura per modum unius vel per modum plurium, est intelligere per unam vel plures species ; nam modus cujusque actionis consequitur formam, quæ est actionis principium. Sed intellectus non potest simul intelligere per plures species ; nam impossibile est idem perfici simul pluribus formis unius generis et diversarum specierum, sicut impossibile est quod idem corpus secundum idem simul coloretur diversis coloribus vel figuretur diversis figuris ; omnes autem species intelligibiles sunt unius generis, quia sunt perfectiones unius intellectivæ potentiæ, licet res, quarum sunt species, sint diversorum generum. Ergo impossibile est quod idem intellectus simul perficiatur diversis spe-

ciebus intelligibilibus ad intelligendum in actu diversa in actu. — 1a, q. 85, a. 4, c.

Respondeo dicendum, quod intellectus dupliciter aliquid intelligit, scilicet primo et ex consequenti. *Ex consequenti* quidem plura contingit simul intelligere, in quantum habent ordinem ad unum intelligibile primum. Et hoc contingit dupliciter: *uno* modo ex unitate ejus, *quo* intelligitur, sicut quando plura intelligibilia per unam speciem intelligibilem intelliguntur, sicut intellectus divinus omnia simul videt per unam essentiam suam; et eodem modo intellectus creatus videns essentiam divinam potest omnia simul videre, quæ per essentiam divinam videt. *Alio* modo ex unitate ejus, *quod* intelligitur, scilicet quando plura intelliguntur ut unum; totum enim unum est primo intellectum, et illa plura sunt intellecta ex consequenti in illo; sicut cum intellectus intelligit lineam, simul intelligit partes lineæ, ut dicitur in 3. *de Anima* (*text.* 23; c. 6); et similiter cum intelligit propositionem, intelligit simul subjectum et prædicatum; et cum intelligit similitudinem vel differentiam aliquorum, simul intelligit ea, quorum est similitudo vel differentia. — *Quodl.* 7, a. 2, c.

Sed quod intellectus intelligat simul plura intelligibilia *primo et principaliter*, est impossibile. Cujus ratio est, quia intellectus secundum actum est omnino, id est perfecte, res intellecta, ut dicitur in 3. *de Anima* (*text.* 36; c. 7). Quod quidem intelligendum est, non quod essentia intellectus fiat res intellecta vel species ejus; sed quia completo informatur per speciem rei intellectæ, dum eam actu intelligit. Unde intellectum simul plura actu intelligere primo, idem est ac si res una esset simul plura. In rebus enim materialibus videmus, quod una res numero non potest esse simul plura in actu; sed plura in potentia, vel secundum dispositionem, potest esse unum et idem; idem enim ros est simul potentia aqua et ignis; et possunt etiam simul dispositiones ad utrumque, quantum ad aliquid, inesse eidem, sicut si aer ex una parte calefieret et ex alia inspissaretur; sed quod aer simul sit actu ignis et aqua, est impossibile; et similiter etiam quod aliquid sit simul actu lapis et ferrum, quæ non videntur contraria, sed disparata. — Intellectus autem ex ipsa ratione suæ potentiæ est simul potentia omnia intelligibilia, sicut et sensus omnia sensibilia. Potentia autem sensitiva per similitudines sensibilium reducitur in actum dupliciter: uno modo *incompleta*, per modum dispositionis, quando scilicet species sensibiles sunt in ea ut dispositiones, quod appellat Avicenna esse ut in thesauro; alio modo *perfecte*, quando scilicet species sensibiles actu informant potentiam sensitivam; et hoc vocat Avicenna apprehensionem sensus, distinguens potentias sensitivas apprehendentes ab illis, in quibus sunt formæ sensibiles ut in thesauro; et similiter in intellectu in habitu sunt similitudines intelligibilium ut dispositiones; sed quando sunt actu intellectæ, sunt in eo ut formæ perficientes, et tunc intellectus fit omnino res intellecta; et hoc contingit per intentionem, quæ conjungit intellectum intelligibili et sensum sensibili, ut dicit Augustinus. — *Ibid.*

Unde patet, quod sicut una res materialis non potest esse simul plura actu, ita unus intellectus non potest simul plura intelligere primo. Et hoc est, quod Algazel dicit, quod sicut unum corpus non potest simul figurari pluribus figuris, ita unus intellectus non potest simul plura intelligere. — Nec potest dici, quod intellectus formetur perfecte simul pluribus speciebus intelligibilibus, sicut unum corpus simul informatur figura et colore; quia figura et color non sunt formæ unius generis, nec in eodem se habent accipiuntur, quia non ordinantur ad perficiendum in esse unius rationis; sed omnes formæ intelligibiles, in quantum hujusmodi, sunt unius generis; et in eodem ordine se habent ad intellectum, in quan-

tum perficiunt intellectum in hoc, quod est esse intellectum in actu. Unde plures species intelligibiles se habent sicut figuræ plures vel plures colores, qui simul actu in eodem esse non possunt secundum idem. — *Quodl.* 7, a. 2, c.

Ad primum ergo dicendum, quod intellectus est supra tempus, quod est numerus motus corporalium rerum. Sed ipsa pluralitas specierum intelligibilium causat vicissitudinem quandam intelligibilium operationum, secundum quam una operatio est prior altera ; et hanc vicissitudinem Augustinus nominat tempus, cum dicit (8. *super Genes. ad Litt.* c. 20 ; — Migne t. 34, col. 388), quod Deus movet spiritualem creaturam per tempus. — 1a, q. 85, a. 4, ad 1.

Ad secundum dicendum, quod non solum oppositæ formæ non possunt esse in eodem subjecto, sed nec quæcunque formæ ejusdem generis, licet non sint oppositæ, sicut patet per exemplum inductum de coloribus et figuris. — *Ibid.* ad 2.

Ad tertium dicendum, quod partes possunt intelligi dupliciter : uno modo sub quadam confusione, prout sunt in toto ; et sic cognoscuntur per unam formam totius, et sic simul cognoscuntur ; — alio modo cognitione distincta, secundum quod quælibet cognoscitur per suam speciem ; et sic non simul intelliguntur. — *Ibid.* ad 3.

Ad quartum dicendum, quod quando intellectus intelligit differentiam vel comparationem unius ad alterum, cognoscit utrumque differentium vel comparatorum sub ratione ipsius comparationis vel differentiæ, sicut dictum est (ad 3), quod cognoscit partes sub ratione totius. — *Ibid.* ad 4.

Ad quintum dicendum, quod similiter dicendum est de potentia sensitiva, id est quod non potest plura simul sentire, sed ex consequenti, in quantum plura accipiuntur ut unum : sicut plura sensibilia uniuntur in una differentia, et plura sensibilia, quæ sunt partes, uniuntur in uno toto. Unde, quando sentitur totum, sentiuntur simul plures partes ex consequenti ; et tunc intentio sensus non fertur ad aliquam partium principaliter, sed ad totum : quia si ad aliquam partium ferretur ut ad sensibile principale, non simul sentiretur alia. Et iterum sensus communis quamvis sit una potentia secundum essentiam, tamen aliquo modo multiplicatur secundum esse, in quantum conjungitur diversis sensibus propriis, sicut unum centrum conjungitur pluribus lineis. Unde immutationes omnium sensibilium simul terminantur ad sensum communem, sicut motus, qui esset per omnes lineas, posset simul terminari ad centrum ; sed intellectus non multiplicatur modo prædicto in plures potentias ; et ideo non est simile. — *Quodl.* 7, a. 2, ad 1.

Ad sextum dicendum, quod cognoscibilia quæ simul cognoscuntur, oportet quod accipiantur ut cognoscibile unum numero ; omnia autem intelligibilia, in quantum hujusmodi, sunt unum genere, non numero ; et ideo ratio non sequitur. — *Ibid.* ad 2.

Ad septimum dicendum, quod non solum prohibetur res aliqua esse plura contraria actu simul, sed etiam plura esse disparata, ut patet ex dictis. Unde, quamvis formæ intelligibiles in intellectu non sint contrariæ, nihilominus tamen intellectus prohibetur simul plura intelligere, ut ex dictis patet. — *Ibid.* ad 4.

Ad octavum dicendum, quod species sensibiles, quæ sunt in medio deferente, sunt ibi per modum dispositionis, et non per modum ultimæ perfectionis, quia sunt ibi sicut in quodam fluxu ; et ideo non est simile. — *Ibid.* ad 5.

ARTICULUS V

UTRUM INTELLECTUS NOSTER INTELLIGAT COMPONENDO ET DIVIDENDO.

Videtur quod intellectus noster non intelligat componendo et dividendo.

1. Compositio enim et divisio non est nisi multorum ; sed intellectus noster non potest simul multa intelligere : ergo non potest intelligere componendo et dividendo. — 1a, q. 85, a. 5, arg. 1.

2. Præterea, omni compositioni et divisioni adjungitur tempus præsens, præteritum vel futurum ; sed intellectus abstrahit a tempore, sicut etiam ab aliis particularibus conditionibus : ergo intellectus non intelligit componendo et dividendo. — *Ibid.* arg. 2.

3. Præterea, intellectus intelligit per assimilationem ad res. Sed compositio et divisio nihil est in rebus. Nihil enim invenitur in rebus nisi res, quæ significatur per prædicatum et subjectum ; quæ est una et eadem, si compositio est vera ; homo enim est vere id, quod est animal. Ergo intellectus non componit et dividit. — *Ibid.* arg. 3.

Sed contra : Voces significant conceptiones intellectus, ut dicit Philosophus 1. *Periherm.* (c. 1) ; sed in vocibus est compositio et divisio, ut patet in propositionibus affirmativis et negativis : ergo intellectus componit et dividit. — *Ibid.* arg. *Sed contra.*

Respondeo dicendum, quod intellectus humanus necesse habet intelligere componendo et dividendo. Cum enim intellectus humanus exeat de potentia in actum, similitudinem quandam habet cum rebus generabilibus, quæ non statim perfectionem suam habent, sed eam successive acquirunt. Et similiter intellectus humanus non statim in prima apprehensione capit perfectam rei cognitionem ; sed primo apprehendit aliquid de ipsa, puta quidditatem ipsius rei, quæ est primum et proprium objectum intellectus ; et deinde intelligit proprietates et accidentia et habitudines circumstantes rei essentiam. Et secundum hoc necesse habet unum apprehensum alii componere et dividere, et ex una compositione et divisione ad aliam procedere ; quod est ratiocinari. — Intellectus autem angelicus et divinus se habet sicut res incorruptibiles, quæ statim a principio habent suam totam perfectionem. Unde intellectus angelicus et divinus statim perfecte totam rei cognitionem habet. Unde in cognoscendo quidditatem rei, cognoscit de re simul quidquid nos cognoscere possumus componendo et dividendo et ratiocinando. Et ideo intellectus humanus cognoscit componendo et dividendo, sicut et ratiocinando. Intellectus autem angelicus et divinus cognoscunt quidem compositionem et divisionem et ratiocinationem, non tamen componendo et dividendo et ratiocinando, sed per intellectum simplicis quidditatis. — 1a, q. 85, a. 5, c.

Ad primum ergo dicendum, quod compositio et divisio intellectus per quandam differentiam vel comparationem fit. Unde sic intellectus cognoscit multa componendo et dividendo, sicut cognoscendo differentiam vel comparationem rerum. — *Ibid.* ad 1.

Ad secundum dicendum, quod intellectus abstrahit a phantasmatibus ; et tamen non intelligit actu nisi convertendo se ad phantasmata, sicut supra dictum est. Et ex ea parte, qua se ad phantasmata convertit, compositioni et divisioni intellectus adjungitur tempus. — *Ibid.* ad 2.

Ad tertium dicendum, quod similitudo rei recipitur in intellectu secundum modum intellectus, et non secundum modum rei. Unde compositioni et divisioni intellectus respondet quidem aliquid ex parte rei ; tamen non eodem modo se habet in re, sicut in intellectu. Intellectus enim humani objectum proprium est quidditas rei materialis, quæ sub sensum et imaginationem cadit. Inventur autem duplex compositio in re materiali : *prima* quidem formæ ad materiam ; et huic respondet compositio intellectus, qua totum universale de sua parte praedicatur. Nam genus sumitur a materia communi, differentia vero completiva speciem a forma particulari vero a materia individuali. *Secunda* vero compositio est accidentis ad subjectum ; et huic reali compositioni re-

spondet compositio intellectus, secundum quam prædicatur accidens de subjecto, ut cum dicitur : Homo est albus. Tamen differt compositio intellectus a compositione rei ; nam ea, quæ componuntur in re, sunt diversa; compositio autem intellectus est signum identitatis eorum, quæ componuntur. Non enim intellectus sic componit, ut dicat, quod homo est albedo; sed dicit, quod homo est albus, id est habens albedinem (1). Et simile est de compositione materiæ et formæ. Nam animal significat id, quod habet naturam sensitivam ; rationale vero, quod habet naturam intellectivam ; homo vero, quod habet utrumque; Socrates vero, quod habet omnia hæc cum materia individuali. Et secundum hanc identitatis rationem intellectus noster unum componit alteri, prædicando. — *Ibid.* ad 3.

ARTICULUS VI

UTRUM INTELLECTUS POSSIT ESSE FALSUS.

Videtur quod intellectus possit esse falsus.

1. Dicit enim Philosophus (6. *Metaphys. text.* 8; l. 5, c. 3), quod verum et falsum sunt in mente ; mens autem et intellectus idem sunt : ergo falsitas est in intellectu. — 1a, q. 85, a. 6, arg. 1.

2. Præterea, opinio et ratiocinatio ad intellectum pertinent ; sed in utraque istarum invenitur falsitas : ergo potest esse falsitas in intellectu. — *Ibid.* arg. 2.

3. Præterea, peccatum in parte intellectiva est ; sed peccatum cum falsitate est ; *errant* enim *qui operantur malum*, ut dicitur *Proverb.* 14, 22 : ergo falsitas potest esse in intellectu. — *Ibid.* arg. 3.

Sed contra est, quod Philosophus (3. *de Anima text.* 51 ; c. 10) ait, quod intellectus semper est rectus. — 1a, q. 17, a. 3, arg. 2 ; q. 85, a. 6, arg. *Sed contra.*

Respondeo dicendum, quod Philosophus in 3. *de Anima* (*text.* 26 ; c. 6) comparat quantum ad hoc intellectum sensui. Sensus enim circa *proprium objectum* non decipitur, sicut visus circa colorem, nisi forte per accidens, ex impedimento circa organum contingente ; sicut cum gustus febricitantium dulcia judicat amara propter hoc, quod lingua malis humoribus est repleta. Circa *sensibilia* vero *communia* decipitur sensus, sicut judicando de magnitudine vel figura : ut cum judicat solem esse pedalem, qui tamen est major terra. Et multo magis decipitur circa *sensibilia per accidens*, ut cum judicat fel esse mel, propter coloris similitudinem. Et hujus ratio est evidens, quia ad proprium objectum unaquæque potentia per se ordinatur, secundum quod ipsa ; quæ autem sunt hujusmodi, semper eodem modo se habent. Unde manente potentia non deficit ejus judicium circa proprium objectum. Objectum autem proprium intellectus est quidditas rei. Unde circa quidditatem rei, *per se loquendo*, intellectus non fallitur, sed circa ea, quæ circumstant rei essentiam vel quidditatem, intellectus potest falli, dum unum ordinat ad aliud vel componendo vel dividendo vel etiam ratiocinando. Et propter hoc etiam circa illas propositiones errare non potest, quæ statim cognoscuntur cognita terminorum quidditate, sicut accidit circa prima principia, ex quibus etiam accidit infallibilitas veritatis secundum certitudinem scientiæ circa conclusiones.

Per accidens tamen contingit intellectum decipi circa *quod quid est* in rebus compositis ; non ex parte organi, quia intellectus non est virtus utens organo ; sed ex parte compositionis intervenientis circa definitionem, dum vel definitio unius rei est falsa de alia, sicut definitio circuli de triangulo ; vel dum aliqua definitio est in se falsa, implicans compositionem impossibilium, ut si accipiatur hoc ut definitio alicujus rei, animal rationale alatum. Unde in rebus simplicibus, in quarum definitionibus compositio intervenire non potest, non possumus decipi ; sed deficimus in totaliter non attingendo,

(1) *Al. add.* : Idem autem est subjecto quod est homo, et quod est habens albedinem.

sicut dicitur in 9. *Metaphys.* (*text.* 22; l. 8, c. 10). — 1a, q. 85, a. 6, c.

Ad primum ergo dicendum, quod falsitas dicitur esse in mente secundum compositionem et divisionem. — Et similiter dicendum est *ad secundum* de opinione et ratiocinatione; et *ad tertium* de errore peccantium, qui consistit in applicatione ad appetibile. Sed in absoluta consideratione quidditatis rei et eorum, quæ per eam cognoscuntur, intellectus nunquam decipitur; et sic loquitur auctoritas inducta *in contrarium*. — *Ibid.* ad 1, 2, 3.

ARTICULUS VII

UTRUM UNAM ET EANDEM REM UNUS ALIO MELIUS INTELLIGERE POSSIT.

Videtur quod unam et eandem rem unus alio melius intelligere non possit.

1. Quisquis enim aliquam rem aliter quam est intelligit, fallitur; et omnis qui fallitur, illud in quo fallitur non intelligit; non igitur potest quidquam intelligi, nisi ut est; ergo cum res sit uno modo, ab omnibus uno modo intelligitur, et ideo nullam rem alius alio melius intelligit. — *de Verit.* q. 2, a. 2, arg. 11; 1a, q. 85, a. 7, arg. 1.

2. Præterea, intellectus intelligendo verus est; veritas autem cum sit æqualitas quædam intellectus et rei, non recipit magis et minus; non enim proprie dicitur aliquid magis et minus æquale; ergo neque magis et minus aliquid intelligi dicitur. — 1a, l. c. arg. 2.

3. Præterea, intellectus est id, quod est formalissimum in homine; sed differentia formæ causat differentiam speciei: si igitur unus homo magis alio intelligit, videtur quod non sint unius speciei. — *Ibid.* arg. 3.

Sed contra est, quod per experimentum inveniuntur aliqui aliis profundius intelligentes: sicut profundius intelligit qui conclusionem aliquam potest reducere in prima principia et causas primas, quam qui potest reducere eadem in causas proximas. — *Ibid.* arg. *Sed contra*.

Respondeo dicendum, quod aliquem intelligere unam et eandem rem magis quam alium, potest intelligi dupliciter: *uno* modo sic, quod ly *magis* determinet actum intelligendi ex parte rei intellectæ; et sic non potest unus eandem rem magis intelligere quam alius, quia si intelligeret eam aliter quam sit, vel melius vel pejus, falleretur et non intelligeret, ut arguit Augustinus (*Libro LXXXIII QQ.* q. 32; — Migne t. 40, col. 22). *Alio* modo potest intelligi, ut determinet actum intelligendi ex parte intelligentis; et sic unus alio potest eandem rem melius intelligere, quia est melioris virtutis in intelligendo, sicut melius videt visione corporali rem aliquam qui est perfectioris virtutis, et in quo virtus visiva est perfectior. Hoc autem circa intellectum contingit dupliciter: *uno* quidem modo ex parte intellectus, qui est perfectior. Manifestum est enim, quod quanto corpus est melius dispositum, tanto meliorem sortitur animam; quod manifeste apparet in his, quæ sunt secundum speciem diversa. Cujus ratio est, quia actus et forma recipitur in materia secundum materiæ capacitatem. Unde etiam cum in hominibus quidam habeant corpus melius dispositum, sortiuntur animam majoris virtutis in intelligendo. Unde dicitur in 2. *de Anima* (*text.* 94; c. 9), quod molle carne bene aptos mente videmus. *Alio* modo contingit hoc ex parte interiorum virtutum, quibus intellectus indiget ad sui operationem. Illi enim, in quibus virtus imaginativa et cogitativa et memorativa est melius disposita, sunt melius dispositi ad intelligendum. — 1a, q. 85, a. 7, c.

Ad primum ergo patet solutio ex dictis.

Et similiter *ad secundum*; veritas enim intellectus in hoc consistit, quod intelligatur res esse sicut est. — 1a, l. c. a. 1 et 2.

Ad tertium dicendum, quod differentia formæ, quæ non provenit nisi ex diversa dispositione materiæ, non facit diversitatem secundum speciem, sed solam se-

cundum numerum. Sunt enim diversorum individuorum diversæ formæ secundum materiam diversificatæ. — *Ibid.* ad 3.

ARTICULUS VIII

UTRUM INTELLECTUS PRIUS INTELLIGAT INDIVISIBILE QUAM DIVISIBILE.

Videtur quod intellectus per prius intelligat indivisibile quam divisibile.

1. Dicit enim Philosophus (1. *Phys. text.* 1; c. 1), quod intelligimus et scimus ex principiorum et elementorum cognitione; sed indivisibilia sunt principia et elementa divisibilium : ergo per prius sunt nobis nota indivisibilia quam divisibilia. — 1a, q. 85, a. 8, arg. 1.

2. Præterea, id quod ponitur in definitione alicujus, per prius cognoscitur a nobis, quia definitio est ex prioribus et notioribus, ut dicitur in 6. *Top.* (c. 1); sed indivisibile ponitur in definitione divisibilis, sicut punctum in definitione lineæ; linea enim, ut dicit Euclides, est longitudo sine latitudine, cujus extremitates sunt duo puncta; et unitas ponitur in definitione numeri, quia numerus est multitudo mensurata per unum, ut dicitur in 10. *Metaphys.* (*text.* 21; l. 9, c. 6) : ergo intellectus noster per prius intelligit indivisibile quam divisibile. — *Ibid.* arg. 2.

3. Præterea, simile simili cognoscitur; sed indivisibile est magis simile intellectui quam divisibile, quia intellectus est simplex, ut dicitur in 3. *de Anima* (*text.* 2; c. 4) : ergo intellectus noster prius intelligit indivisibile. — *Ibid.* arg. 3.

Sed contra est, quod dicitur in 3. *de Anima* (*text.* 25; c. 6), quod indivisibile monstratur sicut privatio; sed privatio per posterius cognoscitur : ergo et indivisibile. — *Ibid.* arg. *Sed contra.*

Respondeo dicendum, quod objectum intellectus nostri secundum præsentem statum est quidditas rei materialis, quam a phantasmatibus abstrahit, ut ex præmissis (supra q. 95, a. 4 et 5) patet. Et quia id, quod est primo et per se cognitum a virtute cognoscitiva, est proprium ejus objectum, considerari potest, quo ordine indivisibile intelligatur a nobis, ex ejus habitudine ad hujusmodi quidditatem. Dicitur autem indivisibile tripliciter, ut dicitur in 3. *de Anima* (*text.* 23 ad 25; c. 6) : — *uno modo*, sicut continuum est indivisibile, quia est indivisum in actu, licet sit divisibile in potentia. Et hujusmodi indivisibile prius est intellectum a nobis quam ejus divisio, quæ est in partes : quia cognitio confusa est prior quam distincta, ut dictum est (art. 3 hujus q., ad 4). — *Alio modo* dicitur indivisibile secundum speciem, sicut ratio hominis est quiddam indivisibile. Et hoc etiam modo indivisibile est prius intellectum quam divisio ejus in partes rationis, ut supra (ibid.) dictum est; et iterum prius, quam intellectus componat et dividat affirmando vel negando. Et hujus ratio est, quia hujusmodi duplex indivisibile intellectus secundum se intelligit sicut proprium objectum. — *Tertio modo* indivisibile dicitur quod est omnino indivisibile, ut punctum et unitas, quæ nec actu nec potentia dividuntur. Et hujusmodi indivisibile per posterius cognoscitur per privationem divisibilis. Unde *punctum* privative definitur : *punctum est cui* (*cujus*) *pars non est;* et similiter ratio *unius* est, quod sit indivisibile, ut dicitur in 10. *Metaphys.* (*text.* 1; l. 9, c. 1). Et hujus ratio est, quia tale indivisibile habet quandam oppositionem ad rem corporalem, cujus quidditatem primo et per se intellectus accipit. — Si autem intellectus noster intelligeret per participationem indivisibilium separatorum, ut Platonici posuerunt, sequeretur quod indivisibile hujusmodi esset primo intellectum, quia secundum Platonicos prius participatur a rebus. — 1a, q. 85, a. 8, c.

Ad primum ergo dicendum, quod in accipiendo scientiam non semper principia et elementa sunt priora : quia quandoque ex effectibus sensibilibus devenimus

in cognitionem principiorum et causarum intelligibilium. Sed in complemento scientiæ semper scientia effectuum dependet ex cognitione principiorum et elementorum: quia, ut ibidem dicit Philosophus, tunc opinamur nos scire, cum principiata possumus in causas resolvere. — *Ibid.* ad 1.

Ad secundum dicendum, quod *punctum* non ponitur in definitione lineæ communiter sumptæ. Manifestum enim est, quod in linea infinita, et etiam in circulari, non est punctum nisi in potentia. Sed Euclides definit lineam finitam rectam, et ideo posuit punctum in definitione lineæ, sicut terminum in definitione terminati. *Unitas* vero est mensura numeri; et ideo ponitur in definitione numeri mensurati; non autem ponitur in definitione divisibilis, sed magis e converso.— *Ibid.* ad 2.

Ad tertium dicendum, quod similitudo, per quam intelligimus, est species cogniti in cognoscente. Et ideo non secundum similitudinem naturæ ad potentiam cognoscitivam est aliquid prius cognitum, sed per convenientiam ad objectum; alioqui magis visus cognosceret auditum quam colorem. — *Ibid.* ad 3.

QUÆSTIO CI

QUID INTELLECTUS NOSTER IN REBUS MATERIALIBUS COGNOSCAT.

Deinde considerandum est, quid intellectus noster in rebus materialibus cognoscat.

ET CIRCA HOC QUÆRUNTUR QUATUOR:

1. Utrum cognoscat singularia.
2. Utrum cognoscat infinita.
3. Utrum cognoscat contingentia.
4. Utrum cognoscat futura.

ARTICULUS I

UTRUM INTELLECTUS NOSTER COGNOSCAT SINGULARIA.

Videtur quod intellectus noster cognoscat singularia.

1. Dicit enim Philosophus (3. *de Anima text.* 30; c. 7), quod oportet intelligentem phantasmata speculari; sed speculari nihil est aliud quam intelligere; ergo intellectus intelligit singularia.

2. Præterea, intellectus noster non potest intelligere per species abstractas a phantasmatibus nisi convertendo se ad phantasmata, ut dictum est (supra q. 95, a. 5); unde et Philosophus (3. *de Anima text.* 30 et 39; c. 7 et 8) dicit, quod phantasmata se habent ad intellectum sicut sensibilia ad sensum. Sed phantasmata sunt quædam singularia; et conversio ad phantasma nihil est aliud quam ejus intellectio. Ergo cum phantasma sit singulare, intellectus noster cognoscet singulare. — Ll. cc. in respons.

3. Præterea, nullus cognoscit compositionem, nisi cognoscat compositionis extrema; sed hanc propositionem: « Socrates est homo » format mens; non enim potest eam formare aliqua sensitiva potentia, quæ hominem in universali non apprehendit: ergo intellectus noster cognoscit singularia. — *de Verit.* q. 10, a. 5, arg. 3; 1a, q. 86, a. 1, arg. 1; *Quæst. disp. de Anima* a. 20, arg. 1 *Sed contra*.

4. Præterea, nullus recte judicat et disponit de aliquibus, nisi ea cognoscat; sed sapiens per intellectum practicum atque alios per mentem recte judicat et disponit de singularibus, puta de actibus suis, qui sunt circa singularia, et de sua familia rebusque suis: ergo intellectus intelligit singularia. — *de Verit.* l. c. arg. 2; 1a, l. c. arg. 2; 4. *Sent.* dist. 50, q. 1, a. 3, arg. 3 *Sed contra*.

5. Præterea, eadem potentia cognoscit comparationem unius ad alterum, eadem enim potentia sensitiva communis cognoscit differentiam albi et dulcis; sed intellectus cognoscit comparationem universalis ad singulare; ergo intellectus cognoscit singulare. — 3. *de Anima* l. 8.

6. Præterea, nullus potest imperare actum alicui, nisi cognoscat objectum illius; sed mens sive ratio imperat actus concupiscibilis et irascibilis, ut patet l

Eth. (c. ult.): ergo cum illorum objectum sit singulare, illud poterit ab intellectu cognosci. — *de Verit.* q. 10, a. 5, arg. 4.

7. Præterea, intellectus noster cognoscit se ipsum; ipse autem est quoddam singulare; alioqui non haberet actum aliquem, actus enim singularium sunt: ergo intellectus noster cognoscit singularia. — 1a, q. 86, a. 1, arg. 3.

8. Præterea, quidquid potest virtus inferior, potest superior; sed sensus cognoscit singulare: ergo multo magis poterit intellectus illud cognoscere. — *Ibid.* arg. 4.

9. Præterea, per intellectum cognoscimus sensum errare judicando de aliquo singulari, ut quod sol sit pedalis; ergo per intellectum cognoscimus singulare sensibile demonstratum. — V. Capreolum in 1. *Sent.* dist. 35, q, 2, a. 1, arg. 9 ex 15 contra quartam conclus. (Edit. Venet. an. 1589 tom. 1, pag. 470, b).

10. Præterea, si per intellectum non cognosceremus singularia sensibilia demonstrata, sequeretur quod nulla principia scientiarum, quæ per experientiam singularium sumuntur, ut dicitur 2. *Poster.* (*text.* 27; c. 19) et 1. *Metaphys.* (c. 1), habere possemus; consequens autem est falsum: ergo et antecedens; ergo idem quod prius. — V. Capreolum l. c. arg. 10.

11. Præterea, prudentia est circa singularia (6. *Eth.* c. 5), et ex altera præmissa universali et altera singulari concludit conclusionem singularem; sed talis deductio non potest fieri per sensum, cum non habeat universalem conceptionem. Nec potest dici, quod universalis sit nota per intellectum et singularis per sensum, quia cum conclusio non concludatur ex altera tantum, ut patet ex 1. *Priorum* (c. 1), sed ex utraque simul; tunc nec per sensum nec per intellectum inferretur conclusio, cum per eandem vim cognoscitivam oportet cognosci conclusionem et præmissas. Ergo. — V. Capreolum l. c. arg. 11.

12. Præterea, anima separata cognoscit singularia; ergo et conjuncta; nam eadem est anima et eadem potentia intellectiva; ergo intellectus potest cognoscere singulare. — V. Capreolum l. c. arg. 14.

Sed contra est quod dicit Philosophus 1. *Phys.* (*text.* 49; c. 5), quod universale secundum rationem est notum, singulare autem secundum sensum; et 3. *de Anima* (*text.* 10 et 11; c. 4) dicit, quod sensus cognoscit hanc carnem et ejus qualitates, et intellectus cognoscit esse carnis; sed ejus quidditatem directe, indirecte vero et per reflexionem cognoscit hanc carnem. — 1a, q. 86, a. 1, arg. *Sed contra.*

Respondeo dicendum, quod singulare in rebus materialibus intellectus noster directe et primo cognoscere non potest. Cujus ratio est, quia principium singularitatis in rebus materialibus est materia individualis. Intellectus autem noster, sicut supra (q. 100, a. 1) dictum est, intelligit abstrahendo speciem intelligibilem ab hujusmodi materia. Quod autem a materia individuali abstrahitur, est universale. Unde intellectus noster directe non est cognoscitivus nisi universalium. Indirecte autem et quasi per reflexionem potest cognoscere singulare, quia, sicut supra dictum est, etiam postquam species intelligibiles abstraxerit, non potest secundum eas actu intelligere nisi convertendo se ad phantasmata, in quibus species intelligibiles intelligit, ut dicitur in 3. *de Anima* (*text.* 32; c. 7). Sic igitur ipsum universale per speciem intelligibilem directe intelligit, indirecte autem singularia, quorum sunt phantasmata. Et hoc modo format hanc propositionem: Socrates est homo. — 1a, q. 86, a. 1, c.

Ad primum ergo dicendum, quod speculatio illa, de qua dicit Aristoteles, quod intelligentem necesse est phantasmata speculari, non est actus intellectus, sed imaginationis et phantasiæ. Ad imperium enim intellectus formatur in imaginatione phantasma conveniens speciei intelligibili, in quo resplendet species intelligibilis sicut exemplar in exemplo; et ista operatio virtutis imaginativæ dicitur speculatio phan-

tasmatis. — *Vel dic*, quod non dicit Philosophus oportere intelligentem phantasmata speculari, sed quod anima nunquam sine phantasmate intelligit, quia nimirum homo qui intelligit non potest intelligere nisi phantasietur illud, quod vult intelligere. Formato enim phantasmate, virtute intellectus agentis phantasma movet intellectum possibilem, qui factus in actu per speciem intelligibilem productam a phantasmate instrumentaliter, intelligibilem operationem producit. Et hinc est quod homo præcognoscit singularia per imaginationem et sensum; et ideo potest applicare universalem cognitionem, quæ est in intellectu, ad particulare; non enim proprie intellectus aut sensus cognoscunt, sed homo per utrumque, ut dicitur 1. *de Anima* (*text.* 64; c. 4). — 2. *c. Gent.* c. 73. — V. Capreolum l. c. ad 2 (pag. 475, a et b).

Ad secundum dicendum, quod intellectum converti ad phantasmata non est intellectum intelligere phantasmata, sed pati intellectum a phantasmate, et accipere ab eo speciem intelligibilem. Illa enim receptio est quædam continuatio intellectus ad phantasmata, et quædam conversio, sicut etiam anima separata convertitur ad superiora recipiendo lumen intelligibile ab eis. — Phantasmata enim licet se habeant in hoc sensu ad intellectum sicut sensibilia ad sensum, quod sicut species, quæ est in sensu, abstrahitur a rebus ipsis, et per eam continuatur cognitio sensus ad res ipsas sensibiles, ita intellectus noster abstrahit speciem a phantasmatibus, et per eam ejus cognitio quodammodo ad phantasmata continuatur. — Est tamen hic discrimen inter phantasmata et sensibilia respectu intellectus et sensus, quod similitudo quæ est in *sensu*, abstrahitur a re ut ab objecto cognoscibili, et ideo res ipsa per illam similitudinem per se directe cognoscitur; — similitudo autem quæ est in *intellectu*, non abstrahitur a phantasmate sicut ab objecto cognoscibili, sed sicut a medio cognitionis, per medium quod sensus noster accipit similitudinem rei, quæ est in speculo dum fertur in eam non ut in rem quandam, sed ut in similitudinem rei. Unde intellectus noster non directe ex specie quam recipit, fertur ad cognoscendum phantasmata, sed tantum per quandam reflexionem redit etiam in cognitionem ipsius phantasmatis, dum considerat naturam sui actus et speciei per quam intuetur, et ejus a quo speciem abstrahit scilicet phantasmatis: sicut per similitudinem quæ est in visu a speculo acceptam directe fertur visus in cognitionem rei speculatæ, sed per quandam reversionem fertur per eandem in ipsam similitudinem quæ est in speculo. In quantum ergo intellectus noster per similitudinem acceptam a phantasmate reflectitur in ipsum phantasma, quod est similitudo particularis, habet quandam cognitionem de singulari, secundum continuationem quandam intellectus ad imaginationem. — *de Verit.* q. 2, a. 6, in c.

Ad textum vero Philosophi dicendum quod similitudo phantasmatum ad intellectum, et colorum ad visum, non consistit in hoc, quod sicut colores sunt objectum visus, ita phantasmata intellectus; sed in hoc, quod sicut species sensibilis abstrahitur a rebus sensibilibus, ita et species intelligibilis a phantasmatibus, ut dictum est; et sicut sensus percipit res sensibiles repræsentatas per species sensibiles, ita et intellectus cognoscit ea, quorum sunt phantasmata. — *de Verit.* q. 2, a. 6, in c.; q. 10, a. 9, in c.

Ad tertium dicendum, quod intellectus noster in statu viæ indirecte et per quandam reflexionem cognoscit singulare, quatenus continuatur viribus sensitivis, quæ circa particularia versantur. Quæ quidem continuatio est duplex: *uno modo*, in quantum motus sensitivæ partis terminatur ad mentem, sicut accidit in motu qui est a rebus ad animam; et sic mens singulare cognoscit per quandam reflexionem, prout scilicet mens cognoscendo objectum suum, quod est aliqua natura universalis, redit in cognitionem sui actus,

et ulterius in speciem, quæ est actus sui principium, et ulterius in phantasma, a quo species est abstracta; et sic aliquam cognitionem de singularibus accipit. *Alio modo*, secundum quod motus qui est ab anima ad res, incipit in mente et procedit in partem sensitivam, prout mens regit inferiores vires, et sic singularibus se immiscet, mediante ratione particulari, quæ est potentia quædam (1) componens et dividens intentiones individuales, quæ alio nomine dicitur cogitativa, et habet determinatum organum in capite, scilicet mediam cellulam capitis. Universalem vero sententiam, quam mens habet de operabilibus, non est possibile applicari ad particularem actum, nisi per aliquam potentiam mediam apprehendentem singulare: ut sic fiat quidem syllogismus, cujus major sit universalis, quæ est sententia mentis; minor autem singularis, quæ est applicatio particularis rationis; conclusio vero est electio singularis operis, ut patet per illud, quod habetur 3. *de Anima* (*text.* 58; c. 11). — *de Verit.* q. 10, a. 5, in n c.; 4. *Sent.* dist. 50, q. 1, a. 3, c.; 1a, q. 86, a. 1, in c.

Ad quartum dicendum, quod intellectus practicus ad hoc, ut de singularibus disponat, ut dicitur in 3. *de Anima* (*text.* 58; c. 11), indiget ratione particulari; qua mediante opinio quæ est universalis, quæ est in intellectu, ad particulare opus applicatur: ut sic fiat syllogismus, cujus major est universalis, quæ est opinio intellectus practici; minor vero singularis, quæ est æstimatio rationis particularis seu cogitativæ; conclusio vero consistit in electione operis. — 4. *Sent.* dist. 50, q. 1, a. 3, ad 3. — Et ideo dispositio sapientis de singularibus non fit per mentem nisi mediante vi cogitativa, cujus est intentiones singulares cognoscere. — *de Verit.* q. 10, a. 5, ad 2; 1a, q. 86, a. 1, ad 2; *Quæst. de Anima* a. 20, ad arg. 1 *in contrarium*.

Ad quintum dicendum, quod intellectus intelligit universale et singulare, sed alio et alio modo; cognoscit enim naturam speciei seu quod quid est, directe, ipsum autem singulare per quandam reflexionem, ut dictum est. — 3. *de Anima* l. 8.

Ad sextum dicendum, quod intellectus sive ratio cognoscit in universali finem, ad quem ordinat actum concupiscibilis et irascibilis, imperando eos. Hanc autem cognitionem universalem mediante vi cogitativa ad singularia applicat, ut dictum est. — *de Verit.* q. 10, a. 5, ad 4.

Ad septimum dicendum, quod singulare non repugnat intelligenti in quantum est singulare, sed in quantum est materiale materia signata, quia nihil intelligitur nisi immaterialiter: et ideo si sit aliquid singulare et immateriale, sicut est intellectus, hoc non repugnat intelligi. — 1a, q. 86, a. 1, ad 3.

Ad octavum dicendum, quod virtus superior potest illud, quod virtus inferior, sed modo eminentiori. Unde id, quod cognoscit sensus materialiter et concrete, quod est cognoscere singulare directe, hoc cognoscit intellectus immaterialiter et abstracte, quod est cognoscere universale. — 1a, l. c. ad 4.

Ad nonum dicendum, quod intellectus judicat sensum errare circa hoc individuum solis demonstratum; intellectus enim ex sui continuatione ad virtutem cogitativam, quæ dicitur intellectus passivus, potest syllogizare ex una universali et altera singulari, et concludere singularem propositionem oppositam ei, quam imaginatio formavit. Nec propter hoc oportet quod apprehensio individui sit subjective in intellectu possibili, sed in intellectu passivo, qui potest etiam syllogizare, licet non ex universalibus. Unde ad habendum tale judicium sufficit identitas animæ habentis duas potentias continuatas modo prædicto, per quarum unam format propositionem universalem, per aliam vero propositionem particularem. Imo quandoque per unam potentiam concipit subjectum, et per aliam prædicatum, ut cum dicit : Socrates est homo. — V. Capreolum l. c. ad 9 (pag. 476, b).

(1) *Al. add.* sensitivæ partis.

Ad decimum negatur consequentia. Et ad probationem dicendum, ut prius, quod non oportet eandem esse virtutem, quæ format præmissas in se ipsa, et illam, quæ infert conclusionem in se subjective; licet possit dici, quod utrumque facit intellectus, licet unum per se et aliud per virtutem cogitativam. Neque hinc sequitur quod eodem modo dici posset, quod unus homo formare posset præmissas et alius conclusionem, quia virtus cognoscitiva unius hominis nullo modo est unum, nec continuatur cum virtute cognoscitiva alterius, sicut est in proposito. — V. Capreolum l. c. ad 10.

Ad undecimum dicendum est, quod dispositio prudentis et sapientis de singularibus non fit per mentem, nisi mediante vi cogitativa, cujus est intentiones singulares cognoscere, ut dictum est (supra ad 4). — *de Verit.* q. 10, a. 5, ad 2; v. Capreolum l. c. ad 11.

Ad duodecimum dicendum, quod non est eadem ratio animæ conjunctæ et separatæ; nam separata habet alium modum cognoscendi quam conjuncta: cognoscit enim per species influxas, quæ sunt similitudines rerum quoad principia specifica et individuantia, quomodo non cognoscit conjuncta. — 1a, q. 89, a. 4; 4. *Sent.* dist. 50, q. 1, a. 3; v. Capreolum l. c. ad 14.

ARTICULUS II

UTRUM INTELLECTUS NOSTER POSSIT COGNOSCERE INFINITA.

Videtur quod intellectus noster possit cognoscere infinita.

1. Deus enim excedit omnia infinita, sed intellectus noster potest cognoscere Deum: ergo multo magis potest cognoscere omnia alia infinita. — 1a, q. 86, a. 2, arg. 1.

2. Præterea, intellectus noster natus est cognoscere genera et species, sed quorumdam generum sunt infinitæ species, sicut numeri, proportiones et figuræ; ergo intellectus noster potest cognoscere infinita. — *Ibid.* arg. 2.

3. Præterea, si unum corpus non impediret aliud ab existendo in uno et eodem loco, nihil prohiberet infinita corpora in uno loco esse; sed una species intelligibilis non prohibet aliam ab existendo simul in eodem intellectu; contingit enim multa scire in habitu; ergo nihil prohibet intellectum nostrum infinitorum scientiam habere in habitu. — *Ibid.* arg. 3.

4. Præterea, intellectus cum non sit virtus materiæ corporalis, videtur esse potentia infinita; sed virtus infinita potest super infinita: ergo intellectus noster potest cognoscere infinita. — *Ibid.* arg. 4.

Sed contra est, quod dicitur 1. *Phys.* (*text.* 35; c. 4), quod infinitum, in quantum infinitum, est ignotum. — *Ibid.* arg. *Sed contra.*

Respondeo dicendum, quod cum potentia proportionetur suo objecto, oportet hoc modo se habere intellectum ad infinitum, sicut se habet ejus objectum quod est quidditas rei materialis. In rebus autem materialibus non invenitur infinitum in actu, sed solum in potentia, secundum quod unum succedit alteri, ut dicitur in 3. *Phys.* (*text.* 57; c. 6). Et ideo in intellectu nostro invenitur infinitum in *potentia*, in accipiendo scilicet unum post aliud, quia nunquam intellectus noster tot intelligit, quin possit plura intelligere. *Actu* autem vel *habitu* non potest intellectus noster cognoscere infinita. Actu quidem non, quia intellectus noster non potest simul actu cognoscere, nisi quod per unam speciem cognoscit. Infinitum autem non habet unam speciem, alioqui haberet rationem totius et perfecti. Et ideo non potest intelligi nisi accipiendo partem post partem, ut ex ejus definitione patet in 3. *Phys.* (*text.* 63; c. 6): est enim infinitum, cujus quantitatem accipientibus semper est aliquid extra accipere. Et sic infinitum non posset actu cognosci, nisi omnes ejus partes numerarentur, quod est impossibile. Et eadem ratione non possumus in-

elligere infinita in habitu. In nobis enim abitualis cognitio causatur ex actuali onsideratione; intelligendo enim efficiur scientes, ut dicitur in 2. *Eth.* (c. 1). Inde non possemus habere habitum infiitorum secundum distinctam cognitioem, nisi consideravissemus omnino infiita, numerando ea secundum cognitiois successionem; quod est impossibile. Et ita nec actu nec habitu intellectus oster potest cognoscere infinita, sed in otentia tantum, ut dictum est. — 1a, q. 6, a. 2, c.

Ad primum ergo dicendum, quod, sicut upra (in c.) dictum est, Deus dicitur innitus, sicut forma, quæ non est termiata per aliquam materiam. In rebus utem materialibus aliquid dicitur infiitum per privationem formalis terminaionis. Et quia forma secundum se nota st, materia autem sine forma ignota; nde est quod infinitum materiale est ecundum se ignotum. Infinitum autem ormale, quod est Deus, est secundum se otum; ignotum autem quoad nos, proter defectum intellectus nostri, qui secunum statum præsentis vitæ habet natualem aptitudinem ad materialia cognocenda. Et ideo in præsenti Deum cognocere non possumus nisi per materiales ffectus. In futuro autem tolletur defectus ntellectus nostri per gloriam; et tunc ssum Deum in essentia videre poterius, tamen absque comprehensione. — *bid.* ad 1.

Ad secundum dicendum, quod intelletus noster natus est cognoscere species er abstractionem a phantasmatibus. Et leo illas species numerorum et figuraum, quas quis non est imaginatus, non otest cognoscere nec actu nec habitu, isi forte in genere et in principiis unirsalibus; quod est cognoscere in pontia et confuse. — *Ibid.* ad 2.

Ad tertium dicendum, quod si duo corora essent in uno loco vel plura, non porteret quod successive subintrarent cum, ut sic per ipsam subintrationis ccessionem numerarentur locata. Sed species intelligibiles ingrediuntur intellectum nostrum successive, quia non multa simul actu intelliguntur. — *Ibid.* ad 3.

Ad quartum dicendum, quod sicut intellectus noster est infinitus virtute, ita infinitum cognoscit. Est enim virtus ejus infinita, secundum quod non terminatur per materiam corporalem; et est cognoscitivus universalis, quod est abstractum a materia individuali, et per consequens non finitur ad aliquod individuum; sed quantum est de se, ad infinita individua se extendit. — *Ibid.* ad 4.

ARTICULUS III

UTRUM INTELLECTUS NOSTER SIT COGNOSCITIVUS CONTINGENTIUM.

Videtur quod intellectus noster non sit cognoscitivus contingentium : —

1. quia, ut dicitur in 6. *Eth.* (c. 6), intellectus et sapientia et scientia non sunt contingentium, sed necessariorum. — 1a, q. 86, a. 3, arg. 1.

2. Præterea, sicut dicitur in 3. *Phys.* (*text.* 120; c. 12) ea, quæ quandoque sunt quandoque non sunt, tempore mensurantur; intellectus autem a tempore abstrahit, sicut et ab aliis conditionibus materiæ. Cum igitur proprium contingentium sit quandoque esse et quandoque non esse, videtur quod contingentia non cognoscantur ab intellectu. — *Ibid.* arg. 2.

Sed contra : Omnis scientia est in intellectu; sed quædam scientiæ sunt de contingentibus, sicut scientiæ morales, quæ sunt de actibus humanis subjectis libero arbitrio; et etiam scientiæ naturales, quantum ad partem quæ tractat de generabilibus et corruptibilibus : ergo intellectus est cognoscitivus contingentium. — *Ibid.* arg. *Sed contra.*

Respondeo dicendum, quod contingentia dupliciter possunt considerari : *uno* modo, secundum quod contingentia sunt;

alio modo, secundum quod in eis aliquid necessitatis invenitur. Nihil enim est adeo contingens, quin in se aliquid necessarium habeat : sicut hoc ipsum, quod est « Socratem currere », in se quidem contingens est, sed habitudo cursus ad motum est necessaria ; necessarium enim est « Socratem moveri, si currit ». Est autem unumquodque contingens ex parte materiæ, quia contingens est quod potest esse et non esse. Potentia autem pertinet ad materiam; necessitas autem consequitur rationem formæ; quia ea, quæ consequuntur ad formam, ex necessitate insunt. Materia autem est individuationis principium. Ratio autem universalis accipitur secundum abstractionem formæ a materia particulari. Dictum autem est supra (a. 1), quod per se et directe intellectus est universalium, sensus autem singularium ; quorum etiam indirecte quodam modo est intellectus. Sic igitur contingentia, prout contingentia sunt, cognoscuntur directe quidem sensu, indirecte autem ab intellectu ; rationes autem universales et necessariæ contingentium cognoscuntur per intellectum. Unde si attendantur rationes universales sensibilium, omnes scientiæ sunt de necessariis ; si autem attendantur ipsæ res, sic quædam scientia est de necessariis, quædam vero de contingentibus. — 1a, q. 86, a. 3, c.

Et per hoc patet solutio *ad objecta*.

ARTICULUS IV

UTRUM INTELLECTUS NOSTER COGNOSCAT FUTURA.

Videtur quod intellectus noster cognoscat futura.

1. Intellectus enim noster cognoscit species intelligibiles, quæ abstrahunt ab hic et nunc, et ita se habent indifferenter ad omne tempus ; sed potest cognoscere præsentia : ergo potest cognoscere futura. — 1a, q. 86, a. 4, arg. 1.

2. Præterea, homo quando alienatur a sensibus, aliqua futura cognoscere potest, ut patet in dormientibus et phreneticis ; sed quando alienatur a sensibus, magis indiget (1) intellectu : ergo intellectus, quantum est de se, est cognoscitivus futurorum. — *Ibid.* arg. 2.

3. Præterea, cognitio intellectiva hominis efficacior est, quam cognitio quæcunque brutorum animalium ; sed quædam animalia sunt, quæ cognoscunt quædam futura, sicut corniculæ frequenter crocitantes significant pluviam mox futuram : ergo multo magis intellectus humanus potest futura cognoscere. — *Ibid.* arg. 3.

Sed contra est, quod dicitur *Eccle.* 8 (v. 6 et 7) : *Multa hominis afflictio, quia ignorat præterita, et futura nullo scire potest nuntio.* — *Ibid.* arg. *Sed contra.*

Respondeo dicendum, quod de cognitione futurorum eodem modo distinguendum est, sicut de cognitione contingentium. Nam ipsa futura, ut sub tempus cadunt, sunt singularia, quæ intellectus humanus non cognoscit, nisi per reflexionem, ut supra dictum est; rationes autem futurorum possunt esse universales et intellectu perceptibiles, et de eis etiam possunt esse scientiæ. Ut tamen communiter de cognitione futurorum loquamur sciendum est, quod futura dupliciter cognosci possunt : uno modo in se ipsis, alio modo in suis causis. *In se ipsis* quidem futura cognosci non possunt nisi a Deo cui etiam sunt præsentia, dum in cursu rerum sunt futura, in quantum ejus æternus intuitus simul fertur supra totum temporis cursum. Sed prout sunt *in suis causis*, cognosci possunt etiam a nobis. Et si quidem in suis causis sint ut ex quibus ex necessitate proveniant cognoscuntur per certitudinem scientiæ sicut astrologus præcognoscit eclipsim futuram. Si autem sic sint in suis causis, ut ab eis proveniant ut in pluribus sic cognosci possunt per quandam con-

1. Al. « viget ».

ecturam vel magis vel minus certam, secundum quod causæ sunt vel magis vel minus inclinatæ ad effectus. — 1a, q. 86, a. 4, c.

Ad primum ergo dicendum, quod ratio illa procedit de cognitione quæ fit per rationes universales causarum, ex quibus futura cognosci possunt secundum modum ordinis effectus ad causam. — *Ibid.* ad 1.

Ad secundum dicendum, quod sicut Augustinus dicit in 12. *Confessionum* (1), anima habet quandam « vim sortis », ut ex sui natura possit futura cognoscere. Et ideo, quando retrahitur a corporeis sensibus, et quodam modo revertitur ad se ipsam, fit particeps notitiæ futurorum. Et hæc quidem opinio rationabilis esset, si poneremus, quod anima acciperet cognitionem rerum secundum participationem idearum, sicut Platonici posuerunt; quia sic anima ex sui natura cognosceret universales causas omnium effectuum, sed impeditur (2) per corpus; unde quando a corporeis sensibus abstrahitur, futura cognoscit (3). Sed quia iste modus cognoscendi non est connaturalis intellectui nostro, sed magis ut cognitionem a sensibus accipiat; ideo non est secundum naturam animæ quod futura cognoscat, cum a sensibus alienatur; sed magis per impressionem aliquarum causarum superiorum spiritualium et corporalium; spiritualium quidem, sicut cum virtute divina ministerio angelorum intellectus humanus illuminatur, et phantasmata ordinantur ad futura aliqua cognoscenda; vel etiam cum per operationem dæmonum fit aliqua commotio in phantasia ad præsignandum aliqua futura, quæ dæmones cognoscunt. Hujusmodi autem impressiones causarum spiritualium magis nata est anima humana suscipere, cum a sensibus alienatur, quia per hoc propinquior fit substantiis spiritualibus et magis libera ab exterioribus inquietudinibus. Contingit autem et hoc per impressionem superiorum causarum corporalium (materialium). Manifestum est enim, quod corpora superiora imprimunt in corpora inferiora. Unde cum vires sensitivæ sint actus corporalium organorum, consequens est quod ex impressione cœlestium corporum immutetur quodam modo phantasia. Unde cum cœlestia corpora sint causa multorum futurorum, fiunt in imaginatione aliqua signa quorumdam futurorum. Hæc autem signa magis percipiuntur in nocte et a dormientibus quam de die et a vigilantibus; quia, ut dicitur in lib. *de Somno et Vigilia* (*de Divinat. per Somnum* c. 2), « quæ deferuntur de die, dissolvuntur magis. Plus est enim sine turbatione aer noctis, eo quod silentiores sunt noctes, et in corpore faciunt sensum propter somnum; quia parvi motus interiores magis sentiuntur a dormientibus quam a vigilantibus. Hi vero motus faciunt phantasmata, ex quibus prævidentur futura. » — *Ibid.* ad 2.

Ad tertium dicendum, quod animalia bruta non habent aliquid supra phantasiam, quod ordinet phantasmata, sicut habent homines rationem; et ideo phantasia brutorum animalium totaliter sequitur impressionem cœlestem. Et ideo ex motibus hujusmodi animalium magis possunt cognosci quædam futura, ut pluvia et hujusmodi, quam ex motibus hominum, qui moventur per consilium rationis. Unde Philosophus dicit in lib. *de Divinat. per Somnum* (c. 2), quod « quidam imprudentissimi sunt maxime prævidentes. Nam intelligentia horum non est curis affecta; sed tamquam deserta et vacua ab omnibus, et mota secundum movens ducitur. » — *Ibid.* ad 3.

(1) Potius l. 7, c. 6 (Migne t. 32, col. 737) : « conjecturas autem hominum habere sæpe vim sortis ».

(2) Al. « impediretur ».

(3) Al. « cognosceret ».

QUÆSTIO CII

QUOMODO ANIMA INTELLECTIVA SE IPSAM ET EA, QUÆ SUNT IN IPSA, COGNOSCAT.

Deinde considerandum est, quomodo anima intellectiva cognoscat se ipsam et ea, quæ in ipsa sunt.

CIRCA HOC QUÆRUNTUR QUATUOR :

1. Utrum cognoscat se ipsam per suam essentiam.
2. Quomodo cognoscat habitus in se existentes.
3. Quomodo intellectus cognoscat proprium actum.
4. Quomodo cognoscat actum voluntatis.

ARTICULUS I

UTRUM ANIMA INTELLECTIVA SE IPSAM COGNOSCAT PER SUAM ESSENTIAM.

Videtur quod anima intellectiva se ipsam cognoscat per suam essentiam.

1. Dicit enim Philosophus in 3. *de Anima* (*text.* 15; c. 4), quod in his, quæ sunt separata a materia, idem est quod intelligit et quo intelligitur; sed anima est quædam res immaterialis : ergo per essentiam suam se intelligit. — *de Verit.* q. 10, a. 8, arg. 3 *Sed contra.*

2. Præterea, dicit Augustinus (9. *de Trin.* c. 3 in fine; — Migne t. 42, col. 963), quod mens se ipsam per se ipsam novit, quoniam est incorporea ; ergo idem quod prius. — *Ibid.* arg. 1 *Sed contra*; 1a, q. 87, a. 1, arg. 1.

3. Præterea, angelus et anima humana conveniunt in genere intellectualis substantiæ; sed angelus intelligit se ipsum per suam essentiam : ergo et anima humana. — 1a, l. c. arg. 2.

4. Præterea, omne id, quod est præsens intellectui ut intelligibile, intelligitur ab intellectu. Sed ipsa essentia animæ est præsens intellectui per modum intelligibilis; est enim presens per sui veritatem ; veritas enim (1) est ratio intelligendi, sicut bonitas est ratio diligendi. Ergo anima per essentiam suam se intelligit. — *de Verit.* l. c. arg. 4 *Sed contra.*

5. Præterea, species per quam intelligitur, est simplicior eo quod per eam intelligitur; sed anima non habet aliquam speciem se simpliciorem, quæ ab ea abstrahi possit : ergo anima non intelligit se per aliquam speciem, sed per essentiam suam. — *Ibid.* arg. 5 *Sed contra.*

6. Præterea, omnis scientia est per assimilationem scientis ad scitum; sed nihil est aliud animæ similius quam sua essentia : ergo per nihil aliud se intelligit quam per essentiam suam. — *Ibid.* arg. 6 *Sed contra.*

7. Præterea, omnis species per quam anima nostra intelligit, est a sensibilibus abstracta; sed nullum sensibile est a quo anima potest suam quidditatem vel speciem abstrahere : ergo anima non cognoscit se ipsam per aliquam similitudinem. — *Ibid.* arg. 9 *Sed contra.*

8. Præterea, sicut lux corporalis facit esse omnia visibilia in actu, ita anima per suam lucem facit omnia materialia esse intelligibilia actu, ut patet in 3. *de Anima* (*text.* 18; c. 5); sed lux corporalis per se ipsam videtur, non per aliquam similitudinem sui : ergo et anima per suam essentiam intelligitur, non per aliquam similitudinem. — *Ibid.* arg. 10.

9. Præterea, sicut dicit Philosophus in 3. *de Anima* (*text.* 18; c. 5), intellectus agens non aliquando quidem intelligit, aliquando non, sed semper intelligit. Sed non intelligit semper nisi se ipsum. Nec hoc etiam posset, si per speciem a sensibus abstractam se intelligeret : quia sic ante abstractionem non se intelligeret. Ergo anima nostra intelligit se per suam essentiam. — *Ibid.* arg. 11.

Sed contra est, quod dicitur in 3. *de Anima* (*text.* 15; c. 4), quod intellectus intelligit se ipsum sicut et alia ; sed alia non intelligit per essentiam eorum, sed

(1) Al. « ergo veritas. »

per eorum similitudines : ergo neque se ipsum per suam essentiam intelligit. — 1a, q. 87, a. 1, arg. *Sed contra.*

Respondeo dicendum, quod unumquodque cognoscibile est, secundum quod est in actu, et non secundum quod est in potentia, ut dicitur 9. *Metaphys.* (*text.* 20 ; l. 8, c. 9). Sic enim aliquid est ens et verum, quod sub cognitione cadit, prout actu est. Et hoc quidem manifeste apparet in rebus sensibilibus. Non enim visus percipit coloratum in potentia, sed solum coloratum in actu ; et similiter intellectus. Manifestum est enim, quod in quantum est cognoscitivus rerum materialium, non cognoscit nisi quod est actu. Et inde est quod non cognoscit materiam primam nisi secundum proportionem ad formam, ut dicitur in 1. *Phys.* (*text.* 69 ; c. 7). Unde et in substantiis immaterialibus, secundum quod unaquæque earum se habet ad hoc quod sit in actu per essentiam suam, ita se habet ad hoc quod sit per essentiam suam intelligibilis.

Essentia igitur Dei, quæ est actus purus et perfectus, est simpliciter et perfecte secundum se ipsam intelligibilis. Unde Deus per suam essentiam non solum se ipsum, sed etiam omnia intelligit. — Angeli autem essentia est quidem in genere intelligibilium ut actus, non tamen ut actus purus neque completus. Unde ejus intelligere non completur per essentiam suam. Etsi enim per essentiam suam se intelligat angelus, tamen non omnia potest per essentiam suam cognoscere, sed cognoscit alia a se per eorum similitudines. — Intellectus autem humanus se habet in genere intelligibilium ut ens in potentia tantum, sicut et materia prima se habet in genere rerum sensibilium, unde *possibilis* nominatur. Sic igitur in sua essentia consideratus se habet ut potentia intelligens. Unde ex se ipso habet virtutem ut intelligat, non autem ut intelligatur nisi secundum id, quod fit actu. Sic enim etiam Platonici posuerunt ordinem entium intelligibilium supra ordinem intellectuum : quia intellectus non intelligit nisi per participans (1); participans autem est infra participatum secundum eos. Si igitur intellectus humanus fieret actu per participationes formarum intelligibilium separatarum, ut Platonici posuerunt; per hujusmodi participationem rerum incorporearum intellectus humanus se ipsum intelligeret. Sed quia connaturale est intellectui nostro secundum statum præsentis vitæ, quod ad materialia et sensibilia respiciat, ut supra dictum est; consequens est, ut sic se ipsum intelligat intellectus noster, secundum quod fit actu per species a sensibilibus abstractas per lumen intellectus agentis, quod est actus ipsorum intelligibilium ; et eis mediantibus intelligit intellectus possibilis. Non ergo per essentiam suam, sed per actum suum se cognoscit intellectus noster; et hoc dupliciter : uno modo *particulariter*, secundum quod Socrates vel Plato percipit se habere animam intellectivam ex hoc quod percipit se intelligere; alio modo *in universali*, secundum quod naturam humanæ mentis ex actu intellectus consideramus. — 1a, q. 87, a. 1, c.

Sed verum est, quod judicium et efficacia hujus cognitionis, per quam naturam animæ cognoscimus, competit nobis secundum derivationem luminis intellectus nostri a veritate divina, in qua rationes omnium rerum continentur. Unde Augustinus dicit (9. *de Trin.* c. 6 ; — Migne t. 42, col. 466) : « Intuemur inviolabilem veritatem, ex qua perfecte quantum possumus definimus, non qualis sit uniuscujusque hominis mens, sed qualis esse sempiternis rationibus debeat. » — Est autem differentia inter has duas cognitiones. Nam ad *primam* cognitionem de mente habendam sufficit ipsa mentis præsentia, quæ est principium actus, ex quo mens percipit se ipsam ; et ideo dicitur se cognoscere per suam præsentiam. Sed ad *secundam* cognitionem de mente habendam non sufficit ejus præsentia, sed

(1) Al. « nisi per participationem intelligibilem » vel « intelligibilis. »

requiritur diligens et subtilis inquisitio. Unde et multi naturam animæ ignorant, et multi etiam circa naturam animæ erraverunt. Propter quod dicit Augustinus (10. *de Trin.* c. 9; — Migne t. 42, col. 980) de tali inquisitione mentis : « Non velut absentem se quærat mens cernere, sed præsentem quærat discernere », id est cognoscere differentiam suam ab aliis rebus; quod est cognoscere quidditatem et naturam suam. — 1a, q. 87, a. 1, c.

Ad primum ergo dicendum, quod verbum Philosophi intelligendum est de intellectu, qui est omnino a materia separatus, ut Commentator ibidem exponit, sicut sunt intellectus angelorum; non autem de intellectu humano; alias sequeretur quod scientia speculativa idem esset, quod res scita; quod est impossibile, ut etiam Commentator ibidem dicit. — *de Verit.* q. 10, a. 8. ad 3, secundo loco.

Ad secundum dicendum, quod verbum Augustini est intelligendum, quod mens se ipsam per se ipsam cognoscit, quod ex ipsa mente est ei, unde possit in actum prodire, quo se actualiter cognoscat, percipiendo se esse; sicut ex specie habitualiter in mente recepta est in mente, ut possit actualiter rem illam considerare. Sed qualis est natura ipsius mentis, mens non potest percipere nisi ex consideratione sui objecti. — *Ibid.* ad 1.

Ad tertium dicendum, quod essentia angeli est sicut actus in genere intelligibilium; et ideo se habet ut intellectus et ut intellectum. Unde angelus suam essentiam per se ipsum apprehendit; non autem intellectus humanus, qui vel est omnino in potentia respectu intelligibilium, sicut intellectus possibilis; vel est actus intelligibilium, quæ abstrahuntur a phantasmatibus, sicut intellectus agens. — 1a, q. 87, a. 1, ad 2.

Ad quartum dicendum, quod anima est sibi ipsi præsens ut intelligibilis, id est ut intelligi possit; non autem id per se ipsam intelligatur, sed ex objecto suo. — *de Verit.* 1, c. ad 4, secundo loco.

Ad quintum dicendum, quod anima non cognoscitur per aliam speciem abstractam a se, sed per speciem objecti sui, quæ fit forma ejus secundum quod intelligit actu; unde ratio non sequitur. — *Ibid.* ad 5.

Ad sextum dicendum, quod quamvis anima nostra sit sibi ipsi simillima, non tamen potest esse principium cognoscendi se ipsam ut species intelligibilis, sicut nec materia prima : eo quod hoc modo se habet intellectus noster in ordine intelligibilium, sicut materia prima in ordine sensibilium, ut Commentator dicit in 3. *de Anima* (*text.* 19). — *Ibid.* ad 6.

Ad septimum dicendum, quod anima non cognoscitur per speciem a sensibus abstractam, quasi intelligatur species illa esse animæ similitudo; sed quia, naturam speciei considerando, quæ a sensibilibus abstrahitur, invenitur natura animæ, in qua hujusmodi species recipitur : sicut ex forma cognoscitur materia. — *Ibid.* ad 9.

Ad octavum dicendum, quod lux corporalis non videtur per essentiam, nisi quatenus fit ratio visibilitatis visibilium, et forma quædam dans esse eis actu visibile; ipsa enim lux quæ est in sole, non videtur a nobis nisi per similitudinem ejus in visu nostro existentem. Sicut enim species lapidis non est in oculo, sed similitudo ejus; ita non potest esse quod forma lucis quæ est in sole, sit ipsa eadem in oculo; et similiter lumen intellectus agentis per se ipsum a nobis intelligitur, in quantum est ratio specierum intelligibilium, faciens eas intelligibiles actu. — *Ibid.* ad 10.

Ad nonum dicendum, quod verbum illud Philosophi potest dupliciter exponi, secundum duas opiniones de intellectu agente. Quidam enim posuerunt intellectum agentem substantiam separatam, unam de aliis intelligentiis; et secundum hoc semper actu intelligit, sicut aliæ intelligentiæ. Quidam vero ponunt intellectum agentem esse potentiam animæ; et secundum hoc dicitur, quod intellectus

agens quandoque intelligit et quandoque non, quia causa quandoque intelligendi et quandoque non, non est ex parte ejus, sed ex parte intellectus possibilis. In omni enim actu quo homo intelligit, concurrit operatio intellectus agentis et intellectus possibilis. Intellectus autem agens non recipit aliquid ab extrinseco, sed solum intellectus possibilis ; unde quantum ad id, quod requiritur ad nostram considerationem ex parte intellectus agentis, non deest quin semper intelligamus; sed quantum ad id, quod requiritur ex parte intellectus possibilis; quod nunquam impletur nisi per species intelligibiles a phantasmatibus abstractas. — *Ibid.* ad 11.

ARTICULUS II

UTRUM INTELLECTUS NOSTER COGNOSCAT HABITUS ANIMÆ PER ESSENTIAM EORUM.

Videtur quod intellectus noster cognoscat habitus animæ per essentiam eorum, et non per aliquas similitudines.

1. Dicit enim Augustinus (13. *de Trin.* c. 1; — Migne t. 42, col. 1014) : « Non sic videtur fides in corde, in quo est, sicut anima alterius hominis ex motibus corporis videtur ; sed eam tenet certissima scientia, clamatque conscientia » ; et eadem ratio est de aliis habitibus animæ. Ergo habitus animæ non cognoscuntur per actus, sed per se ipsos. — 1a, q. 87, a. 2, arg. 1.

2. Præterea, res materiales, quæ sunt extra animam, cognoscuntur per hoc quod similitudines earum sunt præsentialiter in anima ; et ideo dicuntur per suas similitudines cognosci ; sed habitus animæ præsentialiter sunt per suam essentiam in anima : ergo per suam essentiam cognoscuntur. — *Ibid.* arg. 2.

3. Præterea, « propter quod unumquodque tale, et illud magis » ; sed res aliæ cognoscuntur ab anima propter habitus et species intelligibiles : ergo ista magis per se ipsa ab anima cognoscuntur. — *Ibid.* arg. 3.

4. Præterea, omne quod cognoscitur a mente per sui similitudinem, prius fuit in sensu quam fuit in mente ; sed habitus mentis nunquam fuit in sensu : ergo non cognoscitur a mente per aliquam similitudinem, sed per ejus essentiam. — *de Verit.* q. 10, a. 9, arg. 4.

5. Præterea, quanto aliquid est propinquius menti, tanto a mente magis cognoscitur; sed habitus est propinquior potentiæ intellectivæ mentis quam actus, et actus quam objectum : ergo mens magis cognoscit habitum quam actum vel objectum vel aliquas similitudines. — *Ibid.* arg. 5.

6. Præterea, intellectus cognoscit speciem intelligibilem quæ in ipso est ; non autem cognoscit eam per aliam speciem, sed per essentiam suam, quiā sic esset abire in infinitum. Hoc autem non est, nisi quia species ipsæ intellectum formant. Cum ergo similiter intellectus per habitus informetur, videtur quod eos per essentiam mens cognoscat. — *Ibid.* arg. 10.

Sed contra : 1. Habitus sunt principia actuum, sicut et potentiæ ; sed, sicut dicitur in 2. *de Anima* (*text.* 33; c. 4), actus et operationes sunt priores potentiis secundum rationem : ergo eadem ratione sunt priores habitibus; et ita habitus per actus cognoscuntur, sicut et potentiæ. — 1a, q. 87, a. 2, arg. *Sed contra.*

2. Præterea, ad hoc quod intellectus, qui est potentia intelligens, actu intelligat, requiritur quod per aliquid reducatur in actum, et id est, quo intellectus intelligit actu. Sed essentia habitus, in quantum est præsens menti, non reducit intellectum de potentia in actum, quia sic oporteret quod quamdiu habitus sunt præsentes in anima, actu intelligerentur. Ergo habituum essentia non est id, quo (in quo) habitus intelliguntur. — *de Verit.* q. 10, a. 9, arg. 8 *Sed contra.*

Respondeo dicendum, quod habitus quodammodo est medium inter potentiam

puram et actum purum. Jam autem dictum est, quod nihil cognoscitur, nisi secundum quod est actu. Sic ergo, in quantum habitus deficit ab actu perfecto, deficit ab hoc ut non sit per se ipsum cognoscibilis; sed necesse est quod per actum suum cognoscatur, sive dum aliquis percipit se habere habitum per hoc quod percipit se producere actum proprium illius habitus; sive dum aliquis inquirit naturam et rationem habitus ex consideratione actus. Et prima quidem cognitio habitus fit per ipsam præsentiam habitus, quia ex hoc ipso quod est præsens, actum causat, in quo statim percipitur. Secunda autem cognitio habitus fit per studiosam inquisitionem, sicut supra dictum est de mente. — 1a, q. 87, a. 2. c.

Ad primum ergo dicendum, quod etsi fides non cognoscatur per exteriores corporis motus, percipitur tamen etiam ab eo, in quo est, per interiorem actum cordis. Nullus enim fidem se habere scit, nisi per hoc quod se credere perspicit. — *Ibid.* ad 1.

Ad secundum dicendum, quod habitus sunt præsentes in intellectu nostro, non sicut objecta intellectus, quia objectum intellectus nostri secundum statum præsentis vitæ est natura rei materialis, ut supra dictum est; sed sunt præsentes in intellectu, ut quibus intellectus intelligit. — *Ibid.* ad 2.

Ad tertium dicendum, quod cum dicitur: « Propter quod unumquodque, et illud magis », veritatem habet, si intelligatur in his quæ sunt unius ordinis, puta in uno genere causæ: puta si dicatur, quod sanitas est desiderabilis propter vitam, sequitur quod vita sit magis desiderabilis. Si autem accipiantur ea, quæ sunt diversorum ordinum, non habet veritatem: ut si dicatur, quod sanitas est desiderabilis propter medicinam, non inde sequitur quod medicina sit magis desiderabilis; quia sanitas est in ordine finium, medicina autem in ordine causarum efficientium. Sic igitur si accipiamus duo, quorum utrumque sit per se in o dine objectorum cognitionis, illud pr pter quod aliud cognoscitur, erit mag notum, sicut principia conclusionibus. S habitus non est de ordine objectorum, quantum est habitus; nec propter hal tum aliqua cognoscuntur, sicut propt objectum cognitum, sed sicut propter di positionem vel formam, qua cognosce cognoscit. Et ideo ratio non sequitur. — *Ibid.* ad 3.

Ad quartum dicendum, quod habit non cognoscitur ab anima per aliqua ejus speciem a sensu abstractam, s per species eorum quæ per habitum c gnoscuntur; et in hoc ipso quod alia c gnoscuntur, et habitus cognoscitur principium cognitionis (1). — *de Ver* q. 10, a. 9, ad 4.

Ad quintum dicendum, quod quamv habitus sit propinquior potentiæ qua actus, tamen actus est propinquior obj cto; unde habet rationem cogniti, pote tia vero habet rationem principii cogn scendi; et ideo actus per prius cognosc tur quam habitus; sed habitus est mag cognitionis principium. — *Ibid.* ad 5.

Ad sextum dicendum, quod intellectu cognoscit speciem intelligibilem, non p essentiam suam, neque per aliquam sp cum, sed cognoscendo objectum caju est species, per quandam reflexionem — *Ibid.* ad 10.

ARTICULUS III

UTRUM INTELLECTUS COGNOSCAT PROPRIU ACTUM.

Videtur quod intellectus non cogn scat proprium actum.

1. Illud enim proprie cognoscitur quod est objectum cognoscitivæ virtutis sed actus differt ab objecto: ergo intel lectus non cognoscat suum actum. — 1a, q. 87, a. 3, arg. 1.

2. Præterea, quidquid cognoscitur, ab quo actu cognoscitur; si igitur intelle

(1) *Al add.* « eorum ».

ctus cognoscit actum suum, aliquo actu cognoscit illum, et iterum illum actum alio actu : erit ergo procedere in infinitum ; quod videtur impossibile. — *Ibid.* arg. 2.

3. Præterea, sicut se habet sensus ad actum suum, ita et intellectus ; sed sensus proprius non sentit actum suum, sed hoc pertinet ad sensum communem, ut dicitur in lib. 2. *de Anima* (*text.* 132 et sq.; l. 3, c. 1) : ergo neque intellectus intelligit actum suum. — *Ibid.* arg. 3.

Sed contra est, quod intellectus supra se ipsum reflectitur ; unde Augustinus (10. *de Trin.* c. 11 ; — Migne t. 42, col. 983) dicit, quod « intelligo me intelligere » ; sed potentia reflexiva cognoscit suos actus : ergo et intellectus cognoscit suum actum. — 1a. q. 87, a. 3, arg. *Sed contra ;* q. 85, a. 2, in c.

Respondeo dicendum, quod, sicut jam dictum est (supra a. 1 et 2), unumquodque cognoscitur secundum quod est actu. Ultima autem perfectio intellectus est ejus operatio. Non enim est sicut actio tendens in alterum, quæ sit perfectio operati, sicut ædificatio ædificati ; sed manet in operante ut perfectio et actus ejus, ut dicitur in 9. *Metaphys.* (*text.* 16 ; l. 8, c. 8). Hoc igitur est primum, quod de intellectu intelligitur, scilicet ipsum ejus intelligere.

Sed circa hoc diversi intellectus diversimode se habent. Est enim aliquis intellectus, scilicet divinus, qui est ipsum suum intelligere. Et sic in Deo idem est, quod intelligat se intelligere, et quod intelligat suam essentiam : quia sua essentia est suum intelligere. — Est etiam alius intellectus, scilicet angelicus, qui non est suum intelligere, sed tamen primum objectum sui intelligere est ejus essentia. Unde etsi aliud sit in angelo secundum rationem, quod intelligat se intelligere, et quod intelligat suam essentiam ; tamen simul et uno actu utrumque intelligit, quia hoc, quod est intelligere suam essentiam, est propria perfectio suæ essentiæ ; simul autem et uno actu intelligitur res cum sua perfectione. — Est autem alius intellectus, scilicet humanus, qui nec est suum intelligere, nec sui intelligere objectum primum est ipsa ejus essentia, sed aliquid extrinsecum, scilicet natura materialis rei. Et ideo id, quod primo cognoscitur ab intellectu humano, est hujusmodi objectum ; et secundario cognoscitur ipse actus, quo cognoscitur objectum ; et per actum cognoscitur ipse intellectus, cujus est perfectio ipsum intelligere. Et ideo Philosophus dicit (2. *de Anima text.* 33 ; c. 4), quod objecta præcognoscuntur actibus, et actus potentiis. — 1a, q. 87, a. 3, c.

Ad primum ergo dicendum, quod objectum intellectus est commune quoddam, scilicet ens et verum, sub quo comprehenditur etiam ipse actus intelligendi. Unde intellectus potest suum actum cognoscere, sed non primo : quia nec primum objectum intellectus nostri secundum præsentem statum est quodlibet ens et verum, sed ens et verum consideratum in rebus materialibus, ut dictum est, ex quibus in cognitionem omnium aliorum devenit. — *Ibid.* ad 1.

Ad secundum dicendum, quod ipsum intelligere humanum non est actus et perfectio naturæ intellectæ, ut sic possit uno actu intelligi natura rei materialis et ipsum intelligere, sicut uno actu intelligitur res cum sua perfectione. Unde alius est actus quo intellectus intelligit lapidem, et alius quo intelligit se intelligere lapidem, et sic deinde. Nec est inconveniens intellectum esse infinitum in potentia, ut supra (q. præced. a. 2) dictum est. — *Ibid.* ad 2.

Ad tertium dicendum, quod sensus proprius sentit secundum immutationem materialis organi a sensibili exteriori. Non est autem possibile, quod aliquid materiale immutet se ipsum, sed unum immutatur ab alio ; et ideo actus sensus proprii percipitur per sensum communem. Sed intellectus noster non intelligit per materialem immutationem organi, et ideo non est simile. — *Ibid.* ad 3.

ARTICULUS IV

UTRUM INTELLECTUS INTELLIGAT ACTUM VOLUNTATIS.

Videtur quod intellectus non intelligat actum voluntatis.

1. Nihil enim cognoscitur ab intellectu, nisi sit aliquo modo præsens in intellectu ; sed actus voluntatis non est præsens in intellectu, cum sint diversæ potentiæ : ergo actus voluntatis non cognoscitur ab intellectu. — 1a, q. 87, a. 4, arg. 1.

2. Præterea, actus habet speciem ab objecto ; sed objectum voluntatis differt ab objecto intellectus : ergo et actus voluntatis speciem habet diversam ab objecto intellectus ; non ergo cognoscitur ab intellectu. — *Ibid.* arg. 2.

Sed contra est, quod objectum intellectus, ut dictum est supra (art. præced. ad 1), est commune quoddam, scilicet ens et verum; sed sub ente et vero comprehenditur etiam actus voluntatis : ergo intellectus illum intelligit.

Respondeo dicendum, quod actus voluntatis nihil aliud est, quam inclinatio quædam consequens formam intellectam, sicut appetitus naturalis est inclinatio consequens formam naturalem. Inclinatio autem cujuslibet rei est in ipsa re per modum ejus. Unde inclinatio naturalis est naturaliter in re naturali; inclinatio autem quæ est appetitus sensibilis, est sensibiliter in sentiente ; et similiter inclinatio intelligibilis, quæ est actus voluntatis, est intelligibiliter in intelligente, sicut in primo principio et in proprio subjecto. Unde et Philosophus hoc modo loquendi utitur in 3. *de Anima* (*lect.* 12; c. 9), quod « voluntas in ratione est ». Quod autem intelligibiliter est in aliquo intelligente, consequens est ut ab eo intelligatur. Unde actus voluntatis intelligitur ab intellectu, et in quantum aliquis percipit se velle, et in quantum aliquis cognoscit naturam hujus actus, et per consequens naturam ejus principii, quod est habitus vel potentia. — 1a, q. 87, a. 4, c.

Ad primum ergo dicendum, quod ratio illa procederet, si voluntas et intellectus, sicut sunt diversæ potentiæ, ita etiam subjecto differrent. Sic enim quod est in voluntate, esset absens ab intellectu. Nunc autem cum utrumque radicetur in una substantia animæ, et unum sit quodam modo principium alterius, consequens est ut quod est in voluntate, sit etiam quodam modo in intellectu. — *Ibid.* ad 1.

Ad secundum dicendum, quod bonum et verum, quæ sunt objecta voluntatis et intellectus, differunt quidem ratione ; verumtamen unum eorum continetur sub alio ; nam verum est quoddam bonum, et bonum est quoddam verum. Et ideo quæ sunt voluntatis, cadunt sub intellectu ; et quæ sunt intellectus, possunt cadere sub voluntate. — *Ibid.* ad 2.

QUÆSTIO CIII

QUOMODO ANIMA COGNOSCAT EA, QUÆ SUPRA ILLAM SUNT.

Deinde considerandum est, quomodo anima humana cognoscat ea, quæ supra illam sunt, scilicet immateriales substantias.

ET CIRCA HOC QUÆRUNTUR TRIA :

1. Utrum anima humana secundum statum præsentis vitæ possit intelligere substantias immateriales, quas angelos dicimus, per se ipsas.
2. Utrum possit ad earum notitiam pervenire per cognitionem rerum materialium.
3. Utrum Deus sit id, quod primo a nobis cognoscitur.

ARTICULUS I

UTRUM ANIMA HUMANA SECUNDUM STATUM VITÆ PRÆSENTIS POSSIT INTELLIGERE SUBSTANTIAS IMMATERIALES PER SE IPSAS.

Videtur quod anima humana secun-

dum statum vitæ præsentis possit intelligere substantias immateriales per se ipsas.

1. Dicit enim Augustinus (9. *de Trin.* c. 3; — Migne t. 42, col. 963) : « Mens ipsa sicut corporearum rerum notitias per sensus corporis colligit, sic incorporearum rerum per semet ipsam ». Hujusmodi autem sunt substantiæ immateriales; ergo mens humana substantias immateriales intelligit. — 1a, q. 88, a. 1, arg. 1.

2. Præterea, simile simili cognoscitur. Sed magis assimilatur mens humana rebus immaterialibus quam materialibus, cum nostra mens sit immaterialis. Cum ergo mens nostra intelligat res materiales dissimiles, magis intelliget immateriales, quæ sunt similes. — *Ibid.* arg. 2.

3. Præterea, quod ea, quæ sunt secundum se maxime sensibilia, non maxime sentiantur a nobis, provenit ex hoc quod excellentiæ sensibilium corrumpunt sensum. Sed excellentiæ intelligibilium non corrumpunt intellectum, ut dicitur in 3. *de Anima* (*text.* 7; c. 4). Ergo ea, quæ sunt secundum se maxime intelligibilia, sunt etiam maxime intelligibilia nobis. Sed cum res materiales non sint intelligibiles, nisi quia facimus eas intelligibiles actu, abstrahendo a materia; manifestum est, quod magis sint secundum se intelligibiles substantiæ quæ secundum suam naturam sunt immateriales. Ergo multo magis intelliguntur a nobis quam res materiales. — *Ibid.* arg. 3.

4. Præterea, Commentator dicit in 2. *Metaphys.* (*text.* 1 in fine), quod si substantiæ abstractæ non possent intelligi a nobis, tunc natura « otiose egisset, quia fecit illud, quod est naturaliter in se intellectum, non intellectum ab aliquo ». Sed nihil est otiosum seu frustra in natura; ergo substantiæ immateriales possunt intelligi a nobis. — *Ibid.* arg. 4.

5. Præterea, sicut se habet sensus ad sensibilia, ita intellectus ad intelligibilia; sed visus noster potest videre omnia corporea, sive sint superiora et incorruptibilia, sive sint inferiora et corruptibilia : ergo intellectus noster potest intelligere omnes substantias intelligibiles, et superiores et immateriales. — *Ibid.* arg. 5.

6. Præterea, anima unita corpori intelligit se ipsam, ut dictum est (arg. 1); sed ipsa est de natura substantiarum separatarum intellectualium : ergo anima unita corpori potest intelligere substantias separatas. — *Quæst. disp. de Anima* a. 16, arg. 8.

7. Præterea, nulla forma impeditur a fine suo per materiam, cui naturaliter unitur. Sed finis animæ intellectivæ est intelligere substantias separatas, quæ sunt maxime intelligibiles; uniuscujusque enim rei finis est ut perveniat ad perfectum in sua operatione; ultima autem perfectio et felicitas hominis consistit in operatione nobilissimæ potentiæ, puta intellectus, respectu nobilissimi objecti, quod non videtur esse nisi substantia separata. Ergo anima corpori unita potest intelligere substantias separatas. — *Ibid.* arg. 1 et 2.

Sed contra : 1. Nihil sine phantasmate intelligit anima, ut dicit Philosophus (3. *de Anima text.* 30 ; c. 7); sed per phantasmata non possunt intelligi substantiæ separatæ : ergo anima unita corpori non potest intelligere substantias separatas. — *Quæst. disp. de Anima* a. 16, arg. *Sed contra.*

2. Præterea, dicit Philosophus 2. *Metaphys.* (*text.* 1 ; l. 1 min., c. 1), quod « difficultas intelligendi substantias separatas accidit ex nobis, non ex illis; nam intellectus noster se habet ad manifestissima rerum, sicut se habet oculus vespertilionis ad lucem solis ». Sed oculus vespertilionis nunquam potest videre lucem solis. Ergo nec intellectus animæ unitæ corpori potest intelligere substantias separatas. — 3. *c. Gent.* c. 45.

Respondeo dicendum, quod, secundum opinionem Platonis substantiæ immateriales non solum a nobis intelliguntur, sed etiam sunt prima a nobis intellecta.

Posuit enim Plato formas immateriales subsistentes, quas ideas vocabat, esse propria objecta nostri intellectus; et ita primo et per se intelliguntur a nobis. Applicatur tamen animæ cognitio rebus materialibus, secundum quod intellectui permiscetur phantasia et sensus. Unde quanto magis intellectus fuerit depuratus, tanto magis percipit immaterialium intelligibilem veritatem. — 1a, q. 88, a. 1, c.

Sed secundum Aristotelis sententiam, quam magis experimur, intellectus noster secundum statum præsentis vitæ naturalem respectum habet ad naturas rerum materialium; unde nihil intelligit nisi convertendo se ad phantasmata, ut ex dictis patet. Et sic manifestum est, quod substantias immateriales, quæ sub sensu et imaginatione non cadunt, primo et per se secundum modum cognitionis nobis expertum intelligere non possumus. — *Ibid.*

Sed tamen Averroes in Comment. 3. *de Anima* (*text.* 36) ponit, quod in fine in hac vita homo pervenire potest ad hoc, quod intelligat substantiam separatam per continuationem vel unionem cujusdam substantiæ separatæ a nobis, quam vocat intellectum agentem; qui quidem cum sit substantia separata, naturaliter substantias separatas intelligit. Unde cum fuerit nobis unitus sic, ut per eum intelligere possimus, intelligemus et nos substantias separatas, sicut nunc per intellectum possibilem nobis unitum intelligimus res materiales. Ponit autem intellectum agentem sic nobis uniri. Cum enim intelligamus per intellectum agentem et per intelligibilia speculata, ut patet cum conclusiones intelligimus per principia intellecta, necesse est quod intellectus agens comparetur ad intellecta speculata vel sicut agens principale ad instrumenta, vel sicut forma ad materiam. His enim duobus modis attribuitur actio aliqua duobus principiis: principali quidem agenti et instrumento, sicut sectio artifici et serræ; formæ autem et subjecto, sicut calefactio calori et igni. Sed utroque modo intellectus agens comparatur ad intelligibilia speculata, sicut perfectio ad perfectibile et actus ad potentiam. Simul autem recipiuntur in aliquo perfectum et perfectio, sicut visibile in actu, et lumen in pupilla. Simul igitur in intellectu possibili recipiuntur intellecta speculata, et intellectus agens; et quanto plura intellecta speculata recipimus, tanto magis appropinquamus ad hoc quod intellectus agens perfecte uniatur nobis: ita quod cum omnia intellecta speculata cognoverimus, intellectus agens perfecte unietur nobis, et poterimus per eum omnia cognoscere et materialia et immaterialia. Et in hoc posuit ultimam hominis felicitatem. Nec refert, quantum ad propositum pertinet, utrum in illo statu felicitatis intellectus possibilis intelligat substantias separatas per intellectum agentem, ut ipse sentit, vel (ut ipse imponi Alexandro) intellectus possibilis numquam intelligat substantias separatas, propter hoc quod ponit intellectum possibilem corruptibilem; sed homo intelligit substantias separatas per intellectum agentem. — *Ibid.*

Sed prædicta stare non possunt: — *primo* quidem, quia si intellectus agens est substantia separata, impossibile est quod per ipsum formaliter intelligamus, quia id, quo formaliter agens agit, est forma et actus agentis, cum omne agens agat in quantum est actu, ut supra dictum est circa intellectum possibilem. — *Secundo*, quia secundum modum prædictum, intellectus agens, si est substantia separata, non unietur nobis secundum suam substantiam, sed solum lumen ejus, secundum quod participatur in intellectis speculatis, et non quantum ad alias actiones intellectus agentis, ut possimus per hoc intelligere substantias immateriales; sicut videmus colores illuminatos a sole non uniuntur nobis substantia solis, ut possimus actiones solis agere, sed solum uniuntur nobis lumen solis ad visionem colorum. — *Tertio*, quia dato quod secundum modum prædictum unietur nobis substantia intellectus agentis, tamen ipse

non ponunt, quod intellectus agens totaliter uniatur nobis secundum unum intelligibile vel duo, sed secundum omnia intellecta speculata. Sed omnia intellecta speculata deficiunt a virtute intellectus agentis, quia multo plus est intelligere substantias separatas, quam intelligere omnia materialia. Unde manifestum est, quod etiam intellectis omnibus materialibus, non sic uniretur intellectus agens nobis, ut possemus intelligere per eum substantias separatas. — *Quarto*, quia intelligere omnia intellecta materialia vix competit (contingit) alicui in hoc mundo; et sic nullus vel paucissimi ad felicitatem pervenirent; quod est contra Philosophum 1. *Eth.* c. 9 (10), qui dicit, quod « felicitas est quoddam bonum commune, quod potest convenire omnibus non orbatis ad virtutem ». Est etiam contra rationem, quod finem alicujus speciei ut in paucioribus consequantur ea quæ continentur sub specie. — *Quinto*, quia Philosophus dicit expresse in 1. *Eth.* c. 10 (11), quod « felicitas est operatio secundum perfectam virtutem »; et enumeratis multis virtutibus lib. 10, c. 7, concludit, quod felicitas ultima consistens in cognitione maximorum intelligibilium est secundum virtutem sapientiæ, quam posuerat in 6. *Eth.*, c. 7, esse caput scientiarum speculativarum. Unde patet, quod Aristoteles posuit ultimam felicitatem hominis in cognitione substantiarum separatarum, qualis potest haberi per scientias speculativas, et non per continuationem intellectus agentis a quibusdam confictam. — *Sexto*, quia supra (q. 94, a. 4) ostensum est, quod intellectus agens non est substantia separata, sed virtus quædam animæ ad eadem se active extendens, ad quæ se extendit intellectus possibilis receptive; quia, ut dicitur in 3. *de Anima* (*text.* 18; c. 5), intellectus possibilis est « quo est omnia fieri », intellectus agens « quo est omnia facere ». Uterque ergo intellectus se extendit secundum statum præsentis vitæ ad materialia sola, quæ intellectus agens facit intelligibilia actu, et recipiuntur in intellectu possibili. Unde secundum statum præsentis vitæ neque per intellectum possibilem neque per intellectum agentem possumus intelligere substantias separatas immateriales secundum se ipsas. — 1a, q. 88, a. 1, c.

Ad primum ergo dicendum, quod ex illa auctoritate Augustini haberi potest, quod illud, quod mens nostra de cognitione incorporalium rerum accipit, per se ipsam cognoscere possit. Et hoc adeo verum est, ut etiam apud Philosophum (1. *de Anima text.* 2; c. 1) dicatur, quod scientia de anima est principium quoddam ad cognoscendum substantias separatas. Per hoc enim quod anima nostra cognoscit se ipsam, pertingit ad cognitionem aliquam habendam de substantiis incorporeis, qualem eam contingit habere, non quod simpliciter et perfecte eas cognoscat cognoscendo se ipsam. — *Ibid.* ad 1.

Ad secundum dicendum, quod similitudo naturæ non est ratio sufficiens ad cognitionem; alioqui oportet dicere, quod Empedocles dixit, quod anima esset de natura omnium, ad hoc quod omnia cognosceret. Sed requiritur ad cognoscendum, ut sit similitudo rei cognitæ in cognoscente quasi quædam forma ipsius. Intellectus autem noster possibilis secundum statum præsentis vitæ est natus informari similitudinibus rerum materialium a phantasmatibus abstractis; et ideo cognoscit magis materialia quam substantias immateriales. — *Ibid.* ad 2.

Ad tertium dicendum, quod requiritur aliqua proportio objecti ad potentiam cognoscitivam, ut activi ad passivum, et perfectionis ad perfectibile. Unde quod excellentia sensibilia non capiantur a sensu, non sola ratio est, quia corrumpunt organa sensibilia, sed etiam quia sunt improportionata potentiis sensitivis. Et hoc modo substantiæ immateriales sunt improportionatæ intellectui nostro secundum præsentem statum, ut non possint ab eo intelligi. — *Ibid.* ad 3.

Ad quartum dicendum, quod illa ratio Commentatoris multipliciter deficit: — *primo* quidem, quia non sequitur, quod

si substantiæ separatæ non intelliguntur a nobis, non intelligantur ab aliquo intellectu; intelliguntur enim a se ipsis et a se invicem. *Secundo*, quia non est finis substantiarum separatarum ut intelligantur a nobis. Illud autem otiose et frustra esse dicitur, quod non consequitur finem ad quem est; et sic non sequitur substantias immateriales esse frustra, etiam si nullo modo intelligerentur a nobis. — *Ibid.* ad 4.

Ad quintum dicendum, quod eodem modo sensus cognoscit et superiora et inferiora corpora, scilicet per immutationem organi a sensibili. Non autem intelliguntur eodem modo a nobis substantiæ materiales, quæ intelliguntur per modum abstractionis, et substantiæ immateriales, quæ non possunt sic a nobis intelligi, quia non sunt earum aliqua phantasmata. Quod est dicere, quod species, quarum visus est receptivus, possunt esse similitudines quorumcunque corporum, sive corruptibilium sive incorruptibilium; sed species a phantasmatibus abstractæ, quarum est receptivus intellectus possibilis, non sunt similitudines substantiarum separatarum; et ideo non est simile. — *Ibid.* ad 5.

Ad sextum dicendum, quod intellectus possibilis noster intelligit se ipsum non directe apprehendendo essentiam suam, sed per speciem a phantasmatibus acceptam. Unde Philosophus dicit in 3. *de Anima* (*text.* 16; c. 4), quod intellectus possibilis est intelligibilis sicut et alia. Et hoc ideo est, quia nihil est intelligibile secundum quod est in potentia, sed secundum quod est actu, ut dicitur in 9. *Metaphys.* (*text.* 20; l. 8, c. 9). Unde cum intellectus possibilis sit in potentia tantum in esse intelligibili, non potest intelligi nisi per formam suam, per quam fit actu, quæ est species a phantasmatibus abstracta; sicut et quilibet alia res intelligitur per formam suam; et hoc est commune in omnibus potentiis animæ, quod actus cognoscuntur per objecta, et potentiæ per actus, et anima per suas potentias. Sic igitur et anima intellectiva per suum intelligere cognoscitur. Species autem a phantasmatibus accepta non est forma substantiæ separatæ, ut per eam cognosci possit, sicut per eam aliqualiter cognoscitur intellectus possibilis. — *Quæst. disp. de Anima* a. 16, ad 8.

Ad septimum dicendum, quod finis, ad quem se extendit naturalis possibilitas animæ humanæ, est ut cognoscat substantias separatas secundum modum illi possibilem in hac vita; a quo modo non impeditur per hoc quod corpori unitur. (*Ibid.* ad 1.) — In tantum autem anima, dum est unita corpori, potest ad cognitionem substantiarum separatarum ascendere, in quantum potest per species a phantasmatibus acceptas manuduci. Hoc autem non est, ut intelligatur de eis *quid sint*, cum illæ substantiæ excedant omnem proportionem horum intelligibilium; sed possumus hoc modo de substantiis separatis aliquo modo cognoscere *quia sunt*, sicut per effectus deficientes devenimus in causas excellentes, ut cognoscamus de eis tantum quia sunt; et dum cognoscimus quia sunt causæ excellentes, scimus de eis, quia non sunt tales, quales sunt earum effectus; et hoc est scire de eis magis quid non sunt, quam quid sunt. Et secundum hoc est etiam aliqualiter verum, quod in quantum intelligimus quidditates quas abstrahimus a rebus materialibus, intellectus noster convertendo se ad illas quidditates potest intelligere substantias separatas, ut intelligat eas esse immateriales, sicut ipsæ quidditates sunt a materia abstractæ; et sic per considerationem intellectus nostri deducimur in cognitionem substantiarum separatarum intelligibilium. Neque vero mirum est quod substantias separatas non possumus in hac vita cognoscere, intelligendo quid sunt, sed quid non sunt: quia etiam quidditatem et naturam corporum cœlestium non aliter cognoscere possumus. Sic enim etiam Aristoteles notificat ea in 1. *de Cœlo et Mundo* (*text.* 18 et sqq.; c. 3), ostendens quod non sunt gravia neque levia, neque generabilia neque

corruptibilia, neque contrarietatem habentia. — *Ibid.* in corp. versus fin. — Et similiter in hac cognitione nobis in hac vita possibili substantiæ separatæ ultima est felicitas hominis, ad quam per naturalia pervenire potest. — *Ibid.* ad 1.

ARTICULUS II

UTRUM INTELLECTUS NOSTER PER COGNITIONEM RERUM MATERIALIUM POSSIT PERVENIRE AD INTELLIGENDUM SUBSTANTIAS IMMATERIALES.

Videtur quod intellectus noster per cognitionem rerum materialium possit pervenire ad intelligendum substantias immateriales.

1. Dicit enim Dionysius (*de Cœlesti Hierarch.* c. 1, § 3; — Migne t. 3, col. 122), quod « non est possibile humanæ menti ad immaterialem illam sursum excitari cœlestium hierarchiarum contemplationem, nisi secundum se materiali manuductione utatur ». Relinquitur ergo quod per materialia manuduci possumus ad intelligendum substantias immateriales. — 1a, q. 88, a. 2, arg. 1.

2. Præterea, scientia est in intellectu; sed scientiæ et definitiones maxime sunt de substantiis immaterialibus, ut scientia metaphysica seu Sapientia et Prima Philosophia: ergo substantiæ immateriales intelligi possunt a nobis. — *Ibid.* arg. 2; 1. *Metaphys.* l. 1.

3. Præterea, anima humana est de genere substantiarum immaterialium; sed ipsa intelligi potest a nobis per actum suum, quo intelligit materialia: ergo et aliæ substantiæ immateriales intelligi possunt a nobis per effectus suos in rebus materialibus. — *Ibid.* arg. 3.

4. Præterea, illa sola causa per suos effectus comprehendi non potest, quæ in infinitum distat a suis effectibus; hoc autem solius Dei est proprium: ergo aliæ substantiæ immateriales creatæ intelligi possunt a nobis per res materiales. — *Ibid.* arg. 4.

5. Præterea, innatum est nobis per effectus causas cognoscere. Sed oportet aliquos effectus substantiarum separatarum in rebus sensibilibus et materialibus esse, cum omnia corporalia a Deo per angelos administrentur, et mediante motu cœli, qui ab angelis provenit, ut dictum est, sint causa generationis in sublunaribus. Potest igitur intellectus noster per sensibilia intelligere substantias immateriales. — *Quæst. disp. de Anima* a. 16, arg. 7.

6. Præterea, intellectus potest intelligere res materiales, abstrahendo quidditatem a supposito materiali; et si illa quidditas est iterum suppositum habens quidditatem, poterit pari ratione ab illo quidditatem abstrahere; et cum non sit abire in infinitum, deveniet tandem ad hoc quod intelliget quidditatem aliquam simplicem, non habentem aliam quidditatem. Sed hujusmodi est quidditas substantiæ separatæ. Ergo intellectus noster potest saltem per quidditates rerum materialium venire in cognitionem substantiarum immaterialium. — *de Verit.* q. 18, a. 5, arg. 6.

Sed contra est : 1. quod intellectum, in quantum hujusmodi, est universale; et ideo oportet quod quidditas intellecti sit quidditas alicujus universalis, scilicet generis vel speciei. Sed quidditas generis vel speciei horum sensibilium, cujus cognitionem intellectivam per phantasmata accipimus, comprehendit in se materiam et formam. Est ergo omnino dissimilis quidditati substantiarum separatarum, quæ est simplex et immaterialis. — 3. *c. Gent.* c. 41, rat. 1.

2. Præterea, non est ejusdem rationis forma quæ secundum se separari non potest ab aliquo subjecto, cum illa quæ separari potest secundum esse a tali subjecto; licet utraque secundum considerationem accipiatur absque subjecto. Sed quidditas generis vel speciei rerum sensibilium non potest separari secundum esse ab hac individuali materia. Est ergo omnino dissimilis quidditas prædicta a

substantiis separatis, quæ nullo modo sunt in materia. Non ergo per hoc quod hæ quidditates intelliguntur, substantiæ separatæ possunt intelligi. — *Ibid.* rat. 2.

3. Præterea, major est distantia substantiæ separatæ a sensibilibus, quam unius sensibilis ab alio. Sed intelligere quidditatem unius sensibilis non sufficit ad intelligendam quidditatem alterius : cæcus enim per hoc quod intelligit quidditatem soni, non potest intelligere quidditatem coloris. Multo igitur minus per hoc quod quis intelligit quidditatem sensibilis substantiæ, poterit intelligere quidditatem substantiæ separatæ. — *Ibid.* rat. 4.

Respondeo dicendum, quod Philosophus 3. *de Anima* (*text.* 36; c. 7) movet hanc quæstionem : utrum intellectus noster possit intelligere ea, quæ sunt omnino separata secundum esse a magnitudine, puta substantias separatas, et eam tamquam ad Metaphysicam pertinentem reliquit insolutam; quam tamen neque in Metaphysica solvit, vel quia complementum illius scientiæ nondum ad nos pervenit, vel quia nondum est totus liber translatus, vel quia forte morte præventus non potuit complere. Unde sectatoribus ejus occasionem dedit diversimode procedendi ad hujusmodi solutionem. — *Quidam* enim dixerunt, quod intellectus noster non potest intelligere substantias separatas. *Quidam* vero posuerunt, quod ad hoc pertingere potest. Horum autem *quidam* usi sunt rationibus insufficientibus, ut Avempace, qui posuit, ut notat Averroes in 3. *de Anima* (*text.* 36), quod per intellectionem substantiarum materialium possumus venire in cognitionem substantiarum immaterialium, mixus argumento postremo inefficaci, ut patebit ex ejus solutione. *Alii* vero usi sunt positionibus extraneis et contra fidem, ut Alexander et Commentator.

Quibus omissis dicendum est, impossibile esse quod per quidditates rerum materialium deveniamus in cognitionem perfectam substantiarum immaterialium. Cujus ratio est, quia in nullo genere potentia passiva naturalis se extendit ultra id, ad quod se extendit potentia activa ejusdem generis ; sicut potentia passiva in natura non invenitur nisi respectu eorum, ad quæ aliqua potentia activa naturalis se potest extendere, ut dicit Commentator in 9. *Metaphys.* (*text.* 11). In animæ autem humanæ intellectu duplex potentia invenitur : una quasi passiva, scilicet intellectus possibilis, et alia quasi activa, scilicet intellectus agens. Unde intellectus possibilis naturaliter non est in potentia ut in eo fiant nisi ea quæ intellectus agens natus est facere; quamvis per hoc non excludatur, quin aliqua alia in eo fieri possint operatione divina, sicut in natura corporali per operationem miraculi. Actione autem intellectus agentis non fiunt intelligibilia ea, quæ sunt de se ipsis potentia intelligibilia, qualia sunt essentiæ rerum naturalium, quæ per sensum et imaginationem capiuntur. Unde in intellectu possibili naturaliter non fiunt nisi illæ species intelligibiles, quæ sunt a phantasmatibus abstractæ; per hujusmodi autem species impossibile est pervenire ad intuendam essentiam substantiæ separatæ, cum sint improportionabiles et quasi alterius generis cum ipsis essentiis spiritualibus. Et ideo naturali cognitione homo non potest pertingere ut cognoscat angelos perfecte, puta quid sint; imperfecte enim potest per cognitionem quidditatis rerum materialium, illorum naturam cognoscere, puta secundum rationem communem, remotumque genus, non autem secundum rationem speciei; et præterea potest illos cognoscere *quia sunt*, ut dictum est (art. praeced. ad 7). — *Quæst. disp. de Anima* a. 16, in c.; 3. *de Anima* l. 12; *de Verit.* q. 18, a. 5, ad 8; 1a, q. 88, a. 2, in c.

Ad primum ergo dicendum, quod ex rebus materialibus ascendere possumus in aliqualem cognitionem immaterialium

rerum; non tamen in perfectam, quia non est sufficiens comparatio rerum materialium ad immateriales; sed similitudines, si quæ a materialibus accipiuntur ad immaterialia intelligenda, sunt multum dissimiles. — 1a, q. 88, a. 2, ad 1.

Ad secundum dicendum, quod de superioribus rebus in scientiis maxime tractatur per viam remotionis. Sic enim corpora cœlestia notificat Aristoteles (1. *de Cœlo text.* 17 sqq. ; c. 3) per negationem proprietatum inferiorum corporum. Unde multo magis immateriales substantiæ a nobis cognosci non possunt, ut earum quidditates apprehendamus ; sed de eis nobis in scientiis documenta traduntur per viam remotionis et alicujus habitudinis ad res materiales. — *Ibid.* ad 2.

Ad tertium dicendum, quod anima humana intelligit se ipsam per suum intelligere, quod est actus proprius ejus, perfecte demonstrans virtutem ejus et naturam. Sed neque per hoc, neque per alia quæ in rebus materialibus inveniuntur, perfecte potest cognosci immaterialium substantiarum virtus et natura, quia hujusmodi non adæquant earum virtutes. — *Ibid.* ad 3.

Ad quartum dicendum, quod substantiæ immateriales creatæ in genere quidem naturali non conveniunt cum substantiis materialibus, quia non est in eis eadem ratio potentiæ et materiæ; conveniunt tamen cum eis in genere logico, quia etiam substantiæ immateriales sunt in prædicamento substantiæ, cum earum quidditas non sit earum esse. Sed Deus non convenit cum rebus materialibus, neque secundum genus naturale, neque secundum genus logicum, quia Deus nullo modo est in genere, ut dictum est (1a, q. 3, a. 5). Unde per similitudines rerum materialium aliquid affirmative potest cognosci de angelis secundum rationem communem, licet non secundum rationem speciei; de Deo autem nullo modo. — *Ibid.* ad 4.

Ad quintum dicendum, quod per res materiales, tamquam per effectus substantiarum separatarum, sive moveant orbes, ex quorum motibus causantur formæ sensibilium, sive alio modo concurrant ad mundi administrationem, non possumus sufficienter venire in cognitionem quidditatis substantiarum separatarum. — Nam per effectus scitur causa, vel ratione similitudinis quæ est inter effectum et causam, vel in quantum effectus demonstrat virtutem causæ. Ratione autem similitudinis ex effectu non poterit sciri de causa *quid est*, nisi sit agens unius speciei; sic autem non se habent substantiæ separatæ ad sensibilia. Ratione autem virtutis hoc etiam esse non potest, nisi quando effectus adæquat virtutem causæ (tunc enim per effectum tota virtus causæ cognoscitur ; virtus autem rei demonstrat substantiam ipsius). Hoc autem in proposito dici non potest ; nam virtutes substantiarum separatarum excedunt effectus sensibiles omnes quos intellectu comprehendimus, sicut virtus universalis effectum particularem. Unde non est possibile, quod per sensibilium intellectum devenire possimus ad intelligendum perfecte substantias separatas. — 3. c. *Gent.* c. 41, rat. 5; *Quæst. disp. de Anima* a. 16, ad 6 et 7.

Ad sextum dicendum, quod intellectus potest abstrahendo pervenire ad quidditatem rei naturalis non habentem aliam quidditatem ; quam quidem intelligere potest, quia eam a phantasmatibus abstrahit, et est facta intelligibilis per lumen intellectus agentis, ex quo habet quod ea possit perfici sicut propria perfectione; sed ex hac quidditate non potest assurgere ad cognoscendam essentiam substantiæ separatæ, eo quod ista quidditas est omnino deficiens a repræsentatione illius quidditatis : cum non omnino eodem modo inveniatur quidditas in substantiis separatis et in rebus materialibus, sed quasi æquivoce, ut dicit Commentator (in 3. *de Anima text.* 36). Dato etiam quod per hanc quidditatem posset intellectus cognoscere quidditatem

substantiæ separatæ in quodam communi, non tamen adhuc videret essentiam angeli, ita quod sciret differentiam uniuscujusque essentiæ separatæ ab aliis essentiis separatis. — *de Verit.* q. 18, a. 5, ad 6; 1a, l.c., in c.; *Quæst. disp. de Anima* a. 16, ad 6.

ARTICULUS III

UTRUM DEUS SIT PRIMUM, QUOD A MENTE HUMANA COGNOSCITUR.

Videtur quod Deus sit primum, quod a mente humana cognoscitur.

1. Illud enim, in quo omnia alia cognoscuntur, et per quod de aliis judicamus, est primo cognitum a nobis : sicut lux est prius nota oculo, quam quæ per lucem videntur, et principia intelliguntur prius quam conclusiones. Sed omnia in prima veritate cognoscuntur, et per ipsam de omnibus judicamus, ut Augustinus dicit in lib. *de Trin.*, et *de Vera Relig.* Ergo prima veritas est primum cognitum a nobis. — 1a, q. 88, a. 3, arg. 1; *Opusc.* 70, q. 1, a. 3, arg. 1.

2. Præterea, « propter quod unumquodque, et illud magis ». Sed Deus est causa omnis nostræ cognitionis; ipse enim est *lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, ut dicitur *Joannes* 1, 9. Ergo Deus est id, quod primo et maxime est cognitum nobis. — 1a, l. c. arg. 2.

3. Præterea, id quod primo cognoscitur in imagine, est exemplar, quo formatur imago; sed in mente nostra est Dei imago, ut Augustinus dicit : ergo id quod primo cognoscitur in mente nostra, est Deus. — *Ibid.* arg. 3.

4. Præterea, quando sunt plures causæ ordinatæ, prima causa prius influit in causatum quam causa secunda, et ultimo dimittit ipsum, ut dicitur in lib. *de Causis* (propos. 1). Sed cum scientia humana sit causata a rebus, scibile vel intelligibile est menti humanæ causa intelligendi. Ergo primum intelligibilium prius influit in ipsam. Sed influxus intelligibilis in intellectum, in quantum hujusmodi, est ut intelligatur. Ergo Deus, qui est primum intelligibilium, ab intellectu nostro prius intelligitur. — *Opusc.* 70, l. c. arg. 2.

5. Præterea, in omni cognitione, in qua ea quæ sunt priora et simpliciora prius cognoscuntur, id quod est primum et simplicissimum, primo cognoscitur. Sed in cognitione humana ea quæ primo occurrunt, sunt priora et simpliciora, ut videtur : quia ens est illud quod primo cadit in conceptione humana, ut Avicenna dicit; esse autem est primum inter creata. Ergo et cognitioni humanæ primo occurrit Deus, qui est simpliciter primum et simplicissimum. — *Ibid.* arg. 3.

6. Præterea, finis, qui est ultimus in consecutione, est primus in intentione; sed Deus est ultimus finis humanæ voluntatis, ad quem omnes alii fines ordinantur : ergo est primus in intentione; sed hoc non potest esse, nisi sit cognitus : ergo quod primo occurrit cognoscendum, est Deus. — *Ibid.* arg. 4.

7. Præterea, id quod non indiget a qua præcedente operatione, ad hoc quod circa ipsum sit operatio operantis alicujus, prius cadit sub operatione illius operantis, quam hoc quod indiget aliqua alia operatione : sicut lignum jam dolatum prius cadit sub operatione facientis scamnum, quam lignum adhuc non dolatum. Sed res sensibiles indigent quod abstrahantur a materia per intellectum agentem, antequam intelligantur ab intellectu possibili; Deus autem per se ipsum maxime est a materia separatus : ergo ipse prius intelligitur ab intellectu possibili quam res sensibiles. — *Ibid.* arg. 5.

8. Præterea, naturaliter cognita et quæ non possunt intelligi non esse, sunt illa quæ primo nostræ cognitioni occurrunt. Sed cognitio existendi Deum omnibus est naturaliter inserta, ut Damascenus dicit. Nec potest Deus cogitari non esse, ut Anselmus dicit. Ergo Deus est primum quod a nobis cognoscitur. — *Ibid.* arg. 6.

Sed contra est : 1. quod dicitur *Joannis* 1, 18 : *Deum nemo vidit unquam.* — 1a, l. c. arg. *Sed contra.*

2. Præterea, secundum Philosophum omnis vera cognitio ortum habet a sensu ; sed Deus est maxime remotus a sensu : ergo ipse non est primo cognitus a nobis, sed ultimo. — *Opusc.* 70, q. 1, a. 3, arg. 1 *Sed contra.*

3. Præterea, secundum Philosophum ea quæ sunt posteriora secundum naturam, sunt prius nota quoad nos, et minus nota secundum naturam sunt magis nota quoad nos ; sed creaturæ sunt posteriores et minus notæ secundum naturam quam ipse Deus : ergo ipse posterius notus est quoad nos. — *Ibid.* arg. 2 *Sed contra.*

4. Præterea, id quod promittitur ut ultimum præmium, non est primum quod præcedit omnia merita ; sed cognitio Dei promittitur nobis ut ultimum præmium omnis cognitionis et actionis : ergo Deus non est primo a nobis cognitus. — *Ibid.* arg. 3 *Sed contra.*

5. Præterea, intellectus humanus secundum statum præsentis vitæ non potest intelligere substantias immateriales creatas, ut dictum est (art. præced.) ; ergo multo minus poterit intelligere essentiam substantiæ increatæ ; et ita non erit Deus primum quod a nobis cognoscitur. — 1a, q. 88, a. 3, in c.

Respondeo dicendum, quod quidam dixerunt, quod primum, quod a mente humana cognoscitur, etiam in hac vita, est ipse Deus, qui est veritas prima, et per hunc omnia alia cognoscuntur. Sed hoc aperte est falsum : quia cognoscere Deum per essentiam est hominis beatitudo ; unde sequeretur omnem hominem beatum esse. Et præterea, cum in divina essentia omnia quæ dicuntur de ipsa, sint unum, nullus erraret circa ea quæ de Deo dicuntur ; quod experimento patet esse falsum. Et iterum, ea quæ sunt prima in cognitione intellectus, oportet esse certissima ; unde intellectus certus est se ea intelligere ; quod patet in proposito non esse. Repugnat etiam hæc positio auctoritati Scripturæ (*Exod.* 33, 20) : *Non videbit me homo, et vivet.*

Unde alii dicunt, quod divina essentia non est primum cognitum a nobis in via, sed influentia luminis illius ; et secundum hoc Deus est primum quod a nobis cognoscitur. Sed hoc etiam stare non potest, quia prima lux influxa divinitus in mentem est lux naturalis, per quam constituitur vis intellectiva. Hæc autem lux non est primum cognita a mente : neque cognitione qua scitur de ea *quid est*, cum multa inquisitione indigeat ad cognoscendum quid est intellectus ; neque cognitione qua cognoscitur *an est*, quia intellectum nos habere non percipimus, nisi in quantum percipimus nos intelligere, ut patet per Philosophum 3. *Eth.* Nullus autem intelligit se aliquid intelligere, nisi in quantum intelligit aliquod intelligibile. Ex quo patet, quod cognitio alicujus intelligibilis, præcedit cognitionem qua quis cognoscit se intelligere, et per consequens cognitionem qua quis cognoscit se habere intellectum. Et sic influentia lucis intelligibilis naturalis non potest esse primum cognitum a nobis, et multo minus quælibet alia influentia lucis. — *Opusc.* 70, q. 1, a. 3, c.

Et ideo dicendum, quod primo cognitum homini potest accipi dupliciter : aut secundum ordinem diversarum potentiarum, aut secundum ordinem objectorum in una potentia. *Primo* quidem *modo*, cum cognitio intellectus nostri tota derivetur a sensu : id, quod cognoscibile est a nobis a sensu, est primo notum nobis quam id, quod est cognoscibile ab intellectu, scilicet singulare vel sensibile intelligibile. *Alio modo*, scilicet secundum ordinem objectorum in una potentia, cuilibet potentiæ est cognoscibile primo suum proprium objectum. Cum autem in intellectu humano sit potentia activa et passiva, objectum potentiæ passivæ, scilicet intellectus possibilis, erit id quod est actu per potentiam activam, scilicet intellectum agentem : quia potentiæ passi-

væ debet respondere suum activum. Intellectus autem agens non facit intelligibiles formas separatas, quæ sunt ex se ipsis intelligibiles, sed formas, quas abstrahit a phantasmatibus ; et ideo hujusmodi sunt, quæ prius intellectus noster intelligit. Et inter hæc illa sunt priora, quæ intellectui abstrahenti primo occurrunt. Hæc autem sunt quæ plura comprehendunt, vel per modum totius universalis vel per modum totius integralis ; et ideo magis universalia sunt primo nota intellectui, et composita componentibus, ut definitum partibus definitionis. Et secundum hoc quædam imitatio intellectus in sensu est, qui etiam quodammodo abstracta a materia recipit ; nam apud sensum etiam singularia magis communia sunt nota primo, ut hoc corpus quam hoc animal. Unde patet, quod Deus et aliæ substantiæ separatæ nullo modo possunt esse primo intellecta, sed intelliguntur ex aliis, ut dicitur *Rom.* 1, 20 : *Invisibilia Dei a creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.* — *Opusc.* 70, q. 1, a. 3, c.

Primum autem, quod intelligitur a nobis secundum statum præsentis vitæ, est quidditas rei materialis, quæ est nostri intellectus objectum, ut supra dictum est. — 1a, q. 88, a. 3, in c.

Ad primum ergo dicendum, quod in luce primæ veritatis omnia intelligimus et judicamus, in quantum ipsum lumen intellectus nostri sive naturale sive gratuitum nihil aliud est, quam quædam impressio veritatis primæ. Unde cum ipsum lumen intellectus nostri non se habeat ad intellectum nostrum sicut *quod* intelligitur, sed sicut *quo* intelligitur ; multo minus Deus est id, quod primo a nostro intellectu intelligitur. — 1a, l. c. ad 1 ; *Opusc.* 70, l. c. ad 1.

Ad secundum dicendum, quod « propter quod unumquodque tale, illud magis » intelligendum est in his, quæ sunt unius ordinis, ut supra (q. praeced. a. 2, ad 3) dictum est. Propter Deum autem alia cognoscuntur, non sicut propter primum cognitum, sed sicut propter primam cognoscitivæ virtutis causam. — 1a, l. c. ad 2.

Ad tertium dicendum, quod si in anima nostra esset perfecta imago Dei, sicut Filius est perfecta imago Patris, statim mens nostra intelligeret Deum. Est autem imperfecta imago ; unde ratio non sequitur. — *Ibid.* ad 3.

Ad quartum dicendum, quod non omnium causarum ordinatarum est influentia unius rationis ad (in) ultimum effectum. Unde non oportet quod primum intelligibile hoc modo influat in intellectum nostrum quod intelligatur, sed quod præstet intelligendi virtutem. Vel dicendum, quod quamvis Deus sit in ordine intelligibilium primum simpliciter, non tamen est primum in ordine intelligibilium nobis. — *Opusc.* 70, l. c. ad 2.

Ad quintum dicendum, quod quamvis illa, quæ sunt prima in genere eorum, quæ intellectus abstrahit a phantasmatibus, sint prima cognita a nobis ; ut ens et unum ; non tamen oportet quod illa quæ sunt prima simpliciter, quæ non continentur in genere proprii objecti, sint primo cognita a nobis. — *Ibid.* ad 3.

Ad sextum dicendum, quod quamvis Deus sit ultimum finis in consecutione, et primum in intentione appetitus naturalis ; non tamen oportet quod sit primum in cognitione mentis humanæ, quæ ordinatur in finem ; sed in cognitione ordinantis ; sicut et in aliis, quæ naturali appetitu tendunt in finem suum. Cognoscitur tamen a principio et intenditur in quadam generalitate, prout mens appetit se bene esse et bene vivere, quod tunc solum est ei, cum Deum habet. — *Ibid.* ad 4.

Ad septimum dicendum, quod substantiæ separatæ, quamvis abstractione non indigeant ad hoc quod intelligantur, tamen non sunt intelligibiles per lumen intellectus agentis. Unde non primo ab intellectu nostro intelliguntur. — *Ibid.* ad 5.

Ad octavum dicendum, quod Deum esse, quantum est in se, est per se notum,

quia sua essentia est suum esse; et hoc modo loquitur Anselmus ; non autem nobis, qui ejus essentiam non videmus. Sed tamen ejus cognitio nobis innata dicitur esse, in quantum per principia nobis innata de facili percipere possumus Deum esse. — *Ibid.* ad 6.

QUÆSTIO CIV

DE POTENTIA VOLUNTATIS.

Consideratis his, quæ pertinent ad potentiam intellectivam, restat considerare de his, quæ pertinent ad potentiam voluntatis. Cujus consideratio erit bipartita; nam *primo* dicendum est de potentia voluntatis absolute; *deinde* comparative ad intellectum et alias vires.

Circa primum considerabimus similiter illa, quæ consideravimus in potentia intellectiva, nimirum ipsam potentiam voluntatis, ejus actum, terminum intrinsecum actus, terminum extrinsecnm seu objectum, et modum tendendi in objectum.

CIRCA PRIMUM QUÆRUNTUR DUO :

1. Utrum voluntas sit alia potentia præter appetitum sensitivum.
2. Utrum voluntas distinguatur in irascibilem et concupiscibilem.

ARTICULUS I

UTRUM VOLUNTAS SIT ALIA POTENTIA AB APPETITU SENSITIVO.

Videtur quod voluntas non sit alia potentia ab appetitu sensitivo.

1. Philosophus enim (in 2. *de Anima text.* 27 ; c. 3) distinguit quinque genera potentiarum animæ et operationum : quorum unum includit generationem, nutritionem et augmentum ; secundum, sensum; tertium, appetitum; quartum, motivum (1) secundum locum; quintum, intellectum ; — ubi intellectus a sensu distinguitur, non autem appetitus intellectivus a sensitivo. Ergo non videtur quod distinguatur potentia appetitiva superior ab inferiori, sicut potentia apprehensiva superior ab apprehensiva inferiori. — *de Verit.* q. 22, a. 4, arg. 4.

2. Præterea, accidentalis differentia objectorum non diversificat potentias. Sed objecta voluntatis et appetitus sensitivi non differunt nisi per accidentales differentias boni, quod est per se objectum appetitus ; non enim videntur aliter differre, nisi quod voluntas est boni apprehensi per intellectum, appetitus autem sensitivus est boni apprehensi per sensum, quæ accidunt bono in quantum est bonum. Ergo voluntas non est alia potentia ab appetitu sensitivo. — *Ibid. arg.* 1; 1a, q. 80, a. 2, arg. 1.

3. Præterea, cognitio intellectiva est universalium ; et secundum hoc distinguitur a sensitiva, quæ est singularium ; sed ista distinctio non habet locum ex parte appetitivæ ; cum enim appetitus sit motus ab anima ad res, quæ sunt singulares, omnes appetitus videntur esse rei singularis : non ergo appetitus intellectivus debet distingui a sensitivo. — 1a, q. 80, a. 2, arg. 2; *de Verit.* q. 22, a. 4, arg. 2.

4. Præterea, sicut sub apprehensivo ordinatur appetitivum ut inferior potentia, ita et motivum ; sed non est aliud motivum in homine consequens intellectum quam in aliis animalibus consequens sensum : ergo pari ratione neque est aliud appetitivum. — 1a, l. c. arg. 3; *de Verit.* l. c. arg. 3.

Sed contra est : 1. quod Philosophus 3. *de Anima* (*text.* 52 et sqq. ; c. 10) et 12. *Metaphys.* (*text.* 35; l. 11, c. 7) distinguit duplicem appetitum, et dicit, quod « appetitus superior movet inferiorem », qui est appetitus sensitivus, « ut sphæra sphæram » ; quæcunque autem ordinata sunt ad invicem, oportet esse distincta : ergo.

(1) Al. « motum ».

— 1a, q. 80, a. 2, arg. *Sed contra; de Verit.* q. 22, a. 4, arg. 1 et 2 *Sed contra.*

2. Præterea, potentia appetitiva est potentia passiva, quæ nata est moveri ab apprehenso ; unde appetibile apprehensum est movens non motum ; appetitus autem movens motum, ut dicitur 3. *de Anima* et 12. *Metaphys.* (ll. cc.). Sed passiva et mobilia distinguuntur secundum distinctionem activorum et motivorum : quia oportet motivum esse proportionatum mobili, et activum passivo; et ipsa potentia passiva propriam rationem habet ex ordine ad suum activum. Ergo sicut alterius generis est apprehensum per intellectum et per sensum, ita appetitus intellectivus erit alia potentia ab appetitu sensitivo. — 1a, q. 80, a. 2, c.

Respondeo dicendum, quod voluntas est alia potentia ab appetitu sensitivo. Ad cujus evidentiam sciendum est, quod sicut appetitus sensitivus distinguitur ab appetitu naturali propter perfectiorem modum appetendi ; ita appetitus rationalis ab appetitus sensitivo. Quanto enim aliqua natura est Deo propinquior, tanto expressior in ea divinæ dignitatis similitudo invenitur. Hoc autem ad divinam dignitatem pertinet, ut omnia moveat et inclinet et dirigat, ipse a nullo alio motus vel inclinatus vel directus. Unde, quanto aliqua natura est Deo vicinior, tanto minus ab eo inclinatur, et magis nata est se ipsam inclinare. *Natura* igitur *insensibilis*, quæ ratione suæ materialitatis est maxime a Deo remota, inclinatur quidem in aliquem finem, non tamen est in ea aliquid inclinans sed solummodo *inclinationis principium*. *Natura* autem *sensitiva*, ut Deo propinquior, in se ipsa habet aliquid inclinans, scilicet *appetibile apprehensum*; sed tamen inclinatio ipsa non est in potestate ipsius animalis quod inclinatur, sed est ei aliunde determinata. Animal enim ad aspectum delectabilis non potest non concupiscere illud, quia illa animalia non habent dominium suæ inclinationis, unde « non agunt, sed magis aguntur », secundum Damascenum (2. *de Fide Orthod.* c. 27 ; — Migne t. 94, col. 962); et hoc ideo, quia vis appetitiva sensibilis habet organum corporale, et ideo vicinatur dispositionibus materiæ et rerum corporalium, ut moveatur magis quam moveat. — Sed *natura rationalis*, quæ est Deo vicinissima, non solum habet *inclinationem* in aliquid, sicut habent inanimata, nec solum est *movens* hanc inclinationem quasi aliunde eis determinatam, sicut natura sensibilis; sed ultra hoc habet in potestate ipsam inclinationem, ut non sit ei necessarium inclinari ad appetibile apprehensum, sed possit inclinari vel non inclinari ; et sic ipsa inclinatio non determinatur ei ab alio, sed a se ipsa. Et hoc quidem competit ei, in quantum non utitur organo corporali ; et sic recedens a natura mobilis, accedit ad naturam moventis et agentis. Quod autem aliquid determinet sibi inclinationem in finem, non potest contingere, nisi cognoscat finem et habitudinem finis in ea quæ sunt ad finem; quod est tantum rationis. Et ideo talis *appetitus non determinatus* ex aliquo alio de necessitate, sequitur apprehensionem rationis.— Unde appetitus rationalis, qui voluntas dicitur, est alia potentia ab appetitu sensitivo. — *de Verit.* q. 22, a. 4, c.

« *Ad primum* ergo dicendum, quod sensus et intellectus differunt per rationes apprehensibilis in quantum est apprehensibile, propter hoc quod ad diversa genera pertinet potentiarum : sensus enim tendit (1) apprehendendo particulare, intellectus autem apprehendendo universale. Appetitus vero superior et inferior non differunt per differentias appetibilis in quantum est appetibile, cum in idem tendat bonum quandoque uterque appetitus ; sed differunt penes diversum modum appetendi, ut ex dictis (*de Verit.* q. 22, a. 3) patet : et ideo sunt quidem diversæ potentiæ, sed non diversa potentiarum genera. — *Ibid.* ad 4.

(1) Al. « tenet in apprehendendo particulare, intellectus autem in apprehendendo universale ».

Ad secundum dicendum, quod voluntas ab appetitu sensibili non distinguitur *directe* per hoc quod est sequi apprehensionem hanc vel illam; sed per (ex) hoc quod est determinare sibi inclinationem, vel illam habere determinatam ab alio : quæ duo exigunt potentiam non unius modi. Sed talis diversitas requirit diversitatem apprehensionum, ut ex prædictis (*de Verit.* l. c. ad 2) patet. Unde *quasi ex consequenti* accipitur distinctio appetitivarum virium penes distinctionem apprehensionum (1), et *non principaliter*. — *Vel dicendum*, quod appetibili non accidit esse apprehensum per sensum vel intellectum, sed per se ei convenit. Nam appetibile non movet appetitum, nisi in quantum est apprehensum. Unde differentiæ apprehensi sunt per se differentiæ appetibilis. Unde potentiæ appetitivæ distinguuntur secundum differentiam apprehensorum, sicut secundum propria objecta. — *Ibid.* ad 1 ; 1a, q. 80, a. 2, ad 1.

Ad tertium dicendum, quod appetitus intellectivus, licet feratur in res, quæ sunt extra animam singulares, fertur tamen in eas quandoque secundum aliquam rationem universalem : sicut cum appetit aliquid, quia est bonum. Unde Philosophus dicit in sua *Rhetorica* (l. 2, c. 4), quod odium potest esse de aliquo universali, puta cum odio habemus omne latronum genus. Similiter etiam per appetitum intellectivum appetere possumus immaterialia bona, quæ sensus non apprehendit, sicut scientiam, virtutes et alia hujusmodi. — 1a, q. 80, a. 2, ad 2.

Ad quartum dicendum, quod, sicut dicitur in 3. *de Anima* (*text.* 57 et 58 ; c. 10), opinio universalis non movet nisi mediante particulari ; et similiter appetitus superior movet mediante inferiori. Et ideo non est alia vis motiva consequens intellectum et sensum. — 1a, l. c. ad 3 ; *de Verit.* l. c. ad 3.

(1) Al. « apprehensivarum ».

ARTICULUS II

UTRUM VOLUNTAS DISTINGUATUR IN IRASCIBILEM ET CONCUPISCIBILEM.

Videtur quod voluntas distinguatur in irascibilem et concupiscibilem.

1. Voluntas enim ad plura se extendit quam appetitus sensitivus, cum sit et corporalium et spiritualium ; sed appetitus sensitivus dividitur in irascibilem et concupiscibilem : ergo et voluntas. — *de Verit.* q. 25, a. 3, arg. 1.

2. Præterea, vis concupiscibilis dicitur a concupiscendo, et irascibilis ab irascendo ; sed aliqua concupiscentia est, quæ non potest pertinere ad appetitum sensitivum, sed solum ad intellectivum, qui est voluntas ; sicut concupiscentia sapientiæ, de qua dicitur *Sap.* 6, 21 : *Concupiscentia sapientiæ perducit* (1) *ad regnum perfectum.* Est etiam ira quædam, quæ non potest pertinere ad appetitum sensitivum, sed ad intellectivum tantum, sicut cum irascimur contra vitia. Ergo irascibilis et concupiscibilis distingui debent in appetitu intellectivo, sicut in sensitivo. — 1a, q. 82, a. 5, arg. 1.

3. Præterea, secundum quod communiter dicitur, caritas est in concupiscibili, spes autem in irascibili ; non autem possunt esse in appetitu sensitivo, quia non sunt sensibilium objectorum, sed intelligibilium : ergo concupiscibilis et irascibilis sunt ponendæ in parte intellectiva. — *Ibid.* arg. 2.

4. Præterea, vires humanæ dicuntur illæ, quas homo supra cetera animalia habet, quæ pertinent ad superiorem partem animæ ; sed distinguitur a magistris duplex irascibilis, humana et non humana, et similiter concupiscibilis : ergo prædictæ vires non sunt tantum in appetitu inferiori, sed etiam in superiori. — *de Verit.* q. 25, a. 3, arg. 6.

5. Præterea, operationes virium sensitivarum tam apprehensivarum quam ap-

(1) Vulg. « deducit ».

petitivarum non manent in anima separata, quia per corporis organa exercentur; — alias anima sensibilis in brutis esset incorruptibilis, utpote potens suam operationem habere per se ipsam. Sed in anima separata remanent gaudium et tristitia, amor et timor, et alia hujusmodi, quæ attribuuntur irascibili et concupiscibili : ergò hæ non tantum sunt in parte sensitiva, sed etiam in intellectiva. — *Ibid.* arg. 7.

Sed contra est, quod Gregorius Nyssenus (l. 4 *de Viribus Animæ* c. 6) (1) dicit, quod irrationalis pars animæ dividitur in desiderativum et irascitivum ; et idem dicit Damascenus (*de Fide Orthod.* c. 12 ; — Migne t. 94, col. 927) ; et Philosophus dicit (in 3. *de Anima text.* 42 ; c. 9), quod voluntas in ratione est ; in irrationali autem parte animæ concupiscentia et ira, vel desiderium et animus. — 1a, q. 82, a. 5, arg. *Sed contra.*

Respondeo dicendum, quod irascibilis et concupiscibilis non sunt partes intellectivi appetitus, qui dicitur voluntas : quia, ut supra dictum est (q. 93, a. 4, c.) potentia quæ ordinatur ad aliquod objectum secundum communem rationem, non diversificatur per differentias speciales sub illa ratione communi contentas ; sicut quia visus respicit visibile secundum rationem colorati, non multiplicantur visivæ potentiæ secundum diversas species colorum. Si autem esset aliqua potentia quæ esset alba in quantum est album, et non in quantum est coloratum, diversificaretur a potentia quæ esset nigri in quantum est nigrum. Appetitus autem sensitivus non respicit communem rationem boni, quia nec sensus apprehendit universale ; et ideo secundum diversas rationes particularium bonorum diversificantur partes appetitus sensitivi. Nam concupiscibilis respicit propriam rationem boni, in quantum est delectabile secundum sensum et conveniens naturæ ; irascibilis autem respicit rationem boni, secundum quod est repulsivum et impugnativum ejus quod infert nocumentum. Sed voluntas respicit bonum sub communi ratione boni ; et ideo non diversificantur in ipsa, quæ est appetitus intellectivus, aliquæ potentiæ appetitivæ, ut sit in appetitu intellectivo alia potentia irascibilis, et alia concupiscibilis sicut etiam ex parte intellectus non multiplicantur vires apprehensivæ, licet multiplicentur ex parte sensus. — 1a, q. 82, a. 5, c.

Ad primum ergo dicendum, quod quamvis appetitus superior in plura se extendat quam inferior ; tamen, quia habet universale bonum pro proprio objecto, non dividitur in plures potentias. — *de Verit.* q. 25, a. 3, ad 1.

Ad secundum dicendum, quod amor, concupiscentia et hujusmodi *dupliciter* accipiuntur : — *uno modo* secundum quod sunt quædam passiones, cum quadam scilicet concitatione animi provenientes ; et sic communiter accipiuntur ; et hoc modo sunt solum in appetitu sensitivo. *Alio modo* significant simplicem affectum absque passione vel animi concitatione ; et sic sunt actus voluntatis ; et hoc etiam modo attribuuntur angelis et Deo. Sed prout sic accipiuntur, non pertinent ad diversas potentias, sed ad unam tantum, quæ dicitur voluntas. — 1a, l. c. ad 1.

Ad tertium dicendum, quod ipsa voluntas potest dici irascibilis, prout vult impugnare malum, non ex impetu passionis, sed ex judicio rationis ; et eodem modo potest dici concupiscibilis propter desiderium boni. Et sic in irascibili et concupiscibili sunt caritas et spes, id est in voluntate secundum quod habet ordinem ad hujusmodi actus. — *Ibid.* ad 2.

Ad quartum dicendum, quod irascibilis et concupiscibilis dicuntur humanæ sive rationales, non *per essentiam*, quasi ad partem superiorem pertineant, sed *per participationem*, in quantum obediunt rationi et participant regimen illius. — *de Verit.* q. 25, a. 3, ad 6.

Ad quintum dicendum, quod gaudium

(1) Vide Nemesii opus *de Natura Hominis*, c. 17. — Migne PG. cr. t. 40, col. 679.

et timor, quæ sunt passiones, non remanent in anima separata, cum corporali immutatione peragantur ; sed remanent actus voluntatis similes illis passionibus. — *Ibid.* ad 7.

QUÆSTIO CV

DE ACTU VOLUNTATIS.

Deinde considerandum est de actu voluntatis.

ET CIRCA HOC QUÆRUNTUR TRIA :

1. Utrum actus voluntatis producatur effective a voluntate et cognitione objecti, tamquam a duobus agentibus partialibus, an vero totaliter producatur a sola voluntate.
2. Utrum per actum voluntatis producatur aliquis terminus intrinsecus.
3. Utrum iste terminus realiter distinguatur ab actu voluntatis.

ARTICULUS I

UTRUM ACTUS VOLUNTATIS PRODUCATUR EFFECTIVE A VOLUNTATE ET COGNITIONE OBJECTI, TAMQUAM A DUOBUS AGENTIBUS PARTIALIBUS, AN VERO TOTALITER PRODUCATUR A SOLA VOLUNTATE.

Videtur quod actus voluntatis producatur totaliter effective a sola voluntate.

1. Dicit enim Philosophus (2. *Phys. text.* 30; c. 3; 5. *Metaphys. text.* 3; l. 4, c. 2), quod duæ causæ non possunt esse sibi invicem causæ in eodem genere ; nam respectu ejusdem non potest esse movens et motum. Sed voluntas movet intellectum per modum causæ efficientis ; ergo intellectus non poterit in eodem genere movere voluntatem : et ita voluntatis actus non comproducetur effective ab actu intellectus. — 2. *Phys.* l. 5 ; 5. *Metaphys.* l. 3 ; 1a 2æ, q. 9, a. 1, arg. 3 ; 1a, q. 82, a. 4, arg. 2 ; *de Verit.* q. 22, a. 12, c.

2. Præterea, intellectus se habet ad voluntatem ut demonstrans appetibile, sicut imaginatio demonstrat appetibile appetitui sensitivo. Sed imaginatio demonstrans appetibile non movet effective appetitum sensitivum ad actum suum ; quia quandoque ita nos habemus ad ea quæ imaginamur, sicut ad ea quæ in pictura nobis ostenduntur, ex quibus non movemur, ut dicitur in 2. *de Anima* (*text.* 154; l. 3, c. 3). Ergo actus voluntatis non potest effective comproduci a cognitione intellectiva. — 1a 2æ, q. 9, a. 1, arg. 2.

3. Præterea, hoc differt voluntas ab intellectu, quod hic ponitur in actu per hoc quod res intellecta est in intellectu secundum suam similitudinem; voluntas autem non constituitur in actu per aliquid sibi inhærens. Sed sufficienter actio procedit ab agente constituto in actu : ergo actus voluntatis non producitur partialiter effective a cognitione. — 1a, q. 27, a. 4, c.

4. Præterea, voluntas movetur ab intellectu, quatenus movetur ab objecto cognito. Sicut enim intellectus movetur ab objecto, et ab eo qui virtutem dedit intelligendi : ita et voluntas debet moveri ab objecto, quod est bonum, et ab eo qui dedit virtutem volendi. Sed objectum movet voluntatem ad suum actum tamquam finis, qui est causa valde diversa ab efficiente, ut patet. Ergo actus voluntatis non comproducitur effective a cognitione, sed tantum ab objecto per cognitionem repræsentato, finaliter. — 1a, q. 105, a. 4, c. ; q. 82, a. 4, c. ; *de Verit.* q. 22, a. 12, c.

5. Præterea, in actu voluntatis tantum duo sunt, substantia, et modus seu forma a qua perfectionem habet ; sed substantia sufficienter habetur a potentia voluntatis, et modus, verbi gratia dilectionis, sufficienter habetur ab habitu caritatis : ergo actus voluntatis non comproducitur effective ab intellectu mediante cognitione. — 4. *Sent.* dist. 49, q. 1, a. 2, quæstiunc. 2, ad 2 ; 2. *Sent.* dist. 26, q. 1, a. 5, ad 4.

6. Præterea, si cognitio est causa actus voluntatis, verbi gratia amoris, major

cognitio causaret majorem amorem et non amari posset aliquid plus, quam cognosceretur ; sed hoc est falsum; nam e amamus amore ejusdem speciei rem incognitam et eandem cognitam, et in hac vita amamus Deum plus, quam illum cognoscamus : ergo actus voluntatis non comproducitur effective ab intellectu.

Sed contra est: 1. quod Philosophus dicit in 3. *de Anima* (*text.* 54 ; c. 10), quod appetibile intellectum est movens non motum, atque adeo primum movens; voluntas vero est movens motum, et secundum movens. Sed voluntas est movens effectivum et non finale. Ergo appetibile erit movens primum effectivum mediante cognitione. — 1a 2æ, q. 9, a. 1, arg. *Sed contra* ; 3. *de Anima* l. 15.

2. Præterea, actio speciem sumit a suo principio effectivo, seu ab actu, qui est principium agendi (ut dicitur in 3. *Phys. text.* 22 ; c. 3) definiens actionem, quod sit actus agentis. Sed specificans actionem voluntatis est bonum apprehensum ; ergo bonum apprehensum effective comproducit actum voluntatis. — 1a 2æ, q. 1, a. 3, c.; 1a, q. 14, a. 5, ad 3, et q. 77, a. 3, c.

Respondeo dicendum, quod actus voluntatis effective producitur a voluntate et a cognitione objecti, tamquam a duobus agentibus partialibus. Quod multipliciter potest esse manifestum : — *et primo* ex diversitate volitionum. Sicut enim visio albi et visio nigri sunt actiones diversæ secundum numerum et secundum modum : ita et dilectio, verbi gratia, Dei et dilectio proximi. Diversitas autem visionum prædictarum effective procedit ab objecto et non a potentia visiva ; ergo similiter diversitas volitionum et dilectionum effective debet ab alio quam ab ipsa voluntate derivari ; quod non potest esse nisi objecti cognitio. — 3. *Sent.* dist. 27, q. 2, a. 4, sol. 1, ad 3. — *Secundo* ex ratione volitionis talis. Non enim minus eget voluntas effective moveri ad exercitium actus voluntatis quam ad determinationem actus. In tantum enim aliquid indiget moveri ab alio, in quantum est in potentia ad plura. Oportet enim ut id quod est in potentia, reducatur in actum per aliquid quod est actu : et hoc est movere. *Dupliciter* autem voluntas invenitur esse in potentia ad diversa : uno modo quantum ad agere et non agere, alio modo quantum ad agere hoc vel illud : sicut visus quandoque videt actu et quandoque non videt ; et quandoque videt album et quandoque nigrum. Cum ergo voluntas egeat movente effectivo quantum ad duo, puta quantum ad exercitium vel usum actus et quantum ad determinationem actus, quorum primum est ex parte subjecti, quod quandoque invenitur agens quandoque non agens ; aliud autem ex parte objecti — sicut ad primum ipsa voluntas se movet effective (per hoc enim quod vult finem, se movet effective ad volendum media) —; ita ad secundum movebitur effective ab objecto apprehenso. Cum enim objectum apprehensum moveat determinando actum, ad modum principii formalis, a quo in rebus naturalibus actio specificatur, ut calefactio a calore — sicut in naturalibus principium formale specificans actionem est *principium quo effectivum* illius seu ratio agendi effectiva, ut patet in exemplo allato coloris, et docet Philosophus, ut supra dictum est — ; ita objectum apprehensum, cum sit formale principium specificans actum voluntatis, erit ejusdem *comprincipium quo effectivum*, et ita simul cum voluntate comproducet ejus actum. — 1a 2æ, q. 9, a. 1 et 3, c. et q. 1, a. 3, c. — *Tertio* ex natura divini amoris, in cujus cognitionem ex amore creato proportionaliter devenimus. Ideo enim processio Spiritus Sancti est realiter distincta a processione divini Verbi, quia est ab illa ; propterea vero est ab illa, quia de ratione amoris est procedere a cognitione objecti. Processio autem Spiritus Sancti est a processione Verbi in genere principii activi ; nam distinctio inter processiones divinarum personarum non est nisi ratione oppositionis ; omnis autem

oppositio in divinis est secundum originem ; ordo autem originis est ordo a quo alius et qui ab alio. Dicendum ergo est, quod conceptio intellectus est causa partialis, ratione objecti concepti, actus amoris et cujuscunque actus voluntatis. — 1a, q. 27, a. 3, ad 3 ; *de Pot.* q. 10, a. 4, c.

Ad primum ergo dicendum, quod voluntas movet ceteras potentias tamquam *efficiens quod*, cum imperet illis earum actus; et intellectus movet voluntatem *per modum finis* ; de cujus ratione est quod moveat tamquam ratio agendi et efficiendi ; nam specificat actionem voluntatis, quod est proprium principii formalis *quo effectivi*, ut patet in calore respectu calefactionis. — 1a, q. 82, a. 4, in c. et ad 2 ; *de Verit.* q. 22, a. 12, c. — *Vel dic*, quod voluntas movet intellectum quoad exercitium actus, sed rursum movetur voluntas ab intellectu quoad specificationem et determinationem actus. — 1a 2æ, q. 9, a. 1, ad 3.

Ad secundum dicendum, quod eodem modo objectum apprehensum a sensu, per modum convenientis vel nocivi, movet appetitum sensitivum, sicut intellectus practicus movet voluntatem. — *Ibid.* ad 2.

Ad tertium dicendum, quod *quia* intellectus fit in actu secundo per hoc quod concipit in se similitudinem objecti ; voluntas vero per hoc quod habet inclinationem in objectum volitum : *ideo* antequam intellectus concipiat talem similitudinem, debet constitui in *actu primo* per aliquam aliam similitudinem ab objecto, mediante intellectu agente in eo productam, quæ sit alterius similitudinis concausa. Voluntas vero non eget ulla similitudine, per quam constituatur in actu primo, sed solum requirit in intellectu formam seu principium formale. Omnis enim appetitus est inclinatio consequens formam : naturalis quidem naturalem, sensitivus apprehensam a sensu, et intellectivus apprehensam ab intellectu. Unde sicut forma naturalis est principium activum quo motus naturalis, ut dictum est (in c. et ad 1), ita et forma apprehensa erit principium effectivum quo actus appetitus. — 1a, q. 27, a. 4, c.; q. 78, a. 1, ad 3; q. 80, a. 1, c.; q. 81, a. 1, c., et alibi.

Ad quartum dicendum, quod objectum movet voluntatem tamquam ratio agendi effectiva et tamquam causa finalis, ut dictum est (in c. et ad 1).

Ad quintum dicendum quod, *sicut* in actu intellectus insunt : *substantia*, nimirum actus, *determinatio* seu *specificatio* actus, et *modus* actus ; et primum fit ab intellectu, secundum a specie, ut dictum est (vel certe a supplente vicem speciei, ut in visione divina a divina essentia, quæ habet rationem speciei intelligibilis), tertium ab habitu sive acquisito sive supernaturali (ut in visione beatifica a lumine gloriæ) ; — *ita* in actu voluntatis primum fit a voluntate, secundum ab objecto, tertium ab habitu acquisito vel supernaturali. — 4. *Sent.* dist. 49, q. 1, a. 2, sol. 2, ad 2 ; q. 2, a. 1, ad 15.

Ad sextum dicendum, quod cognitio est quidem causa amoris, sed non ratione sui, sed ratione objecti et boni, quod per ipsam apprehenditur et concipitur ; et ideo fieri potest ut aliquid plus ametur quam cognoscatur. Non enim diligitur res, quia cognoscitur, sed quia est bona ; nam voluntas fertur in rem secundum quod in se est. Non potest tamen hoc bonum movere voluntatem per modum formæ specificantis et coefficientis actum voluntatis simul cum ipsa voluntate, nisi apprehendatur per intellectum ; et ideo dicitur quod cognitio est causa amoris. — 1a 2æ, q. 27, a. 2, ad 2 ; 2a 2æ, q. 27, a. 4, ad 1 ; *Quæst. disp. de Caritate* a. 4, ad 4.

ARTICULUS II

UTRUM PER ACTUM VOLUNTATIS PRODUCATUR ALIQUIS TERMINUS INTRINSECUS.

Videtur quod per actum voluntatis non producatur aliquis terminus intrinsecus.

1. Si enim produceretur aliquid, deberet aliquid esse in voluntate, quod posset significari ut res procedens et non tantum ut operatio — sicut quia in intellectu datur aliquid procedens et per modum operationis et per modum operati, datur aliquid quod significatur ut res procedens, puta *verbum* — ; sed in voluntate nihil datur hujusmodi ; *amor* enim, qui posset assignari, tantum significatur ut operatio procedens : ergo per actionem voluntatis nihil producitur. — 1a, q. 37, a. 1, c. ; *de Verit.* q. 4, a. 2, ad 3 primo loco.

2. Præterea, motus et operatio voluntatis terminatur ad res, in quibus est bonum et malum : sicut operatio intellectus terminatur in mente, in qua est verum et falsum. Et ideo non requiritur in illa similitudo qua informetur, sicut requiritur in intellectu. Sed non ob aliam rationem dici potest per actum voluntatis produci aliquid per modum termini intrinseci, quam ut in ipsum tendat tamquam in objectum, sicut patet in intellectu. Ergo per actum voluntatis nihil producitur. — *de Verit.* q. 4, a. 2, c. ; et q. 10, a. 9, ad 7.

Sed contra est, quod amatum non solum est in intellectu sed etiam in voluntate ; sed est in intellectu mediante verbo, quod est terminus intrinsecus intellectionis, et est similitudo rei amatæ : ergo et in voluntate erit mediante aliquo termino producto, per quam voluntas inclinatur et impellitur in amatum ; et ita per actum voluntatis producetur aliquid, puta impulsus amantis in amatum. — 4. *c. Gent.* c. 19.

Responsio dicendum, quod necesse est dicere, quod non solum ab intellectu, sed etiam a voluntate procedit aliquid per modum operati et producti. Ad cujus evidentiam sciendum, quod cum omnis processio sit secundum aliquam actionem, sicut secundum actionem quæ tendit in exteriorem materiam est aliqua processio ad extra ; ita secundum actionem quæ manet in ipso agente attenditur processio quædam ad intra, et per consequens aliquid ad intra productum et operatum. Et hoc maxime patet in intellectu, cujus actio, scilicet intelligere, manet in intelligente. Quicunque enim intelligit, ex hoc ipso quod intelligit, procedit aliquid intra ipsum, quod est conceptio rei intellectæ, ex vi intellectiva proveniens et ex ejus notitia procedens : quam conceptionem vox significat ; et dicitur verbum cordis seu mentis. — Similiter ergo in voluntate, ex hoc quod aliquis rem aliquam amat, producetur aliquid ; et quoniam voluntas natura sua fertur ad res ut in se sunt, sicut intellectus fertur ad res ut sunt in ipso, ab actu voluntatis proveniet aliquid per modum inclinationis et impressionis rei amatæ in affectu amantis, secundum quam amatum dicitur esse in amante, sicut et intellectum in intelligente : ita quod, cum aliquis se ipsum intelligit et amat, est in se ipso, non solum per identitatem rei, sed etiam ut intellectum in intelligente, et amatum in amante ; — nisi quod *ex parte intellectus* sunt vocabula inventa, *tum* ad significandam operationem ipsam seu respectum intelligentis ad rem intellectam (ut patet in hoc quod dico *intelligere*), *tum* rem ipsam operatam et terminum productum, ipsumque processum intellectualis conceptionis, scilicet ipsum *dicere* et *verbum* ; — *ex parte* autem *voluntatis* præter *diligere* et *amare*, quæ important operationem voluntatis seu habitudinem amantis ad rem amatam, non sunt aliqua vocabula imposita, quæ importent habitudinem ipsius impressionis vel affectionis rei amatæ (quæ provenit in amante ex hoc quod amat, ad suum principium, aut e converso) ; et ideo propter vocabulorum inopiam hujusmodi habitudines significamus vocabulis amoris et dilectionis : sicut si verbum nominaremus intelligentiam conceptam, vel sapientiam genitam. — 1a, q. 27, a. 1, c. ; q. 37, a. 1, c. ; *Tabula Aurea* voce « intellectus » n. 212.

Et ex his patet *ad primum objectum.*

Ad secundum dicendum, quod *licet* voluntas nihil producat, quod sit similitudo rei amatæ, sive intus sive extra, sicut utrobique illam producit intellectus : intus quidem, quia verbum est similitudo rei intellectæ, et intellectus intelligentis se ipsum; extra vero sicut forma intellecta inducitur in artificiatum (voluntas vero non producit suam similitudinem nec intus nec extra : non intus, quia amor procedens per actum voluntatis non est similitudo rei amatæ : neque extra, quia voluntas imprimit (1) in artificiatum formam intellectam prius quam volitam secundum ordinem rationis) ; — procedit *tamen* per voluntatis actum aliquid ad intra per modum inclinationis et impressionis in rem amatam, per quod amans impellitur in ipsam, ut dictum est (in c.). — *de Pot.* q. 10, a. 2, ad 11; *de Verit.* q. 4, a. 2, ad 7.

ARTICULUS III

UTRUM TERMINUS INTRINSECUS PRODUCTUS PER ACTUM VOLUNTATIS SIT REALITER AB ACTU DISTINCTUS.

Videtur quod terminus intrinsecus per actum voluntatis productus non sit realiter ab illo distinctus.

1. Terminus enim motus non distinguitur a motu, ut dicit Philosophus (3. *Phys. text.* 18 et 20; c. 2); sed quidquid producitur per actum appetitus, est terminus motus illius : ergo non distinguitur realiter ab illo. — 3. *Sent.* dist. 27, q. 1, a. 2, c.

2. Præterea, potentia operativa unitur mediante operatione cum operato; sed voluntas est potentia operativa : ergo unitur cum operato mediante operatione ; sed unitur maxime per amorem, nam hic est unio amantis ad amatum : ergo amor non distinguitur ab operatione, et eadem ratione quidquid producitur per voluntatem non distinguetur ab illius operatione. — 1a, q. 8, a. 1, c; q. 37, a. 1, arg. 3; *Tabula Aurea* voce « amor » nn. 199 et 200.

Sed contra est, quod dicit Philosophus (10 *Eth.* c. 2), quod operationes virtutum non sunt qualitates ; sed terminus productus per actum voluntatis, puta impressio, et inclinatio in rem volitam est qualitas; est enim forma quædam, qua objectum volitum vel amatum informat volentem vel amantem : ergo terminus productus per actum voluntatis est ab illo realiter distinctus. — 3. *Sent.* dist. 27, q. 1, a. 3, c.; dist. 31, q. 2, a. 2, c.; *de Verit.* q. 26, a. 4, c.

Respondeo dicendum, quod ex dictis (in art. præced.) manifeste patet, quod actus voluntatis est realiter distinctus a termino per illum producto. Cum enim *dupliciter* possit sumi talis terminus, puta amor, *vel* ut dicit operationem voluntatis seu actum amoris, *vel* ut dicit quid procedens et productum per talem actum; si *priori modo* sumatur, nihil aliud est amor seu amare, quam habitudo amantis ad amatum ; sicut similiter intelligere nihil est aliud, quam habitudo intelligentis ad intellectum. Et ratio hujus est, quia quotiescunque actio non est conjuncta cum motu physico, non est actio nisi relatio, ut dictum est (supra q. 96, a. 3, c.); relatio autem realiter distinguitur a quocunque alio accidente, et a substantia, ut etiam dictum est (in Logica q. 13, a. 2). Si autem sumatur *posteriori modo*, non est relatio, sed aliquid dicens relationem, puta qualitas quædam, quæ tamdiu manet, quamdiu manet operatio, ut in simili dictum est de verbo mentis; qualitas autem distinguitur realiter a relatione. Unde manifestum est, quod terminus intrinsecus productus per actum voluntatis realiter ab illo distinguitur. — 1a, q. 37, a. 1, c.; *de Verit.* q. 4, a. 2, ad 7 ; *de Pot.* q. 10, a. 2, ad 11.

Ad primum ergo dicendum, quod actus voluntatis non est motus definitus a Philosopho, sicut nec actus intellectus, ut

(1) Al. « exprimit ».

dictum est (supra q. 96, a. 3, c.); eadem enim est ratio utriusque, cum sit uterque actus immanens. Secus vero dicendum est de actu appetitus sensitivi, saltem ratione transmutationis corporis (et præcipue cordis, quod est principium in animali), quæ transmutatio semper illum concomitatur. — 1a, q. 14, a. 2, ad 2; q. 20, a. 1, ad 1.

Ad secundum dicendum, quod unio, quæ est relatio, consequitur amorem; quæ vero est actus quidam et forma, essentialiter est ipse amor. Unde fit, ut tripliciter amans uniatur cum amato: *primo* mediante operatione, *secundo* mediante termino, *tertio* mediante relatione consequente, ut ex dictis (art. præced.) potest esse manifestum. — 1a 2æ, q. 26, a. 2, ad 2; q. 28, a. 1, ad 2.

QUÆSTIO CVI

DE TERMINO INTRINSECO ACTUS VOLUNTATIS.

Deinde considerandum est de termino intrinseco actus voluntatis.

CIRCA HOC QUÆRITUR :

Utrum terminus intrinsecus actus voluntatis sit immediatum objectum illius.

ARTICULUS

UTRUM TERMINUS INTRINSECUS ACTUS VOLUNTATIS SIT IMMEDIATUM OBJECTUM ILLIUS.

Videtur quod terminus intrinsecus actus voluntatis sit immediatum objectum voluntatis.

1. Ita enim se habet bonum ad affectum, sicut verum ad intellectum. Sed verum, quod est objectum intellectus, est in mente, et est terminus intrinsecus productus per actum intellectus : ergo et bonum, quod est objectum voluntatis, erit in voluntate et erit terminus intrinsecus productus per actum voluntatis. — *de Verit.* q. 10, a. 9, arg. 7.

2. Præterea, sicut intellectum est in intellectu, ita et amatum est in amante, ut dictum est (supra q. 105, a. 2) ; sed intellectum in intellectu est terminus intrinsecus per actum intellectus productus, et est ejus objectum immediatum : ergo et amatum in amante erit terminus intrinsecus per actum voluntatis productus, et erit ejus objectum immediatum. — Ll. cc. in respons.; cf. Logica q. 2, a. 2.

3. Præterea, terminus productus per actum voluntatis non potest habere aliam rationem, quam vel inclinationis in objectum, vel objecti ; sed non potest habere priorem rationem, quia voluntas sufficienter inclinatur in objectum per habitus superadditos ; natura autem non facit per duo, quod per unum facere potest, ut dictum est (in Logica q. 1, a. 1, arg. 4) : ergo habet posteriorem rationem, et ita erit immediatum objectum voluntatis.

Sed contra est, quod objectum voluntatis est bonum, sicut verum est objectum intellectus. Sed bonum non est in voluntate, sed in re extra voluntatem; e contra verum est in mente, ut dicit Philosophus (6. *Metaphys. text.* 8; l. 5, c. 3). Ergo objectum voluntatis non potest esse in ipsa, et per consequens terminus intrinsecus per actum voluntatis productus non potest esse illius objectum immediatum. — 6. *Metaphys.* l. 4.

Respondeo dicendum, quod terminus intrinsecus per actum voluntatis productus non est immediatum objectum ipsius. Cujus ratio manifeste patet ex natura diversa voluntatis et intellectus. Quia enim *hic* tendit in objectum, ut est in ipso; ideo in intellectu est species aliqua, quæ est similitudo objecti, in qua tanquam in imagine objectum intelligit, ut dictum est (q. præced. a. 2, c. et ad 1 et alibi passim), ejusque actus perficitur, secundum quod res intelligibiles

sunt in intellectu per modum ipsius intellectus. Unde etiam est, quod ex rebus intelligibilibus non inficitur, sed magis perficitur. Contra vero *appetitus* quia ex natura sua tendit in objectum extra ut in se est, ejusque actus nihil aliud est quam inclinatio in objectum : per actum voluntatis non producitur ulla similitudo, sed tantum quædam inclinatio ad rem ad extra, per quam fertur in rem amatam, ex qua etiam inficitur. Et quia talis inclinatio non est similitudo rei amatæ, sed unio et copula quædam cum amato, non potest esse objectum voluntatis, sed est id per quod voluntas inclinatur et impellitur in objectum, ut dictum est (q. 105, a. 2, c. et ad 2). — Vide ll. cc. supra ad q. 105, a. 2, c. et ad 2 ; *Tabula Aurea* voce « intellectus » n. 211 et sqq.

Ad primum ergo dicendum, quod, quia motus vel operatio cognoscitivæ partis perficitur in ipsa mente, oportet quod ad hoc quod aliquid cognoscatur, sit aliqua similitudo in mente. Quia vero motus vel operatio affectivæ partis incipit ab anima et terminatur ad res ipsas, ideo non requiritur in illa similitudo rei, qua informetur, sicut in intellectu. Et propterea non est mirum, quod per actum intellectus producatur similitudo objecti, quæ se habet ut objectum immediatum illius ; per actum vero voluntatis producatur inclinatio et impulsus, per quem voluntas immediate fertur in objectum extra, atque adeo in rem amatam. — *de Verit.* q. 10, a. 9, ad 7 ; 1a, q. 27 et q. 37, a. 1, c.

Ad secundum dicendum, quod intellectum est in intellectu tamquam objectum cognitum ; amatum vero est in amante ratione impulsus in eo existentis, per quem fertur et inclinatur in ipsum amatum, ut dictum est (in c.). — 1a, q. 27 et 37, a. 1, c. ; *de Verit.* q. 10, a. 9, ad 7.

Ad tertium dicendum, quod ad ea, ad quæ sufficienter voluntas inclinatur per naturam suam, non indiget aliqua qualitate inclinante, sed sufficit terminus productus per actum ipsius. Quia vero necessarium est ad finem humanæ vitæ, quod vis appetitiva inclinetur ad aliquid determinatum, ad quod non inclinatur ex natura potentiæ, quæ se habet ad multa et diversa ; — ideo necesse est quod in voluntate et in aliis viribus appetitivis sint quædam qualitates inclinantes superadditæ, quæ habitus dicuntur. — 1a 2æ, q. 50, a. 5, ad 1.

QUÆSTIO CVII

DE OBJECTO VOLUNTATIS.

Deinde considerandum est de objecto voluntatis.

CIRCA HOC QUÆRUNTUR DUO :

1. Utrum objectum formale voluntatis sit tantum bonum, an bonum et malum.
2. Utrum objectum materiale voluntatis sit tantum finis, an etiam ea quæ sunt ad finem.

ARTICULUS I

UTRUM OBJECTUM FORMALE VOLUNTATIS SIT TANTUM BONUM, AN BONUM ET MALUM.

Videtur quod objectum formale voluntatis non sit tantum bonum.

1. Eadem enim est potentia oppositorum, sicut visus albi et nigri ; sed bonum et malum sunt opposita : ergo voluntatis objectum non est tantum bonum, sed bonum et malum. — 1a 2æ, q. 8, a. 1, arg. 1.

2. Præterea, potentiæ rationales sunt ad opposita prosequenda, secundum Philosophum (9. *Metaphys. text.* 3 ; l. 8, c. 2) ; sed voluntas est potentia rationalis ; est enim in ratione, ut dicitur in 3. *de Anima* (*text.* 42 ; c. 9) : ergo voluntas se habet ad opposita. Non ergo voluntatis objectum est tantum bonum, sed etiam malum. — *Ibid.* arg. 2.

3. Præterea, bonum et ens convertun-

tur; sed voluntas non solum est entium, sed etiam non entium; volumus enim quandoque non ambulare et non loqui; volumus etiam interdum quædam futura, quæ non sunt entia in actu : ergo voluntatis objectum adæquatum non est bonum. — *Ibid.* arg. 3.

4. Præterea, quidquid est volitum a voluntate, pertinet ad ejus objectum, sicut quidquid est intellectum ab intellectu, sub ejus objecto continetur; sed aliquando quis vult fieri malum, ut qui operatur malum voluntarie : ergo malum fieri et ipsum malum pertinet ad objectum voluntatis. — 1. *Sent.* dist. 46, q. 1, a. 2, arg. 2.

5. Præterea, secundum Philosophum (7. *Eth.* c. 8 et 9, al. c. 9 et 10), quidam habentes rationem rectam, contra rationem operantur; non autem operarentur, nisi appererent vel vellent; sed quod est contra rectam rationem, est malum : ergo quidam appetunt malum; ergo malum etiam comprehenditur sub objecto voluntatis, alioqui non posset appeti, cum potentia non possit extendi ultra suum objectum. — *de Verit.* q. 22, a. 1, arg. 6.

6. Præterea, qui vult dare eleemosynam propter inanem gloriam, vult id quod de se est bonum, sub ratione mali; sed proprium objectum potentiæ vel habitus est illud, sub cujus ratione formali aliquid refertur ad potentiam vel habitum : ergo voluntatis objectum non est tantum bonum. — 1a 2æ, q. 19, a. 7, ad 2; 1a, q. 1, a. 7, c.; 2a 2æ, q. 1, a. 3, c.; 3. *Sent.* dist. 27, q. 2, a. 4, quæstiunc. 1 et 2.

7. Præterea, illum odimus, cui volumus et operamur malum; sed voluntas nostra potest odisse et velle alicui malum : ergo objectum voluntatis non est tantum bonum. — 1. *Sent.* dist. 46, q. 1, a. 2, arg. 2.

Sed contra est : 1. quod Philosophus 1. *Eth.* (c. 1) dicit, quod omnis ars omnisque doctrina et electio bonum appetit, et quod hac de causa recte aliqui dixerunt, quod « bonum est quod omnia appetunt ». At vero si posset malum appeti et bonum odio haberi, non omnia appeterent bonum, nec bonum diceretur ab omnibus appeti; ergo dicendum, quod bonum est adæquatum objectum voluntatis. — 1. *Eth.* l. 1.

2. Præterea, dicit Dionysius (*de Div. Nom.* c. 4, § 32; — Migne PP. Gr. t. 3, col. 731), quod malum est præter voluntatem, et quod nemo intendens malum operatur, et quod omnia quæ fiunt, sunt gratia alicujus boni, quia omnia appetunt bonum : ergo. — 1a 2æ, q. 8, a. 1, arg. *Sed contra.*

3. Præterea, ratio boni est ratio appetibilis; ergo malum, quod est oppositum bono, non potest esse per se appetibile, sed tantum *per accidens*, quatenus consequitur ad aliquod bonum magis appetitum : ergo objectum appetitus atque adeo voluntatis, quæ est appetitus rationalis, est tantum bonum. — 1a 2æ, q. 19, a. 9, c.

Respondeo dicendum, quod voluntas est appetitus quidam rationalis. Omnis autem appetitus non est nisi boni. Cujus ratio est, quia appetitus nihil aliud est quam quædam inclinatio appetentis in aliquid. Nihil autem inclinatur nisi in aliquid simile et conveniens. Cum igitur omnis res, in quantum est ens et substantia, sit quoddam bonum, necesse est ut omnis inclinatio sit in bonum. Et inde est quod Philosophus dicit (in 1. *Eth.* c. 1), quod « bonum est quod omnia appetunt ». Sed considerandum est, quod cum omnis inclinatio consequatur aliquam formam, appetitus naturalis consequitur formam in natura existentem; appetitus autem sensitivus, vel etiam intellectivus seu rationalis, qui dicitur voluntas, sequitur formam apprehensam. Sicut igitur id in quod tendit appetitus naturalis, est bonum existens in re, ita id in quod tendit appetitus animalis vel voluntarius, est bonum apprehensum. Ad hoc igitur quod voluntas in aliquid tendat, non requiritur quod sit bonum in rei veritate, sed quod apprehendatur in ratione boni; et

propter hoc dicit Philosophus (in 2. *Phys. text.* 31 ; c. 3), quod « finis est bonum, vel apparens bonum » ; ita enim se habet finis et ea quæ sunt ad finem ad bonum, sicut albedo et nigredo et quilibet alius color ad colorem respectu visus. Sicut enim objectum materiale visus sunt albedo et nigredo ceterique alii colores, color vero est ratio formalis objecti visus ; — ita objectum materiale voluntatis est finis et ea quæ sunt ad finem ; sed ratio formalis objecti voluntatis est bonum, sive reale sive apparens. — 1a 2æ, q. 8, a. 1, 2 et 3, c. ; 2. *Sent.* dist. 24, q. 1, a. 3, ad 3.

Ad primum ergo dicendum, quod eadem est potentia oppositorum, sed non eodem modo se habet ad utrumque. Voluntas igitur se habet et ad bonum et ad malum ; sed ad bonum, appetendo ipsum ; ad malum vero, fugiendo illud. Ipse ergo actualis appetitus boni vocatur voluntas, secundum quod voluntas nominat actum voluntatis ; fuga vero mali magis dicitur voluntas (noluntas). Unde sicut voluntas est boni, ita voluntas (noluntas) est mali. — 1a 2æ, q. 8, a. 1, ad 1.

Ad secundum dicendum, quod potentia rationalis non se habet ad quælibet opposita prosequenda, sed ad ea quæ sub suo objecto convenienti continentur ; quia nulla potentia prosequitur nisi suum conveniens objectum. Objectum autem voluntatis est bonum. Unde ad illa opposita prosequenda se habet voluntas, quæ sub bono comprehenduntur, sicut moveri et quiescere, loqui et tacere, et alia hujusmodi ; in utrumque enim horum voluntas fertur sub ratione boni. — *Ibid.* ad 2.

Ad tertium dicendum, quod illud, quod non est ens in rerum natura, accipitur ut ens in ratione. Unde negationes et privationes dicuntur entia rationis : per quem etiam modum futura, prout apprehenduntur, sunt entia. In quantum igitur sunt hujusmodi entia, apprehenduntur sub ratione boni ; et sic voluntas in ea tendit. Unde Philosophus dicit (in 5. *Eth.* c. 1, a princ.), quod « carere malo, habet rationem boni ». — *Ibid.* ad 3.

Ad quartum dicendum, quod mala fieri non est volitum *per se*, sed *per accidens* tantum, in quantum est bonum æstimatum ratione boni alicujus annexi : quia nihil est pure malum, secundum Dionysium (cf. *de Div. Nom.* c. 4, § 32 ; — Migne PP. Gr. t. 3, col. 731). Et ideo omnis malus est quodammodo ignorans, secundum Philosophum (in 3. *Eth.* c. 1, al. 2), in quantum decipitur in eligendo. — 1. *Sent.* dist. 46, q. 1, a. 2, ad 2.

Ad quintum dicendum, quod qui operantur contra rationem, appetunt bonum per se, utpote qui fornicantur, attendunt ad id quod est bonum et delectabile secundum sensum : sed quod sit malum secundum rationem, est præter intentionem illorum. Unde bonum est desideratum per se, malum vero per accidens. — *de Verit.* q. 22, a. 1, ad 6 ; 1a 2æ, q. 19, a. 10, c.

Ad sextum dicendum, quod voluntas dicitur velle bonum sub ratione mali, quando vult bonum vel malum propter aliquem finem malum ; verum tunc, quod primo movet voluntatem ad volendum, non est malitia moralis, sed bonum utile vel delectabile, cui annexa est talis malitia. Quæ propterea dupliciter dicitur volita : *vel secundario* et consequenter, quatenus quis non refugit incurrere et pati deformitatem, quam videt conjunctam bono delectabili quo frui vult, ne bono concupito privetur ; *vel per accidens* et non per se, quatenus est æstimatum bonum ratione alicujus boni annexi : quomodo ab operante voluntarie malum dicitur esse volitum ipsum fieri malum. — *de Malo* q. 3, a. 12, in c. et ad 1 ; 1. *Sent.* dist. 46, q. 1, a. 2, ad 2.

Ad septimum dicendum, quod nullus sibi vel alii vult vel facit malum, nisi in quantum apprehendit illud sub ratione boni. — 1. *Sent.* l. c.

ARTICULUS II

UTRUM OBJECTUM MATERIALE VOLUNTATIS SIT TANTUM FINIS, AN ETIAM EA QUÆ SUNT AD FINEM.

Videtur quod voluntas sit tantum finis.

1. Dicit enim Philosophus (3. *Eth.* c. 2, al. 4), quod voluntas est finis, electio autem eorum quæ sunt ad finem. — 1a 2æ, q. 8, a. 2, arg. 1.

2. Præterea, ad ea quæ sunt diversa genere, diversæ potentiæ animæ ordinantur, ut dicitur 6. *Eth.* (c. 1, al. 2) ; sed finis, et ea quæ sunt ad finem, sunt in diverso genere boni ; — nam finis, qui est bonum honestum vel delectabile, est in genere qualitatis vel actionis aut passionis ; bonum autem quod dicitur utile, quod est ad finem, est in ad aliquid, ut dicitur 1. *Eth.* (c. 6, al. 4) : ergo, si voluntas est finis, non erit eorum quæ sunt ad finem. — *Ibid.* arg. 2.

3. Præterea, habitus proportionantur potentiis, cum sint earum perfectiones. Sed in habitibus, qui dicuntur artes operativæ, ad aliud pertinet finis, et ad aliud quod est ad finem : sicut ad gubernatorem pertinet usus navis, qui est finis ejus ; ad navifactivam vero constructio navis, quæ est propter finem. Ergo cum voluntas sit finis, non erit eorum quæ sunt ad finem. — *Ibid.* arg. 3.

Sed contra est : quia in rebus naturalibus per eandem potentiam aliquid pertransit media et pertingit ad terminum ; sed ea quæ sunt ad finem, sunt quædam media, per quæ pervenitur ad finem sicut ad terminum : ergo si voluntas est finis, ipsa etiam est eorum quæ sunt ad finem. — *Ibid.* arg. *Sed contra.*

Respondeo dicendum, quod voluntas quandoque dicitur ipsa potentia, qua volumus, quandoque ipse voluntatis actus. Si ergo loquamur de voluntate secundum quod nominat *potentiam*, sic se extendit et ad finem et ad ea quæ sunt ad finem. Ad ea enim se extendit unaquæque potentia, in quibus inveniri potest quocunque modo ratio sui objecti : sicut visus se extendit ad omnia quæ participant quomodocunque colorem. Ratio autem boni, quod est objectum potentiæ voluntatis, invenitur non solum in fine, sed etiam in his quæ sunt ad finem. — Si autem loquamur de voluntate secundum quod nominat proprie *actum* ; sic, proprie loquendo, est finis tantum. Omnis enim actus denominatus a potentia, nominat simplicem actum illius potentiæ, sicut intelligere nominat simplicem actum intellectus. Simplex autem actus potentiæ est in id quod est secundum se objectum potentiæ. Id autem quod est propter se bonum et volitum, est finis ; unde voluntas proprie est ipsius finis. Ea vero quæ sunt ad finem, non sunt bona vel volita propter se, sed ex ordine ad finem ; unde voluntas in ea non fertur, nisi quatenus fertur in finem ; unde hoc ipsum, quod in eis vult, est finis : sicut et intelligere proprie est eorum, quæ secundum se cognoscuntur, scilicet principiorum ; eorum autem, quæ cognoscuntur per principia, non dicitur esse intelligentia, nisi in quantum in eis ipsa principia considerantur ; sic enim se habet finis in appetibilibus, sicut se habet principium in intelligibilibus, ut dicitur 7. *Eth.* (c. 8, al. 9). — 1a 2æ, q. 8, a. 2, c.

Ad primum ergo dicendum, quod Philosophus loquitur de voluntate, secundum quod proprie nominat simplicem actum voluntatis, non autem secundum quod nominat potentiam. — *Ibid.* ad 1.

Ad secundum dicendum, quod ad ea quæ sunt diversa genere, ex æquo se habentia, ordinantur diversæ potentiæ : sicut sonus et color sunt diversa genera sensibilium, ad quæ ordinantur auditus et visus. Sed utile et honestum non ex æquo se habent, sed sicut quod est secundum se, et secundum alterum ; hujusmodi autem semper referuntur ad eandem potentiam, sicut per potentiam vi-

sivam sentitur et color, et lux, per quam videtur color. — *Ibid.* ad 2.

Ad tertium dicendum, quod non quidquid diversificat habitum, diversificat potentiam; habitus enim sunt quædam determinationes potentiarum ad aliquos speciales actus. Et tamen quælibet ars operativa considerat et finem et id quod est ad finem. Nam ars gubernatoris considerat quidem finem, ut quem operatur; id autem quod est ad finem, ut quod imperat; e contra vero navifactiva considerat id quod est ad finem, ut quod operatur; id vero quod est finis, ut ad quod ordinat id quod operatur. Et iterum in unaquaque arte operativa est et aliquis finis proprius, et aliquid quod est ad finem, quod proprie ad illam artem pertinet. — *Ibid.* ad 3.

QUÆSTIO CVIII

DE MODO, QUO VOLUNTAS TENDIT IN OBJECTUM.

Deinde considerandum est de modo, quo voluntas tendit in objectum.

CIRCA HOC QUÆRUNTUR TRIA:

1. Utrum voluntas appetat aliquid ex necessitate.
2. Utrum voluntas ex necessitate velit quæcunque vult.
3. Utrum voluntas eodem actu feratur in finem et ea quæ sunt ad finem.

ARTICULUS I

UTRUM VOLUNTAS APPETAT ALIQUID EX NECESSITATE.

Videtur quod voluntas nihil ex necessitate appetat.

1. Agens enim naturale dividitur contra voluntarium, ut patet in principio 2. *Phys.* (*text.* 3 et sqq.; c. 1); unde et Augustinus dicit (5. *de Civit. Dei* c. 10; — Migne t. 41, col. 152 et sq.), quod « si aliquid est necessarium, non est voluntarium ». Sed quidquid voluntas appetit, est voluntarium : ergo voluntas nihil appetit ex necessitate. — 1a, q. 82, a. 1, arg. 1; 1a 2æ, q. 10, a. 1, arg. 1.

2. Præterea, potentiæ rationales secundum Philosophum (9. *Metaphys. text.* 3; l. 8, c. 2) se habent ad opposita; natura vero est determinata ad unum; sed voluntas est potentia rationalis, quia, ut dicitur in 3. *de Anima* (*text.* 42; c. 9), voluntas est in ratione : ergo voluntas se habet ad opposita; ad nihil ergo determinatur ex necessitate. — 1a, l. c. arg 2; 1a 2æ, l. c. arg. 3.

3. Præterea, libertas opponitur necessitati; sed voluntas est libera; secundum enim voluntatem sumus domini nostrorum actuum: ergo non de necessitate aliquid vult, quia ejus quod ex necessitate est, non sumus domini. — *de Verit.* q. 22, a. 5, arg. 3; 1a, l. c. arg. 3.

4. Præterea, id quod est naturale, inest alicui semper, sicut igni esse calidum; sed nullus motus inest voluntati semper: ergo nullus motus est naturalis voluntati, et per consequens nihil vult ex necessitate. — 1a 2æ, l. c. arg. 2.

5. Præterea, illud quod naturale est, neque assuescimus, ut dicitur in 2. *Eth.* (c. 1), et semper est in actu suo; et si deficit, non deficit nisi in minori parte, propter aliquod accidentale impedimentum; et secundum naturalia neque meremur neque demeremur. Sed homo per assuetudinem efficitur habilior ad volendum bona, et frequenter deficit a volendo bona, et meretur volendo bonum, sicut demeretur non volendo bonum, sed volendo malum. Ergo voluntas non potest ex necessitate aliquid velle. — 2. *Sent.* dist. 39, q. 2, a. 1, arg. 2, 3, 4.

Sed contra est: 1. quod motus voluntatis sequitur actum intellectus; sed intellectus aliqua intelligit naturaliter: ergo et voluntas aliqua vult naturaliter. — 1a 2æ, q. 10, a. 1, arg. *Sed contra.*

2. Præterea, omne motivum perfectæ virtutis de necessitate movet suum mobile ; sed secundum Philosophum (3. *de Anima text.* 54 ; c. 10) bonum est motivum voluntatis secundum quod apprehenditur : ergo cum aliquid sit perfectum bonum, sicut Deus et beatitudo, ut dicitur in 1. *Eth.*, aliquid erit quod de necessitate movebit voluntatem ; et ita voluntas aliquid ex necessitate appetet. — *de Verit.* q. 22, a. 5, arg. 2.

Respondeo dicendum, quod necessitas multipliciter dicitur. Necesse enim est, quod non potest non esse. Quod quidem convenit alicui uno modo ex principio intrinseco : *sive* materiali, sicut cum dicimus, quod omne compositum ex contrariis necesse est corrumpi ; *sive* formali, sicut cum dicimus, quod necesse est triangulum habere tres angulos æquales duobus rectis. Et hæc est *necessitas naturalis et absoluta.* — Alio modo convenit alicui, quod non possit non esse ex aliquo extrinseco, vel fine vel agente : *fine* quidem, sicut cum aliquis non potest sine hoc consequi, aut bene consequi, finem aliquem, ut cibus dicitur necessarius ad vitam, et equus ad iter ; et hæc vocatur *necessitas finis*, quæ interdum etiam utilitas dicitur. Ex *agente* autem hoc alicui convenit, sicut cum aliquis cogitur ab aliquo agente ita, quod non possit contrarium agere ; et hæc vocatur *necessitas coactionis.*

Hæc igitur *necessitas coactionis* omnino repugnat voluntati. Nam hoc dicimus esse violentum, quod est contra inclinationem rei. Ipse autem motus voluntatis est inclinatio quædam in aliquid ; et ideo sicut dicitur aliquid naturale, quia est secundum inclinationem naturæ : ita dicitur aliquid voluntarium, quia est secundum inclinationem voluntatis. Sicut ergo impossibile est quod aliquid sit simul violentum et naturale, ita impossibile est quod aliquid simpliciter sit coactum sive violentum, et voluntarium.

Necessitas autem *finis* non repugnat voluntati, quando ad finem non potest perveniri nisi uno modo : sicut ex voluntate transeundi mare fit necessitas in voluntate ut velit navem. — Similiter etiam nec *necessitas naturalis* repugnat voluntati ; quin imo necesse est quod, sicut intellectus ex necessitate inhæret primis principiis, ita voluntas ex necessitate inhæreat ultimo fini, qui est beatitudo. Finis enim se habet in operativis, sicut principium in speculativis, ut dicitur in 2. *Phys.* (*text.* 89 ; c. 9). Oportet enim quod illud, quod naturaliter alicui convenit et immobiliter, sit fundamentum et principium omnium aliorum, quia natura rei est primum in unoquoque, et omnis motus procedit ab aliquo immobili. — 1a, q. 82, a. 1, c.

Ad primum ergo dicendum, quod voluntas dividitur contra naturam sicut una causa contra aliam ; quædam enim naturaliter fiunt, et quædam fiunt voluntarie. Est autem alius modus causandi proprius voluntatis, quæ est domina sui actus, præter modum qui convenit naturæ, quæ est determinata ad unum. Sed quia voluntas in aliqua natura fundatur, necesse est quod modus proprius naturæ quantum ad aliquid participetur a voluntate : sicut quod est prioris causæ, participatur a posteriori. Est enim prius in unaquaque re ipsum esse, quod est per naturam, quam velle, quod est per voluntatem ; et inde est quod voluntas naturaliter aliquid vult. — 1a 2æ, q. 10, a. 1, ad 1.

Ad secundum dicendum, quod voluntas, secundum quod aliquid vult naturaliter, magis respondet intellectui naturalium principiorum quam rationi, quæ ad opposita se habet. Unde secundum hoc magis est intellectualis quam rationalis potestas. (1a, l. c. ad 2.) Quod est dicere, quod voluntas, in quantum est rationalis, ad opposita se habet (hoc enim est considerare eam secundum hoc, quod est ei proprium) ; sed prout est natura quædam, nihil prohibet eam determinari ad unum. (*de Verit.* q. 22, a. 5, ad 5.) — *Vel dic*, quod voluntas est natura quædam. Verum naturæ debet respondere unum proportionatum ipsi

naturæ : naturæ enim in genere respondet aliquid unum in genere ; et naturæ in specie acceptæ respondet aliquid unum in specie; naturæ autem individuatæ respondet aliquid unum individuale. Cum igitur voluntas sit quædam vis immaterialis, sicut et intellectus, respondet ipsi naturaliter aliquod unum commune, scilicet bonum, sicut etiam intellectui aliquod bonum commune, scilicet verum vel ens vel quidquid est hujusmodi. Sub bono autem communi multa particularia bona continentur, ad quorum nullum voluntas determinatur. — 1a 2æ, q. 10, a. 1, ad 3.

Ad tertium dicendum, quod libertas opponitur coactioni, et necessitati ; et ideo voluntas, in quantum rationalis, se habet ad opposita, et non est determinata ad unum ; quia tamen voluntas est natura quædam, ideo ut sic est determinata ad unum, ut dictum est. — *de Verit.* q. 22, a. 5, ad 3 ; 1a, q. 82, a. 1, c. ; q. 83, a. 1 et 3, c.

Ad quartum dicendum, quod in rebus naturalibus id, quod est naturale quasi consequens formam tantum, semper actu inest, sicut calidum igni ; quod autem est naturale sicut consequens materiam, non semper actu inest, sed quandoque secundum potentiam tantum. Nam forma est actus, materia vero potentia ; motus autem est actus existentis in potentia; et ideo illa, quæ pertinent ad motum, vel quæ sequuntur motum in rebus naturalibus, non semper insunt : sicut ignis non semper movetur sursum, sed quando est extra locum suum. Et similiter non oportet quod voluntas, quæ de potentia in actum reducitur, dum aliquid vult, semper actu velit, sed solum quando est in aliqua dispositione determinata. Voluntas autem Dei, quæ est actus purus, semper est in actu volendi. — 1a 2æ, q. 10, a. 1, ad 2.

Ad quintum dicendum *primo*, quod inclinatio voluntatis ad bonum, quæ est in natura humana, non est per assuetudinem ; sed habitus, quo perficitur ista habilitas, est vel per consuetudinem vel per infusionem. *Secundo*, licet in illis, quæ sunt determinata ad unum, semper sequatur actus naturalis, nisi impediatur, et impedimentum contingat in minori parte ; quia tamen voluntas non est natura quædam determinata ad unum, et præterea habet impedimentum semper sibi conjunctum, scilicet carnem repugnantem : ideo homo a voluntate boni simpliciter, abducitur in id quod est apparens bonum. *Tertio*, actus naturalis in his quæ sunt determinata ad unum, non potest esse meritorius, quia tales actus voluntati non subjacent, ut patet in actibus nutritivæ partis ; sed actus illi qui voluntatis imperio subjacent, meritorii sunt, etiam si homo naturaliter illos velit. — 2. *Sent.* dist. 39, q. 2, a. 1, ad 2, 3, 4.

ARTICULUS II

UTRUM VOLUNTAS EX NECESSITATE VELIT QUÆCUNQUE VULT.

Videtur quod voluntas ex necessitate velit quæcunque vult.

1. Dicit enim Philosophus 6. *Eth.* (c. 2) et 7. *Eth.* (c. 8, al. 9), quod sicut principia se habet ad conclusiones in scientiis speculativis, ita fines ad ea quæ sunt ad fines in operabilibus et appetibilibus. Sed ex principiis, quæ sunt naturaliter scita, inducitur intellectus, ut conclusiones cognoscat de necessitate. Ergo cum voluntas de necessitate velit ultimum finem, cum illum naturaliter appetat, quia ipsum respicit et ad ipsum ordinatur, ut natura — unde et se habet tamquam fundamentum omnium, quæ appetuntur propter finem, a voluntate ut voluntas est (*de Verit.* q. 22, a. 5, in c.) — ; de necessitate etiam volet omnia alia, quæ in finem ultimum ordinantur. — *de Verit.* q. 22, a. 6, arg. 4.

2. Præterea, omne illud quod est naturaliter determinatum ad aliquid, de necessitate consequitur illud, nisi sit aliquid impediens. Sed voluntas naturaliter

vult bonum. Ita enim perficitur voluntas in volitione boni, sicut intellectus in cognitione veri; cognoscere autem verum est naturaliter desideratum ad omnibus, quia « omnes homines natura scire desiderant », ut dicitur in proœmio *Metaphys.* Ergo voluntas immutabiliter vult bonum, cum non sit aliquid quod eam impediri possit, eo quod est sub Deo potentissima. — *Ibid.* arg. 5; 2. *Sent.* dist. 39, q. 2, a. 1, arg. 2 *Sed contra.*

3. Præterea, objectum voluntatis comparatur ad ipsam sicut movens ad mobile; sed motus mobilis necessario consequitur ex movente: ergo videtur quod objectum voluntatis ex necessitate movet ipsam. — 1a 2æ, q. 10, a. 2, arg. 1; 1a, q. 82, a. 2, arg. 2.

4. Præterea, sicut apprehensum secundum sensum est objectum appetitus sensitivi, ita apprehensum secundum intellectum est objectum appetitus intellectivi seu voluntatis. Sed apprehensum secundum sensum ex necessitate movet appetitum sensitivum; sic enim animalia ex necessitate moventur visis. Ergo et apprehensum secundum intellectum ex necessitate movebit voluntatem. — 1a, l. c. arg. 3.

5. Præterea, sicut voluntas est vis immaterialis, ita et intellectus; et utraque potentia ad objectum universale ordinatur. Sed intellectus ex necessitate movetur a suo objecto. Ergo et voluntas movebitur ex necessitate a suo. — 1a 2æ, l. c. arg. 2.

Sed contra est, quod potentiæ rationales sunt ad opposita; sed voluntas est potentia rationalis: est enim in ratione, ut dictum est ex 3. *de Anima (lect.* 12; c. 9): ergo voluntas se habet ad opposita, et ita non vult ex necessitate omnia quæ vult. — 1a 2æ, q. 10, a. 2, arg. *Sed contra.*

Respondeo dicendum, quod voluntas movetur dupliciter: uno modo quantum ad exercitium actus; alio modo quantum ad specificationem actus, quæ est ex objecto. *Primo* igitur *modo* voluntas a nullo objecto ex necessitate movetur; neque ex necessitate vult quæcunque vult, nam potest aliquis de quocunque objecto non cogitare, et per consequens neque actu velle illud. — Sed quantum ad *secundum* motionis *modum*, voluntas potest ex necessitate aliquod objectum velle, et ab illo consequenter necessario movetur; aliquod vero, et ab aliquo, non. In motu enim cujuslibet potentiæ a suo objecto consideranda est ratio, per quam objectum movet potentiam. Visibile enim movet visum sub ratione coloris actu visibilis. Unde si color proponatur visui, ex necessitate movet ipsum; nisi aliquis visum avertat, quod pertinet ad exercitum actus. Si autem proponeretur aliquid visui, quod non omnibus modis esset color in actu, sed secundum aliquid esset tale, secundum autem aliquid non tale, non ex necessitate visus tale objectum videret: posset enim intendere in ipsum ex ea parte, qua non est coloratum in actu, et sic ipsum non videret. Sicut autem coloratum in actu est objectum visus, ita bonum est objectum voluntatis. — Unde si proponatur aliquod objectum voluntati, quod sit universaliter bonum et secundum omnem considerationem, ex necessitate voluntas in illud tendit, si aliquid velit; non enim poterit velle oppositum. Hujusmodi autem est finis ultimus, quia est bonum perfectum: et similiter illa, quæ ordinantur ad hunc finem, sine quibus haberi non potest, sicut esse, vivere, intelligere et hujusmodi. (1a, 2a, q. 10, a. 2, ad 3; v. Cajetanum.) Si autem ipsi proponatur aliquod objectum, quod non secundum quamlibet considerationem sit bonum, non ex necessitate voluntas feretur in illud. Et quia defectus cujuscunque boni habet rationem non boni, ideo illud solum bonum, quod est perfectum, et cui nihil deficit, est tale bonum, quod voluntas non potest non velle, quod est beatitudo. Alia autem particularia bona, in quantum deficiunt ab aliquo bono, possunt accipi ut non bona, et secundum hanc considerationem possunt repudiari

vel approbari a voluntate, quæ potest in idem ferri secundum diversas considerationes. — 1a 2æ, q. 10, a. 2, c.

Ad primum ergo dicendum, quod in scientiis demonstrativis conclusiones hoc modo se habent ad principia, quod remota conclusione removetur principium ; et sic propter hanc determinationem conclusionum respectu principiorum ex ipsis principiis intellectus cogitur ad consentiendum conclusionibus. Sed ea, quæ sunt ad finem, non habent hanc determinationem respectu finis, ut remoto aliquo eorum removeatur finis, cum per diversas vias possit perveniri ad finem ultimum vel secundum veritatem vel secundum apparentiam. Et ideo ex necessitate, quæ inest appetitui voluntario respectu finis, non inducitur necessitas respectu eorum quæ sunt ad finem. — *de Verit.* q. 22, a. 6, ad 4.

Ad secundum dicendum, quod voluntas vult naturaliter bonum, sed non determinate hoc bonum vel illud : sicut visus naturaliter videt colorem, sed non hunc vel illum determinate; et propter hoc quidquid vult, vult sub ratione boni, non tamen oportet quod semper hoc vel illud bonum velit. — *Vel dic*, quod voluntas naturaliter vult bonum, quatenus a bono movetur naturaliter, secundum specificationem; non autem vult ipsum naturaliter, sed libere, quatenus a nullo bono naturaliter movetur, quoad exercitium actus, ut dictum est (in c.). — *Ibid.* ad 5.

Ad tertium dicendum, quod sufficiens motivum alicujus potentiæ non est nisi objectum, quod totaliter habet rationem motivi ; si autem in aliquo deficiat, non ex necessitate movebit, ut dictum est. — 1a 2æ, q. 10, a. 2, ad 1 ; 1a, q. 82, a. 2, ad 2.

Ad quartum dicendum, quod vis sensitiva non est collativa diversorum sicut ratio, sed simpliciter aliquid unum apprehendit ; et ideo secundum illud unum determinate movet appetitum sensitivum. Sed ratio est collativa plurium; et ideo ex pluribus moveri potest appetitus intellectivus, scilicet voluntas, et non ex uno ex necessitate. — 1a, l. c. ad 3.

Ad quintum dicendum, quod intellectus ex necessitate movetur a tali objecto, quod est semper et ex necessitate verum; non autem ab eo, quod potest esse verum et falsum, scilicet a contingenti, sicut et de bono dictum est (in c). — 1a 2æ, l. c. ad 2.

ARTICULUS III

UTRUM VOLUNTAS EODEM ACTU FERATUR IN FINEM, ET IN EA QUÆ SUNT AD FINEM.

Videtur quod voluntas eodem actu feratur in finem, et in ea quæ sunt ad finem : —

1. quia secundum Philosophum (3. *Top.* c. 2), ubi est unum propter alterum, ibi est unum tantum; sed voluntas non vult id quod est ad finem, nisi propter finem : ergo eodem actu movetur in utrumque. — 1a 2æ, q. 8, a. 3, arg. 1.

2. Præterea, finis est ratio volendi ea quæ sunt ad finem, sicut lumen est ratio visionis colorum; sed eodem actu videtur lumen et color : ergo idem est motus voluntatis, quo vult finem et ea quæ sunt ad finem. — *Ibid.* arg. 2.

3. Præterea, idem numero motus naturalis est, qui per media tendit ad ultimum seu ad terminum ; sed ea quæ sunt ad finem, comparantur ad finem sicut medium ad terminum : ergo idem motus voluntatis est in finem, et in ea quæ sunt ad finem. — *Ibid.* arg. 3.

4. Præterea, duo actus non possunt esse simul unius potentiæ; sed voluntas, dum vult id quod est ad finem, simul intendit finem : ergo intentio finis, et voluntas ejus quod est ad finem, non sunt diversi actus. — *de Verit.* q. 22, a. 14, arg. 1 *Sed contra.*

Sed contra : 1. Actus diversificantur secundum objecta ; sed diversæ species boni sunt finis, et id quod est ad finem,

quod dicitur utile : ergo non eodem actu voluntas fertur in utrumque. — 1a 2æ, q. 8, a. 3, arg. *Sed contra ;* q. 12, a. 4, arg. 2 ; *de Verit.* q. 22, a. 14, arg. 4.

2. Præterea, non est idem specie motus, qui est ad ultimum terminum, et qui est ad medium, ut dicitur 10. *Eth.* (c. 4, al. 3), sicut qui est ad nigredinem, et qui est ad pallorem ab albedine. Sed illud quod est ad finem, est sicut medium, per quod itur in finem quasi in ultimum terminum. Ergo non est idem motus voluntatis in finem, et in id quod est ad finem. — 2. *Sent.* dist. 38, q. 1, a. 4, arg. 2.

3. Præterea, actus voluntatis sequitur actum intellectus ; sed non est eadem cogitatio de fine, et de eo quod est ad finem : ergo nec idem voluntatis motus. — *Ibid.* arg. 3.

4. Præterea, contraria non possunt eidem simul inesse ; sed in eo qui vult dare eleemosynam propter vanam gloriam, voluntas quæ est finis, est mala, et quæ est ejus quod est ad finem, est bona : ergo non est idem actus voluntatis utrobique. — *Ibid.* arg. 4.

5. Præterea, voluntas finis dicitur intentio, voluntas vero ejus quod est ad finem, dicitur electio ; sed non est idem actus voluntatis intentio et electio : ergo idem quod prius. — 1a 2æ, q. 12, a. 4, arg. 3.

6. Præterea, secundum Philosophum 7. *Eth.* (c. 8, al. 9) fines in practicis sunt sicut principia in demonstrativis scientiis. Sed non est idem actus intellectus speculativi quo intelliguntur principia, et quo considerantur conclusiones : quod patet ex hoc, quod diversis habitibus dicuntur : est enim intellectus habitus principiorum, scientia vero conclusionum. Ergo in operativis non est idem actus voluntatis quo intendit finem, et quo eligit et vult ea quæ sunt ad finem. — *de Verit.* q. 22, a. 14, arg. 3.

Respondeo dicendum, quod cum finis sit secundum se volitus, id autem quod est ad finem, in quantum hujusmodi, non sit volitum nisi propter finem ; manifestum est, quod voluntas potest ferri in finem, in quantum hujusmodi, sine hoc quod feratur in ea quæ sunt ad finem. Sed in ea quæ sunt ad finem, in quantum hujusmodi, non potest ferri, nisi feratur in ipsum finem. Sic ergo voluntas in ipsum finem dupliciter potest ferri : *uno modo* absolute et secundum se ; et sic simpliciter sunt *duo* motus voluntatis, in finem et id quod est ad finem ; et prior actus in finem absolute quandoque præcedit tempore : sicut cum aliquis primo vult sanitatem, et postea deliberans quomodo possit sanari, vult conducere medicum, ut sanetur. *Alio modo* ut in rationem volendi ea quæ sunt ad finem ; et hoc modo unus et idem motus est voluntatis, quo fertur in finem, et in id quod est ad finem ; sicut cum dico : volo medicinam propter sanitatem, non designatur nisi unus motus voluntatis ; cujus ratio est, quia in hoc secundo casu finis volitus est ut ratio volendi ea quæ sunt ad finem. Idem autem actus cadit super objectum, et super rationem objecti, sicut eadem visio est coloris et luminis, ut supra dictum est. Et est simile de intellectu ; nam primo aliquis absolute et secundum se considerat ipsa principia, tum conclusiones : et tunc sunt duo actus ; postmodum autem intelligit principia in conclusionibus, secundum quod assentitur conclusionibus propter principia : et tunc est unus actus intellectus tantum. — 1a 2æ, q. 8, a. 3, c. ; q. 12, a. 4, c. ; *de Verit.* q. 22, a. 14, ad 3.

Ad primum ergo dicendum, quod ratio illa procedit secundum quod voluntas fertur in finem ut est ratio volendi ea quæ sunt ad finem. — 1a 2æ, q. 8, a. 3, ad 1.

Ad secundum dicendum, quod quandocunque videtur color, eodem actu videtur lumen ; potest tamen videri lumen sine hoc quod videatur color ; et similiter quandocunque quis vult ea quæ sunt

ad finem, vult eodem actu finem, non e converso. — *Ibid.* ad 2.

Ad tertium dicendum, quod in exsecutione operis ea quæ sunt ad finem, habent se ut media, et finis ut terminus. Unde, sicut motus naturalis interdum sistit in medio, et non pertingit ad terminum, ita quandoque operatur aliquis id, quod est ad finem, et tamen non consequitur finem. Sed in volendo est e converso ; nam voluntas per finem devenit ad volendum ea quæ sunt ad finem : sicut et intellectus devenit in conclusiones per principia, quæ media dicuntur. Unde sicut intellectus aliquando intelligit medium, et ex eo non procedit ad conclusionem ; ita similiter voluntas aliquando vult finem, et tamen non procedit ad volendum id quod est ad finem. — *Ibid.* ad 3.

Ad quartum dicendum, quod aliquando sunt duo actus, quibus voluntas vult finem et id quod est ad finem, quando scilicet voluntas vult finem absolute et secundum se; et tunc voluntas finis tempore quandoque præcedit voluntatem mediorum ; aliquando vero sunt unus actus, quando nimirum voluntas vult finem ut rationem volendi, ut dictum est (in c.).

Ad primum vero, quod objicitur *in contrarium*, dicendum, quod *utile* et *honestum* non sunt species boni ex æquo divisæ, sed se habent sicut *propter se* et secundum se, et *propter alterum* vel secundum alterum. Unde actus voluntatis in unum potest ferri, sine hoc quod feratur in alterum, sed non e contra. — 1a 2æ, q. 8, a. 3, ad arg. *in contrarium.*

Vel dic, quod finis, in quantum est res quædam, est aliud voluntatis objectum quam id quod est ad finem ; sed in quantum est ratio volendi id quod est ad finem, est unum et idem objectum ; sicut lumen et color sunt etiam unum objectum. Et ratio hujus est, quia finis sumptus ut ratio volendi est sicut formale, id vero quod est ad finem, est sicut materiale; ex formali vero et materiali fit quid unum. — 1a, 2æ, q. 12, a. 4, ad 2 ; 2. *Sent.* dist. 38, q. 1, a. 4, ad 1.

Ad secundum dicendum, quod quando voluntas fertur in id quod est ad finem, prout est ad finem, non est terminus ejus ; et ideo non oportet quod ibi sint duo motus ; sicut est etiam unus motus continuus, qui de extremo in extremum per media transit, nisi medio ut termino, in medio quiescendo, utatur. — 2. *Sent.* dist. 38, q. 1, a. 4, ad 2.

Ad tertium dicendum, quod etiam cogitatio de eo quod est ad finem prout consideratur in ordine ad finem, est eadem cum cogitatione finis ; non autem cogitatio de eo quod est ad finem ut est res quædam ; et similiter nec voluntas. — *Ibid.* ad 3.

Ad quartum dicendum, quod cum aliquis vult dare eleemosynam propter inanem gloriam, hic est unus actus voluntatis; et hic actus totus malus est, licet nunquam ad omne id quod in eo est malitiam habeat. Unus enim particularis defectus sufficit ad hoc, quod aliquid simpliciter malum dicatur. Verum est tamen, quod si vellet hoc, quod est dare eleemosynam, ut rem quandam non in ordine ad talem finem, actus ille voluntatis esset bonus, et esset alius actus voluntatis ab eo, quo vult inanem gloriam. — *Ibid.* ad 4.

Ad quintum dicendum, quod motus qui est unus subjecto, potest ratione differre secundum principium et finem, ut ascensio et descensio, sicut dicitur in 3. *Phys.* (*text.* 21 ; c. 3). Sic igitur in quantum motus voluntatis fertur in id quod est ad finem, prout ordinatur ad finem, est electio ; motus autem voluntatis, qui fertur in finem, secundum quod acquiritur per ea quæ sunt ad finem, vocatur intentio ; cujus signum est, quod intentio finis esse potest, etiam nondum determinatis his quæ sunt ad finem, quorum est electio. — 1a 2æ, q. 12, a. 4, ad 3.

Ad sextum patet ex dictis (in c.).

QUÆSTIO CIX

DE VOLUNTATE PER ORDINEM AD INTELLECTUM ET CETERAS VIRES.

Deinde considerandum est de voluntate per ordinem ad intellectum et ceteras vires.

CIRCA HOC QUÆRUNTUR DUO:

1. Utrum voluntas sit nobilior intellectu.
2. Utrum voluntas moveat intellectum et ceteras vires.

ARTICULUS I

UTRUM VOLUNTAS SIT NOBILIOR INTELLECTU.

Videtur quod volunta sit nobilior potentia quam intellectus.

1. Bonum enim et finis est objectum voluntatis; sed finis est prima et altissima causarum, et est potissimum in unaquaque re : ergo et voluntas est prima et altissima potentiarum, nam potentia sumit suam nobilitatem ex objecto. — 1a, q. 82, a. 3, arg. 1; 3, *Sent.* dist. 27, q. 1, a. 4, arg. 4 *Sed contra.*

2. Præterea, res naturales inveniuntur procedere de imperfectis ad perfecta, et hoc etiam in potentiis animæ apparet; proceditur enim de sensu ad intellectum, qui est nobilior ; sed naturalis processus est de actu intellectus in actum voluntatis : ergo voluntas est perfectior et nobilior intellectu. — 1a, l. c. arg. 2.

3. Præterea, habitus sunt proportionati potentiis sicut perfectiones perfectibilibus. Sed habitus quo perficitur voluntas, scilicet caritas, est nobilior habitibus quibus perficitur intellectus, dicitur enim 1. *Cor.* 13, 2 : *Si noverim mysteria omnia, caritatem autem non habuero, nihil sum;* et ibidem dicitur (v. 13) : *Nunc manent fides, spes, caritas; major autem horum est caritas.* Ergo voluntas est nobilior potentia. — 1a, l. c. arg. 3; *de Verit.* q. 22, a. 11, arg. 1 *Sed contra.*

4. Præterea, secundum Dionysium (*de Div. Nom.* c. 5, § 1 et sqq.; — Migne t. 3, col. 815 et sqq.) quanto aliqua divinarum participationum est communior, tanto est nobilior; sed voluntas est intellectu communior, quia quædam participant voluntatem, et amorem, qui ad voluntatem spectat, quæ non participant intellectum et ejus operationem, puta cognitionem : ergo voluntas est intellectu nobilior. — *de Verit.* l. c. arg. 4 *Sed contra* ; 3. *Sent.* l. c. arg. 6 *Sed contra.*

5. Præterea, illud quod est liberum sui, est nobilius eo quod non est liberum; sed intellectus non est liber, cum possit cogi, voluntas autem est libera, cum non possit cogi : ergo idem quod prius. — *de Verit.* l. c. arg. 2 *Sed contra.*

6. Præterea, quanto aliquid est Deo propinquius, tanto est nobilius; sed voluntas magis appropinquat Deo quam intellectus, quia, sicut dicit Hugo de S. Victore (Expos. in *Hierarch. Cœlest.* S. Dionys. cap. 7, l. 6 med.; — Migne PP. Lat. t. 175, col. 1038), « ibi dilectio intrat, ubi cognitio foris est » ; plus enim Deum diligimus, quam ipsum possumus cognoscere. Ergo voluntas est nobilior intellectu. — *Ibid.* arg. 5 *Sed contra ;* 3. *Sent.* l. c. arg. 3 *Sed contra.*

Sed contra est, quod Philosophus (10. *Eth.* c. 7) ponit altissimam potentiam animæ intellectum. — 1a, q. 82, a. 3, arg. *Sed contra.*

Respondeo dicendum, quod eminentia alicujus ad alterum potest attendi dupliciter : uno modo simpliciter, alio modo secundum quid. Consideratur autem aliquid tale simpliciter, prout est secundum se ipsum tale ; secundum quid autem, prout dicitur tale secundum respectum ad alterum.

Si ergo intellectus et voluntas considerentur *secundum se*, sic intellectus

eminentior invenitur. Et hoc apparet ex comparatione objectorum ad invicem. Obiectum enim intellectus est simplicius et magis absolutum quam objectum voluntatis; nam objectum intellectus est ipsa ratio boni appetibilis; bonum autem appetibile, cujus ratio est in intellectu, est objectum voluntatis. Quanto autem aliquid est simplicius et abstractius, tanto secundum se est nobilius et altius; et ideo objectum intellectus est altius quam objectum voluntatis. Cum ergo propria ratio potentiæ sit secundum ordinem ad objectum, sequitur quod secundum se et simpliciter intellectus sit altior et nobilior voluntate. — *Secundum quid* autem et per comparationem ad alterum voluntas invenitur interdum altior intellectu, ex eo scilicet quod objectum voluntatis in altiore re invenitur quam objectum intellectus; sicut si dicerem auditum esse secundum quid nobiliorem visu, in quantum res aliqua cujus est sonus, nobilior est aliqua re cujus est color, quamvis color sit nobilior et simplicior sono. Actio enim intellectus consistit in hoc, quod ratio rei intellectæ est in intelligente; actus vero voluntatis perficitur ex eo, quod voluntas inclinatur ad ipsam rem prout in se est. Et ideo Philosophus dicit in 6. *Metaphys.* (*text.* 8; l. 5, c. 3), quod bonum et malum, quæ sunt objecta voluntatis, sunt in rebus; verum autem et falsum, quæ sunt objecta intellectus, sunt in mente. Quando igitur res, in qua est bonum, est nobilior ipsa anima, in qua est ratio intellecta, per comparationem ad talem rem, voluntas est altior intellectu; quando vero res, in qua est bonum, est inferior anima, tunc etiam in comparatione ad talem rem, intellectus est altior voluntate. Unde melior est amor Dei, quam cognitio Dei; e contra vero melior est cognitio rerum corporalium quam amor. Simpliciter tamen intellectus est nobilior quam voluntas. — 1a, q. 82, a. 3, c.

Ad primum ergo dicendum, quod ratio causæ accipitur secundum comparationem unius ad alterum; et in tali comparatione ratio boni principalior invenitur. Sed verum dicitur magis absolute et ipsius boni rationem significat; unde et bonum quoddam verum est. Sed rursus et ipsum verum est quoddam bonum, secundum quod intellectus res quædam est, et verum finis ipsius. Et inter alios fines iste finis est excellentior, sicut intellectus inter alias potentias. — 1a, l. c. ad 1; 3. *Sent.* dist. 27, q. 1, a. 4, ad 11.

Ad secundum dicendum, quod illud, quod est prius generatione et tempore, est imperfectius, quia in uno eodemque potentia tempore præcedit actum, et imperfectio perfectionem. Sed illud, quod est prius simpliciter et secundum naturæ ordinem, est perfectius; sic enim actus est prior potentia; et hoc modo intellectus est prior voluntate, sicut motivum mobili et activum passivo; bonum enim intellectum movet voluntatem. — 1a, l. c. ad 2.

Ad tertium dicendum, quod ratio illa procedit de voluntate secundum comparationem ad id, quod supra animam est. Virtus enim caritatis est, qua Deum amamus. — 1a, l. c. ad 3; *de Verit.* q. 22, a. 11, ad 1 *Sed contra.*

Ad quartum dicendum, quod velle non invenitur in pluribus quam intelligere, quamvis appetere in pluribus inveniatur. Sciendum tamen est, quod in hac ratione non inducitur auctoritas Dionysii secundum ejus intentionem, propter duo: *primo*, quia Dionysius loquitur, quando unum includitur in ratione alterius, sicut esse et vivere et intelligere, cum dicit unum esse simplicius altero; *secundo*, quia quamvis participatio quæ est simplicior sit nobilior: tamen si accipiatur cum illo modo, quo invenitur in rebus carentibus superadditis participationibus, erit ignobilior: sicut esse, quod est nobilius quam vivere, si accipiatur cum illo modo, quo inanimata sunt, ille modus essendi erit ignobilior, quam esse viventium, quod est vivere. Et sic non oportet quod sem-

per id, quod est in pluribus, sit nobilius; alias oporteret dicere sensum esse nobiliorem intellectu, et nutritivam potentiam quam sensitivam. — *de Verit.* l. c. ad 4 *Sed contra.*

Ad quintum dicendum, quod libertas voluntatis non ostendit eam esse nobiliorem simpliciter, sed nobiliorem in movendo. — *Ibid.* ad 2 *Sed contra.*

Ad sextum dicendum, quod ratio illa procedit de voluntate secundum comparationem ad id quod est supra animam, puta ad Deum; et sic conceditur esse nobilior. — *Ibid.* ad 5 *Sed contra.*

ARTICULUS II

UTRUM VOLUNTAS MOVEAT INTELLECTUM ET CETERAS VIRES.

Videtur quod voluntas non moveat intellectum et ceteras animæ vires.

1. Movens enim est nobilius et prius moto, quia movens est agens, agens autem est prius et nobilius patiente, ut dicit Philosophus (3. *de Anima text.* 19; c. 5); sed intellectus est prior et nobilior voluntate, ut dictum est: ergo voluntas non movet intellectum. — 1a, q. 82, a. 4, arg. 1.

2. Præterea, movens non movetur a moto, nisi forte per accidens. Sed intellectus movet voluntatem, quia appetibile apprehensum per intellectum est movens non motum; appetitus autem est movens motum, ut dicitur in 3. *de Anima (text.* 49; c. 10): ergo intellectus non movetur a voluntate. — *Ibid.* arg. 2.

3. Præterea, nihil velle possumus nisi intellectum; si igitur ad intelligendum movet voluntas volendo intelligere, oportebit quod etiam illud velle præcedat aliud intelligere, et illud intelligere aliud velle, et sic in infinitum, quod est impossibile. Non ergo voluntas movet intellectum. — *Ibid.* arg. 3; *de Verit.* q. 22, a. 12, arg. 2.

4. Præterea, quod una potentia dicatur aliam movere, hoc non est nisi propter imperium, quod una supra aliam habet; sed imperare est rationis, ut dicitur in 1. *Eth.* (c. ult.): ergo ejus est movere alias potentias, et non voluntatis. — *de Verit.* q. 22, a. 12, arg. 4.

Sed contra est, quod secundum Philosophum in 2. *Meteorol.* (1) omnis motus est propter finem; sed bonum et finis est objectum voluntatis: ergo voluntas movet alias animæ vires. — *de Verit.* q. 22, a. 12, arg. 3 *Sed contra.*

Respondeo dicendum, quod aliquid dicitur movere dupliciter: uno modo per modum *finis*, sicut dicitur quod finis movet efficientem; et hoc modo intellectus movet voluntatem, quia bonum intellectum est objectum voluntatis, et movet ipsam ut finis. Alio modo dicitur aliquid movere per modum *agentis*, sicut alterans movet alteratum, et impellens movet impulsum; et hoc modo voluntas movet intellectum et omnes animæ vires. — Cujus ratio est, quia in omnibus potentiis activis ordinatis illa potentia, quæ respicit finem universalem, movet potentias, quæ respiciunt fines particulares. Et hoc apparet tam in naturalibus quam in politicis. Cœlum enim, quod agit ad universalem conservationem generabilium et corruptibilium, movet omnia inferiora corpora, quorum unumquodque agit ad conservationem propriæ speciei vel etiam individui. Rex etiam, quia intendit bonum commune totius regni, movet per suum imperium singulos præpositos civitatum, qui singulis civitatibus curam regiminis impendunt. Objectum autem voluntatis est bonum et finis in communi. Quælibet autem potentia comparatur ad aliquod bonum proprium sibi conveniens, sicut visus ad perceptionem coloris, intellectus ad cognitionem veri. Et ideo voluntas per modum agentis movet omnes animæ potentias ad suos actus præter vires naturales vegetativæ partis, quæ nostro

(1) 10 *Eth.* (c. 4, al. 5): Fit omnis motus in tempore, et finis alicujus gratia suscipitur. — Cf. 2. *Phys.* (*text.* 75 sqq.; c. 8).

arbitrio non subduntur. — 1a, q. 82, a. 4, c.

Ad primum ergo dicendum, quod intellectus dupliciter considerari potest : *uno modo* secundum quod intellectus est apprehensivus entis et veri universalis ; *alio modo* secundum quod est quædam res, et particularis potentia, habens determinatum actum. Et similiter voluntas dupliciter considerari potest : *uno modo* secundum communitatem sui objecti, prout scilicet est apprehensiva (1) boni communis ; *alio modo* secundum quod est quædam determinata animæ potentia, habens determinatum actum. Si ergo comparentur intellectus et voluntas secundum rationem communitatis objectorum utriusque : sic dictum est supra (art. præced), quod intellectus est simpliciter altior et nobilior voluntate. Si autem consideretur intellectus secundum communitatem sui objecti, et voluntas secundum quod est quædam determinata potentia : sic iterum intellectus est altior et prior voluntate, quia sub ratione entis et veri, quam apprehendit intellectus, continetur voluntas ipsa et actus ejus et ipsius objectum. Unde intellectus intelligit voluntatem et actum ejus et ipsius objectum, sicut et alia specialia intellecta, ut lapidem aut lignum, quæ continentur sub communi ratione entis et veri. — Si vero consideretur voluntas secundum communem rationem sui objecti, quo est bonum, intellectus autem secundum quod est quædam res et potentia specialis : sic sub communi ratione boni continentur, veluti quoddam speciale, et intellectus ipse et ipsum intelligere et objectum ejus, quod est verum, quorum quodlibet est quoddam speciale bonum ; et secundum hoc voluntas est altior intellectu, et potest ipsum movere.

Ex his ergo apparet ratio, quare hæ potentiæ suis actibus invicem se includunt, quia intellectus intelligit voluntatem velle, et voluntas vult intellectum intelligere. Et simili ratione bonum continetur sub vero, in quantum est quoddam verum intellectum ; et verum continetur sub bono, in quantum est quoddam bonum desideratum. — 1a, q. 82, a. 4, ad 1.

Ad secundum dicendum, quod intellectus alio modo movet voluntatem quam voluntas intellectum, ut jam dictum est. — *Ibid.* ad 2.

Ad tertium dicendum, quod non oportet procedere in infinitum, sed statur in intellectu sicut in primo. Omnem enim voluntatis motum necesse est quod præcedat apprehensio ; sed non omnem apprehensionem præcedit motus voluntatis ; sed principium consiliandi (2) et intelligendi est aliquod intellectivum principium altius intellectu nostro, quod est Deus, ut etiam Aristoteles dicit in 7. *Eth. ad Eudemum* (c. 18, al. * 14), ubi per hunc modum ostendit, quod non est procedere in infinitum. — *Ibid.* ad 3.

Vel dic, quod non est procedere in infinitum, quia statur in appetitu naturali, quo inclinatur intellectus in suum actum. — *de Verit.* q. 22, a. 12, ad 2.

Ad quartum dicendum, quod imperium est et voluntatis et rationis, quantum ad diversa : voluntatis quidem, secundum quod imperium inclinationem quandam importat ; rationis vero, secundum quod hæc inclinatio distribuitur et ordinatur exsequenda per hunc vel illum. (*de Verit.* l. c. ad 4.) — *Vel dic*, quod imperare non est movere quocunque modo, sed cum quadam intimatione denuntiativa ad alterum, quod est rationis.

Et hæc dicta sint in libros *de Anima*.

(1) Al. « appetitiva ».

(2) Al. « considerandi ».

* Aristoteles, edit. Bekker, pag. 1248a, lin. 18 sqq.; cf. Mauri *Paraphrasin* in h. l.

INDEX

QUÆSTIONUM ET ARTICULORUM

QUÆ IN HAC TERTIA SECUNDÆ SUMMÆ PHILOSOPHICÆ

E D. THOMÆ DOCTRINA CONTINENTUR

IN LIBROS DE ANIMA

QUÆSTIO XLVIII

DE ESSENTIA ANIMÆ

Art. I. — Utrum anima sit corpus. 1
II. — Utrum anima sit composita ex materia et forma 3
III. — Utrum anima sit ipsum corpus animatum, puta planta, equus, homo 6
IV. — Quot sint genera animarum. 7
V. — Utrum prior definitio animæ a Philosopho allata sit conveniens . . 8
VI. — Utrum posterior definitio ejusdem sit conveniens 11
VII. — Utrum anima sit in toto corpore et in qualibet parte corporis. . . 13
VIII. — Utrum anima sit in toto corpore indivisibiliter, ita ut sit tota in toto, et tota in qualibet parte ejus, an vero divisibiliter, ita ut tota sit in toto, et pars in parte. 17

QUÆSTIO XLIX

DE PROPRIETATIBUS ANIMÆ

Art. I. — Utrum anima sit mobilis per se . . 21
II. — Utrum omnis anima sit inseparabilis a corpore 22

QUÆSTIO L

DE CORPORE QUOD EST MATERIA ANIMÆ

Art. I. — Utrum præter animam in corpore sit alia forma substantialis . . . 23
II. — Utrum partes corporis viventis, puta os, caro, et similes, specie differant. 27
III. — Quænam sint veræ partes corporis viventis 28

QUÆSTIO LI

DE POTENTIIS ANIMÆ IN COMMUNI

Art. I. — Utrum essentia animæ sit ejus potentia. 32
II. — Utrum sit tantum una potentia animæ, an plures 36
III. — Utrum potentiæ distinguantur per actus et objecta 37
IV. — Utrum in potentiis animæ sit ordo. 40
V. — Utrum anima sit subjectum potentiarum. 41
VI. — Utrum potentiæ fluant ab essentia animæ. 41
VII. — Utrum una potentia oriatur ex alia 43
VIII. — Utrum potentiæ omnes remaneant in anima separata 43
IX. — Utrum quinque genera potentiarum animæ sint distinguenda. . 45

QUÆSTIO LII

DE ANIMA VEGETATIVA

Art. I. — Utrum anima vegetativa sit forma corporis viventis. 49

QUÆSTIO LIII

DE POTENTIIS ANIMÆ VEGETATIVÆ IN COMMUNI

Art. I. — Utrum convenienter assignentur tres potentiæ animæ vegetativæ, generativa, nutritiva et augmentativa 50

QUÆSTIO LIV

DE POTENTIA GENERATIVA

Art. I. — Utrum generatio sit opus naturalissimum et perfectissimum inter opera animæ vegetativæ . . . 54
II. — Quid sit potentia generativa 55
III. — Utrum potentia generativa activa sit in matre. 57
IV. — Utrum omnia, quæ ex semine generantur, possint sine semine per putrefactionem generari. . . 60
V. — Utrum animalia genita per putrefactionem sint eiusdem speciei cum genitis ex semine 61

QUÆSTIO LV

DE POTENTIA AUGMENTATIVA

Art. I. — Utrum augmentum proprie sit tantum in viventibus. 63
II. — Utrum potentia augmentativa sit realiter distincta a nutritiva. . . 64

QUÆSTIO LVI

DE POTENTIA NUTRITIVA

Art. I. — Utrum nutritio proprie tantum conveniat viventibus 66
II. — Utrum potentia nutritiva distinguatur realiter a generativa . . . 67

QUÆSTIO LVII

DE ANIMA SENSITIVA

Art. I. — Utrum animæ brutorum sint subsistentes 68
II. — Utrum anima sensitiva traducatur cum semine 69
III. — Utrum anima sensitiva sit in semine a principio, quando deciditur. 71
IV. — Utrum anima sensitiva sit forma substantialis animalis 74

QUÆSTIO LVIII

DE PROPRIETATIBUS ANIMÆ SENSITIVÆ

Art. I. — Utrum anima sensitiva sit corruptibilis 75
II. — Utrum anima sensitiva in homine sit nobilior et perfectior quam in bruto. 77

QUÆSTIO LIX

DE OBJECTO SENSUS

Art. I. — Utrum objectum sensus sit extra sensum 78
II. — Utrum objectum sensus sit tantum res existens et præsens 81
III. — Utrum objectum sensus sit substantia. 82
IV. — Utrum simul possint plura sensibilia per sensum ab eodem percipi. 83
V. — Utrum recte dividatur sensibile in per accidens et per se, et per se in proprium et commune 84
VI. — Utrum sensibilia communia sint tantum quinque 86
VII. — Utrum sensus possit decipi circa proprium sensibile 87

QUÆSTIO LX

DE SPECIEBUS SENSIBILIBUS

Art. I. — Utrum detur species, quæ sint necessariæ ad actum sentiendi . 89
II. — Utrum hæ species sint diversæ speciei a qualitatibus sensibilibus. 95
III. — Utrum species sensibiles sensu externo percipiantur, ut species visibiles visu. 97

QUÆSTIO LXI

DE SENSATIONE

Art. I. — Utrum sensatio tantum consistat in receptione speciei sensibilis. 99

QUÆSTIO LXII

DE ORGANO SENSUS

Art. I. — Utrum sensibile positum supra sensorium faciat sensationem . . . 101

II. — Utrum excellens sensibile corrumpat sensorium. 105

QUÆSTIO LXIII

DE POTENTIA SENSITIVA

Art. I. — Utrum recte definiatur a Philosopho sensus 107

QUÆSTIO LXIV

DE SENSIBUS EXTERIORIBUS

Art. I. — Utrum in quolibet sensu externo sit reperire sensum agentem et patientem. 109
II. — Utrum sint tantum quinque sensus exteriores 110
III. — Utrum sensus exteriores indigeant medio 115

QUÆSTIO LXV

DE OBJECTO POTENTIÆ VISIVÆ

Art. I. — Utrum objectum visus sit color . . 117
II. — Utrum color recte definiatur a Philosopho 119
III. — Utrum lumen sit corpus. 121
IV. — Utrum lumen sit qualitas. 123
V. — Utrum lumen sit realiter in medio, an vero tantum intentionaliter. . 125

QUÆSTIO LXVI

DE VISIONE

Art. I. — Utrum visio fiat per extramissionem radiorum ab oculis, an vero per intus receptionem 126

QUÆSTIO LXVII

DE ORGANO VISUS

Art. I. — Utrum visio fiat in humore crystallino, an vero in nervis opticis . 130

QUÆSTIO LXVIII

DE POTENTIA VISIVA

Art. I. — Utrum potentia visiva sit perfectior aliis potentiis sensitivis externis 133
II. — Utrum sit nobis carior reliquis sensibus. 136
III. — Utrum visus inter alias potentias sensitivas externas faciat magis scire 137

QUÆSTIO LXIX

DE POTENTIÆ ADITIVÆ OBJECTO

Art. I. — Utrum sonus sit qualitas, an vero motus 138
II. — Utrum sonus sit in corpore sonante, an vero in medio 139

QUÆSTIO LXX

DE AUDITIONE

Art. I. — Utrum ad auditionem requiratur, quod sonus realiter perveniat ad auditum per motum aeris 140

QUÆSTIO LXXI

DE ORGANO AUDITUS

Art. I. — Utrum organum auditus sit aer internus intra meningam contentus 144

QUÆSTIO LXXII

DE OBJECTO POTENTIÆ ODORATIVÆ

Art. I. — Quid sit odor 146
II. — Utrum odor sit ex prædominio calidi et sicci. 147
III. — Utrum odor nutriat 150

QUÆSTIO LXXIII

DE ACTU ODORANDI

Art. I. — Utrum ad actum odorandi requiratur, ut odor realiter perveniat ad odoratum. 151

QUÆSTIO LXXIV

DE ORGANO ODORATUS

Art. I. — Utrum carunculæ mammillares sint organum odoratus. 153

QUÆSTIO LXXV

DE POTENTIA ODORATIVA

Art. I. — Utrum odoratus hominis sit pejor odoratu aliorum animalium . . . 156

QUÆSTIO LXXVI

DE OBJECTO POTENTIÆ GUSTATIVÆ

Art. I. — Utrum recte definiatur a Philosopho sapor. 157

II. — Quot sint species saporum 159
III. — Utrum extremi sapores sint dulcis et amarus. 160

QUÆSTIO LXXVII

DE GUSTATIONE

Art. I. — Utrum ad gustationem requiratur medium extraneum. 160

QUÆSTIO LXXVIII

DE ORGANO POTENTIÆ GUSTATIVÆ

Art. I. — Quod sit organum potentiæ gustativæ 162

QUÆSTIO LXXIX

DE POTENTIA GUSTATIVA

Art. I. — Utrum potentia gustativa necessario insit omnibus animalibus . . 163

QUÆSTIO LXXX

DE SENSATIONE TACTUS

Art. I. — Utrum ad sensationem tactus requiratur medium externum. 164

QUÆSTIO LXXXI

DE ORGANO TACTUS

Art. I. — Utrum caro sit organum tactus, an aliquid juxta cor. 166

QUÆSTIO LXXXII

DE POTENTIA TACTIVA

Art. I. — Utrum [illegible] 167

QUÆSTIO LXXXIII

DE SENSIBUS INTERNIS

Art. I. — Utrum [illegible] aliquis sensus interior. . . . 168
II. — Quot sint sensus interiores. . . . 169
III. — Utrum [illegible] interni insint omnibus animalibus 172
IV. — Utrum detur sensus agens . 173

QUÆSTIO LXXXIV

DE ORGANIS SENSUUM INTERNORUM

Art. I. — Utrum cerebrum sit organum sensuum internorum 175

QUÆSTIO LXXXV

DE APPETITU SENSITIVO

Art. I. — Utrum appetitus sit aliqua specialis potentia animæ. 183
II. — Utrum appetitus dividatur in sensitivum et intellectivum tamquam in diversas potentias 185
III. — Utrum appetitus sensitivus dividatur in irascibilem et concupiscibilem tamquam in diversas potentias. 187
IV. — Utrum etiam appetitus intellectivus dividatur in irascibilem et concupiscibilem tamquam in diversas potentias 189
V. — Utrum appetitus concupiscibilis et irascibilis obediant rationi . . 191

QUÆSTIO LXXXVI

DE ORGANO APPETITUS SENSITIVI

Art. I. — Utrum organum appetitus sensitivi sit cor. 194

QUÆSTIO LXXXVII

DE VIRTUTE MOTIVA NATURALI

Art. I. — Utrum motus cordis et arteriarum sit ab anima 195
II. — Utrum motus respirationis sit ab anima 198
III. — Quod sit organum virtutis pulsativæ et respirativæ. 199

QUÆSTIO LXXXVIII

DE VIRTUTE MOTIVA ANIMALIS

Art. I. — Utrum virtus motiva animalis sit potentia distincta ab aliis potentiis sensitivis. 199
II. — Utrum organum potentiæ motivæ sint nervi et musculi. 201

QUÆSTIO LXXXIX

DE ANIMÆ RATIONALIS PRODUCTIONE

Art. I. — Utrum anima rationalis sit de substantia Dei vel aliquid factum . . 202
II. — Utrum traducatur ex parentibus sed manet ex nihilo 204
III. — Utrum producatur a Deo per creationem. 206
IV. — Utrum producatur a Deo mediantibus angelis. 208
V. — Utrum sit producta ante corpus . 209

QUÆSTIO XC

DE ESSENTIA ANIMÆ RATIONALIS

Art. I. — Utrum anima rationalis sit aliquid subsistens 213
II. — Utrum anima rationalis sit composita ex materia et forma. . . . 215
III. — Utrum anima rationalis sit ejusdem speciei cum angelo. 217
IV. — Utrum animæ rationales sint æquales in perfectione et nobilitate. 219

QUÆSTIO XCI

DE UNIONE ANIMÆ RATIONALIS AD CORPUS

Art. I. — Utrum anima rationalis uniatur corpori ut forma. 222
II. — Utrum anima rationalis numero multiplicetur ad multiplicationem corporum, vel sit una in omnibus hominibus. 227
III. — Utrum in corpore, cujus est forma anima rationalis, sit aliqua alia anima 230
IV. — Utrum sit in eo aliqua alia forma substantialis 233
V. — Utrum anima rationalis tali corpori debeat uniri, quale est corpus humanum 235
VI. — Utrum anima rationalis uniatur corpori mediantibus dispositionibus accidentalibus 237
VII. — Utrum anima rationalis uniatur corpori mediante aliquo corpore. 239
VIII. — Utrum anima rationalis sit tota in qualibet parte animalis. . . . 241
IX. — Utrum anima rationalis, quæ unitur uni corpori, posset uniri alii. 243

QUÆSTIO XCII

DE PROPRIETATIBUS ANIMÆ RATIONALIS

Art. I. — Utrum anima rationalis sit immortalis et incorruptibilis 245

QUÆSTIO XCIII

DE POTENTIIS ANIMÆ INTELLECTIVÆ IN COMMUNI

Art. I. — Utrum intellectus et ratio sint diversæ potentiæ. 253
II. — Utrum intelligentia sit alia potentia ab intellectu 255
III. — Utrum in anima rationali sit memoria 256
IV. — Utrum memoria realiter distinguatur ab intellectu sicut potentia a potentia 258
V. — Utrum intellectus et voluntas sint una et eadem potentia realiter . 260
VI. — Utrum in homine sit liberum arbitrium 262
VII. — Utrum liberum arbitrium sit etiam in brutis 265
VIII. — Utrum liberum arbitrium in homine sit potentia realiter distincta ab intellectu et voluntate 268
IX. — Utrum liberum arbitrium sit potentia appetitiva. 270
X. — Utrum liberum arbitrium sit voluntas, vel alia potentia distincta a voluntate. 271

QUÆSTIO XCIV

DE POTENTIA INTELLECTIVA

Art. I. — Utrum intellectus sit potentia animæ vel ejus essentia 272
II. — Utrum intellectus sit potentia passiva 273
III. — Utrum necesse sit ponere intellectum agentem 275
IV. — Utrum intellectus agens sit aliquid animæ 278
V. — Utrum intellectus agens sit unus omnium. 280
VI. — Utrum ratio superior et inferior sint diversæ potentiæ. 281
VII. — Utrum intellectus practicus et speculativus sint diversæ potentiæ. 286
VIII. — Utrum intellectus possibilis sit unus in omnibus hominibus. . . 287

QUÆSTIO XCV

DE SPECIEBUS INTELLIGIBILIBUS

Art. I. — Utrum sit necesse ponere species intelligibiles ad hoc ut intellectus intelligat 290
II. — Utrum anima rationalis intelligat per species intelligibiles innatas. 295
III. — Utrum species intelligibiles, per quas anima intelligit, effluant in animam ab aliquibus formis separatis 296
IV. — Utrum anima recipiat species intelligibiles a phantasmatibus et a rebus sensibilibus . . . , . . . 298
V. — Utrum intellectus possit intelligere per species intelligibiles, quas habet, non convertendo se ad phantasmata 301

QUÆSTIO XCVI

DE ACTU INTELLECTUS

Art. I. — Utrum omnis intellectio sit productiva verbi seu sit dictio . . . 303
II. — Utrum intellectio sit prior natura dictione, an vero posterior. . . . 306
III. — Utrum intellectio realiter distinguatur a verbo 308
IV. — Utrum intellectio producatur ab intellectu et a specie intelligibili tamquam a duobus agentibus partialibus, an vero a solo intellectu 309
V. — Utrum intellectus sit semper in actu secundo. 311

QUÆSTIO XCVII

DE TERMINO INTRINSECO INTELLECTIONIS SEU DE VERBO MENTIS

Art. I. — Utrum sit necessarium ponere verbum mentis 313
II. — Utrum verbum mentis sit tantum medium quo, an vero etiam in quo aliquo alio tamquam imago, in quo intellectus res ad extra intelligit. 316

QUÆSTIO XCVIII

DE OBJECTO INTELLECTUS

Art. I. — Quodnam sit objectum intellectus 320

QUÆSTIO XCIX

DE MODO, QUO ANIMA CORPORI UNITA INTELLIGIT CORPORALIA, QUÆ SUNT INFRA ANIMAM

Art. I. — Utrum anima cognoscat corpora per intellectum. 323
II. — Utrum intelligat ea per essentiam suam vel per aliquas species . . . 325
III. — Utrum intelligibilem cognitionem accipiat a sensu 327
IV. — Utrum anima indigeat phantasmatibus ad intelligendum corpora 329
V. — Utrum judicium intellectus impedatur per impedimentum virium sensitivarum. 330

QUÆSTIO C

DE MODO ET ORDINE INTELLIGENDI RES CORPOREAS

Art. I. — Utrum intellectus noster intelligat abstrahendo species a phantasmatibus 333
II. — Utrum species intelligibiles abstractæ a phantasmatibus se habeant ad intellectum nostrum ut quod, vel sicut id quo intelligitur. 336
III. — Utrum intellectus noster naturaliter intelligat prius magis universale 338
IV. — Utrum intellectus noster possit multa simul intelligere. 341
V. — Utrum intellectus noster intelligat componendo et dividendo 343
VI. — Utrum intellectus possit errare. . 345
VII. — Utrum unus possit eandem rem melius intelligere, quam alius . 346
VIII. - Utrum intellectus noster per prius cognoscat indivisibile, quam divisibile 347

QUÆSTIO CI

QUID INTELLECTUS NOSTER IN REBUS MATERIALIBUS COGNOSCAT

Art. I. — Utrum cognoscat singularia. . . . 348
II. — Utrum cognoscat infinita 352
III. — Utrum cognoscat contingentia. . . 353
IV. — Utrum cognoscat futura 354

QUÆSTIO CII

QUOMODO ANIMA INTELLECTIVA SE IPSAM ET EA, QUÆ SUNT IN IPSA, COGNOSCAT

Art. I. — Utrum cognoscat se ipsam per suam essentiam 356
II. — Quomodo cognoscat habitus in se existentes. 359
III. — Quomodo intellectus cognoscat perpetuum actum 360
IV. — Quomodo cognoscat actum voluntatis 362

QUÆSTIO CIII

QUOMODO ANIMA COGNOSCAT EA, QUÆ SUPRA ILLAM SUNT

Art. I. — Utrum anima humana secundum statum presentis vitæ possit intelligere substantias immateriales, quas angelos dicimus, per species. 362
II. — Utrum possit ad earum notitiam pervenire per cognitionem rerum materialium 367
III. — Utrum Deum sit id, quod primo a nobis cognoscitur 369

QUÆSTIO CIV

DE POTENTIA VOLUNTATIS

Art. I. — Utrum voluntas sit alia potentia

præter appetitum sensitivum. . . 373
II. — Utrum voluntas distinguatur in irascibilem et concupiscibilem . 375

QUÆSTIO CV

DE ACTU VOLUNTATIS

Art. I. — Utrum actus voluntatis producatur effective a voluntate et cognitione objecti tamquam a duobus agentibus partialibus, an vero totaliter producatur a sola voluntate 377
II. — Utrum per actum voluntatis producatur aliquis terminus intrinsecus 379
III. — Utrum iste terminus realiter distinguatur ab actu voluntatis . . 381

QUÆSTIO CVI

DE TERMINO INTRINSECO ACTUS VOLUNTATIS

Art. I. — Utrum terminus intrinsecus actus voluntatis sit immediatum objectum illius 382

QUÆSTIO CVII

DE OBJECTO VOLUNTATIS

Art. I. — Utrum objectum formale voluntatis sit tantum bonum, an bonum et malum. 383
II. — Utrum objectum materiale voluntatis sit tantum finis, an etiam ea quæ sunt ad finem. 386

QUÆSTIO CVIII

DE MODO QUO VOLUNTAS TEDIT IN OBJECTUM

Art. I. — Utrum voluntas appetat aliquid ex necessitate 387
II. — Utrum voluntas ex necessitate velit quæcumque vult 389
III. — Utrum voluntas eodem actu feratur in finem, et ea quæ sunt ad finem 391

QUÆSTIO CIX

DE VOLUNTATE PER ORDINEM AD INTELLECTUM ET CETERAS VIRES

Art. I. — Utrum voluntas sit nobilior intellectu. 394
II. — Utrum voluntas moveat intellectum et ceteras vires. 396

Pag. 287 a lin. 3 infra : ne *lege* nec.

Typis A. Nezan, Meduanæ

B 765 .T51 1885 v.2 IMS

Thomas,
Summa philosophiae ex variis
libris D. Thomae Aquinatis [
47090642